

CORPUS THOMISTICUM  
Sancti Thomae de Aquino  
Super Evangelium S. Ioannis lectura  
prooemium

Textum Taurini 1952 editum  
ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas  
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

Prooemium

[87413] Super Io., pr. 1 *Vidi dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat omnis terra maiestate eius, et ea quae sub ipso erant, replebant templum.* Is. VI, 1. Verba proposita sunt contemplantis, et si capiantur quasi ex ore Ioannis Evangelistae prolata, satis pertinent ad declarationem huius Evangelii. Ut enim dicit Augustinus in libro de consensu Evangelist., caeteri Evangelistae informant nos in eorum Evangelii quantum ad vitam activam; sed Ioannes in suo Evangelio informat nos etiam quantum ad vitam contemplativam. In verbis autem propositis describitur contemplatio Ioannis tripliciter, secundum quod dominum Iesum est tripliciter contemplatus. Describitur autem alta, ampla et perfecta. Alta quidem, quia *vidi dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*; ampla quidem, quia *plena est omnis terra maiestate eius*; perfecta, quia *ea quae sub ipso erant replebant templum*. Circa primum sciendum quod altitudo et sublimitas contemplationis consistit maxime in contemplatione et cognitione Dei; Is. XL, 26: *levate in excelso oculos vestros, et videte quis fecit haec*. Tunc ergo homo oculos contemplationis in excelso elevat, quando videt et contemplatur ipsum rerum omnium creatorem. Quia ergo Ioannes transcendit quicquid creatum est, scilicet ipsos montes, ipsos caelos, ipsos Angelos, et pervenit ad ipsum creatorem omnium, ut dicit Augustinus, manifestum est, quod contemplatio sua altissima fuit; et ideo *vidi dominum*. Et quia, sicut ipse Ioannes dicit: *haec dixit Isaias quando vidit gloriam eius*, scilicet Christi, *et locutus est de eo*, ideo dominus sedens super solium excelsum et elevatum, Christus est. In hac autem contemplatione Ioannis circa verbum incarnatum quadruplex altitudo designatur. Auctoritatis, unde dicit *vidi dominum*, aeternitatis, cum dicit *sedentem*, dignitatis, seu nobilitatis naturae, unde dicit *super solium excelsum*, et incomprehensibilis veritatis, cum dicit *et elevatum*. Istis enim quatuor modis antiqui philosophi ad Dei cognitionem pervenerunt. Quidam enim per auctoritatem Dei in ipsius cognitionem pervenerunt; et haec est via efficacissima. Videmus enim ea quae sunt in rebus naturalibus, propter finem agere, et consequi utiles et certos fines; et cum intellectu careant, se ipsa dirigere non possunt, nisi ab aliquo dirigente per intellectum dirigantur et moveantur. Et hinc est quod ipse motus rerum naturalium in finem certum, indicat esse aliquid altius, quo naturales res diriguntur in finem et gubernantur. Et ideo cum totus cursus naturae ordinate in finem procedat et dirigatur, de necessitate oportet nos ponere aliquid altius, quod dirigat ista et sicut dominus gubernet: et hic est Deus. Et haec gubernandi auctoritas in verbo Dei demonstratur, cum dicit *dominum*; unde in Ps. LXXXVIII, 10 dicitur: *tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum eius tu mitigas*; quasi dicat: tu es dominus et universa gubernas. Hanc cognitionem manifestat Ioannes se habere de verbo, cum dicit: *in propria venit*, scilicet in mundum; quia totus mundus est suus proprius. Alii vero venerunt in cognitionem Dei ex eius aeternitate. Viderunt enim quod quicquid est in rebus, est mutabile; et quanto aliquid est nobilius in gradibus rerum, tanto minus habet de mutabilitate: puta, inferiora corpora sunt secundum substantiam et secundum locum

mutabilia; corpora vero caelestia, quae nobiliora sunt, secundum substantiam immutabilia sunt; secundum autem locum tantum moventur. Secundum hoc ergo evidenter colligi potest, quod primum principium omnium rerum, et supremum et nobilius, sit immobile et aeternum. Et hanc aeternitatem verbi propheta insinuat, cum dicit *sedentem*, idest absque omni mutabilitate et aeternitate praesidentem; Ps. c. XLIV, 7: *sedes tua, Deus, in saeculum saeculi*; Hebr. ult., 8: *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula*. Hanc aeternitatem Ioannes ostendit dicens: *in principio erat verbum*. Quidam autem venerunt in cognitionem Dei ex dignitate ipsius Dei: et isti fuerunt Platonici. Consideraverunt enim quod omne illud quod est secundum participationem, reducitur ad aliquid quod sit illud per suam essentiam, sicut ad primum et ad summum; sicut omnia ignita per participationem reducuntur ad ignem, qui est per essentiam suam talis. Cum ergo omnia quae sunt, participant esse, et sint per participationem entia, necesse est esse aliquid in cacumine omnium rerum, quod sit ipsum esse per suam essentiam, idest quod sua essentia sit suum esse: et hoc est Deus, qui est sufficientissima, et dignissima, et perfectissima causa totius esse, a quo omnia quae sunt, participant esse. Et huius dignitas ostenditur, cum dicitur *super solium excelsum*, quod, secundum Dionysium, ad divinam naturam refertur; Ps. CXII, 4: *excelsus super omnes gentes dominus*. Hanc dignitatem ostendit nobis Ioannes, cum dicit: *et Deus erat verbum*, quasi: verbum erat Deus, ut *ly* verbum ponatur ex parte suppositi, et Deus ex parte appositi. Quidam autem venerunt in cognitionem Dei ex incomprehensibilitate veritatis. Omnis enim veritas quam intellectus noster capere potest, finita est; quia secundum Augustinum, omne quod scitur, scientis comprehensione finitur, et si finitur, est determinatum et particularizatum; et ideo necesse est primam et summam veritatem, quae superat omnem intellectum, incomprehensibilem et infinitam esse: et hoc est Deus. Unde in Ps. VIII, 2 dicitur: *elevata est magnificentia tua super caelos*, idest super omnem intellectum creatum, angelicum et humanum. Et hoc ideo, quia, ut dicit apostolus, *lucem habitat inaccessibilem*, I Tim. ult. 16. Huius autem incomprehensibilitas veritatis ostenditur nobis, cum dicit *et elevatum*, scilicet super omnem cognitionem intellectus creati. Et hanc incomprehensibilitatem insinuat nobis Ioannes, cum dicit: *Deum nemo vidit unquam*. Sic ergo contemplatio Ioannis alta fuit et quantum ad auctoritatem, et quantum ad aeternitatem, et quantum ad dignitatem, et quantum ad verbi incomprehensibilitatem, quam nobis in suo Evangelio tradidit Ioannes. Fuit etiam ampla. Tunc enim contemplatio ampla est, quando in causa potest aliquis considerare omnes effectus ipsius causae; quando scilicet non solum essentiam causae, sed etiam virtutem eius, secundum quam se ad multa diffundit, cognoscit. De qua diffusionem dicitur Eccli. XXV, 35: *qui implet quasi Phison sapientiam, et quasi tigris in diebus novorum*; Ps. LXIV, 10: *flumen Dei repletum est aquis*, quia divina sapientia altitudinem habet quantum ad cognitionem omnium rerum; Sap. IX, 9: *ab initio est tecum sapientia quae novit opera tua*. Quia ergo Ioannes Evangelista elevatus in contemplationem naturae divini verbi et essentiae est, cum dicit: *in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum*, statim virtutem ipsius verbi secundum quod diffundit se ad omnia, nobis insinuat, cum dicit: *omnia per ipsum facta sunt*. Ideo contemplatio sua ampla fuit. Et ideo in auctoritate praemissa, postquam dixerat propheta *vidi dominum sedentem*, subiungit de virtute eius *et plena erat omnis terra maiestate eius*, idest tota plenitudo rerum et universi est a maiestate eius, et virtute Dei, per quem omnia facta sunt, et cuius lumine omnes homines venientes in hunc mundum illuminantur; Ps. XXIII, 1: *domini est terra, et plenitudo eius*. Fuit etiam contemplatio eius perfecta. Tunc enim contemplatio perfecta est, quando contemplans perducitur et elevatur ad altitudinem rei contemplatae: si enim remaneret in infimis, quantumcumque alta ipse contemplaretur, non esset contemplatio perfecta. Ad hoc ergo quod sit perfecta, oportet quod ascendat et consequatur ipsum finem rei contemplatae, inhaerendo et assentiendo per affectum et intellectum veritati contemplatae. Iob XXXVII, 16: *numquid nosti semitas nubium, idest contemplationes praedicantium, quod perfectae sint?* In quantum firmiter per affectum et intellectum inhaerent summae veritati contemplatae. Quia ergo Ioannes non solum docuit quomodo Christus Iesus, verbum Dei, est Deus super omnia elevatus et quomodo omnia per ipsum facta sunt, sed etiam quod per ipsum sanctificamur, et ei per gratiam quam nobis infundit, inhaeremus, dicit: *de plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia*. Ideo apparet, quod sua contemplatio perfecta fuit. Et haec perfectio ostenditur, cum subdit *et ea quae sub ipso erat, replebant templum*. Nam, sicut dicitur I Cor. c. XI, 3, *caput Christi Deus*. Quae ergo sub Christo sunt, sacramenta sunt humanitatis, per quae fideles replentur plenitudine gratiae. Sic ergo *ea quae sub ipso erant, replebant templum*, idest fideles qui sunt templum Dei sanctum, sicut dicitur I Cor. III, 17 in quantum per ipsius sacramenta humanitatis, fideles Christi omnes de plenitudine gratiae ipsius accipiunt. Fuit ergo Ioannis contemplatio ampla, alta et perfecta. Sed notandum quod diversimode diversae scientiae istos tres modos contemplationis sortiuntur. Perfectionem namque contemplationis habet

scientia moralis, quae est de ultimo fine; plenitudinem autem scientia naturalis, quae res a Deo procedentes considerat; altitudinem vero contemplationis inter scientias physicas habet metaphysica. Sed Evangelium Ioannis, quod divisim scientiae praedictae habent, totum simul continet, et ideo est perfectissimum. Sic ergo ex praemissis colligitur materia huius Evangelii; quia cum Evangelistae alii tractent principaliter mysteria humanitatis Christi, Ioannes specialiter et praecipue divinitatem Christi in Evangelio suo insinuat, ut supra dictum est: nec tamen praetermisit mysteria humanitatis; quod ideo factum est, quia postquam alii Evangelistae sua Evangelia scripserunt, insurrexerunt haereses circa divinitatem Christi, quae erant quod Christus erat purus homo, sicut Ebion et Cerinthus falso opinabantur. Et ideo Ioannes Evangelista, qui veritatem divinitatis verbi ab ipso fonte divini pectoris hauserat, ad preces fidelium, Evangelium istud scripsit, in quo doctrinam de Christi divinitate nobis tradidit, et omnes haereses confutavit. Patet ergo ordo istius Evangelii ex verbis praemissis. Primo enim insinuat nobis *dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*, in prima parte, cum dicit: *in principio erat verbum*. In secunda vero parte insinuat quomodo *omnis terra plena est maiestate eius*, cum dicit: *omnia per ipsum facta sunt*. In tertia parte manifestat quomodo *ea quae sub ipso erant, replebant templum* cum ipse dicit: *verbum caro factum est*. Patet etiam finis huius Evangelii, qui est ut fideles templum Dei efficiantur, et repleantur a maiestate Dei; unde et ipse Ioannes XX, 31: *haec autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus est Christus filius Dei*. Patet etiam materia huius Evangelii, quae est cognitio divinitas verbi. Patet ordo, patet et finis. Sequitur conditio auctoris, qui quidem describitur in praemissis quantum ad quatuor: quantum ad nomen, quantum ad virtutem, quantum ad figuram, et quantum ad privilegium. Quantum ad nomen, quia Ioannes, qui huius Evangelii auctor fuit, Ioannes autem interpretatur in quo est gratia, quia secreta divinitatis videre non possunt nisi qui gratiam Dei in se habent; unde I Cor. II, 11 dicitur: *quae sunt Dei nemo cognovit, nisi spiritus Dei*. Ioannes ergo vidit dominum sedentem, quantum ad virtutem, quia fuit virgo: talibus enim competit videre dominum; Matth. c. V, 8: *beati mundo corde*. Quantum ad figuram, quia Ioannes figuratur per aquilam. Et hoc quia cum alii tres Evangelistae circa ea quae Christus in carne est operatus, occupati, designentur per animalia, quae gradiuntur in terra, scilicet per hominem, vitulum et leonem; Ioannes vero, supra nebulam infirmitatis humanae sicut aquila volans, lucem incommutabilis veritatis altissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur, atque ipsam deitatem domini nostri Iesu Christi, qua patri aequalis est, intendens, eam in suo Evangelio, quantum inter omnes sufficere credidit, studuit praecipue commendare. Et de hoc volatu Ioannis dicitur Iob c. XXXIX, 27: *numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila?* Idest Ioannes; et infra: *oculi eius de longe prospiciunt*, quia scilicet ipsum verbum Dei in sinu patris oculo mentis intuetur. Quantum ad privilegium, quia inter caeteros discipulos domini Ioannes magis fuit dilectus a Christo: *iste est enim discipulus ille quem diligebat Iesus*, sicut ipsemet non exprimens nomen suum dixit; et ideo, quia amicis revelantur secreta, ut dicitur ibid. XV, 15: *vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a patre meo, nota feci vobis*, secreta sua huic discipulo specialiter dilecto specialiter commendavit. Unde Iob XXXVI, 32 dicitur: *immanibus*, idest superbis, *abscondit lucem*, Christus scilicet divinitatis suae veritatem, *et annuntiat de ea amico suo*, scilicet Ioanni, *quod possessio eius sit* etc., quia ipse est, qui lucem verbi incarnati excellentius videns, ipsam nobis insinuat, dicens: *erat lux vera* et cetera. Patet ergo materia, ordo, finis et auctor huius Evangelii beati Ioannis, quod prae manibus habemus.

[87414] Super Io., pr. 2 In quo duo intendit Hieronymus exprimere, scilicet auctorem Evangelii, et ostendere quod ei scribere hoc Evangelium competebat. Dividitur ergo in duas partes. Primo ergo describit Ioannem quantum ad vitam; secundo quantum ad mortem, ibi *hic est Ioannes*. Circa primum duo facit. Primo describit auctorem operis, quantum ad dona in vita sibi collata; secundo ex illis ostendit idoneitatem ad Evangelium conscribendum, ibi *denique manifestans in Evangelio*. Circa primum duo facit. Primo ostendit praeconia auctoris; secundo probat, ibi *cui virginitatis in hoc duplex testimonium datur in Evangelio*. Describit enim auctorem quantum ad nomen, dicens *hic est Ioannes*, in quo gratia; I Cor. XV, 10: *gratia Dei sum id quod sum*. Secundo quantum ad officium, cum dicit *Evangelista*; Is. XLI, 27: *primus ad Sion dicet: ecce adsum, et Ierusalem Evangelistam dabo*. Tertio quantum ad dignitatem, cum dicit *ex discipulis domini*; Is. LIV, 13: *ponam universos filios tuos doctos a domino*. Quarto quantum ad castitatis virtutem, cum dicit *qui virgo*. Quinto ab electione *est electus a domino*; infra XV, 16: *non vos me elegistis*. Sexto a modo vocationis, cum dicit, quod *de nuptis vocavit*, ab illis scilicet nuptiis ad quas est invitatus Iesus cum discipulis suis, ubi mutavit aquam in vinum. Sed contra est, quod dicitur Matth. c. VI, 21, quod vocatus est cum Iacobo fratre suo de navi, non autem

de nuptiis. Ad quod dicendum est quod diversae fuerunt vocationes apostolorum. Primo enim vocati fuerunt ad familiaritatem Christi, sed ultimo vocati ad discipulatum, quando scilicet relictis omnibus, secuti sunt Iesum. Quod ergo Hieronymus dicit, intelligendum est de prima vocatione, qua Ioannes ad familiaritatem Christi de nuptiis est vocatus; quod vero Matthaeus dicit, intelligendum est de ultima vocatione, qua de navi vocavit cum Iacobo fratre suo, quando scilicet relictis omnibus, secutus est Christum.

[87415] Super Io., pr. 3 Consequenter cum dicit *cui virginitatis in hoc duplex testimonium datur*, probat praeconium virginitatis Ioannis duplici signo. Primo, signo maioris dilectionis. Et quantum ad hoc dicit *cui*, scilicet Ioanni, *in hoc*, scilicet Evangelio, *duplex testimonium virginitatis datur in Evangelio*, id est ex verbis Evangelii, sive quae continentur in Evangelio, *quod et prae caeteris discipulis a Deo dilectus dicitur*; infra XXI, 24: *hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his et scripsit haec*. Causa autem huius specialis dilectionis fuit munditia, quae ad dilectionem provocat, ut dicitur Prov. XXII, 11: *qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum, habebit amicum regem*. Secundo probat idem signo commendationis matris, cum dicit: *et huic*, scilicet Ioanni, *dominus*, scilicet *in cruce pendens, matrem commendavit*, ut dicitur Io. XIX, 27, *ut virgo*, scilicet Ioannes, *virginem matrem congrue servaret*.

[87416] Super Io., pr. 4 Deinde cum dicit *denique manifestans in Evangelio*, etc. ostendit quod Ioanni competeat Evangelium scribere; et hoc quantum ad quatuor. Primo quantum ad principium Evangelii, quod incipit a verbo incorruptibili, de quo non nisi incorruptum tractare oportuit. Et quantum ad hoc dicit *denique manifestans*, scilicet Ioannes, *in Evangelio, quod ipse erat incorruptibilis verbi opus inchoans, solus verbum carnem factum esse, nec lumen a tenebris comprehensum fuisse testatur*. Secundum quantum ad miraculorum exordium. Incipit enim miraculorum ordinem texere a miraculo quod Deus in nuptiis ostendit, quando scilicet aquam mutavit in vinum, ut patet Io. II, 1-11, in quibus vinum nuptiarum defecit, vino novo, scilicet virginitatis, restituto. Et quantum ad hoc dicit *primum signum*, id est miraculum, *quod in nuptiis facit dominus, ponens*, scilicet in principio aliorum miraculorum, *ostendens quod ipse erat*, scilicet virgo, *ut legentibus demonstraret quod ubi dominus invitatus sit, deficere vinum nuptiarum*, id est coniugii delectatio, *debeat; et veteribus immutatis*, id est antiqua aqua in novum vinum, *nova omnia quae a Christo instituuntur, appareant*; quia scilicet homines conversi ad Christum, debent exuere veterem et induere novum hominem, ut dicitur Col. c. III, 10, et Apoc. XXI, 5: *dicit qui sedebat in throno: ecce nova facio omnia*. Sed contra. Videtur per hoc quod dicit, quod *ubi dominus invitatus est debeat deficere vinum nuptiarum*, quod quicumque Deum amat, et diligit, debet cessare a coniugio: non ergo licet uxorem ducere. Respondeo dicendum quod homo invitatur a Deo dupliciter: quantum ad communem gratiam et sic non est necesse deficere vinum nuptiarum; et quantum ad speciale contemplationis fastigium: et sic oportet deficere vinum nuptiarum. Cuius rationem apostolus assignat I Cor. VII, 34: *quia mulier, quae nupta est, cogitat quomodo placeat viro*, et ideo oportet quod ab actu contemplationis impediatur, *quae autem nupta non est, cogitat quomodo placeat Christo*. Vel dicendum quod diligentibus Deum, et habentibus ipsum per gratiam, deficere debet vinum nuptiarum ab effectu vini, ut scilicet non inebrientur delectatione carnali, quae tanta posset esse, et cum tanta libidine exerceri, quod etiam in coniugatis esset peccatum mortale. Tertio quantum ad ordinem descriptionis libri. Nam post omnes alios libros sacrae Scripturae, hoc Evangelium est scriptum. Cum enim canonica Scriptura incipiat a libro Genesis et terminetur in Apocalypsim, Evangelium istud conscriptum fuit postquam Ioannes revocatus est a Pathmos insula Asiae, ubi ad preces episcoporum Asiae hoc scripsit Evangelium. Non tamen ordinatur ultimo, licet ultimo scripserit. Ex quo congruentia scribendi Evangelium ostenditur *ut cui in principio canonis*, id est sacrae Scripturae, ubi dicitur: *in principio creavit Deus caelum et terram, incorruptibile principium praenotatur in Genesi ei etiam incorruptibilis finis per virginem in Apocalypsi redderetur*, quantum ad ordinem librorum, non quantum ad ordinem Scripturae.

[87417] Super Io., pr. 5 Deinde cum dicit *et hic est Ioannes*, describitur auctorem: et circa hoc duo facit. Primo ponit praeconia suae laudis quantum ad mortem; secundo concludit ex his congruentiam ordinis huius Evangelii, ibi *tamen post omnes Evangelium scripsit*. Privilegium autem mortis admirabile et speciale est, quia nullum dolorem sensit in morte; et hoc Deo faciente, ut qui a corruptione carnis extitit penitus alienus, esset a dolore mortis extraneus.

[87418] Super Io., pr. 6 Congruentiam auctoris ad fidem ostendit, dicens *tamen post omnes Evangelium scripsit*. In libris sacrae Scripturae duplex ordo consideratur, unus scilicet temporis quo scripti fuerunt, et alius dispositionis, quo in Biblia ordinantur.

© 2006 *Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem*  
*Iura omnia asservantur*  
OCLC nr. [49644264](#)

CORPUS THOMISTICUM  
Sancti Thomae de Aquino  
Super Evangelium S. Ioannis lectura  
caput I

Textum Taurini 1952 editum  
ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas  
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

Caput 1

Lectio 1

[87419] Super Io., cap. 1 l. 1 Evangelista Ioannes, sicut dictum est, intendit principaliter ostendere divinitatem verbi incarnati; et ideo dividitur istud Evangelium in partes duas. Primo enim insinuat Christi divinitatem; secundo manifestat eam per ea quae Christus in carne fecit, et hoc II cap. *et die tertia*. Circa primum duo facit. Primo proponit Christi divinitatem; secundo ponit modum, quo Christi divinitas nobis innotuit, ibi *et vidimus gloriam eius* et cetera. Circa primum duo facit. Primo agit de divinitate Christi; secundo de verbi Dei incarnatione, ibi *fuit homo missus a Deo*. Quia vero in unaquaque re sunt consideranda duo, scilicet esse et operatio, sive virtus ipsius, ideo primo agit de esse verbi quantum ad naturam divinam; secundo de virtute, seu operatione ipsius, ibi *omnia per ipsum facta sunt*. Circa primum quatuor facit. Primo ostendit quando erat verbum, quia *in principio erat verbum*; secundo ubi erat, quia *apud Deum*; unde dicit *et verbum erat apud Deum*; tertio quid erat, quia Deus; unde subiungit *et Deus erat verbum*; quarto quomodo erat, quia *hoc erat in principio apud Deum*. Prima duo pertinent ad quaestionem, an est: secunda vero duo pertinent ad quaestionem quid est. Circa primum autem videndum est quid sit hoc quod dicitur *in principio erat verbum*. Ubi tria diligenter inquirenda concurrunt, secundum tres dictiones huius orationis. Et primo quid sit hoc quod dicitur *verbum*; secundo quid sit hoc quod dicitur *in principio*; tertio quid sit hoc quod dicitur *verbum erat in principio*. Ad intellectum autem huius nominis *verbum*, sciendum est quod, secundum philosophum ea quae sunt in voce, sunt signa earum, quae sunt in anima, passionum. Consuetum est autem in Scriptura quod significata nominantur nominibus signorum, sicut illud I Cor. X, 4: *petra autem erat Christus*. De necessitate autem oportet quod illud intrinsecum animae nostrae, quod significatur exteriori verbo nostro, verbum vocetur. Utrum autem per prius conveniat nomen verbi rei exteriori voce prolatae, vel ipsi conceptioni mentis, nihil refert ad praesens. Planum est tamen quod illud quod voce significatur, interius existens in anima, prius est quam ipsum verbum exteriori voce prolatum, utpote causa eius existens. Si ergo volumus scire quid est interius verbum mentis, videamus quid significat quod exteriori voce profertur. In intellectu autem nostro sunt tria: scilicet ipsa potentia intellectus; species rei intellectae, quae est forma eius, se habens ad ipsum intellectum, sicut species coloris ad pupillam; et, tertio, ipsa operatio intellectus quae est intelligere. Nullum autem istorum significatur verbo exteriori voce prolato. Nam hoc nomen lapis non significat substantiam intellectus, quia hoc non intendit dicere nominans; nec significat speciem, quae est qua intellectus intelligit, cum etiam hoc non sit intentio nominantis; non significat etiam ipsum intelligere, cum intelligere non sit actio exterius progrediens ab intelligente, sed in ipso manens. Illud ergo proprie dicitur verbum interius, quod intelligens intelligendo format. Intellectus autem duo format, secundum duas eius operationes. Nam secundum operationem suam, quae dicitur

indivisibilium intelligentia, format definitionem; secundum vero operationem suam, qua componit et dividit, format enunciationem, vel aliquid huiusmodi. Et ideo, illud sic formatum et expressum per operationem intellectus, vel definientis vel enunciantis, exteriori voce significatur. Unde dicit philosophus quod ratio, quam significat nomen, est definitio. Istud ergo sic expressum, scilicet formatum in anima, dicitur verbum interius; et ideo comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit, sed sicut in quo intelligit; quia in ipso expresso et formato videt naturam rei intellectae. Sic ergo habemus significationem huius nominis *verbum*. Secundo, ex his quae dicta sunt, concipere possumus, quod verbum semper est aliquid procedens ab intellectu in actu existente. Iterum quod verbum semper est ratio et similitudo rei intellectae. Et si quidem eadem res sit intelligens et intellecta, tunc verbum est ratio et similitudo intellectus, a quo procedit; si autem sit aliud intelligens et intellectum, tunc verbum non est similitudo et ratio intelligentis, sed rei intellectae: sicut conceptio quam aliquis habet de lapide, est similitudo lapidis tantum, sed quando intellectus intelligit se, tunc huiusmodi verbum est similitudo et ratio intellectus. Et ideo Augustinus ponit similitudinem Trinitatis in anima, secundum quod mens intelligit seipsam, non autem secundum quod intelligit alia. Patet ergo quod in qualibet natura intellectuali necesse est ponere verbum: quia de ratione intelligendi est quod intellectus intelligendo aliquid formet; huius autem formatio dicitur verbum; et ideo in omni intelligente oportet ponere verbum. Natura autem intellectualis est triplex, scilicet humana, angelica et divina: et ideo triplex est verbum. Scilicet humanum, de quo in Ps. XIII, 1: *dixit insipiens in corde suo: non est Deus*. Est et angelicum, de quo Zac. I, 9 et in multis locis sacrae Scripturae dicitur: *dixit Angelus* et cetera. Tertium est verbum divinum, de quo Gen. I, 5: *dixit Deus: fiat lux* et cetera. Cum ergo Evangelista dicit *in principio erat verbum*, non intelligi potest de humano vel angelico verbo: quia utrumque istorum verborum est factum, cum homo et Angelus habeant sui esse et operationis principium et causam; verbum autem hominis vel Angeli non potest praexistere eis. De quo autem verbo intellexerit Evangelista, declarat per hoc quod dicit, hoc verbum non esse factum, cum omnia sint facta per ipsum; hoc autem est verbum Dei, de quo Ioannes hic loquitur. Sciendum est autem, quod hoc verbum differt a nostro verbo in tribus. Prima differentia est, secundum Augustinum, quia verbum nostrum prius est formabile, quam formatum: nam cum volo concipere rationem lapidis, oportet quod ad ipsam ratiocinando perveniam; et sic est in omnibus aliis, quae a nobis intelliguntur, nisi forte in primis principiis, quae cum sint simpliciter nota, absque discursu rationis statim sciuntur. Quamdiu ergo sic ratiocinando, intellectus iactatur hac atque illac, nec dum formatio perfecta est, nisi quando ipsam rationem rei perfecte conceperit: et tunc primo habet rationem rei perfecte, et tunc primo habet rationem verbi. Et inde est quod in anima nostra est cogitatio, per quam significatur ipse discursus inquisitionis, et verbum, quod est iam formatum secundum perfectam contemplationem veritatis. Sic ergo verbum nostrum primo est in potentia quam in actu; sed verbum Dei semper est in actu: et ideo nomen cogitationis verbo Dei proprie non convenit. Dicit enim Augustinus, XV de Trinit., ita dicitur verbum Dei, ut cogitatio non dicatur, ne quid quasi volubile credatur in Deo. Id autem quod Anselmus dicit, scilicet dicere summo spiritui nihil aliud est, quam cogitando intueri, improprie dictum est. Secunda vero differentia verbi nostri ad verbum divinum est, quia verbum nostrum est imperfectum, sed verbum divinum est perfectissimum. Quia enim nos non possumus omnes nostras conceptiones uno verbo exprimere, ideo oportet quod plura verba imperfecta formemus, per quae divisim exprimamus omnia, quae in scientia nostra sunt. In Deo autem non est sic: cum enim intelligat, et seipsum etiam et quicquid intelligit per essentiam suam, uno actu, unicum verbum divinum est expressivum totius quod in Deo est, non solum personarum, sed etiam creaturarum: alias esset imperfectum. Unde dicit Augustinus: si quid minus esset in verbo, quam in dicentis scientia continetur, verbum imperfectum esset. Sed constat quod est perfectissimum; ergo est tantum unum. Iob XXXIII, 14: *semel loquitur Deus*. Tertia differentia est, quod verbum nostrum non est eiusdem naturae nobiscum, sed verbum divinum est eiusdem naturae cum Deo: et ideo est aliquid subsistens in natura divina. Nam ratio intellecta, quam intellectus videtur de aliqua re formare, habet esse intelligibile tantum in anima nostra; intelligere autem in anima nostra non est idem quod est natura animae, quia anima non est sua operatio. Et ideo verbum quod format intellectus noster, non est de essentia animae, sed est accidens ei. In Deo autem idem est intelligere et esse; et ideo verbum intellectus divini non est aliquid accidens, sed pertinens ad naturam eius: quia quicquid est in natura Dei, est Deus. Unde, dicit Damascenus, quod Deus verbum substantiale est, et in hypostasi ens, reliqua vero, verba nostra scilicet, virtutes sunt animae. Ex praemissis etiam patet quod verbum, proprie loquendo, semper personaliter accipitur in divinis, cum non importet nisi quid expressum ab intelligente. Item quod verbum in divinis sit similitudo eius a quo procedit; et quod sit coaeternum ei a quo procedit, cum non prius fuerit

formabile quam formatum, sed semper in actu; et quod sit aequale patri, cum sit perfectum, et totius esse patris expressivum; et quod sit coessentialis et consubstantialis patri, cum sit substantia eius. Patet etiam quod cum in qualibet natura illud quod procedit, habens similitudinem naturae eius a quo procedit, vocetur filius, et hoc verbum procedat in similitudine et identitate naturae eius a quo procedit, convenienter et proprie dicitur filius, et productio eius dicitur generatio. Sic ergo patet primum, scilicet quid sit hoc quod dicitur *verbum*. Circa hoc autem quatuor quaestiones occurrunt. Duae sunt Chrysostomi. Prima est cur Ioannes Evangelista patrem dimittens, confestim incepit a filio, dicens *in principio erat verbum*. Ad hoc autem est duplex responsio. Una est, quia pater omnibus innotuerat in veteri testamento, quamvis non in ratione patris, sed ut Deus; filius autem ignorabatur: et ideo in novo testamento, in quo agitur de cognitione verbi, incipit a verbo, sive filio. Alia est, quia per filium ducimur in notitiam patris; infra XVII, 6: *pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi*. Volens ergo fideles in notitiam patris ducere Evangelista, decenter incepit a filio, statim subiungens de patre cum dicit *et verbum erat apud Deum*. Secunda quaestio est etiam Chrysostomi. Cum enim, sicut dictum est, verbum procedat ut filius, quare dixit *verbum*, et non filius? Ad hoc etiam dupliciter respondetur. Primo quia filius dicit aliquid genitum, et cum audimus generationem filii, posset quis cogitare generationem illam talem esse, qualem comprehendere potest, scilicet materialem et passibilem; ideo ergo non dixit filius sed verbum, quod importat intelligibilem processum, ut non intelligatur materialem et passibilem generationem illam fuisse. Ostendens igitur filium ex Deo impassibiliter nasci, destruit vitiosam suspicionem per verbi nuncupationem. Aliter potest dici sic: Evangelista tractaturus erat de verbo, in quantum venerat ad manifestandum patrem. Unde cum ratio manifestationis magis importetur in nomine verbi quam in nomine filii, ideo magis est usus nomine verbi. Tertia quaestio est Augustini in Lib. LXXXIII quaest., quae talis est: in Graeco, ubi nos habemus verbum, habetur logos. Cum ergo logos significet in Latino rationem et verbum, quare translatores transtulerunt verbum, et non rationem, cum ratio sit quid intrinsecum, quemadmodum etiam verbum? Respondeo. Dicendum quod ratio proprie nominat conceptum mentis, secundum quod in mente est, etsi nihil per illam exterius fiat; per verbum vero significatur respectus ad exteriora: et ideo quia Evangelista per hoc, quod dixit logos, non solum intendebat significare respectum ad existentiam filii in patre, sed etiam operativam potentiam filii, qua *per ipsum facta sunt omnia*, magis antiqui transtulerunt verbum, quod importat respectum ad exteriora, quam ratio, quae tantum conceptum mentis insinuat. Quarta quaestio est Origenis, quae talis est. Scriptura in pluribus locis loquens de verbo Dei, nominat ipsum non absolute verbum, sed cum additione, scilicet Dei, cum dicit verbum Dei, vel domini: Eccli. I, 5: *fons sapientiae verbum Dei in excelsis*, et Apoc. XIX, 13: *et nomen eius verbum Dei*. Quare ergo Evangelista, cum loqueretur hic de verbo Dei, non dixit: in principio erat verbum Dei, sed dixit tantummodo verbum? Respondeo. Dicendum, quod licet sint multae veritates participatae, est tamen una veritas absoluta, quae per suam essentiam est veritas, scilicet ipsum esse divinum, qua veritate, omnia verba sunt verba. Eodem modo est una sapientia absoluta supra omnia elevata, scilicet sapientia divina, per cuius participationem omnes sapientes sunt sapientes. Et etiam unum verbum absolutum, cuius participatione omnes habentes verbum, dicuntur dicentes. Hoc autem est verbum divinum, quod per seipsum est verbum super omnia verba elevatum. Ut ergo Evangelista hanc super eminentiam divini verbi significaret, ipsum verbum absque ulla additione nobis absolute proposuit; et quia Graeci, quando volunt significare aliquid segregatum et elevatum ab omnibus aliis, consueverunt apponere articulum nomini, per quod illud significatur sicut Platonicus volentes significare substantias separatas, puta bonum separatum, vel hominem separatum, vocabant illud *ly* per se bonum, vel *ly* per se hominem ideo Evangelista volens significare segregationem et elevationem istius verbi super omnia, apposuit articulum ad hoc nomen logos, ut si dicatur in Latino, *ly* verbum. Secundo considerandum est, quid significet hoc quod dicitur *in principio*. Sciendum est autem quod principium, secundum Origenem, multis modis dicitur. Cum enim principium importet ordinem quemdam ad alia, necesse est invenire principium in omnibus, in quibus est ordo. Invenitur autem ordo in quantitativis; et secundum hoc dicitur principium in numeris et longitudine, puta lineae. Invenitur etiam ordo in tempore; et secundum hoc dicitur principium temporis, vel durationis. Invenitur ordo in disciplinis, et hic est duplex: secundum naturam, et quoad nos; et utroque modo dicitur principium. Hebr. V, v. 12: *deberetis esse magistri propter tempus*. Et hoc modo, secundum naturam quidem, in disciplina Christiana initium et principium sapientiae nostrae est Christus, in quantum est sapientia et verbum Dei, id est secundum divinitatem. Quoad nos vero principium est ipse Christus, in quantum *verbum caro factum est*, id est secundum eius incarnationem. Invenitur etiam ordo in productione rei; et secundum hoc principium dicitur ex parte generati, scilicet ipsa prima pars generati seu facti: sicut fundamentum dicitur principium domus.



Vel ex parte facientis: et sic est triplex principium, scilicet intentionis, quod est finis, quod movet agentem; rationis, quod est ipsa forma in mente artificis; et executionis, quod est potentia operans. His igitur modis de principio inquirendum est, quomodo sumatur hic principium, cum dicit *in principio erat verbum*. Dicendum est igitur quod potest sumi tripliciter. Uno modo, secundum quod principium supponit pro persona filii, quod principium est creaturarum secundum rationem virtutis activae, et per modum sapientiae, quae est ratio eorum quae fiunt; unde dicitur I Cor. I, 24: *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*. Unde et dominus de se dicit infra VIII, 25: *ego principium, qui et loquor vobis*. Sic ergo accipiendum principium, intelligendum est quod dicitur *in principio erat verbum*, ac si diceret in filio erat verbum, ut sit sensus: ipsum verbum est principium, ex modo loquendi, quo dicitur vita esse in Deo, quae tamen non est aliud, quam ipse Deus. Et haec est expositio Origenis. Dicit ergo hic Evangelista *in principio*, ut statim in principio divinitatem verbi ostenderet, ut Chrysostomus dicit, dum asserit ipsum esse principium; quia secundum determinationem omnium principium est honoratissimum. Secundo modo potest accipi principium, prout supponit pro persona patris, quod est principium non solum creaturarum, sed omnis divini processus; et sic accipitur in Ps. CIX, 3: *tecum principium in die virtutis tuae*. Secundum hoc ergo dicitur *in principio erat verbum*, ac si diceretur: in patre erat filius. Et haec est expositio Augustini, et etiam Origenis. Dicitur autem filius esse in patre, quia eiusdem essentiae est cum patre. Cum enim filius sit sui essentia, in quocumque est essentia filii, est filius. Quia ergo in patre est essentia filii per consubstantialitatem, conveniens est quod filius sit in patre. Unde infra XIV, 10 dicitur: *ego in patre, et pater in me est*. Tertio modo potest accipi principium pro principio durationis, ut sit sensus *in principio erat verbum*, id est verbum erat ante omnia, ut Augustinus exponit, et designatur per hoc verbi aeternitas, secundum Basilium et Hilarium. Per hoc enim quod dicitur *in principio erat verbum*, ostenditur quod quodcumque principium durationis accipiatur, sive rerum temporalium, quod est tempus, sive aeviternarum, quod est aevum, sive totius mundi, sive quodcumque imaginatum extensum per multa saecula, in illo principio iam erat verbum. Unde Hilarius dicit VII de Trinitate: *transeuntur tempora, transcenduntur saecula, tolluntur aetates. Pone aliquid quod voles tuae opinionis principium; verbum iam erat, unde tractatur*. Et hoc est quod dicitur Prov. VIII, 22: *dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio*. Quod autem est ante durationis principium, est aeternum. Sic igitur secundum primam expositionem, asseritur verbi causalitas; secundum autem secundam, verbi consubstantialitas ad patrem, qui verbum loquitur; secundum vero tertiam, verbi coaeternitas. Considerandum est etiam hic, quod dicitur *verbum erat*, quod est temporis praeteriti imperfecti, et hoc maxime videtur competere ad designandum aeterna, si attendamus naturam temporis et eorum quae sunt in tempore. Quod futurum est, nondum est actu; praesens autem actu est, et per hoc quod est actu praesens, non designatur fuisse: praeteritum autem perfectum designat aliquid extitisse, et esse iam determinatum, et iam defuisse; sed praeteritum imperfectum significat aliquid fuisse, et non esse adhuc determinatum, nec defuisse, sed adhuc remanere. Ideo signanter Ioannes ubicumque ponit aliquid aeternum, dicit *erat*; ubi vero dicit aliquid temporale, dicit *fuit*, ut infra patebit. Sed quantum ad rationem praesentis competit maxime ad designandum aeternitatem praesens tempus, quod signat aliquid esse in actu, quod semper convenit aeternis: et ideo dicitur Ex. III, 14: *ego sum qui sum*; et Augustinus dicit, quod ille solus vere est, cuius esse non novit praeteritum et futurum. Est etiam considerandum quod hoc verbum *erat*, secundum Glossam, non sumitur hic in quantum significat temporales motus, more aliorum verborum, sed secundum quod signat rei existentiam: unde et verbum substantivum dicitur. Sed potest aliquis quaerere, cum verbum sit genitum a patre, quomodo possit esse patri coaeternum: homo enim filius a patre homine genitus, est eo posterior. Ad quod dicendum est quod principium originis invenitur esse prius duratione, eo quod est ex principio, propter tria. Primo quidem quia principium originis alicuius rei praecedit tempore actionem, qua producit rem cuius est principium; sicut non statim quando homo est, incipit scribere, et ideo tempore praecedit Scripturam. Secundo per hoc quod actio successionem habet, et ideo etiam si simul cum agente incipiat, tamen terminus actionis est post agentem: sicut simul cum generatus est ignis in istis inferioribus, incipit sursum tendere; prius tamen est ignis quam sit sursum, quia motus quo sursum tendit, quodam tempore mensuratur. Tertio modo eo quod ex voluntate principii determinatur initium durationis eius quod est in principio, sicut ex voluntate Dei determinatur initium durationis creaturae: unde prius fuit Deus quam creatura. Nihil autem horum trium in generatione divini verbi invenitur. Non enim Deus primo fuit quam inceperit generare verbum: cum enim generatio verbi nihil aliud sit quam intelligibilis conceptio, sequeretur quod Deus esset prius intelligens in potentia quam in actu, quod est impossibile. Similiter non potest esse quod ipsa verbi generatio sit successiva: sic enim divinum verbum prius

esset informe quam formatum, sicut accidit in nobis, qui cogitando verba formamus; quod est falsum, ut iam dictum est. Similiter non potest dici quod pater sua voluntate initium durationis filio suo praestiterit; quia Deus pater non generat filium voluntate, ut Ariani dixerunt, sed naturaliter: Deus enim pater seipsum intelligendo, verbum concepit, et ideo non ante fuit Deus pater quam filius. Huius aliqualis similitudo apparet in igne, et in splendore procedente ab igne: procedit enim splendor naturaliter et sine successione. Item si ignis esset aeternus, splendor eius coaeternus esset: propter quod filius dicitur splendor patris; ad Hebr. I, 3: *qui cum sit splendor gloriae* et cetera. Sed in hac similitudine deficit connaturalitas, et ideo nominamus eum filium, cum tamen in humana filiatione deficiat coaeternitas: oportet enim ex multis similitudinibus sensibilibus in divinam cognitionem pervenire, quia una non sufficit; et hoc est quod dicitur in libro Ephesini Concilii, coexistere semper patri filium: splendor enim denunciat impassibilitatem, nativitas ostendit verbum, consubstantialitatem vero filii nomen insinuat. Nominamus ergo filium diversis nominibus, ad exprimendum perfectionem eius, quae uno nomine non potest exprimi. Ut enim ostendatur connaturalis patri, dicitur filius; ut ostendatur in nullo dissimilis, dicitur imago; ut ostendatur coaeternus, dicitur splendor; ut ostendatur immaterialiter genitus, dicitur verbum. Deinde dicit *et verbum erat apud Deum*. Hic ponitur secunda clausula, quam Evangelista ponit in sua narratione. Ubi prius consideranda est significatio duorum verborum quae in prima clausula posita non fuerunt, scilicet *Deum* et *apud*. Quid enim sit verbum, et quid principium, iam expositum est. Haec ergo quae in hac secunda clausula ponuntur de novo, scilicet *Deum* et *apud*, investigantes, diligentius prosequamur. Et ut melius expositionem huius secundae clausulae intelligamus, dicendum est aliquid de significatione utriusque, quantum pertinet ad propositum. Sciendum est ergo in primis quod hoc nomen Deus significat divinitatem, sed in supposito et concrete; hoc vero nomen deitas significat deitatem in abstracto, et absolute: et inde est quod non potest supponere pro persona ex naturali virtute et ex modo significandi; sed supponit solummodo pro natura. Hoc vero nomen Deus habet naturaliter ex modo significandi quod supponat pro aliqua personarum, sicut hoc nomen homo supponit pro supposito humanitatis, et ideo quandocumque veritas locutionis, vel ipsum praedicatum exigit ut hoc nomen Deus supponat pro persona, tunc supponit pro persona ut cum dicimus, Deus generat Deum. Et ita cum hic dicitur *apud Deum*, necesse est quod Deus pro persona patris supponat, quia haec praepositio apud distinctionem significat verbi, quod esse dicitur *apud Deum*; et licet significet distinctionem in persona, non tamen in natura, cum eadem sit natura patris et filii. Evangelista igitur significare voluit patris personam per hoc quod dixit *Deum*. Sciendum est autem circa hoc quod haec praepositio apud quamdam coniunctionem rei significatae per rectum, ad rem significatam per obliquum importat, sicut haec praepositio in. Sed differenter, quia haec praepositio in significat quamdam coniunctionem intrinsecam; haec vero praepositio apud quodammodo extrinsecam coniunctionem importat. Et utrumque dicimus in divinis: scilicet filium esse in patre, et esse apud patrem; et intrinsecum quidem ad consubstantialitatem pertinet, extrinsecum vero (ut sic loqui liceat, cum improprie in divinis dicatur extrinsecum) non nisi ad distinctionem personalem refertur, cum filius a patre solum per originem distinguatur. Et ideo per utrumque istorum, et consubstantialitas in natura designatur, et distinctio in personis: consubstantialitas quidem, in quantum coniunctionem quamdam importat; distinctio vero, in quantum distinctionem quamdam significat, ut superius dictum est. Et quia haec praepositio in, ut dictum est, principaliter consubstantialitatem designat, in quantum importat coniunctionem intrinsecam, et ex consequenti distinctionem personarum, in quantum omnis praepositio est transitiva; haec autem praepositio apud distinctionem personalem significat principaliter, consubstantialitatem vero, in quantum quamdam coniunctionem significat quasi extrinsecam, ideo Evangelista in hoc loco specialiter ista praepositione apud usus est, ut distinctionem personae filii a patre insinuet, cum dixit *et verbum erat apud Deum*, idest filius apud patrem, ut alia persona apud aliam. Sciendum est autem quod per hanc praepositionem apud quatuor significantur, per quae obiectiones quatuor contrariae excluduntur. Significat enim haec praepositio apud primo subsistentiam in recto; quia ea quae subsistentiam per se non habent, non dicuntur proprie esse apud aliquid: sicut non dicimus albedinem esse apud corpus, et similiter de aliis quae per se non subsistunt. Ea autem quae per se subsistunt, dicuntur proprie esse unum apud aliud; sicut dicimus hominem esse apud hominem, et lapidem apud lapidem. Secundo significat auctoritatem in obliquo, non enim proprie dicitur rex esse apud militem sed proprie dicitur miles apud regem. Tertio dicit distinctionem: non enim proprie dicitur aliquis esse apud seipsum, sed unus homo est apud alium. Quarto significat coniunctionem et societatem quamdam: cum enim dicitur aliquis esse apud alium, insinuat nobis inter eos quaedam socialis coniunctio. Secundum autem istas condiciones importatas in significatione huius praepositionis apud convenienter Evangelista hanc clausulam, scilicet *verbum erat apud*

*Deum*, subiungit primae clausulae, scilicet *in principio erat verbum*. Praetermissa namque una illarum trium expositionum huius quod est *in principio erat verbum*, illa scilicet secundum quam principium ponitur pro filio, ad quamlibet aliarum expositionum, scilicet ad illam quae principium dicit idem quod ante omnia, et ad illam secundum quam principium sumitur pro patre, duplex obiectio fit ab haereticis; et sic sunt quatuor obiectiones, quas per quatuor conditiones huius praepositionis *apud* supra positas excludere possumus. Quarum prima talis est: tu dicis quod verbum erat in principio, idest ante omnia; sed ante omnia nihil erat; ubi ergo erat verbum, si ante omnia nihil erat? Haec autem obiectio procedit secundum imaginationem eorum qui ponunt, omne quod est, esse alicubi et in loco. Quae quidem excluditur a Ioanne, cum dicit *apud Deum*. Et designat coniunctionem secundum ultimam dictarum conditionum, ut sit sensus, secundum Basilium: ubi ergo erat verbum? Respondet *apud Deum*, non in aliquo loco, cum incircumscribibile sit, sed apud patrem, qui nullo comprehenditur loco. Secunda quaestio ad idem, est talis: tu dicis quod verbum erat in principio, idest ante omnia. Sed ea quae sunt ante omnia, a nullo videntur procedere; cum illud a quo procedit aliquid, prius esse videatur eo quod procedit ab ipso; ergo verbum non est procedens ab alio. Haec autem obiectio excluditur cum dicit *verbum erat apud Deum*, ut ly apud accipiatur secundum secundam conditionem, secundum quam importat auctoritatem in causali, et sit sensus secundum Hilarium: a quo est verbum si ante omnia? Evangelista respondet *verbum erat apud Deum*; quasi dicat: licet verbum careat initio durationis, non tamen caret principio vel auctore: erat enim apud Deum, ut apud auctorem. Tertia quaestio est ad aliam expositionem secundum quam principium supponit pro patre; quae talis est: tu dicis *in principio erat verbum*, idest filius erat in patre; sed illud quod est in aliquo, non videtur esse subsistens, ut hypostasis: sicut albedo quae est in corpore, non subsistit. Sed haec obiectio solvitur per hoc quod dicit *verbum erat apud Deum*; ut ly apud sumatur secundum primam conditionem per quam importat subsistentiam in recto; et sic, secundum Chrysostomum, est sensus *verbum erat in principio*, non ut accidens: sed *erat apud Deum*, ut subsistens, et hypostasis divina. Quarta quaestio ad idem est talis: tu dicis quod verbum erat in principio, idest in patre; quod autem est in aliquo, non est distinctus a patre. Sed haec obiectio excluditur per hoc quod dicit *et verbum erat apud Deum*; ut ly apud sumatur secundum tertiam conditionem, secundum quam significat distinctionem: ut sit sensus, secundum Alcuinum et Bedam, *verbum erat apud Deum*, et sic erat in patre per consubstantialitatem naturae, quod tamen est apud ipsum per distinctionem personae. Sic ergo per hanc clausulam *et verbum erat apud Deum*, ostenditur coniunctio verbi ad patrem in natura, secundum Basilium; distinctio autem in persona, secundum Alcuinum et Bedam; substantia verbi in natura divina, secundum Chrysostomum; auctoritas patris ad verbum, secundum Hilarium. Notandum autem, secundum Origenem, quod per hoc quod dicit *verbum erat apud Deum*, ostendit filium semper fuisse apud patrem. In veteri enim testamento dicitur factum esse verbum domini ad Ieremiam, vel quemcumque alium, ut patet in multis Scripturae locis, non autem dicitur: verbum domini erat apud Ieremiam vel apud alium; quia ad illos fit verbum, qui incipiunt habere verbum, postquam non habuerunt. Unde Evangelista non dixit, verbum factum esse apud patrem, sed *erat apud patrem*: quia ex quo pater erat, verbum apud eum erat. Deinde dicit *et Deus erat verbum*. Haec est tertia clausula narrationis Ioannis, quae quidem secundum ordinem doctrinae congruentissime sequitur. Quia enim Ioannes dixerat de verbo quando erat et ubi erat; restabat quaerere, quid erat verbum; idest verbum erat Deus, ut ly verbum ponatur ex parte subiecti, et ly Deus ex parte praedicati. Sed cum prius quaerendum sit de re quid est, quam ubi et quando sit, videtur quod Ioannes hunc ordinem pervertat, insinuans primo de verbo ubi et quando sit. Ad hanc autem quaestionem respondet Origenes, quod aliter dicitur esse verbum Dei apud hominem, et aliter apud Deum. Nam apud hominem est ut perficiens ipsum, quia per illud homo efficitur sapiens et bonus, Sap. c. VII, 27: *amicos Dei et prophetas constituit*. Apud Deum vero non ita dicitur esse verbum, quasi pater perficiatur per verbum et illustretur ab ipso; sed sic est apud Deum, quod accipiat naturalem divinitatem ab ipso, qui verbum loquitur, a quo habet ut sit idem Deus cum eo. Ex eo ergo quod est per originem apud Deum, necesse fuit primum ostendere quod verbum erat in patre et apud patrem, quam quod verbum erat Deus. Sciendum est autem quod per hanc clausulam *Deus erat verbum*, responderi potest duabus obiectionibus, quae ex praecedentibus insurgunt. Quarum una insurgit ex nomine verbi, et est talis: tu dicis quod *verbum erat in principio, et apud Deum*; constat autem quod verbum secundum communem usum loquendi significat vocem aliquam et enuntiationem necessariorum, manifestationem cogitationum; sed ista transeunt et non subsistunt; posset ergo credi quod de tali verbo Evangelista loqueretur. Sed ista quaestio satis per praedicta excluditur, secundum Hilarium et Augustinum, Hom. prima super Io., qui dicit, manifestum esse, verbum in hoc loco non posse pro locutione accipi, quia cum locutio sit in motu et transeat, non posset dici quod *in principio erat*

*verbum*, si *verbum* esset quid transiens et in motu. Item cum dicit *et verbum erat apud Deum*, datur idem intelligi; satis enim patet quod aliud est inesse, et aliud est adesse. *Verbum* enim nostrum, cum non subsistat, non adest, sed inest; *verbum* autem Dei est subsistens, et ideo adest. Et idcirco Evangelista signanter dixit *verbum erat apud Deum*. Sed tamen, ut obiectionis causa tollatur totaliter, naturam et esse verbi subdit, dicens *et verbum erat Deus*. Alia quaestio insurgit ex hoc quod dixerat *apud Deum*. Cum enim *ly* apud dicat distinctionem, posset credi quod *verbum erat apud Deum*, scilicet patrem, ab ipso in natura distinctum. Et ideo ad hoc excludendum statim subdit consubstantialitatem verbi ad patrem, dicens *et verbum erat Deus*; quasi dicat: non separatus a patre per diversitatem naturae, quia ipsum *verbum* est Deus. Nota etiam specialem modum significandi, quia dicit *verbum erat Deus*, absolute ponendo Deum; ut ostendat non eo modo Deum esse, quo nomen deitatis attribui dicitur creaturae in sacra Scriptura; quia cum additione aliqua aliquando hoc nomen creatura participat. Sicut illud Ex. VII, 1: *ego constitui te Deum Pharaonis*, ad designandum quod non erat Deus simpliciter, nec per naturam, quia constituebatur Deus alicuius determinate; et illud Ps. LXXXI, 6: *ego dixi, dii estis*, quasi dicat: per meam reputationem, non secundum rei veritatem, dii estis: aliud enim est Deum reputari, et aliud esse Deum. Unde *verbum* absolute dicitur Deus, quia est secundum essentiam suam Deus, et non participative, sicut homines et Angeli. Sciendum est etiam quod circa hanc clausulam Origenes turpiter erravit, ex modo loquendi, qui in Graeco habetur, sumens occasionem sui erroris. Consuetudo enim est apud Graecos, quod cuilibet nomini apponunt articulum, ad designandum discretionem quamdam. Quia ergo in Evangelio Ioannis in Graeco, huic nomini quod est *verbum*, cum dicitur *in principio erat verbum*, et similiter huic nomini quod est Deus, cum dicitur *et verbum erat apud Deum*, apponitur articulus, ut dicatur *ly verbum*, et *ly Deus*, ad designandum eminentiam et discretionem verbi ad alia verba, et principalitatem patris in divinitate; ideo, cum in hoc quod dicitur *verbum erat Deus*, non apponatur articulus huic nomini *Deus*, quod supponit pro persona filii, blasphemavit Origenes quod *verbum* non esset Deus per essentiam, licet sit essentialiter *verbum*; sed dicitur per participationem Deus: solus vero pater est Deus per suam essentiam. Et sic ponebat filium patre minorem. Quod autem non sit verum, probat Chrysostomus per hoc quod si articulus positus huic nomini *Deus*, importaret maioritatem in patre respectu filii, numquam apponeretur huic nomini *Deus*, cum de alio praedicatur, sed solum quando praedicatur de patre, et semper cum dicitur de patre, apponeretur articulus. Invenimus autem contrarium per duas auctoritates apostoli, qui notat Christum Deum cum appositione articuli, dicens in Epist. ad Titum, II, 13: *expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei*. Ibi enim *Deus* supponit pro filio, et apponitur ei articulus in Graeco; ergo Christus est Deus magnus. Item idem apostolus, Rom. IX, 5, dicit: *ex quibus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula*. Ibi similiter ad *ly Deus* ponitur in Graeco articulus. Praeterea I Io. ult., 20: *ut simus in vero filio eius Christo Iesu; hic est verus Deus, et vita aeterna*. Christus ergo non est Deus per participationem, sed verus. Patet igitur esse falsum quod Origenes finxit. Ratio autem quare Evangelista non apposuit articulum huic nomini *Deus*, assignatur a Chrysostomo; scilicet quia iam bis nominaverat Deum cum appositione articuli, et ideo non oportebat reiterare tertio, sed subintelligitur. Vel dicendum est et melius, quod *Deus* ponitur hic in praedicatione, et tenetur formaliter; consuetum est autem quod nominibus in praedicatione positis non ponitur articulus, cum discretionem importet. Si vero *Deus* poneretur hic ex parte subiecti, pro quacumque persona supponeret, sive pro filio sive pro spiritu sancto; et tunc non est dubium quod in Graeco ibi apponeretur articulus.

## Lectio 2

[87420] Super Io., cap. 1 l. 2 Deinde dicit *hoc erat in principio apud Deum*. Hic ponitur quarta clausula, quae introducitur propter clausulam praecedentem. Ex hoc enim quod Evangelista dixerat quod *verbum erat Deus*, duplex falsus intellectus accipi poterat a non recte sentientibus. Unus a gentilibus, qui ponunt pluralitatem et diversitatem deorum, et eorum contrarias dicunt esse voluntates; sicut illi qui fabulantur Iovem pugnasse cum Saturno; et sicut Manichaei, qui ponunt duo contraria principia naturae. Contra hunc errorem dominus dixit, Deut. VI, 4: *audi Israel, dominus Deus tuus, Deus unus est*. Quia ergo Evangelista dixerat *verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum*, possent isti in fulcimentum sui erroris istud adducere, intelligentes alium esse Deum, apud quem est *verbum*, et alium ipsum *verbum*, et cum hoc alterius, sive contrariae voluntatis; quod est contra legem Evangelii. Ad hoc ergo excludendum dicit *hoc erat in principio apud Deum*; quasi dicat, secundum Hilarium: ita dico quod *verbum* est Deus, quod tamen non est habens divinitatem, sed est apud Deum, scilicet in

una natura et eadem in qua ipse est. Item per hoc quod dicit, *verbum erat Deus* ne intelligeretur quod haberent contrariam voluntatem, addidit hoc, quod scilicet *verbum erat in principio apud Deum* scilicet patrem; non divisum ab ipso, non contrarium, sed habens cum eo identitatem naturae et concordiam voluntatis: quae quidem unio fit per communionem divinae naturae in tribus personis, et per nexum naturalis amoris patris et filii. Alius error poterat ex praemissis verbis elici ab Arianis, qui ponunt filium minorem esse quam pater, propter hoc quod dicitur: *pater maior me est*. Dicunt enim patrem maiorem filio, et quantum ad aeternitatem, et quantum ad naturae divinitatem. Ut ergo Evangelista excluderet, addidit *hoc erat in principio apud Deum*. Arius enim primam clausulam, scilicet *in principio erat verbum*, admittit: non tamen vult quod ibi principium accipiatur pro patre, sed pro principio creaturarum. Unde dicit quod verbum erat in principio creaturarum, et ideo nequaquam patri est coaeternus. Sed hoc excluditur, secundum Chrysostomum, per illam clausulam *hoc erat in principio*, non quidem creaturarum, sed *in principio apud Deum*; idest ex quo Deus fuit. Numquam enim pater solitarius fuit a filio, sive verbo, sed semper hoc, scilicet verbum, apud Deum erat. Item, Arius confitetur quod verbum erat Deus, sed tamen minor patre. Sed hoc excluditur per ea quae sequuntur. Duo enim sunt propria magni Dei, quae Arius Deo patri singulariter attribuebat, scilicet aeternitas et omnipotentia. In quocumque ergo ista duo inveniuntur, ille est magnus Deus, quo nullus est maior; sed haec duo Evangelista verbo attribuit; ergo verbum est magnus Deus, et non minor. Aeternitatem quidem dicit esse in verbo per hoc quod dicit *hoc erat in principio apud Deum*; idest verbum ab aeterno, non solum in principio creaturarum, ut Arius intellexit, erat, sed apud Deum, accipiens esse et divinitatem ab eo. Omnipotentiam vero attribuit verbo per hoc quod subdit *omnia per ipsum facta sunt*. Origenes vero hanc eandem clausulam satis pulchre exponens, dicit ipsam non esse aliam a tribus primis; sed ipsam esse quemdam epilogum praemissorum. Evangelista enim postquam insinuaverat veritatem esse filii, transiturus ad eius insinuandum virtutem, recolligit, quasi in summa epilogando, in quarta clausula, quod in primis tribus praedixerat. Primo enim per hoc quod dicit *hoc*, intelligit tertiam clausulam; per hoc vero quod dicit *erat in principio*, recolligit primam; per hoc vero quod subdit *erat apud Deum*, recolligit secundam, ut sic non intelligas aliud verbum, quod erat in principio et quod erat Deus; sed hoc verbum, quod erat Deus, *erat in principio apud Deum*. Si quis ergo recte consideret has quatuor propositiones, inveniet evidenter per eas destrui omnes haereticorum et philosophorum errores. Quidam enim haeretici, sicut Ebion et Cerinthus, dixerunt, Christum non praeextitisse beatae virgini, sed ab ea sumpsisse essendi et durationis principium, ponentes eum fuisse hominem purum, sed meruisse divinitatem per bona merita. Quod etiam Photinus et Paulus Samosatenus eos secuti dixerunt. Horum errorem Evangelista excludit, dicens *in principio erat verbum*, idest ante omnia, et in patre ab aeterno; ergo non sumpsit initium ex virgine. Sabellius vero, licet fateretur quod Deus qui carnem suscepit, ex virgine non sumpsit initium, sed fuit ab aeterno, tamen dicebat quod non erat alia persona patris, qui fuit ab aeterno, et filii, qui carnem assumpsit ex virgine, sed idem erat pater et filius personaliter; Trinitatem personarum in divinis confundens. Contra hunc errorem dicit Evangelista *et verbum erat apud Deum*, scilicet filius apud patrem, ut alius apud alium. Eunomius vero posuit filium omnino dissimilem esse patri: et hoc consequenter Evangelista excludit, dicens *et Deus erat verbum*. Arius vero dicebat filium patre minorem; sed hoc excludit Evangelista cum dicit *hoc erat in principio apud Deum*, quod supra fuit expositum. Per hoc etiam excluduntur errores philosophorum. Quidam enim philosophorum antiqui, scilicet naturales, ponebant mundum non ex aliquo intellectu, neque per aliquam rationem, sed a casu fuisse; et ideo a principio rationem non posuerunt seu intellectum aliquam causam rerum, sed solam materiam fluitantem, utpote athomos, sicut Democritus posuit, et alia huiusmodi principia materialia, ut alii posuerunt. Contra hos est quod Evangelista dicit *in principio erat verbum*, a quo res scilicet principium sumpserunt et non a casu. Plato autem posuit rationes omnium rerum factarum subsistentes, separatas in propriis naturis, per quarum participationem res materiales essent: puta per rationem hominis separatam, quam dicebat per se hominem, haberent quod sint homines. Sic ergo ne hanc rationem, per quam omnia facta sunt, intelligas separatas a Deo, ut Plato ponebat, addit Evangelista *et verbum erat apud Deum*. Alii etiam Platonici, ut Chrysostomus refert, ponebant Deum patrem eminentissimum, et primum, sub quo ponebant mentem quamdam, in qua dicebant esse similitudines et ideas omnium rerum. Ne ergo sic intelligas, quod verbum erat apud patrem, quasi sub eo et minor eo, addit Evangelista *et verbum erat Deus*. Aristoteles vero posuit in Deo rationes omnium rerum, et quod idem est in Deo intellectus et intelligens et intellectum; tamen posuit mundum coaeternum sibi fuisse. Et contra hoc est quod Evangelista dicit *hoc*, scilicet *verbum* solum, *erat in principio apud Deum*; ita quod ly hoc non excludit aliam personam, sed aliam naturam coaeternam. Nota etiam in praedictis differentiam Ioannis ab aliis

Evangelistis, quomodo scilicet dignius Evangelium suum incepit, quam alii. Ipsi enim annuntiaverunt Christum filium Dei ex tempore natum; Matth. II, 1: *cum natus esset Iesus in Bethlehem*. Ioannes vero dicit eum ab aeterno fuisse, *in principio*, inquit, *erat verbum*. Ipsi etiam dicunt eum subito inter homines apparuisse; Lc. II, 29: *nunc dimittis servum tuum, domine, secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae, Israel*. Ioannes vero dicit eum apud patrem semper fuisse. *Et verbum*, inquit, *erat apud Deum*. Alii vero ipsum hominem; Matth. IX, v. 8: *glorificabant Deum, qui potestatem talem hominibus dedit*. Ioannes vero dicit ipsum esse Deum. *Et verbum*, inquit, *erat Deus*. Alii dixerunt eum fuisse cum hominibus conversatum; Matth. XVII, 21: *conversantibus autem illis in Galilaea, dixit Iesus etc.*; sed Ioannes dicit eum apud patrem semper fuisse. *Hoc*, inquit, *erat in principio apud Deum*. Nota etiam quod Evangelista signanter recitat hoc verbum *erat*, ut ostendat verbum Dei omnia tempora, scilicet praesens, praeteritum et futurum, excedere. Quasi dicat: erat ultra tempus praesens, praeteritum et futurum, secundum quod tangitur in Glossa. Postquam Evangelista esse et naturam divini verbi, quantum dici potest ab homine, insinuaverat, consequenter manifestat eius virtutem. Et primo ostendit eius virtutem quantum ad omnia, quae in esse procedunt; secundo specialiter quantum ad homines, ibi *erat vita lux hominum*. Circa primum ponit tres clausulas, quas non distinguimus ad praesens, quia secundum diversas expositiones sanctorum sunt diversimode distinguendae. Prima ergo clausula est *omnia per ipsum facta sunt*; quae inducitur ad ostendendum tria de verbo. Et primo, secundum Chrysostomum, ad ostendendum aequalitatem verbi ad patrem. Sicut enim dictum est supra, Evangelista excluserat errorem Arii, ostendens coaeternitatem filii ad patrem per hoc quod dixerat *hoc erat in principio apud Deum*, hic vero eundem errorem excludit, ostendendo omnipotentiam filii, dicens, *omnia per ipsum facta sunt*. Esse enim principium omnium factorum proprium est Dei magni omnipotentis, iuxta illud Ps. CXXXIV, 6: *omnia quaecumque dominus voluit, fecit in caelo et in terra*. Verbum ergo per quod facta sunt omnia, est Deus magnus et coequalis patri. Secundo, ad ostendendum coaeternitatem verbi ad patrem, secundum Hilarium. Quia enim per hoc quod dixerat *in principio erat verbum*, posset aliquis intelligere hoc dictum fuisse de principio creaturarum, id est fuisse aliquod tempus ante omnem creaturam, in quo verbum non erat, ideo hoc excludens Evangelista dixit *omnia per ipsum facta sunt*. Si enim omnia sunt facta per verbum ergo et ipsum tempus. Ex quo sic argumentatur: si omne tempus ab ipso factum est; ergo nullum tempus fuit ante ipsum; nec cum ipso; quia ante omnia erat; ergo sunt ab aeterno coaeterni. Tertio, secundum Augustinum, ad ostendendam consubstantialitatem verbi ad patrem. Si enim facta omnia sunt per verbum, ergo ipsum verbum non potest dici factum: quia si est factum, est factum per aliquod verbum, quia omnia per verbum facta sunt. Oportet ergo esse aliud verbum, per quod verbum, de quo hic loquitur Evangelista, sit factum. Et illud verbum dicimus unigenitum Dei, per quem facta sunt omnia, quia nec factum est, nec creatura est; et si non est creatura, necesse est dicere ipsum esse eiusdem substantiae cum patre, cum omnis substantia praeter essentiam divinam facta sit. Substantia autem, quae creatura non est, Deus est. Verbum ergo, per quod omnia facta sunt, consubstantiale est patri, cum nec factum, nec creatura sit. Sic ergo habes verbi aequalitatem ad patrem, secundum Chrysostomum, coaeternitatem secundum Hilarium, et consubstantialitatem, secundum Augustinum per hoc quod dicit *omnia per ipsum facta sunt*. Cavendi sunt autem hic tres errores. Et primo error Valentini. Ipse enim intellexit per hoc quod dicitur *omnia per ipsum facta sunt*, quod verbum dederit causam creatori, quod mundum crearet, ut dicantur omnia sic per verbum facta, quasi ex verbo processerit quod pater mundum creavit. Et hoc videtur ducere in positionem illorum, qui dicebant Deum mundum fecisse propter aliquam exteriorem causam; quod est contra illud Prov. XVI, 4: *universa propter semetipsum operatus est dominus*. Sed hoc est falsum, quia, sicut Origenes dicit, si verbum fuisset causa creatori praestans ei materiam ad faciendum, non dixisset *omnia per ipsum facta sunt*, sed, e converso, omnia facta sunt per creatorem a verbo. Secundo vitandus est error Origenis, qui dicit spiritum sanctum, inter omnia, factum esse per verbum, ex quo sequitur ipsum esse creaturam: et hoc posuit Origenes. Hoc autem est haeticum et blasphemum, cum spiritus sanctus eiusdem sit gloriae et substantiae et dignitatis cum patre et filio, iuxta illud Matth. ult., 19: *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, et filii, et spiritus sancti*; et iuxta illud I Io. V, v. 7: *tres sunt qui testimonium dant in caelo, pater, verbum et spiritus sanctus: et hi tres unum sunt*. Cum ergo dicit Evangelista *omnia per ipsum facta sunt*, non est intelligendum simpliciter facta omnia, sed in genere creaturarum et rerum factarum. Quasi dicat: omnia, quae facta sunt, per ipsum facta sunt. Alias, si simpliciter intelligatur, sequeretur patrem et spiritum sanctum factos per ipsum: quod est blasphemum. Igitur nec pater, nec aliquid substantiale patri, per verbum factum est. Tertio

vitandus est alius error ipsius Origenis. Ipse enim sic omnia facta esse per verbum dixit, sicut aliquid fit a maiori per minorem, quasi minor sit filius, et ut organum patris. Sed quod per hanc praepositionem per non significetur minoritas in obliquo, scilicet filio, seu verbo, patet ex pluribus Scripturae locis. Dicit enim apostolus, I Cor. I, 9, loquens de patre: *fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii eius*. Si ille, per quem fit aliquid, habet superiorem, ergo et pater superiorem habebit; hoc autem est falsum; ergo per praepositionem per non significatur minoritas in filio, cum dicuntur omnia facta per ipsum. Ad maiorem autem evidentiam huius sciendum est, quod quando dicitur aliquid per aliquem fieri, haec praepositio per denotat causalitatem in obliquo, respectu operationis aliquo modo, sed diversimode. Cum enim operatio, secundum modum significandi, consideretur media inter operantem et operatum, potest considerari ipsa operatio dupliciter. Uno modo secundum quod exit ab operante, qui est causa ipsius actionis; alio modo secundum quod terminatur ad operatum. Quandoque ergo praepositio per significat causam operationis, secundum quod exit ab operante; quandoque autem, secundum quod terminatur ad operatum. Causam autem operationis, secundum quod exit ab operante, significat quando illud quod significatur per obliquum, est causa operanti quod operetur, vel efficiens, vel formalis. Formalis quidem, sicut ignis calefacit per calorem: est enim calor causa formalis calefactionis ignis. Causa vero movens, seu efficiens, ut secunda agentia operantur per prima, ut si dicam quod balivus operatur per regem, quia rex est causa efficiens balivo quod operetur. Et hoc modo intellexit Valentinus, omnia facta esse per verbum, ac si verbum esset causa conditori ut omnia faceret. Causalitatem vero operationis, secundum quod terminatur ad operatum, importat haec praepositio per, quando illud, quod significatur per ipsam causalitatem, non est causa ipsa quod operetur, sed est causa operationis, secundum quod terminatur ad operatum. Sicut cum dico carpentarius facit scamnum per securim, quae non est causa carpentario quod operetur, sed ponimus esse causam quod scamnum fiat ab operante. Sic ergo cum dicitur *omnia per ipsum facta sunt*; si *ly* per denotet efficientem causam, seu moventem patrem ad operandum, dicendum est quod pater nihil operatur per filium, sed per seipsum omnia operatur, ut dictum est. Si vero *ly* per denotet causam formalem, sic cum pater operetur per sapientiam suam, quae est sua essentia, operatur per suam sapientiam, sicut operatur per suam essentiam; et quia sapientia et virtus patris attribuitur filio, I Cor. I, 24, dicimus: *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam*, ideo appropriate dicimus quod pater omnia operatur per filium, idest per sapientiam suam. Et ideo dicit Augustinus quod hoc quod dicitur *ex quo omnia*, appropriatur patri; *per quem omnia*, filio; *in quo omnia*, spiritui sancto. Si vero *ly* per denotet causalitatem ex parte operati, tunc hoc quod dicimus patrem omnia operari per filium non est appropriatum verbo, sed proprium eius, quia hoc quod est causa creaturarum, habet ab alio, scilicet a patre, a quo habet esse. Nec tamen propter hoc sequitur ipsum esse instrumentum patris, licet omne quod movetur ab alio ad aliquid operandum, rationem instrumenti habeat. Cum autem dico aliquem operari per virtutem receptam ab alio, potest dupliciter intelligi. Uno modo quod eadem numero sit virtus et dantis, et accipientis: et hoc modo qui operatur per virtutem acceptam ab alio, non est minor, sed aequalis ei a quo accipit. Quia ergo pater eandem virtutem, quam habet, dat filio, per quam filius operatur, cum dicitur pater operari per filium, propter hoc filius non est dicendum minor patre, neque instrumentum eius. Sed hoc sequitur in illis qui non eandem virtutem accipiunt ab aliquo, sed aliam et creatam. Sic ergo patet quod nec spiritus sanctus, nec filius, est causa patri quod operetur, neque patris minister seu instrumentum, ut deliravit Origenes. Si autem recte considerentur verba praedicta *omnia per ipsum facta sunt*, evidenter apparet Evangelistam propriissime fuisse locutum. Quicumque enim aliquid facit, oportet quod illud praeconciat in sua sapientia, quae est forma et ratio rei factae: sicut forma in mente artificis praeconcepta est ratio arcae faciendae. Sic ergo Deus nihil facit nisi per conceptum sui intellectus, qui est sapientia ab aeterno concepta, scilicet Dei verbum, et Dei filius: et ideo impossibile est quod aliquid faciat nisi per filium. Unde Augustinus de Trinitate dicit quod verbum est ars plena omnium rationum viventium. Et sic patet quod omnia quae pater facit, facit per ipsum. Notandum autem, secundum Chrysostomum, quod omnia quae Moyses per multa enumerat in productione rerum a Deo, dicens: *dixit dominus, fiat lux, et fiat firmamentum* etc., haec omnia Evangelista excedens, uno verbo comprehendit, dicens *omnia per ipsum facta sunt*. Cuius ratio est quia Moyses tradere volebat emanationem creaturarum a Deo, et ideo sigillatim enumerat; Ioannes vero ad altiorem festinans materiam, in hoc libro intendit nos inducere specialiter in cognitionem ipsius creatoris. Deinde dicit *et sine ipso factum est nihil*. Haec est secunda clausula quam quidam perverse intellexerunt, ut dicit Augustinus in Lib. de Nat. boni. Nam, ex hoc modo loquendi quo Ioannes hic utitur, ponens hoc quod dicitur *nihil* in fine orationis, crediderunt ipsum nihil teneri affirmative, quasi nihil sit aliquid, quod sine verbo factum sit; unde voluerunt quod haec clausula posita sit ab Evangelista ad

excludendum aliquid quod a verbo non sit factum. Unde dicunt quod postquam Evangelista dixerat *omnia per ipsum facta sunt*, consequenter adiungit *et sine ipso factum est nihil* quasi dicat: ita dico omnia per ipsum facta esse, quod tamen sine ipso factum est aliquid, scilicet ipsum nihil. Ex hoc autem processit triplex haeresis, scilicet Valentini, qui, ut dicit Origenes, ponit multa principia, et ex illis principiis dicit procedere triginta saecula. Prima tamen principia quae ponit, sunt duo, scilicet profundum, quod vocat Deum patrem, et silentium. Ex his duobus dicit processisse decem saecula. Ex profundo autem, et silentio dicit esse alia duo principia, scilicet intellectum et veritatem, ex quibus processerunt octo saecula. Ex intellectu autem et veritate dicit esse alia duo principia, scilicet verbum et vitam, ex quibus procedunt duodecim saecula, et sic sunt triginta. Ex verbo autem et vita, secundum aevum, processit homo Christus, et Ecclesia. Sic ergo Valentinus ponebat prolationem verbi multa saecula praecessisse. Et ideo dicit quod, quia Evangelista dixerat *omnia per ipsum facta sunt*, ne aliquis intelligeret illa saecula praecedentia esse perfecta per verbum, consequenter adiunxit *et sine ipso factum est nihil*, idest omnia saecula praexistentia et quae in eis fuerunt; quae ideo Ioannes vocat *nihil*, quia humanam rationem excedunt, nec possunt capi per intellectum. Secundus error, ex hoc procedens, fuit Manichaei, qui ponebat duo contraria principia, unum scilicet rerum incorruptibilium, et aliud corruptibilium. Dicit ergo quod postquam Ioannes dixerat *omnia per ipsum facta sunt*, ne crederetur verbum esse corruptibilium rerum causam, statim subiunxit *et sine ipso factum est nihil*, idest corruptioni subiecta, quae nihil esse dicuntur, quia eorum esse est continue transmutari in nihil. Tertius error est eorum qui volunt quod per nihil intelligatur Diabolus, iuxta illud Iob XVIII, 15: *habitent in tabernaculo eius socii eius, qui non est*. Dicunt ergo omnia esse facta per verbum, praeter Diabolum. Et ideo exponunt *sine ipso factum est nihil*, idest Diabolus. Sed omnes isti tres errores ex uno fonte procedentes, scilicet ex hoc quod ipsum *nihil* volunt affirmative accipi, excluduntur per hoc quod *nihil* non ponitur hic affirmative, sed negative tantum. Ut sit sensus: ita facta sunt omnia per verbum, quod nihil est participans esse, quod non sit factum per ipsum. Sed instabit forsitan aliquis, dicens hanc clausulam superflue fuisse appositam, si intelligatur negative, eo quod Evangelista dicens, *omnia per ipsum facta sunt*, sufficienter videtur dixisse non esse aliquid quod non sit factum per verbum. Ad quod dicendum quod secundum multos introducta est haec particula multipliciter, et multis de causis. Quarum una causa est, secundum Chrysostomum, ne aliquis legens in veteri testamento et inveniens solum visibilia enumerata a Moyse in creatione rerum, crederet illa tantum facta esse per verbum. Ideo Evangelista, dum dixisset *omnia per ipsum facta sunt*, quae scilicet enumerat Moyses, ideo consequenter adiunxit *sine ipso factum est nihil*; quasi dicat: nihil eorum quae sunt, sive visibile sive invisibile, est factum sine verbo. Et hoc modo loquitur apostolus, Col. I, 16, dicens omnia condita esse in Christo, sive visibilia, sive invisibilia: ubi apostolus specialiter mentionem facit de invisibilibus, quia de eis Moyses aperte mentionem non fecerat, propter ruditatem illius populi, qui supra sensibilia elevari non poterat. Introducitur etiam, secundum Chrysostomum, alio modo sic. Posset enim aliquis legens Evangelium, multa signa et miracula facta per Christum, sicut illud Matth. XI, 5: *caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur* etc., credere per hoc quod dicit Ioannes *omnia per ipsum facta sunt*, debere intelligi omnia illa tantum quae in illis Evangelii continentur, et nihil aliud factum per ipsum. Et ideo ne hoc suspicetur quis, consequenter Evangelista inducit *et sine ipso factum est nihil*; quasi dicat: non solum ea quae in Evangeliiis continentur, sunt facta per ipsum, sed nihil eorum quae facta sunt, est factum sine ipso. Et sic, secundum Chrysostomum, haec particula introducitur ad ostendendum totalem causalitatem, et est quasi completiva praemissae. Secundum Hilarium vero introducitur haec particula ad ostendendum quod verbum habet virtutem operativam ab alio. Quia enim Evangelista dixerat *omnia per ipsum facta sunt*, posset intelligi patrem excludi ab omni causalitate; ideo consequenter addit *et sine ipso factum est nihil*. Quasi dicat: sic per eum facta sunt omnia, ut tamen pater cum eo omnia fecerit. Nam tantum valet sine eo, ac si dicatur non solus; ut sit sensus: non ipse solus est per quem facta sunt omnia, sed ipse est alius, sine quo factum est nihil. Quasi dicat *sine ipso*, cum alio operante, scilicet patre, *factum est nihil*; iuxta illud Prov. VIII, 30: *cum eo eram cuncta componens*. In quadam autem homilia quae incipit, *vox spiritualis aquilae*, et attribuitur Origeni, invenitur alia expositio satis pulchra. Dicitur enim ibi quod in Graeco est *choris*, ubi in Latino habemus *sine*. *Choris* autem idem est quod *foris* vel *extra*; quasi dicat ita *omnia per ipsum facta sunt* quod *extra ipsum factum est nihil*. Et ideo hoc dicit ut ostendat, per verbum et in verbo omnia conservari; iuxta illud Hebr. I, 3: *portans omnia verbo virtutis suae*. Quaedam enim sunt quae non indigent operante, nisi quantum ad fieri, cum possint subsistere postquam fuerunt facta, absque agentis influxu; sicut domus indiget quidem artifice quantum ad suum fieri, sed tamen persistit in suo esse absque artificis influentia. Ne ergo credat aliquis, omnia per verbum sic facta esse quod sit causa eorum



quantum ad fieri solum, et non quantum ad conservationem in esse, ideo consequenter Evangelista subiunxit *et sine ipso factum est nihil*. Hoc est: nihil factum est extra ipsum, quia ipse ambit omnia, conservans ea. Exponitur autem haec particula secundum Augustinum et Origenem et plures alios sic ut per nihil intelligatur peccatum. Quia ergo cum diceret *omnia per ipsum facta sunt*, posset intelligi malum et peccatum per ipsum fieri; ideo consequenter adiunxit *et nihil*, idest peccatum, *est factum sine ipso*. Nam sicut ars non est principium seu causa alicuius defectus in artificiatu, sed per se est causa perfectionis ipsorum et formae, ita et verbum, quod est ars patris, plena rationum viventium, non est causa alicuius mali vel inordinationis in rebus, et praecipue mali culpa, quod habet perfectam rationem mali; sed huius mali causa per se est voluntas creaturae, sive hominis sive Angeli, libere declinans a fine, ad quem naturaliter ordinatur. Operans secundum artem, voluntarie errans, est causa defectuum incidentium in artificiatu, non per artem, sed per voluntatem. Unde in talibus ars non est principium seu causa defectuum, sed voluntas: et ideo malum est defectus voluntatis, et non artis alicuius: et ideo in quantum tale, nihil est. Sic ergo ista particula additur ad ostendendum ipsius verbi universalem causalitatem secundum Chrysostomum, societatem ad patrem, secundum Hilarium et virtutem verbi in conservando, secundum Origenem. Item puritatem causalitatis: quia sic est causa bonorum, quod non est causa peccati, secundum Augustinum et Origenem et plures alios. Deinde dicit *quod factum est, in ipso vita erat*. Hic ponitur tertia particula, ubi cavendus est falsus intellectus Manichaei, qui ex hoc verbo motus est ad dicendum quod omnia quae sunt, vivunt; puta lapis, lignum, et homo, et quicquid aliud est in mundo. Et punctabat sic: *quod factum est in ipso*, distingue, *erat vita*. Sed non erat vita nisi viveret; ergo quicquid factum est in ipso, vivit. Vult etiam quod *in ipso* idem sic ac si dicatur per ipsum, cum communiter in Scriptura in ipso, vel per ipsum accipiatur; sicut illud Col. I, 16: *in ipso, et per ipsum condita sunt omnia*. Sed hunc intellectum ista expositio ostendit esse falsum. Potest tamen sine errore multipliciter exponi. Nam in illa homilia vox spiritualis exponitur sic: *quod factum est in ipso*, idest per ipsum, hoc vita erat non in seipso sed in sua causa. In omnibus enim causatis hoc commune est, quod effectus, sive per naturam sive per voluntatem producti, sunt in suis causis non secundum proprium esse, sed secundum virtutem propriae suae causae; sicut effectus inferiores sunt in sole ut in causa, non secundum eorum esse, sed secundum virtutem solis. Quia ergo causa omnium effectuum productorum a Deo, est vita quaedam et ars plena rationum viventium, ideo omne, quod factum est in ipso, idest per ipsum, vita erat in sua causa, scilicet in ipso Deo. Augustinus autem aliter legit, sic punctando: *quod factum est*, distingue, *in ipso vita erat*. Res enim dupliciter considerari possunt, secundum scilicet quod sunt in seipsis et secundum quod sunt in verbo. Si considerentur secundum quod sunt in seipsis, sic non omnes res sunt vita nec etiam viventes, sed aliquae carent vita, aliquae vivunt. Sicut facta est terra, facta sunt etiam et metalla, quae nec vita sunt, nec vivunt; facta sunt animalia, facti sunt homines, quae secundum quod sunt in seipsis, non sunt vita, sed vivunt solum. Si vero considerentur secundum quod sunt in verbo, non solum sunt viventes, sed etiam vita. Nam rationes in sapientia Dei spiritualiter existentes, quibus res factae sunt ab ipso verbo, sunt vita: sicut arca facta per artificem in se quidem nec vivit nec vita est, ratio vero arcae, quae praecessit in mente artificis, vivit quodammodo, in quantum habet esse intelligibile in mente artificis, non tamen est vita, quia per ipsum intelligere artificis non est in sua essentia, neque suum esse. In Deo autem suum intelligere est sua vita et sua essentia: et ideo quicquid est in Deo, non solum vivit sed est ipsa vita, quia quicquid est in Deo, est sua essentia. Unde creatura in Deo est creatrix essentia. Si ergo considerentur res secundum quod in verbo sunt, vita sunt. Hanc expositionem habes alibi. Origenes vero super Ioannem legit hoc aliter, punctando sic: *quod factum est in ipso*, distingue, *vita erat*. Ubi notandum est quod de filio Dei dicitur aliquid, secundum se, sicut dicitur Deus omnipotens, et huiusmodi; aliquid vero dicitur de eo per comparisonem ad nos, sicut salvator et redemptor; aliquid vero utroque modo, sicut sapientia et iustitia. In omnibus autem quae absolute et secundum se de filio dicuntur, non dicitur quod sit factus, sicut non dicitur filius factus Deus, neque omnipotens; sed in illis quae dicuntur in comparatione ad nos, seu utroque modo, potest addi adiunctio facti, ut dicatur secundum illud I Cor. I, 30: *qui factus est nobis a Deo sapientia, et iustificatio, et sanctificatio, et redemptio*. Et sic, licet semper fuerit in seipso sapientia et iustitia, tamen potest dici quod de novo factus est nobis iustitia et sapientia. Secundum hoc ergo Origenes exponens dicit quod quamvis in seipso sit vita, tamen nobis factus est vita per hoc quod nos vivificavit, iuxta illud I Cor. XV, 22: *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in ipso omnes vivificabuntur*. Et ideo dicit quod *verbum quod factum est nobis vita, in ipso vita erat*, ut quandoque nobis fieret vita; et ideo statim subdit *et vita erat lux hominum*. Hilarius enim sic punctat *et sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso*, et postea dicatur *vita erat*. Quia ipse dicit in II de Trin. cum dicit Evangelista *et factum est nihil*, posset esse

ambiguum an quaedam alia adhuc quae per ipsum facta sunt, fuerunt facta non per ipsum, non tamen sine ipso; sed in eis associavit facientem; et hanc clausulam esse additam ad correptionem praecedentis. Ne ergo hoc intelligeretur, ideo Evangelista cum dixisset *omnia per ipsum facta sunt*, subiungit *et sine ipso factum est nihil*, quod tamen factum est *in ipso*, idest per ipsum: et ratio huius est, quia *vita erat*. Manifestum est enim quod hoc modo omnia dicuntur per verbum facta, inquantum verbum ex patre procedens est Deus. Ponamus autem quod aliquis pater filium habeat, qui non sit perfecte habens operationes hominis, sed paulatim ad hoc perveniat, manifestum est quod multa faciet, non per ipsum filium, licet non sine eo. Quia ergo filius Dei eandem vitam habuit ab aeterno, quam et pater, secundum illud infra V, 26: *sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio vitam habere in semetipso*, ideo non potest dici quod Deus pater, etsi nihil fecerit sine filio, tamen fecit aliqua non per ipsum, quia vita erat. In viventibus enim quae vitam participant, potest contingere quod vita imperfecta praecedat vitam perfectam; sed in per se vita, quae non participat vitam, sed est absolute et simpliciter vita, nullo modo potest imperfectio aliqua esse. Quia ergo verbum est per se vita, numquam fuit in eo vita imperfecta, sed semper perfecta; et ideo ita *nihil factum est sine eo*, quod tamen non sit factum *in ipso*, idest per ipsum. Chrysostomus autem aliud modum legendi habet, et punctat sic: *et sine ipso factum est nihil quod factum est*. Et ratio huius est, quia aliquis posset credere quod spiritus sanctus esset factus per verbum. Et ideo Evangelista hoc volens excludere dicit *quod factum est*, quia spiritus sanctus non est quid factum; et postea sequitur *in ipso vita erat*; quod introducit propter duo. Unum est ut post productionem omnium rerum ostendatur indeficientia causalitatis ad res non solum productas, sed etiam producendas. Quasi dicat *in ipso vita erat*, qua scilicet non solum omnia producere potuit, sed etiam quae habet indeficientem fluxum et causalitatem absque mutationis dispendio ad res continue producendas, utpote fons vivus qui non minoratur ex fluxu continuo; aqua vero collecta et non viva, cum defluit, minoratur et deficit; unde dicitur in Ps. XXXV, 10: *apud te est fons vitae*. Secundum est ut ostendatur gubernatio rerum esse per verbum. Quia enim *in ipso vita erat*, ostenditur quod non produxit res per necessitatem naturae, sed per voluntatem et intellectum, et quod res productas gubernat; Hebr. IV, 12: *vivus est sermo Dei* et cetera. Et quia apud Graecos Chrysostomus est tantae auctoritatis in suis expositionibus, quod ubi ipse aliquid exposuit in sacra Scriptura, nullam aliam expositionem admittant, ideo in omnibus libris Graecis invenitur sic punctatum, sicut punctat Chrysostomus, scilicet hoc modo: *sine ipso factum est nihil quod factum est*.

### Lectio 3

[87421] Super Io., cap. 1 l. 3 Evangelista supra insinuavit virtutem verbi, secundum quam omnia produxit in esse; hic vero insinuat eius virtutem, secundum quam se habet ad homines, dicens, hoc verbum esse lucem hominibus. Ubi primo introducit nobis lucem quamdam, cum dicit *et vita erat lux hominum*; secundo lucis irradiationem, cum dicit *et lux in tenebris lucet*; tertio lucis participationem, cum dicit *et tenebrae eam non comprehenderunt*. Potest autem totum dupliciter exponi. Uno modo secundum influxum cognitionis naturalis; alio modo secundum communicationem gratiae. Dicit ergo quantum ad primum, quod *vita erat lux hominum*. Ubi primo considerandum est quod, secundum Augustinum et plures alios, nomen lucis magis proprie dicitur in spiritualibus quam in sensibilibus. Ambrosius tamen vult quod splendor metaphorice dicatur de Deo. Sed in hoc non est magna vis facienda: nam de quocumque nomen lucis dicatur ad manifestationem refertur, sive illa manifestatio sit in intelligibilibus, sive in sensibilibus. Si ergo comparentur manifestatio intelligibilis et sensibilis, secundum naturam prius invenitur lux in spiritualibus; sed quoad nos, qui nomina rebus imponimus ex earum proprietatibus nobis notis, prius invenitur in sensibilibus, quia prius impositum est a nobis hoc nomen ad significandum lucem sensibilem, quam intelligibilem; quamvis secundum virtutem prius et verius conveniat spiritualibus quam sensibilibus. Ad evidentiam autem eius quod dicitur *et vita erat lux hominum*, sciendum est quod multipliciter est gradus vitae. Quaedam namque vivunt, sed absque luce, quia nullam cognitionem habent, sicut sunt plantae: unde vita earum non est lux. Quaedam vero vivunt et cognoscunt; sed tamen eorum cognitio, cum sit sensus tantum, non est nisi particularium et materialium, sicut est in brutis: et ideo haec et vitam habent et lucem quamdam, sed non lucem hominum qui vivunt et cognoscunt non solum ipsa vera, sed ipsius veritatis rationem, sicut sunt creaturae rationales, quibus non solum manifestatur hoc vel illud, sed ipsa veritas quae manifestabilis est et manifestativa omnium. Et ideo Evangelista loquens de verbo dicit non solum esse vitam, sed etiam esse lucem, ne intelligas vitam sine agnitione; *hominum* autem ne tantum cognitionem sensibilem

suspiceris, qualis est in brutis. Sed quare dixit *hominum*, cum etiam sit lux Angelorum? Ad hoc est duplex responsio. Chrysostomus enim dicit quod Evangelista intendebat in isto Evangelio tradere nobis cognitionem de verbo, secundum quod ad salutem hominum ordinatur; et ideo magis refert secundum suam intentionem ad homines quam ad Angelos. Origenes vero dicit quod participatio huius lucis pertinet ad homines, in quantum sunt rationalis naturae; et ideo Evangelista dicens *erat lux hominum*, voluit intelligi omnis rationalis naturae. In hoc etiam ostenditur perfectio et dignitas huius vitae, quia est intellectualis seu rationalis. Cum enim illa dicuntur viventia, quae se aliquo modo movent, illa dicuntur vitam habere perfectam, quae perfecte seipsa movent; movere autem seipsum perfecte et proprie, in inferioribus creaturis soli homini convenit. Nam etsi alia ex seipsis ab aliquo principio intrinseco moveantur, non tamen illud principium se habet ad opposita; et ideo ex necessitate moventur, et non libere. Mota igitur a tali principio magis aguntur quam agunt. Homo vero, cum sit dominus sui actus, libere se movet ad omnia quae vult; et ideo homo habet vitam perfectam, et similiter quaelibet intellectualis natura. Vita ergo verbi, quae est lux hominum, est vita perfecta. Attenditur etiam in praemissis verbis congruus ordo: nam in naturali rerum ordine primo invenitur esse, et hoc primo Evangelista insinuavit, dicens *in principio erat verbum*, secundo vivere, et hoc est quod sequitur *in ipso vita erat*, tertio intelligere, et hoc consequenter adiunxit *vita erat lux hominum*. Unde, secundum Origenem, convenienter vitae attribuit lucem, quia lux non nisi viventi attribui potest. Est tamen notandum quod lux ad viventem dupliciter comparari potest, vel ut obiectum, vel ut participata, ut patet in visu exteriori. Oculus enim lucem exteriorem cognoscit tamquam obiectum, sed oportet ad hoc quod eam videat, quod participet aliquam lucem interiorem, per quam aptetur et disponatur oculus ad lucem exteriorem videndam. Sic ergo, quod hic dicit *et vita erat lux hominum*, dupliciter potest intelligi. Ut dicatur lux hominum per modum obiecti quasi a solis hominibus conspicibilis; quia ipsam sola rationalis creatura conspici potest, cum ipsa sola divinae visionis sit capax (Iob XXXV, v. 11: *docet nos super iumenta terrae, et super volucres caeli erudit nos*); quia licet alia animalia cognoscant aliqua quae vera sunt, solus tamen homo ipsam rationem veritatis cognoscit. Potest etiam dici lux hominum participata. Numquam enim ipsum verbum et ipsam lucem conspici possemus nisi per participationem eius, quae in ipso homine est, quae est superior pars animae nostrae, scilicet lux intellectiva, de qua dicitur in Ps. IV, 7: *signatum est super nos lumen vultus tui*, idest filii tui, qui est facies tua, qua manifestaris. Introduxit supra Evangelista lucem quamdam; nunc vero agit de ipsius irradiatione cum dicit *lux in tenebris lucet*. Quod quidem dupliciter exponi potest, secundum duplicem acceptionem tenebrarum. Primo vero accipiamus tenebras naturalem defectum, ac creatae mentis. Nam, ita se habet mens ad lucem istam, de qua hic loquitur Evangelista, sicut se habet aer ad lucem solis: quia, licet aer capax sit lucis solis, tamen, in se consideratus, tenebra est. Et secundum hoc sensus est: *lux*, idest vita illa, quae est lux hominum, *in tenebris lucet*, scilicet in animabus et mentibus creatis, irradiando semper omnes. Iob III, 23: *viro cui abscondita est lux*. Sed *tenebrae eam non comprehenderunt*, idest includere non potuerunt. Illud enim dicitur comprehendi, cuius fines concluduntur et conspiciuntur. Quia, sicut dicit Augustinus, attingere Deum mente, magna beatitudo est: comprehendere vero, impossibile est. *Tenebrae ergo eam non comprehenderunt*. Iob XXXVI, 26: *ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*; Ier. XXXII, 19: *magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu*. Et haec expositio habetur in illa homilia quae incipit *vox spiritualis aquilae*. Alio modo potest exponi accipiendo tenebras, secundum Augustinum, pro naturali insipientia hominum, quae tenebra dicitur. Eccle. II, 13: *vidi quia tantum praecederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris*. Ex eo ergo aliquis insipiens est quod privatur lumine sapientiae divinae. Sicut ergo mentes sapientum participatione istius divinae lucis et sapientiae lucidae sunt, ita eius privatione tenebrae sunt. Quod ergo quidam tenebrosi sint, non est ex defectu istius lucis; quia, in quantum est de se, in tenebris lucet et omnes irradiat; sed ideo insipientes privati sunt ea luce, quia *tenebrae eam non comprehenderunt*, idest non apprehenderunt, ad ipsius participationem eorum insipientia pertingere non valentes, ut post elati non durantes. Iob XXXVI, 32: *immanibus*, idest superbis, *abscondit lucem*, idest lumen sapientiae, *et annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit, et ad eam possit ascendere*; Baruch III, 23: *viam autem sapientiae nescierunt, neque commemorati sunt semitas eius*. Licet autem aliquae mentes sint tenebrosae, idest sapida et lucida sapientia privatae, nulla tamen adeo tenebrosa est quin aliquid lucis divinae participet. Quia quidquid veritatis a quocumque cognoscitur, totum est ex participatione istius lucis, quae in tenebris lucet, quia omne verum, a quocumque dicatur, a spiritu sancto est. Et tamen *tenebrae*, idest homines tenebrosi, *eam non comprehenderunt*, secundum veritatem. Sic ergo exponitur ista clausula, secundum Origenem et secundum Augustinum. Alio modo ab illo loco *et vita erat lux hominum*, exponitur secundum fluxum gratiae, qua irradiamur per Christum; et

continuat sic ad praecedentia. Supra egit Evangelista de creatione rerum per verbum, hic vero tractat de restauratione rationalis creaturae facta per Christum dicens: *et vita, verbi, erat lux hominum*, communiter, et non Iudaeorum tantum; quia filius Dei carnem assumere venit in mundum, ut illuminaret gratia et veritate omnes homines. Io. c. XVIII, 37: *in hoc natus sum, et ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati*. Item, infra IX, 5: *quamdiu in mundo sum, lux sum mundi*. Et ideo non dicit lux Iudaeorum, quia licet olim tantum in Iudaea notus esset, tamen postea toti mundo innotuit; Is. XLIX, v. 6: *dedit te in lucem gentibus, ut sis salus mundo usque ad extremum terrae*. Congruè etiam coniungit lucem et vitam dicens *et vita erat lux hominum*, ut ostendat ista duo, lucem scilicet et vitam, nobis provenisse per Christum. Vitam quidem per participationem gratiae; infra: *gratia et veritas per Iesum Christum facta est*; lucem vero per cognitionem veritatis et sapientiae. Hoc autem quod dicit *lux in tenebris lucet*, potest secundum hanc expositionem exponi tripliciter, secundum quod tripliciter possumus accipere tenebras. Uno modo pro poena: nam quaelibet tristitia et afflictio cordis tenebra quaedam dici potest, sicut quodlibet gaudium lux; Mich. ult., v. 8: *cum sedero in tenebris et in afflictionibus, dominus lux mea est*, idest gaudium et consolatio. Dicit ergo Origenes: secundum hoc lux in tenebris lucet, idest Christus in mundum veniens, et corpus passibile et absque peccato habens *in similitudinem carnis*, secundum quod dicitur Rom. VIII, 3. Lux in carne, quae scilicet caro Christi, secundum quod in se habet similitudinem carnis peccati, tenebra dicitur. Quasi dicat: lux, idest verbum Dei circumvelatum tenebris carnis, luxit in mundum, secundum illud Ez. XXXII, 7: *solem nube tegam*. Secundo, accipiendo per tenebras Daemones, iuxta illud Eph. ult., 12: *non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem tantum, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum*. Secundum hoc dicit: lux, idest filius Dei, *in tenebris lucet*, idest in mundum descendit, ubi tenebrae, idest Daemones, dominabantur. Infra XII, 31: *princeps huius mundi, eiicietur foras. Et tenebrae, idest Daemones, eam non comprehenderunt*, idest eum obscurare non potuerunt tentando, ut patet Matth. IV. Tertio accipiendo tenebras errores sive ignorantias, quibus totus mundus ante adventum Christi plenus erat, secundum quod dicit apostolus: *eratis aliquando tenebrae*. Dicit ergo quod lux, idest verbum Dei incarnatum, *in tenebris lucet*, idest hominibus mundi, erroris et ignorantiae tenebris obscuratis. Lc. I, 79: *illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent*; et Is. IX, 2: *populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Et tenebrae eum non comprehenderunt*, idest non vicerunt. Quia quantumcumque homines peccatis obscurati, invidia excaecati, superbia tenebrosi, contra Christum pugnaverunt, ut patet ex Evangelio, exprobrando scilicet, iniurias et contumelias inferendo, et tandem occidendo, non tamen *eum comprehenderunt*; idest non vicerunt eum obscurando, quin eius claritas per totum mundum fulgeret. Sap. VII, 29: *luci comparata invenitur prior: illi enim succedit nox, sapientiam autem, idest filium Dei incarnatum, non vincit malitia*, Iudaeorum scilicet et haeticorum; quia, ut dicitur Sap. X, 12, *certamen forte dedit illi, ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia*.

#### Lectio 4

[87422] Super Io., cap. 1 l. 4 Supra Evangelista egit de verbi divinitate; in parte vero ista incipit agere de verbi incarnatione: et circa hoc duo facit. Primo agit de teste verbi incarnati seu praecursore; secundo de adventu verbi, ibi *erat lux vera*. Circa primum duo facit. Primo describit praecursorem in testimonium venientem; secundo ostendit eum ad salvandum insufficientem, ibi *non erat ille lux*. Praecursorem autem describit quadrupliciter. Primo a naturae conditione, cum dicit *fuit homo*; secundo ab auctoritate, cum dicit *missus a Deo*; tertio ab officii idoneitate, cum dicit *cui nomen erat Ioannes*; quarto ab officii dignitate, ibi *hic venit*. Considerandum autem est circa primum, quod statim cum Evangelista incipit de aliquo temporali, mutat modum loquendi. Cum enim supra loqueretur de aeternis, utebatur hoc verbo erat, quod est praeteriti imperfecti, ostendens per hoc, aeterna interminata esse; nunc vero, cum loquitur de temporalibus, utitur hoc verbo, fuit, ad ostendendum quod temporalia sic praeterierunt quod tamen terminantur. Dicit ergo *fuit homo*; per quod in principio excludit perversam opinionem haeticorum, contra conditionem seu naturam Ioannis, qui, propter id quod dominus, Matth. c. XI, 10, dicit de Ioanne: *hic est de quo scriptum est: ecce mitto Angelum meum ante faciem meam*, et etiam Mc. I, 2 dicitur de ipso, opinati sunt quod Ioannes fuisset natura Angelus. Quod excludens Evangelista dicit *fuit homo*, natura, non Angelus. Eccle. c. VI, 10: *scitur quod sit homo, et quod non possit contra fortiorem se in iudicio contendere*. Convenienter autem homo ad homines mittitur, per quem homines magis alliciuntur, utpote per sibi similem; unde dicitur Hebr. c. VII, 28: *lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem*

*habentes*. Poterat enim Deus homines gubernare per Angelos; sed maluit per homines, ut ipsorum exemplo magis instruerentur. Et ideo Ioannes homo fuit, et non Angelus. Ex auctoritate quidem describitur, cum dicit *missus a Deo*. Equidem, licet Ioannes natura non fuerit Angelus, fuit tamen officio, quia *missus a Deo*. Proprium enim Angelorum officium est quod a Deo mittantur, et sint nuntii Dei; Hebr. I, 14: *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi*, unde Angelus nuntius interpretatur. Possunt ergo homines, qui a Deo ad aliquid annuntiandum mittuntur, Angeli dici, iuxta illud Aggaei I, 13: *dixit Aggaeus, nuntius domini ex nuntiis domini*. Requiritur autem ad hoc quod aliquis testimonium de Deo perhibeat, quod sit a Deo missus; iuxta illud Rom. X, 15: *quomodo praedicabunt nisi mittantur?* Et quia cum a Deo mittuntur, non sua quaerunt, sed quae Iesu Christi II Cor. IV, 5: *non enim praedicamus nosmetipsos, sed Iesum Christum*: qui vero mittitur a seipso, non a Deo, sua quaerit, vel quae sunt hominis, non autem quae Christi, ideo hic dicitur *fuit homo missus a Deo*: ut intelligas quia non annuntiavit nisi divinum, non humanum. Nota autem, quod tripliciter invenimus aliquos missos a Deo. Scilicet per internam inspirationem, sicut Is. XLVIII, 16: *et nunc misit me dominus, et spiritus eius*; quasi dicat: per interiorum spiritus inspirationem sum a Deo missus. Item, per expressam et apertam iussionem sive corporalem, sive imaginariam. Et sic iterum missus est Isaias; unde dicit ibid. VI, 8: *audivi vocem domini dicentis: quem mittam, et quis ibit nobis? Et dixi: ecce ego, mitte me*. Item, per praelati iniunctionem, qui gerit in hoc personam Dei; II Cor. II, 10: *nam et ego, si quid donavi propter vos in persona Christi*. Et inde est quod qui mittuntur a praelato, mittuntur a Deo, sicut missi fuerunt ab apostolo Barnabas et Timotheus. Cum autem dicitur hic *fuit homo missus a Deo*, intelligendum est per interiorum inspirationem; vel etiam forte per exteriorum iussionem a Deo eum missum fuisse. Infra: *qui misit me, ipse dixit: super quem videris spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto*. Per hoc etiam quod dicit *fuit homo missus a Deo*, non est intelligendum, sicut quidam haeretici ponebant, credentes animas hominum ante corpus fuisse cum Angelis ab initio creatas, et mitti animam cuiuscumque, quando nascitur, ad corpus; et quod Ioannes sit missus ad vitam, id est eius anima ad corpus; sed quod fuit missus a Deo ad officium baptizandi et praedicandi. Ex idoneitate vero commendatur, cum dicit *cui nomen erat Ioannes*. Ad officium namque testimonii requiritur idoneitas: nam nisi testis sit idoneus, qualitercumque mittatur ab alio, non est sufficiens testimonium eius. Homo autem efficitur idoneus ex gratia Dei; I Cor. XV, 10: *gratia Dei sum id quod sum*; II Cor. III, 6: *qui idoneos nos fecit ministros novi testamenti*. Satis ergo congrue Evangelista idoneitatem praecursoris insinuat ex eius nomine, dicens *cui nomen erat Ioannes*, quod interpretatur in quo est gratia. Quod quidem nomen non fuit frustra sibi impositum, sed ex divina praeordinatione, et antequam nasceretur, ut patet Lc. I, 13: *et vocabis nomen eius Ioannem*, dixit Angelus ad Zachariam. Unde potest dicere illud Is. XLIX, 1: *dominus ab utero vocavit me*; et Eccl. VI, 10: *qui futurus est, iam vocatum est nomen eius*. Quod etiam ostendit Evangelista ex modo loquendi, cum dicit *erat*, quantum ad Dei praeordinationem. Ex officii etiam dignitate describitur, cum dicit *hic venit in testimonium*; ubi primo ponitur officium; secundo ratio officii, ibi *ut testimonium perhiberet de lumine*. Officium autem huius est testificandi; unde dicit *hic venit in testimonium*. Ubi notandum est quod Deus et homines, et omnia quae facit, propter se operatur; Prov. XVI, 4: *universa propter semetipsum operatus est dominus*; non quidem ut aliquid ei accrescat, quia bonorum nostrorum non eget, sed ut eius bonitas manifestetur in omnibus a se factis, in quantum *per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna eius virtus, et divinitas*; Rom. I, 20. Fit ergo quaelibet creatura in testimonium Dei, in quantum quaelibet creatura est testimonium quoddam divinae bonitatis. Et quidem magnitudo creaturae testimonium quoddam est divinae virtutis et omnipotentiae; pulchritudo vero divinae sapientiae. Speciali vero modo ordinantur a Deo quidam homines; et non solum naturaliter in quantum sunt, sed etiam spiritualiter per sua bona opera Deo testimonium ferunt. Unde omnes sancti viri testes sunt Dei, in quantum propter eorum bona opera Deus gloriosus apud homines efficitur; Matth. V, 16: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in caelis est*. Sed tamen illi, qui participant non solum dona Dei in seipsis per gratiam Dei bene operando, sed etiam diffundunt ad alios dicendo, movendo et exhortando, specialius sunt testes Dei. Is. XLIII, 7: *omnem qui invocat nomen meum, in laudem meam creavi illum*. Ioannes ergo venit in testimonium ad hoc, ut in alios diffunderet dona Dei, et annuntiaret laudem. Hoc autem officium Ioannis, scilicet testificandi, est valde magnum, quia nullus potest de aliquo testificari, nisi eo modo quo illud participat; infra III, 11: *quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur*. Unde testimonium perhibere divinae veritati, indicium est cognitionis ipsius veritatis. Et inde est quod etiam Christus hoc officium habuit; infra XVIII, 37: *ad hoc veni, et in hoc natus sum, ut testimonium perhibeam*

*veritati*. Sed aliter Christus, et aliter Ioannes. Christus enim ut ipsum lumen comprehendens, immo ipsum lumen existens; Ioannes vero, ut ipsum lumen participans tantum. Et ideo Christus perfecte testimonium perhibet, et perfecte manifestat veritatem, Ioannes vero et alii sancti in quantum ipsam veritatem divinam participant. Est ergo magnum officium Ioannis et ex participatione divini luminis et ex similitudine ad Christum, qui hoc officio usus fuit. Is. LV, 4: *ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus*. Ratio autem huius officii ponitur, cum dicit *ut testimonium perhiberet de lumine*. Ubi sciendum est, quod alicui rei testimonium perhibetur duplici de causa. Una causa potest esse ex parte rei, cui testimonium adhibetur, puta si est dubia, vel incerta; alia causa est ex parte audientium, si sunt duri et tardi corde ad credendum. Ioannes vero in testimonium quidem venit non propter ipsam rem, cui testimonium perhibebat, quia lumen erat. Unde dicit *ut testimonium perhiberet de lumine*, non de re obscura sed de re manifesta. Venit ergo in testimonium propter ipsos quibus testificabatur, *ut omnes crederent per eum*, scilicet Ioannem. Nam sicut lumen non solum in seipso et per se visibile est, sed etiam omnia alia per ipsum videri possunt, ita verbum Dei non solum in se lumen est, sed etiam est omnia manifestans quae manifestantur. Cum enim unumquodque manifestetur per suam formam et cognoscatur, omnes autem formae sint formae sint per verbum, quod est ars plena rationum viventium: est ergo lumen, non solum in se, sed omnia manifestans; Eph. V, 13: *omne quod manifestatur, lumen est*. Congrue autem Evangelista filium dicit lumen, quia venit *lumen ad revelationem gentium*, Lc. II, 32. Supra autem dixit filium Dei verbum, quo pater dicit se, et omnem creaturam. Unde cum proprie sit lux hominum, et hic Evangelista de eo agat secundum quod venit ad salutem hominum procurandam, congrue intermittit hoc nomen verbum, cum loquitur de filio, et dicit illud lumen. Sed si istud lumen sufficiens est per se omnia manifestare, non solum seipsum, quid ergo indigebat ut testificaretur? Non ergo necessaria sunt testimonia Ioannis et prophetarum de Christo. Respondeo dicendum, quod haec obiectio est Manichaeorum, qui volunt destruere vetus testamentum. Unde a sanctis contra hos multiplex ratio assignatur, quare Christus testimonium prophetarum voluit habere. Origenes quidem assignat tres rationes ad hoc. Primo quidem quod Deus vult aliquos testes habere, non quod ipse eorum testimonio indigeat, sed ut eos nobilitet quos constituit testes; sicut videmus etiam in ordine universi, quod Deus producit aliquos effectus per causas medias, non quia ipse impotens sit ad eos immediate producendos, sed quia ad nobilitandas ipsas causas medias eis causalitatis dignitatem communicare dignatur. Sic ergo, etsi Deus potuerit omnes homines illuminare per se et in cognitionem suam adducere, ut tamen debitus ordo servaretur in rebus, et ut aliquos homines nobilitaret, voluit divinam cognitionem ad homines per aliquos homines devenire. Is. XLIII, 10: *vere vos testes mei estis, dicit dominus*. Secunda ratio est, quia Christus illuxit mundo per miracula: quae quidem, quia in tempore facta erant, temporaliter transierunt, neque pervenerunt ad omnes. Verba vero prophetarum commendata Scripturae, poterant non solum ad praesentes, sed etiam ad posteros pervenire. Voluit ergo dominus homines ad cognitionem verbi venire per testimonia prophetarum, ut non solum praesentes, sed etiam futuri de ipso illuminarentur; et ideo signanter dicit *ut omnes crederent per illum*, non solum praesentes, sed etiam futuri. Tertia ratio est, quia homines sunt diversae conditionis, et diversimode ad veritatis cognitionem perducti et dispositi. Quidam namque ad veritatis cognitionem magis perducuntur per signa et miracula; quidam vero magis per sapientiam; unde I Cor. I, 22: *Iudaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt*. Ut ergo dominus omnibus ostenderet viam salutis, utramque viam pandere voluit, scilicet signorum et sapientiae, ut qui non perducerentur ad viam salutis per miracula in veteri et novo testamento facta, saltem per viam sapientiae, ut in prophetis et aliis sacrae Scripturae libris, ad veritatis cognitionem perveniant. Quarta ratio est Chrysostomi, quia scilicet homines infirmi intellectus, veritatem et cognitionem Dei seipsa capere non possunt; unde voluit Deus eis condescendere et illuminare quosdam homines de divinis prae aliis, ut ab eis humano modo cognitionem de divinis acciperent, quorum cognitionem in seipsis attingere non valebant. Et ideo dicit *ut omnes crederent per illum*. Quasi dicat: *venit in testimonium*, non propter ipsum lumen, sed propter ipsos homines, ut scilicet *crederent per illum*. Sic ergo patet idonea esse et congruentia testimonia prophetarum, et ideo recipienda utpote nobis necessaria ad veritatis cognitionem. Dicit autem *crederent* quia est duplex participatio divini luminis. Una scilicet perfecta, quae est in gloria, Ps. XXXV, v. 10: *in lumine tuo videbimus lumen*, alia est imperfecta, quae scilicet habetur per fidem, quia *venit in testimonium*. De istis duobus modis dicitur I Cor. XIII, 12: *videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem*; et ibidem dicitur: *nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum*. Istorum autem modorum prior est modus participationis per fidem; quia per ipsam pervenitur ad speciem. Unde Is. VII, 9, secundum aliam litteram: *nisi credideritis, non intelligetis*; ubi nostra habet: *si non credideritis, non permanebitis*. II Cor. c. III, 18: *nos autem omnes revelata*

*facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem, scilicet quam perdidimus, transformamur a claritate in claritatem;* Glossa: a claritate fidei, in claritatem speciei. Dicit ergo *ut omnes crederent per illum*; non ut omnes viderent illum perfecte statim, sed ut primo per fidem credendo, et postea per speciem in patria perfruendo. Dicit autem *per eum*, ut ostendat differentiam eius ad Christum. Christus enim venit, ut omnes crederent in eum; infra VII, v. 38: *qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae*. Ioannes vero ut omnes crederent, non quidem in eum, sed in Christum per eum. Sed contra. Non omnes crediderunt per illum. Si ergo venit ut omnes crederent per illum, frustra venit. Respondeo dicendum, quod quantum est ex parte Dei mittentis, et ex parte Ioannis venientis, sufficiens modus adhibitus est omnibus perveniendi ad finem; sed ex parte eorum qui *oculos suos statuerunt declinare in terram*, et noluerunt videre ipsum lumen, defectus fuit, quia non omnes crediderunt. Licet autem Ioannes, de quo tot dicta sunt, et quod missus a Deo, magnus sit, nihilominus tamen eius adventus non est sufficiens hominibus ad salutem; quia salus hominis in hoc consistit, quod participet ipsam lucem. Unde, et si Ioannes lux fuisset, suffecisset hominibus ad salutem eius adventus; sed ipse non erat lux; unde dicit *non erat ille lux*. Et ideo necessaria erat lux, quae sufficeret hominibus ad salutem. Vel aliter. Ioannes venit ut testimonium perhiberet de lumine. Consuetum est autem testificantem esse maioris auctoritatis, quam ille cui perhibet testimonium. Ne ergo credatur Ioannem esse maioris auctoritatis, quam Christum, dicit Evangelista *non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Testatur enim non quia maior, sed quia notior, etiamsi sit minor. Sed quaeritur de hoc quod dicit *non erat ille lux*. Contra dicitur Eph. V, 8: *eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino*; et Matth. V, 14: *vos estis lux mundi*. Sunt ergo Ioannes, et apostoli, et omnes boni, lux. Respondeo. Quidam dicunt quod Ioannes non erat lux cum articulo, quia hoc est solius Dei proprium; sed si lux ponatur sine articulo, erat Ioannes et omnes sancti facti lux. Quod est dictu: filius Dei est lux per essentiam, Ioannes vero et omnes sancti per participationem. Et ideo quia Ioannes participabat verum lumen, congruenter testimonium perhibebat de lumine: ignis enim convenientius manifestatur per aliquod ignitum quam per aliquid aliud, et color per coloratum.

## Lectio 5

[87423] Super Io., cap. 1 l. 5 Superius egit Evangelista de praecursore, et teste verbi incarnati; in parte vero ista agit de ipso verbo incarnato: et circa hoc tria facit. Primo ostendit adventus verbi necessitatem; secundo ex adventu verbi collatam nobis utilitatem, ibi *in propria venit*; tertio veniendi modum, ibi *et verbum caro factum est*. Necessitas autem adventus verbi videtur esse defectus divinae cognitionis, quae in mundo erat. Unde hanc necessitatem sui adventus assignat, dicens, infra XVIII, 37: *in hoc natus sum, et ad hoc veni*. Ad insinuandum ergo hunc divinae cognitionis defectum, duo facit Evangelista. Primo ostendit quod iste defectus non est ex parte Dei, neque ex defectu verbi; secundo ostendit quod est ex parte hominum, ibi *et mundus eum non cognovit*. Quod autem non fuerit defectus ex parte Dei et verbi, quin homines Deum cognoscerent et illuminarentur a verbo, ostendit ex tribus. Primo ex ipsius divinae lucis efficacia, quia *erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; secundo ex ipsius divinae lucis praesentia, quia *in mundo erat*; tertio ex eius evidentia, quia *mundus per ipsum factus est*. Non fuit ergo defectus divinae cognitionis in mundo ex parte verbi, quia efficax est. Unde primo ostendit rationem huius efficaciae, quia *erat lux vera*; secundo ipsam eius efficaciam, quia *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Est enim efficax divinum verbum ad illuminandum, quia *erat lux vera*. Quomodo autem verbum sit lux, et quomodo sit lux hominum, quia supra satis explanatum est, superfluum est ad praesens reiterare. Istud tamen ad praesens est dicendum, quomodo sit *lux vera*. Notandum est ergo ad huiusmodi evidentiam, quod verum in Scriptura tribus opponitur. Aliquando enim dividitur contra falsum, sicut illud Eph. IV, 25: *deponentes mendacium, loquimini veritatem*. Aliquando autem dividitur contra figurale, sicut illud infra I, 17: *lex per Moysen data est; gratia et veritas per Iesum Christum facta est*, quia veritas figurarum legis facta est per Christum. Aliquando vero dividitur contra participans, sicut illud I Ioan. ult., 20: *ut simus in vero filio eius*; qui scilicet non est filius per participationem. Fuit autem ante adventum verbi in mundo quaedam lux, quam scilicet philosophi se habere iactabant; sed haec quidem falsa fuit, quia, ut dicitur Rom. I, 21: *evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipientis cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*; Ier. X, 14: *stultus factus est omnis homo a scientia sua*. Fuit etiam quaedam alia lux, quam gloriabantur se habere Iudaei ex doctrina legis; sed haec quidem lux erat lux figuralis; Hebr. X, 1: *umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*. Erat etiam in

Angelis et in sanctis hominibus lux quaedam, in quantum specialiori modo per gratiam Deum cognoscebant; sed haec lux participata erat; Iob XXV, 3: *super quem non resplendet lumen illius?* Quasi dicat: quicumque lucidi sunt, intantum lucent in quantum participant lumen illius, idest Dei. Sed verbum Dei non erat lux falsa, non figuralis, non participata, sed lux vera, idest per essentiam suam. Et ideo dicit *erat lux vera*. In quo quidem excluditur duplex error, scilicet Photini, qui Christum opinatus est ex virgine initium sumpsisse. Et ideo ne aliquis hoc suspicari posset, Evangelista loquens de incarnatione verbi, dicit *erat lux vera*, scilicet ab aeterno, non solum ante virginem, sed ante omnem creaturam. Excluditur etiam error Arii et Origenis dicentium Christum non fuisse verum Deum, sed per participationem tantum. Quod si verum esset, non esset lux vera, ut Evangelista dicit. Sicut enim dicitur I Io. I, 5: *Deus lux est*, non per participationem, sed lux vera. Si ergo verbum erat lux vera, manifestum est illud esse Deum verum. Patet ergo ratio efficaciae divini verbi ad divinam cognitionem causandam. Efficacia autem ipsius verbi est, quia *illuminat omnem hominem venientem*. Omne enim quod est per participationem, derivatur ab eo quod est per essentiam suam tale; ut omne ignitum est hoc per participationem ignis, qui est ignis per suam naturam. Quia ergo verbum est lux vera per suam naturam, oportet quod omne lucens luceat per ipsum, in quantum ipsum participat. Ipse ergo *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Sciendum est autem ad horum intellectum, quod mundus in Scriptura accipitur tribus modis. Aliquando enim ratione suae creationis, sicut hic inferius ait Evangelista *mundus per ipsum factus est*. Aliquando autem ratione suae perfectionis, ad quam per Christum pertingit, sicut illud II Cor. V, 19: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Aliquando ratione suae perversitatis sicut illud I Io. V, 19: *totus mundus in maligno positus est*. Illuminatio seu illuminari per verbum, intelligitur dupliciter: scilicet de lumine naturalis cognitionis, de quo dicitur in Ps. IV, 7: *signatum est super nos lumen vultus tui, domine*. Item de lumine gratiae, de quo dicitur Is. LX, 1: *illuminare, Ierusalem*. His duabus distinctionibus suppositis, facile solvitur dubitatio quae ex istis oritur. Cum enim dicit Evangelista *illuminat omnem hominem*, videtur subesse falsum, cum adhuc multi sint in mundo tenebrosi. Si ergo nos, memores dictarum distinctionum, accipiamus mundum secundum quod ponitur ratione suae creationis; et illuminare, secundum quod accipitur pro lumine naturalis rationis, verbum Evangelistae nullam habet calumniam: quia homines omnes venientes in hunc mundum sensibilem illuminantur lumine naturalis cognitionis ex participatione huius verae lucis, a qua derivatur quicquid de lumine naturalis cognitionis participatur ab hominibus. Utitur autem Evangelista hoc modo loquendi, ut dicat *venientem in hunc mundum*, non quod homines vixissent aliquo temporis spatio extra mundum, et postea venirent in mundum, cum hoc sit contra sententiam apostoli, Rom. IX, 11: *cum enim nondum nati essent, aut aliquid egissent boni, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est* et cetera. Unde cum non egissent aliquid antequam nati essent, manifestum est quod anima non est antequam corpori coniungatur. Dicit ergo *venientem in hunc mundum*, ut ostendat quod homines illuminantur a Deo, secundum hoc scilicet quod veniunt in mundum, idest secundum intellectum qui est ab extrinseco. Homo enim ex duplici natura constituitur, corporali scilicet et intellectuali: et secundum corporalem quidem naturam, seu sensibilem, illuminatur homo lumine corporeo et sensibili; secundum animam vero et intellectualem naturam, illuminatur lumine intellectuali et spirituali. Cum ergo homo, secundum naturam corporalem non veniat in hunc mundum, sed sit ex mundo, sed secundum intellectualem naturam, quae est ab extrinseco, ut dictum est, sit a Deo per creationem, unde dicitur Eccle. XII, 7: *donec omnis caro in suam revertatur originem, et spiritus dirigatur ad Deum qui fecit illum*: ostendit Evangelista quod haec illuminatio est secundum illud quod est ab extrinseco, scilicet secundum intellectum, cum dicit *venientem in hunc mundum*. Si vero accipiatur illuminari pro lumine gratiae, sic hoc quod dicitur, *illuminat omnem hominem* potest tripliciter exponi. Uno modo, secundum Origenem in illa Hom. aquila grandis, exponitur hoc modo, ut accipiamus mundum ratione suae perfectionis, ad quam perducitur homo reconciliatus per Christum. Et tunc dicitur *illuminat omnem hominem venientem*, per fidem, *in hunc mundum*, spiritualem, scilicet Ecclesiam illuminatam lumine gratiae. Alio modo, secundum Chrysostomum, exponitur, accipiendo mundum ratione suae creationis, et talis est sensus: *illuminat*, scilicet verbum, quantum de se est, quia ex parte sua nulli deest, imo *vult omnes salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, ut dicitur I Tim. II, 4, *omnem hominem venientem*, idest qui nascitur in hunc mundum sensibilem. Quod si aliquis non illuminatur, ex parte hominis est, avertentis se a lumine illuminante. Tertio modo, secundum Augustinum, exponitur, ut ly omnem sit distributio accommodata. Ut sit sensus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non simpliciter, sed *omnem hominem*, qui illuminatur, scilicet quia nullus illuminatur nisi a verbo. Dicit ergo, secundum Augustinum, *venientem*, ut assignet rationem quare homo indiget



illuminari; accipiendo tamen mundum ratione suae perversitatis et defectus. Quasi dicat: ideo indiget illuminari, quia venit in hunc mundum, perversitate et defectibus tenebrosus et ignorantia plenus. De mundo spirituali primo hominis; Lc. I, 79: *illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent*. Destruitur autem per verba praedicta error Manichaei ponentis, homines a principio contrario, idest Diabolo, in mundo creatos fuisse: quia si homo fuisset creatura Diaboli, veniens in mundum, non illuminaretur a Deo, sive a verbo; quia *Christus venit in mundum, ut dissolvat opera Diaboli*; I Io. III. Sic ergo patet ex efficacia divini verbi, quod defectus cognitionis in hominibus non est ex parte ipsius verbi: quia ad omnes illuminandos efficax est, cum sit *lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Sed ne credas defectum ipsum esse ex remotione seu absentia verae lucis, hoc excludens Evangelista, subdit: *in mundo erat*. Simile huic habetur Act. XVII, 27: *non longe est ab unoquoque nostrum, scilicet Deus, in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus*. Quasi dicat Evangelista: verbum divinum efficax est et praesens est ad illuminandum. Notandum vero quod in mundo dicitur aliquid esse tripliciter. Uno modo per continentiam, sicut locatum in loco; infra c. XVII, 11: *hi in mundo sunt*. Alio modo, sicut pars in toto; nam pars mundi dicitur esse in mundo, etiamsi non sit locata; sicut substantiae supernaturales, licet localiter non sint in mundo, tamen sunt ut partes Ps. CXLV, v. 6: *qui fecit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt*. Neutro autem istorum modorum lux vera in mundo erat, quia nec localis est, nec pars universi: immo quodammodo (ut ita liceat loqui), totum universum est pars, bonitatem eius partialiter participans. Erat ergo in mundo tertio modo, sicut causa efficiens et conservans; Ier. XXIII, 24: *caelum et terram ego impleo*. Sed tamen aliter est de verbo agente et causante omnia, et aliter de aliis agentibus. Nam alia agentia operantur ut extrinsecus existentia: cum enim non agant nisi movendo et alterando aliquo modo quantum ad ea quae sunt extrinseca rei, ut extrinseca operantur. Deus vero operatur in omnibus ut interius agens, quia agit creando. Creare autem est dare esse rei creatae. Cum ergo esse sit intimum cuilibet rei, Deus, qui operando dat esse, operatur in rebus ut intimus agens. In mundo ergo erat ut dans esse mundo. Consuetum est autem dici Deum esse in omnibus per essentiam, praesentiam et potentiam. Ad cuius intellectum sciendum est quod per potentiam dicitur esse aliquis in omnibus quae subduntur potentiae eius: sicut rex dicitur esse in toto regno sibi subiecto, per suam potentiam; non tamen ibi est per praesentiam, neque per essentiam. Per praesentiam dicitur esse in omnibus quae sunt in conspectu eius, sicut rex dicitur esse per praesentiam in domo sua. Per essentiam vero dicitur esse in illis rebus, in quibus est sua substantia: sicut est rex in uno loco determinato. Dicimus enim Deum esse ubique per potentiam, quia omnia eius potestati subduntur; Ps. CXXXVIII, 8: *si ascendero in caelum, tu illic es (...)*. *Si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me et tenebit me dextera tua*. Per praesentiam vero, quia *omnia nuda et aperta sunt oculis eius*, quae sunt in mundo, ut habetur Hebr. IV, 13. Per essentiam autem, quia essentia sua intima est omnibus rebus: oportet enim de necessitate omne agens, in quantum agens, immediate coniungi suo effectui, cum movens et motum oporteat simul esse. Deus autem actor est et conservator omnium secundum esse uniuscuiusque rei. Unde, cum esse rei sit intimum in qualibet re, manifestum est quod Deus per essentiam suam, per quam omnia creat, sit in omnibus rebus. Notandum autem quod Evangelista signanter utitur hoc verbo *erat*, cum dicit *in mundo erat*, ostendens ab initio creaturae semper ipsum fuisse in mundo, causans et conservans omnia: quia si ad momentum subtraheret Deus virtutem suam a rebus conditis, omnia in nihilum redigerentur, et esse desinerent. Unde Origenes satis ad hoc congruo exemplo utitur, dicens quod sicut se habet vox humana ad verbum humanum in mente conceptum, sic se habet creatura ad verbum divinum: nam sicut vox nostra est effectus verbi concepti in mente nostra, ita et creatura est effectus verbi in divina mente concepti; *dixit enim et facta sunt*. Ps. CXLVIII, v. 5. Unde sicut videmus quod statim, deficiente verbo nostro, vox sensibilis deficit, ita si virtus verbi divini subtraheretur a rebus, statim res omnes in ipso momento deficerent; et hoc quia est *portans omnia verbo virtutis suae*, Hebr. I, 3. Sic ergo patet quod defectus divinae cognitionis non est in hominibus ex verbi absentia, quia *in mundo erat*; non est etiam ex verbi invisibilitate seu occultatione, quia fecit opus, in quo similitudo evidenter relucet, scilicet mundum. Sap. XIII, 5: *a magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit eorum creator videri*; et Rom. I, 20: *invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur*. Et ideo statim Evangelista subiungit *et mundus per ipsum factus est*, ut scilicet in ipso lux ipsa manifestaretur. Sicut in artificio manifestatur ars artificis, ita totus mundus nihil aliud est quam quaedam repraesentatio divinae sapientiae in mente patris conceptae; Eccli. I, 10: *sparsit illam super omnia opera sua*. Sic ergo patet quod defectus divinae cognitionis non est ex parte verbi, quia efficax est, cum sit *lux vera*; praesens est, quia *in mundo erat*; evidens est, quia *mundus per ipsum factus est*. Unde autem sit huius defectus, ostendit

Evangelista consequenter, cum dicit *et mundus eum non cognovit*; quasi dicat, non est ex parte ipsius, sed ex parte mundi, qui *eum non cognovit*. Dicit autem *eum* in singulari, quia supra verbum dixerat non solum lucem hominum, sed Deum: unde cum dicit *eum*, intelligit Deum. Ponitur autem hic mundus pro homine: Angeli namque cognoverunt eum intelligendo; elementa cognoverunt eum obediendo; sed mundus, idest homo habitator mundi, eum non cognovit. Et possumus hunc defectum cognitionis divinae referre vel ad naturam hominis, vel ad culpam. Ad naturam quidem, quia licet omnia haec praedicta auxilia data sint homini, ut ducatur in cognitionem Dei, tamen ratio humana in se deficiens est ab hac cognitione; Iob XXXVI, v. 25: *unusquisque intuetur eum procul*; et iterum ibi: *ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*. Sed si aliqui eum cognoverunt, hoc fuit non in quantum fuerunt in mundo, sed in quantum fuerunt supra mundum, et tales quibus dignus non erat mundus, quia *mundus eum non cognovit*. Et est quasi ratio quare ab hominibus Deus non cognoscitur. Et sic mundus accipitur pro inordinato mundi amore; quasi dicat *mundus eum non cognovit*. Unde si aliquid aeternum in mente perceperunt, hoc fuit in quantum non erant de hoc mundo. Si vero referatur ad culpam hominis, tunc hoc quod dixit *mundus eum non cognovit*, est quasi ratio quare ab hominibus Deus non cognoscitur; et sic accipitur mundus pro inordinato mundi amatore. Quasi dicat *mundus eum non cognovit*, quia sunt mundi amatores. Amor enim mundi, ut dicit Augustinus, maxime retrahit a Dei cognitione; quia *amor mundi inimicum Dei constituit*, Iac. c. IV, 4. Qui autem non diligit Deum, non potest eum cognoscere; I Cor. II, 14: *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*. Notandum autem quod ex hoc solvitur quaestio gentilium, qui vane quaerunt: si a paucis temporibus filius Dei pro salute humana mundo innotuit, videtur quod ante tempus illud naturam humanam despiceret. Quibus dicendum est quod non despexit, sed semper fuit in mundo, et quantum in se est, cognoscibilis est ab hominibus; sed quod aliqui eum non cognoverunt, fuit eorum culpa, quia mundi amatores erant. Notandum etiam quod Evangelista loquitur de incarnatione verbi, ut ostendat idem esse verbum incarnatum, et quod *erat in principio apud Deum* et Deus. Resumit quae de ipso supra dixerat. Ibi enim dixerat quod *verbum erat lux hominum*; hic vero dicit quod *erat lux vera*. Ibi quod *omnia per ipsum facta sunt*; hic vero *et mundus per ipsum factus est*. Supra vero dixit, quod *sine ipso factum est nihil*, idest, secundum unam expositionem, omnia conservans; hic vero dicit *in mundo erat*, mundum et omnia creans et conservans. Ibi dixit: *et tenebrae eam non comprehenderunt*; hic vero *et mundus eum non cognovit*. Et ideo totum hoc quod sequitur ab illo loco *erat lux vera*, videtur quaedam explicatio superiorum. Possumus etiam ex praedictis accipere triplicem rationem, quare Deus voluit incarnari. Una est perversitas humanae naturae, quae ex sui malitia iam obtenebrata erat vitiorum et ignorantiae obscuritate. Unde supra dixerat quod *tenebrae eam non comprehenderunt*. Venit ergo in carnem Deus, ut tenebrae possent apprehendere lucem, idest cognitionem eius pertingere. Is. IX, 2: *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*. Secunda propter insufficientiam prophetici testimonii. Venerunt enim prophetae, venerat Ioannes; sed sufficienter illuminare non poterant, quia *non erat ille lux*. Unde necessarium erat ut post prophetarum vaticinia, post Ioannis adventum, lux ipsa veniret, et sui cognitionem mundo traderet; et hoc est quod apostolus dicit, Hebr. I, 1: *multifarie, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in filio*; et II Petr. I, 19: *habetis propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, donec dies illucescat*. Tertia propter creaturarum defectum. Nam creaturae insufficientes erant ad ducendum in cognitionem creatoris; unde *mundus per ipsum factus est, et ipsum non cognovit*. Unde necessarium erat ut ipse creator per carnem in mundum veniret, et per seipsum cognosceretur: et hoc est quod apostolus dicit, I Cor. I, 21: *nam, quia in Dei sapientia mundus non cognovit per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes*.

## Lectio 6

[87424] Super Io., cap. 1 l. 6 Assignata necessitate incarnationis verbi, consequenter Evangelista manifestat utilitatem ex ipsa incarnatione ab hominibus consecutam. Et primo insinuat lucis adventum, quia *in propria venit*; secundo hominum occursum, ibi *et sui eum non receperunt*; tertio fructum ex adventu lucis allatum, ibi *dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Ostendit ergo quod lux quae erat praesens in mundo et evidens seu manifesta per effectum, non tamen cognoscebatur a mundo. Et ideo *venit in propria*, ut cognosceretur. Sed ne, cum dicit *venit*, intelligeres motum localem hoc modo, ut scilicet venerit quasi desinens esse ubi prius erat, et denuo incipiens esse, ubi prius non erat, dicit Evangelista *in propria*; idest in ea quae erant sua, quae ipse fecit; et venit ipse, ubi erat. Infra XVI, 28: *exivi a patre, et veni in mundum. Venit, inquam, in propria*, idest in Iudaeam,

secundum quosdam, quae quidem speciali modo sua erat; Ps. LXXV, 2: *notus in Iudaea Deus*; Is. V, 7: *vinea domini exercituum, domus Israel est*. Sed melius est ut dicatur, *propria*, idest in mundum ab eo creatum; Ps. XXIII, 1: *domini est terra*. Sed si prius erat in mundo, quomodo venit in mundum? Respondeo, dicendum quod venire in aliquem locum dicitur dupliciter, scilicet vel quod aliquis veniat ubi nullo modo prius fuerat, vel quod ubi aliquo modo prius fuerat, incipiat esse quodam novo modo. Sicut rex, qui prius erat in civitate aliqua sui regni per potentiam, ad illam postmodum veniens personaliter, dicitur venire ubi prius erat: venit enim per suam substantiam ubi prius erat solum per suam potentiam. Sic ergo filius Dei venit in mundum, et tamen in mundo erat. Erat quidem per essentiam, potentiam et praesentiam, sed venit per carnis assumptionem; erat invisibilis, venit ut esset visibilis. Deinde cum dicit *et sui eum non receperunt*, sequitur hominum occursum, qui differenter se habuerunt ad venientem. Quia quidam eum receperunt, non sui; unde dicitur *et sui eum non receperunt*. Sui sunt homines, quia ab eo formati; Gen. II, 7: *formavit Deus hominem*; Ps. XCIX, 3: *scitote, quoniam dominus ipse fecit nos*, quia ad eius imaginem facti; Gen. I, 26: *faciamus hominem*. Sed melius est ut dicamus *sui*, idest Iudaei, *eum non receperunt*, per fidem credendo et honorando; infra V, 43: *ego veni in nomine patris mei, et non recepistis me*; et infra VIII, 49: *ego honorifico patrem meum, et vos inhonorastis me*. Sunt quidem Iudaei, sui, quia ab ipso in populum peculiarem electi; Deut. XXVI, 18: *elegit te dominus in populum peculiarem*. Sui secundum carnem coniuncti; Rom. IX, 5: *ex quibus Christus secundum carnem*. Item sui, ab eo beneficiis promoti; Is. I, 2: *filios enutrivit, et exaltavit*. Sed licet *sui*, Iudaei *eum non receperunt*. Non defuerunt tamen, qui eum receperunt; unde subdit *quotquot autem receperunt*. Utitur Evangelista hoc modo loquendi, dicens *quotquot*, ut ostendat ampliorem esse factam solutionem, quam fuerit promissio, quae facta fuit solum suis, scilicet Iudaeis; Is. XXXIII, 22: *dominus legifer noster, dominus rex noster; ipse salvabit nos*. Sed solutio non solum fuit facta suis, sed *quotquot receperunt eum*, idest omnibus in eum credentibus; Rom. XV, 8: *dico autem Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum*, idest patribus factas. Gentes autem super misericordia, quia misericorditer sunt recepti. Dicit *quotquot*, ut ostendat quod gratia Dei indifferenter datur omnibus recipientibus Christum; Act. X, 45: *ergo in nationes gratia spiritus sancti effusa est*. Et non solum liberis, sed etiam servis, non solum masculis, sed etiam feminis; Gal. III, 28: *in Christo Iesu non est masculus, nec femina, gentilis, vel Iudaeus, circumcisio et praeputium et cetera*. Deinde cum dicit *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, sequitur fructus eius adventus. Ubi primo ponit fructus magnificentiam, quia *dedit eis potestatem*; secundo ostendit quibus datur, quia *his qui credunt*; tertio insinuat modum dandi, quia *non ex sanguinibus*. Est ergo fructus adventus filii Dei magnus, quia homines fiunt per hoc filii Dei; Gal. IV, 4: *misit Deus filium suum factum ex muliere, ut adoptionem filiorum reciperemus*. Et hoc congrue, ut qui sumus filii Dei, per hoc quod assimilamur filio, reformemur per filium. Dicit ergo *dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Ad cuius evidentiam sciendum est, quod homines fiunt filii Dei per assimilationem ad Deum; et ideo secundum triplicem assimilationem hominum ad Deum homines sunt filii Dei. Primo enim per gratiae infusionem: unde quicumque habet gratiam gratum facientem, efficitur filius Dei; Rom. VIII, 15: *non enim accepistis spiritum servitutis etc.*; Gal. IV, 6: *quoniam estis filii Dei, misit Deus spiritum filii sui*. Secundo assimilamur Deo per operum perfectionem, quia qui facit opera iustitiae, est filius; Matth. V, 44: *diligite inimicos vestros*. Tertio assimilamur Deo per gloriae adeptionem, et quantum ad animam per lumen gloriae, I Io. III, 2: *cum apparuerit, similes ei erimus*, et quantum ad corpus, Phil. III, v. 21: *reformabit corpus humilitatis nostrae*. Unde de istis duobus dicitur Rom. VIII, 23: *adoptionem filiorum Dei expectantes*. Si ergo accipiamus potestatem filios Dei fieri quantum ad operum perfectionem et gloriae adeptionem, nullam difficultatem habebit sermo, quia cum dicit *dedit eis potestatem*, intelligitur de potestate gratiae, qua habita, potest homo facere opera perfectionis, et adipisci gloriam; quia, ut dicitur Rom. VI, 23, *gratia Dei vita aeterna*. Et secundum hunc modum dicitur *dedit eis*, qui eum receperunt, *potestatem*, idest infusionem gratiae, *filios Dei fieri*, bene operando, et gloriam acquirendo. Si vero intelligatur de gratiae infusione, tunc dubitationem habet hoc quod dicitur *dedit eis potestatem*, quia non est in potestate nostra fieri filios Dei, cum non sit in potestate nostra gratiam habere. Hoc ergo quod dicit *dedit eis potestatem*, aut intelligitur de potestate naturae: et hoc non videtur esse verum, quia infusio gratiae est supra naturam nostram. Aut intelligitur de potestate gratiae: et tunc hoc ipsum est gratiam habere, quod habere *potestatem filios Dei fieri*; et sic non dedit potestatem filios fieri Dei, sed filios Dei esse. Ad quod dicendum quod in datione gratiae requiritur in homine adulto ad iustificationem suam consensus per motum liberi arbitrii: unde quia in potestate hominis est ut consentiat et non consentiat, *dedit eis potestatem*. Dedit autem hanc potestatem suscipiendi gratiam dupliciter: praeparando, et hominibus proponendo. Sicut enim

qui facit librum, et proponit homini ad legendum, dicitur dare potestatem legendi; ita Christus, per quem gratia facta est, ut dicitur infra, et *qui operatus est salutem in medio terrae*, ut dicitur in Ps. LXXIII, 12, *dedit nobis potestatem filios Dei fieri* per gratiae susceptionem. Secundo, quia hoc non sufficit, cum etiam liberum arbitrium indigeat ad hoc quod moveatur ad gratiae susceptionem, auxilio gratiae divinae, non quidem habitualis, sed moventis, ideo dat potestatem movendo liberum arbitrium hominis, ut consentiat ad susceptionem gratiae, iuxta illud Thren. ult., v. 21: *converte nos, domine, ad te*, movendo voluntatem nostram ad amorem tuum, *et convertemur*. Et hoc modo vocatur interior vocatio, de qua dicitur Rom. VIII, 30: *quos vocavit*, interius voluntatem instigando ad consentiendum gratiae, *hos iustificavit*, gratiam infundendo. Quia vero per hanc gratiam habet homo hanc potestatem conservandi se in divina filiatione, potest et aliter dici: *dedit eis*, idest eum recipientibus, *potestatem filios Dei fieri*, idest gratiam, per quam potentes sunt in divina filiatione conservari; I Io. ult., 18: *omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed gratia Dei*, per quam regeneramur in filios Dei, *conservat eum*. Sic ergo *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, per gratiam gratum facientem, per operum perfectionem, per gloriae adeptionem, et haec praeparando, movendo et conservando gratiam. Deinde cum dicit *his qui credunt in nomine eius*, ostenditur quibus conferatur fructus eius adventus. Et hoc quidem potest accipi dupliciter, vel ut sit expositivum superiorum, vel determinativum. Expositivum quidem, quia Evangelista dixerat *quotquot autem receperunt eum*; ut ergo ostendat quid est recipere eum, quasi exponendo, consequenter subiungit *his qui credunt in nomine eius*; quasi dicat: hoc est recipere eum, in eum credere, quia per fidem Christus habitat in cordibus nostris, iuxta illud Eph. III, 17: *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Illi ergo *receperunt eum, qui credunt in nomine eius*. Ut determinativum vero ponitur ab Origene in homilia quae incipit *vox spiritualis*. Hoc modo multi recipiunt Christum, dicentes se esse Christianos, qui tamen non fiunt filii Dei, quia non vere credunt in nomine eius, falsa dogmata de Christo suggerendo, subtrahendo scilicet aliquid sibi de divinitate, vel de humanitate, iuxta illud I Io. c. IV, 3: *omnis spiritus qui solvit Christum, ex Deo non est*. Et ideo Evangelista quasi determinando dicit *dedit eis*, scilicet recipientibus eum per fidem, *potestatem filios Dei fieri*, illis tamen, *qui credunt in nomine eius*, idest qui nomen Christi integrum servant, ut nihil de divinitate, vel humanitate Christi diminuunt. Potest etiam hoc referri ad formationem fidei, ut dicatur *his scilicet dedit potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine eius*, idest per fidem charitate formatam opera salutis faciunt. Illi enim qui habent solum fidem informem, non credunt in nomine eius, quia non operantur ad salutem. Sed prima expositio, quae accipitur ut expositivum praemissorum, melior est. Deinde cum dicit *qui non ex sanguinibus* etc., ostenditur qualiter conferatur hominibus tam magnificus fructus. Quia enim dixerat quod fructus advenientis lucis est potestas fieri filios Dei hominibus data; filius autem dicitur aliquis ex eo quod nascitur: ne aestimes eos materiali generatione nasci, dicit *non ex sanguinibus*. Et licet hoc nomen sanguis in Latino non habeat plurale, quia tamen in Graeco habet, ideo translator regulam grammaticae servare non curavit, ut veritatem perfecte doceret. Unde non dicit ex sanguine, secundum Latinos, sed *ex sanguinibus*; per quod intelligitur quicquid ex sanguine generatur, concurrens ut materia ad carnalem generationem. Semen autem, secundum philosophum, est ultimi superfluitas cibi sanguinei. Unde sive semen viri, sive menstruum mulieris, intelligitur per sanguinem. Causa vero motiva ad actum carnalem est voluntas se commiscentium, scilicet maris et feminae, quia licet actus virtutis generativae secundum quod huiusmodi, non sit subiectus voluntati, praeambula tamen ad ipsum voluntati subiiciuntur; et ideo dicit *neque ex voluntate carnis*, pro persona mulieris, *neque ex voluntate viri*, ut ex causa efficiente *sed ex Deo nati sunt*; quasi dicat: non carnaliter, sed spiritualiter filii Dei fiunt. Accipitur autem hic caro, secundum Augustinum, pro muliere, quia sicut caro obedit spiritui, sic mulier debet obedire viro; Gen. c. II, 23 dixit Adam de muliere: *hoc nunc os ex ossibus meis*. Et attendendum, secundum Augustinum, quod sicut dissipatur possessio domus, in qua principatur mulier et subiicitur vir, ita dissipatur homo, cum caro dominatur spiritui; propter quod dicit apostolus, Rom. VIII, 12: *debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus*. De modo autem dictae generationis carnalis dicitur Sap. VII, 1: *in ventre matris figuratus sum caro*. Vel possumus dicere quod motivum ad carnalem generationem est duplex; unum scilicet ex parte appetitus intellectivi, quae est voluntas; aliud a parte sensitivi, quod est concupiscentia. Ad designandum ergo materialem causam, dixit *non ex sanguinibus*; sed ad designandum causam efficientem quantum ad concupiscentiam, dicit *neque ex voluntate carnis*; quamvis improprie voluntas dicatur concupiscentia carnis, quo tamen modo dicitur Gal. V, 17: *caro concupiscit adversus spiritum* et cetera. Ad designandum vero appetitum intellectivum dicit *non ex voluntate viri*. Sic ergo generatio filiorum Dei non est carnalis, sed est spiritualis, quia *ex Deo nati sunt*. I Io. V, 4: *omne quod natum est ex Deo vincit mundum*. Nota autem quod haec

praepositio de semper denotat materialem causam, et efficientem, et etiam consubstantialem: dicimus enim quod faber facit cultellum de ferro, et pater generat filium suum de seipso, quia aliquid sui concurrit aliquo modo ad generationem. Haec vero praepositio a semper denotat causam moventem. Haec vero praepositio ex accipitur ut communis, quia importat causam materialem et efficientem, non tamen consubstantialem. Unde quia solus filius Dei, qui est verbum, est de substantia patris, imo cum patre est una substantia, alii vero sancti, qui sunt filii adoptivi, non sunt de eius substantia; ideo Evangelista utitur hac praepositione ex, dicens de aliis *ex Deo nati sunt*; de filio vero naturali, quod de patre est natus. Notandum est etiam quod secundum ultimam expositionem carnalis generationis possumus accipere differentiam carnalis generationis ad spiritualem. Quia enim illa est ex sanguinibus, ideo carnalis; ista vero, quia non est ex sanguinibus, ideo spiritualis; infra III, 6: *quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est*. Item, quia materialis generatio est ex voluntate carnis, idest ex concupiscentia, ideo est immunda, et generat filios peccatores; Eph. II, 3: *eramus natura filii irae*. Item, quia illa est *ex voluntate viri*, idest hominis, facit filios hominum; haec vero, quia est ex Deo, facit filios Dei. Si vero hoc quod dicit *dedit eis potestatem*, voluit referre ad Baptismum, propter quod in filios Dei regeneramur, possumus videre in hoc ordinem Baptismi, ut scilicet primo requiratur fides, quod fit in catechumenis, qui debent primo instrui de fide, ut scilicet credant in nomine eius, et deinde regenerentur per Baptismum, non quidem ex sanguinibus carnaliter, sed ex Deo spiritualiter.

## Lectio 7

[87425] Super Io., cap. 1 l. 7 Posita necessitate adventus verbi in carnem et etiam utilitate, consequenter Evangelista modum veniendi manifestat dicens *et verbum caro factum est*. Et secundum hoc continuatur ad hoc quod dixerat: *in propria venit*; quasi dicat: verbum Dei *in propria venit*. Sed ne credas ipsum venisse, locum mutando, ostendit modum quo venit, scilicet per incarnationem: eo enim modo venit, quo missus est a patre, a quo missus est, inquantum factus est caro. Gal. IV, 4: *misit Deus filium suum, factum ex muliere etc.*, ubi dicit Augustinus: eo missum, quo factum. Secundum Chrysostomum autem continuatur ad illud *dedit eis potestatem etc.*; quasi dicat: si quaeris unde potuit dare hanc potestatem hominibus, ut filii Dei fierent, respondet Evangelista *quia verbum caro factum est*, dedit nobis quod possemus filii Dei fieri. Gal. IV, 5: *misit Deus filium suum, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus*. Secundum vero Augustinum continuatur sic ad hoc quod dixerat *sed ex Deo nati sunt*: quasi enim dure videbatur, ut homines ex Deo nascerentur, ideo quasi in argumentum huius dicti, ut scilicet verbum esse credatur, subdit Evangelista illud de quo minus videtur, scilicet quod *verbum caro factum est*. Quasi dicat: ne mireris si homines ex Deo sunt nati, quia *verbum caro factum est*, idest Deus factus est homo. Notandum quod hoc quod dicitur *verbum caro factum est*, quidam male intelligentes, sumpserunt occasionem erroris. Quidam namque posuerunt verbum ita carnem factum esse ac si ipsum vel aliquid eius sit in carnem conversum, sicut cum farina fit panis, et aer ignis. Et hic fuit Eutiches, qui posuit commixtionem naturarum in Christo, dicens in eo eandem fuisse Dei et hominis naturam. Sed huius opinionis falsitas manifeste apparet, quia, sicut est dictum supra, *verbum erat Deus*. Deus autem immutabilis est, ut dicitur Mal. III, 6: *ego Deus, et non mutor*, unde nullo modo potest esse quod in aliam naturam convertatur. Est ergo dicendum contra Eutichem *verbum caro factum est*: verbum carnem assumpsit, non quod ipsum verbum sit ipsa caro; sicut si dicamus: homo factus est albus, non quod ipse sit ipsa albedo, sed quod albedinem assumpsit. Fuerunt etiam alii qui, licet crederent verbum non in carnem mutatum sed quod eam assumpsit, tamen dixerunt ipsum assumpsisse carnem sine anima; nam si carnem animatam assumpsisset, dixisset Evangelista: *verbum caro cum anima factum est*. Et sic fuit error Arii, qui dixit quod in Christo non erat anima, sed verbum Dei erat ibi loco animae. Et huius positionis falsitas apparet, tum quia repugnat sacrae Scripturae, quae in pluribus locis mentionem facit de anima Christi, sicut illud Matth. XXVI, 38: *tristis est anima mea usque ad mortem*; tum etiam quia quaedam passiones animae recitantur de Christo, quae in verbo Dei nullo modo esse possunt, nec etiam in carne sola, sicut illud Matth. XXVI, 37: *coepit Iesus taedere, et maestus esse*; tum etiam quia Deus non potest esse forma alicuius corporis; nec etiam Angelus corpori uniri potest per modum formae, cum secundum naturam a corpore sit separatus; anima autem unitur corpori sicut forma. Non igitur verbum Dei corporis forma esse potest. Praeterea, constat quod caro non sortitur speciem carnis, nisi per animam: quod patet, quia recedente anima a corpore hominis, seu bovis, caro hominis vel bovis, non dicitur caro nisi aequivoce. Si ergo verbum non assumpsit carnem animatam, manifestum est quod non assumpsit carnem. Sed *verbum caro factum est*; ergo carnem

animatam assumpsit. Fuerunt autem alii, qui, ex hoc moti, dixerunt verbum carnem quidem animatam assumpsisse, sed anima sensitiva tantum, non intellectiva, loco cuius in corpore Christi dixerunt verbum esse. Et hic fuit error Apollinaris, qui quandoque Arium secutus est, tandem propter auctoritates praedictas coactus fuit ponere aliquam animam in Christo, quae posset harum passionum esse subiectum, ita tamen quod ratione et intellectu careret sed loco horum verbum esset in homine Christo. Sed hoc manifeste apparet esse falsum, quia repugnat auctoritati sacrae Scripturae, in qua quaedam dicuntur de Christo, quae nec in divinitate, nec in anima sensitiva, nec in carne inveniri possunt: sicut illud quod admiratus est, ut dicitur Matth. VIII, 10; admiratio autem est passio animae rationalis et intellectivae, cum sit desiderium cognoscendi causam occultam effectus visi. Sic igitur, sicut tristitia cogit in Christo ponere partem animae sensitivam, contra Arium, ita admiratio cogit ponere in ipso partem animae intellectivam, contra Apollinarem. Idem etiam apparet per rationem. Sicut enim non est caro sine anima, ita non est vera caro humana sine anima humana, quae est anima intellectiva. Si ergo verbum assumpsit carnem animatam anima sensitiva tantum, et non rationali, non assumpsit carnem humanam: et ita non poterit dici: Deus factus est homo. Praeterea ad hoc verbum humanam naturam assumpsit, ut eam repararet. Ergo id reparavit quod assumpsit. Si ergo non assumpsit animam rationalem, non reparasset eam: et sic nullus fructus proveniret nobis ex verbi incarnatione, quod falsum est. *Verbum ergo caro factum est*, idest carnem animatam anima rationali assumpsit. Sed forte dicis: si verbum carnem sic animatam assumpsit, quare Evangelista de anima rationali mentionem non fecit, sed de carne solum dicens *verbum caro factum est*? Respondeo dicendum quod propter quatuor rationes Evangelista hoc fecit. Primo ad ostendendum veritatem incarnationis contra Manichaeos, qui dicebant verbum non assumpsisse veram carnem, sed phantasticam tantum, cum non esset conveniens ut boni Dei verbum assumeret carnem, quam ipsi dicebant Diaboli creaturam. Et ideo Evangelista, ut hoc excluderet, fecit de carne specialiter mentionem; sicut et Christus, Lc. XXIV, 39, existimantibus discipulis eum esse phantasma, veritatem resurrectionis ostendit, dicens: *spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Secundo ad demonstrandam Dei erga nos magnitudinem benignitatis. Constat enim quod anima rationalis magis conformis est Deo quam caro, et quidem magnum pietatis sacramentum fuisset si verbum assumpsisset animam humanam, utpote sibi conformem, sed assumere etiam carnem elongatam a simplicitate suae naturae, fuit multo amplioris, immo inaestimabilis pietatis indicium; secundum quod apostolus dicit I ad Tim. III, 16: *et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne*. Et ideo ut hoc ostenderet Evangelista, solum de carne mentionem fecit. Tertio ad demonstrandam veritatem et singularitatem unionis in Christo. Aliis enim hominibus sanctis unitur quidem Deus, quantum ad animam solum; unde dicitur Sap. VII, v. 27: *per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituens*. Sed quod verbum Dei uniretur carni, hoc est singulare in Christo, secundum illud in Ps. CXL, 10: *singulariter sum ego donec transeam*; Iob XXVIII, 17: *non adaequabitur ei aurum*. Hanc ergo singularitatem unionis in Christo ostendere volens Evangelista, de carne solum mentionem fecit, dicens *verbum caro factum est*. Quarto ad insinuandam congruitatem humanae reparationis. Homo enim per carnem infirmabatur, et ideo Evangelista volens insinuare adventum verbi congruum esse nostrae reparationi, mentionem de carne specialiter fecit, ut ostenderet quod caro infirma per carnem verbi reparata fuit; et hoc est quod apostolus dicit, Rom. VIII, 3: *nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne*. Sed quaeritur, quare Evangelista non dixit verbum carnem assumpsit, sed potius *verbum caro factum est*. Respondeo dicendum, quod hoc ideo fecit, ut excluderet errorem Nestorii, qui dixit in Christo fuisse duas personas, et duos filios, et alium esse filium virginis: unde non concedebat quod beata virgo esset mater Dei. Sed secundum hoc Deus non esset factus homo; quia impossibile est quod duorum singularium, quae diversa sunt secundum suppositum, unum praedicetur de alio. Unde si alia est persona verbi, seu suppositum, et alia persona hominis, seu suppositum in Christo, tunc non erit verum quod dicit Evangelista *verbum caro factum est*. Ad hoc enim fit aliquid, ut sit; si ergo verbum non esset homo, non posset dici quod verbum sit factum homo. Et ideo signanter Evangelista dixit *factum est*, et non dixit assumpsit, ut ostendat quod unio verbi ad carnem non est talis qualis est assumptio prophetarum, qui non assumebantur in unitatem suppositi, sed ad actum propheticum: sed est talis quod Deum vere faceret hominem, et hominem Deum, idest quod Deus esset homo. Fuerunt et alii, qui non intelligentes modum incarnationis, posuerunt quidem assumptionem praedictam esse terminatam ad veritatem personae, confitentes in Deo unam personam Dei et hominis; sed tamen dicunt in ipso fuisse duas hypostases, sive duo supposita, unum naturae humanae creatum, et temporale, aliud divinae increatum, et aeternum. Et talis

est prima opinio quae ponitur III Sent. dist. VI. Sed secundum hanc opinionem non habet veritatem ista propositio: Deus factus est homo, et homo factus est Deus. Et ideo haec opinio damnata est tamquam haeretica in quinto Concilio, ubi dicitur: si quis in domino Iesu Christo unam personam, et duas hypostases dixerit, anathema sit. Et ideo Evangelista, ut omnem assumptionem excluderet, quae non terminatur ad unitatem personae, utitur hoc verbo *factum est*. Si vero quaeris quomodo verbum est homo, dicendum quod eo modo est homo quo quicumque alius est homo, scilicet habens humanam naturam. Non quod verbum sit ipsa humana natura, sed est divinum suppositum unitum humanae naturae. Hoc autem quod dicitur *verbum caro factum est*, non aliquam mutationem in verbo, sed solum in natura assumpta de novo in unitatem personae divinae dicit. *Et verbum caro factum est*, per unionem ad carnem. Unio autem relatio quaedam est. Relationes autem de novo dictae de Deo in respectu ad creaturas, non important mutationem ex parte Dei, sed ex parte creaturae novo modo se habentis ad Deum. Sequitur *et habitavit in nobis*; quod quidem dupliciter distinguitur a praemissis. Primo ut dicatur quod supra Evangelista egit de verbi incarnatione, dicens *verbum caro factum est*; hic vero modum incarnationis insinuat, dicens *et habitavit in nobis*. Secundum enim Chrysostomum et Hilarium, per hoc quod Evangelista dicit *verbum caro factum est*, posset aliquis intelligere quod sit conversum in carnem, et non sint in Christo duae naturae distinctae, sed una tantum natura ex humana et divina commixta; ideo Evangelista hoc excludens, subiunxit *et habitavit in nobis*, idest in nostra natura, ut tamen in sua maneret distinctum. Illud enim quod in aliquid convertitur, non manet ab eo in quod convertitur secundum naturam distinctum; quod autem ab aliquo non distinguitur, non inhabitat illud; quia habitare distinctionem inhabitantis et in quo habitat importat. Sed verbum habitavit in nostra natura ergo naturaliter est ab ipsa distinctum. Et ideo in quantum humana natura a natura verbi fuit in Christo distincta, dicitur habitaculum divinitatis et templum, iuxta illud infra II, 21: *hoc autem dicebat de templo corporis sui*. Et quidem, quamvis a praedictis sanctis hoc sane dicatur, cavenda est tamen calunnia quam aliqui ex hoc incurrunt. Nam antiqui doctores et sancti, emergentes errores circa fidem ita persequebantur, ut interdum viderentur in errores labi contrarios; sicut Augustinus contra Manichaeos, qui destruebant libertatem arbitrii, taliter disputat, quod videtur in haeresim Pelagii incidisse. Hoc igitur modo Evangelista Ioannes, ne per hoc quod dixerat *verbum caro factum est*, intelligeretur in Christo confusio vel transmutatio naturarum, subiunxit *et habitavit in nobis*: ex quo verbo Nestorius occasionem sumens erroris, dixit, filium Dei sic esse unitum homini ut tamen Dei et hominis non esset una persona: voluit enim quod verbum per solam inhabitationem per gratiam fuerit humanae naturae unitum. Ex hoc autem sequitur quod filius Dei non sit homo. Ad quorum evidentiam sciendum est quod in Christo duo considerare possumus, scilicet naturam et personam. Secundum naturam autem attenditur in Christo distinctio, non secundum personam, quae una et eadem est in duabus naturis; quia humana natura in Christo fuit assumpta in unitatem personae. Inhabitatio ergo, quam ponunt sancti, referenda est ad naturam, ut dicatur quod *habitavit in nobis*, idest natura verbi inhabitavit naturam nostram, non secundum hypostasim seu personam, quae est eadem utriusque naturae in Christo. Quod autem blasphemat Nestorius, auctoritate sacrae Scripturae evidenter refellitur. Apostolus enim Phil. II, 6 unionem Dei et hominis exinanitionem vocat, dicens de filio Dei: *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*. Non autem dicitur Deus exinaniri Deus ex eo quod creaturam rationalem per gratiam inhabitet, quia sic pater et spiritus sanctus exinanirentur, cum et ipsi inhabitare hominem dicantur per gratiam; dicit enim Christus de se et de patre loquens, infra XIV, 23: *ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*. De spiritu autem sancto dicit apostolus, I Cor. III, 16: *spiritus Dei habitat in nobis*. Praeterea, si Christus personaliter Deus non esset, praesumptuosissime dixisset: *ego et pater unum sumus*; et *antequam Abraham fieret, ego sum*. Ego autem personam loquentis demonstrat; homo autem erat, qui loquebatur; unum cum patre praeexistebat Abrahae. Potest etiam aliter continuari, ut dicatur quod supra egit de verbi incarnatione, nunc autem agit de verbi incarnati conversatione, dicens *et habitavit in nobis*, idest inter nos apostolos conversatus est familiariter, secundum quod dicit Petrus, Act. I, 21: *in omni tempore quo intravit et exivit inter nos dominus Iesus*. Baruch IV, 38: *post haec in terris visus est*. Hoc autem Evangelista addidit propter duo. Primo ut ostendat mirabilem conformitatem verbi ad homines, inter quos sic conversatus est, ut videretur quasi unus ex eis. Non solum enim in natura voluit assimilari hominibus, sed etiam in convictu et familiari conversatione absque peccato, cum eis voluit esse simul, ut sic homines suae conversationis dulcedine allectos traheret ad seipsum. Secundo ut ostendat sui testimonii veritatem. Evangelista enim supra de verbo magna quaedam dixerat et adhuc multa de eo mirabilia dicturus erat, et ideo ut eius testimonium credibilius fieret, accepit quasi in veritatis

argumentum, se cum Christo conversatum fuisse, dicens *et habitavit in nobis*. Quasi dicat: bene possum testimonium perhibere de ipso quia cum ipso conversatus sum; I Io. c. I, 1: *quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae etc.*, et Act. X, 40: *dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo idest nobis qui manducavimus et bibimus cum illo*.

## Lectio 8

[87426] Super Io., cap. 1 l. 8 Posita verbi incarnatione, hic consequenter Evangelista insinuat verbi incarnati evidentiam. Et circa hoc duo facit. Primo enim ostendit modum manifestationis verbi incarnati; secundo utrumque modum exponit, ibi *de plenitudine eius nos omnes accepimus*. Innotuit autem apostolis verbum incarnatum dupliciter. Primo quidem per visum acceperunt de eo notitiam; secundo per auditum ex testimonio Ioannis Baptistae. Primo ergo manifestat quid de verbo viderunt; secundo quid a Ioanne audierunt, ibi *Ioannes testimonium perhibet de ipso*. Dicit autem tria de verbo. Primo eius gloriae manifestationem; unde dicit *et vidimus gloriam eius*; secundo eius gloriae singularitatem, cum subdit *quasi unigeniti*; tertio huius gloriae determinationem, quia *plenum gratiae et veritatis*. Hoc autem quod dicit *vidimus gloriam eius*, potest continuari ad praecedentia tripliciter. Primo ut sit argumentum eius quod dixerat *verbum caro factum est*: quasi dicat: ex hoc habeo et scio quod verbum Dei est incarnatum, quia ego et alii apostoli vidimus gloriam eius. Infra III, 11: *quod scimus, loquimur: et quod vidimus, testamur*. Et I Io. c. I, 1: *quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris* et cetera. Secundo continuatur, secundum Chrysostomum, ut sit expressivum multiplicis beneficii. Quasi dicat: non solum hoc beneficium collatum est nobis per incarnationem verbi, scilicet quod efficiamur filii Dei, sed etiam quod videamus gloriam. Oculi enim debiles et infirmi lucem solis non possunt videre; sed tunc eam videre possunt, cum in nube vel in aliquo corpore opaco resplendet. Ante incarnationem enim verbi mentes humanae erant invalidae ad videndum in seipsa lucem divinam, quae illuminat omnem rationalem naturam; et ideo ut a nobis facilius cerni contemplarique posset nube nostrae carnis se textit, iuxta illud Ex. XVI, 10: *respexerunt ad solitudinem, et viderunt gloriam domini in nube*, idest verbum Dei in carne. Secundum Augustinum autem continuatur sic quod referatur ad beneficium gratiae. Spirituales enim oculi hominum non solum naturaliter deficiebant a contemplatione divinae lucis, sed etiam ex defectu peccati, secundum illud Ps. LVII, 9: *supercecidit ignis, scilicet concupiscentiae, et non viderunt solem*, scilicet iustitiae. Ut ergo ipsa divina lux posset a nobis videri, sanavit oculos hominum, faciens de carne sua salutare collirium, ut sic oculos ex concupiscentia carnis corruptos verbum collirio suae carnis curaret. Et inde est quod statim cum verbum factum est caro, dixerunt *et vidimus gloriam eius*. Ad hoc significantum fecit dominus lutum ex sputo, et linivit oculus caeci nati, infra IX, 6. Lutum quidem de terra est, sputum autem a capite derivatur. Ita in persona Christi, natura quidem humana assumpta de terra est; verbum vero incarnatum a capite est, scilicet a Deo patre. Hoc ergo lutum statim cum appositum fuit oculis hominum, *vidimus gloriam eius*. Hanc autem verbi gloriam Moyses videre optavit, dicens *ostende mihi gloriam tuam* (Ex. XXXIII, 18). Sed eam videre non meruit: immo dictum est ei a domino: *posteriora mea videbis*, idest umbras et figuras. Apostoli vero ipsam claritatem viderunt; II Cor. III, 18: *nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem*. Moyses enim et alii prophetae verbi gloriam manifestandam mundo in fine temporum speculabantur in aenigmatibus et figuris; unde dicit apostolus, infra XII: *haec dixit Isaias, quando vidit gloriam eius*. Apostoli autem ipsam verbi claritatem per praesentiam corporalem viderunt. II Cor. III, v. 18: *nos autem revelata facie etc.*; et Lc. c. X, 23: *beati oculi qui vident quae vos videtis. Multi enim reges et prophetae voluerunt videre quae vos videtis et non viderunt*. Consequenter cum dicit *gloriam quasi unigeniti*, ostendit gloriae eius singularitatem. Cum enim de quibusdam hominibus inveniatur quod fuerunt gloriosi, sicut de Moyse legitur Ex. XXXIV, 29: *et facies eius facta est splendida, vel cornuta*, secundum aliam litteram, posset aliquis dicere quod ex hoc quod viderunt eum gloriosum, non debet dici quod verbum Dei sit factum caro. Sed hoc Evangelista excludit, dicens *gloriam quasi unigeniti a patre*. Quasi dicat: gloria eius non est sicut gloria Angeli, vel Moysis, et Eliae, vel Elisei, vel cuiusque alterius, sed *quasi unigeniti*; quia, ut dicitur Hebr. III, 3: *ampliori gloria iste prae Moyse dignus est habitus*. Ps. LXXXVIII, 7: *quis similis Deo in filiis Dei?* Hoc autem quod dicit *quasi* est expressivum veritatis, secundum Gregorium, et est modus, ut Chrysostomus dicit. Sicut si aliquis vidisset regem multipliciti gloria incedentem, et interrogatus ab aliquo, qualiter regem vidisset, volens se



expedire, illam multiplicem gloriam uno verbo exprimeret, dicens quod ipse incedebat sicut rex, idest sicut regem decebat; ita hic Evangelista, quasi interrogaretur ab aliquo, qualis esset gloria verbi quam viderat, non valens eam plene exprimere, dicit eam esse *quasi unigeniti a patre*, idest talem qualem decebat unigenitum Dei. Attenditur autem singularitas gloriae verbi quantum ad quatuor. Primo quantum ad patris testimonium, quod filio reddidit. Quia Ioannes fuit unus de tribus qui viderant Christum transfiguratum in monte, et audierunt vocem patris dicentis: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; et de ista gloria dicitur II Petr. I, 17: *accepit a Deo patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria: hic est filius meus dilectus*. Secundo quantum ad Angelorum ministerium. Nam ante incarnationem Christi homines erant Angelis subiecti; postmodum vero, Christo subiecti ministraverunt, Matth. IV, 11: *tunc accesserunt Angeli et ministrabant ei*. Tertio vero quantum ad naturae obsequium. Tota enim natura Christo obediens ei obsequebatur ad nutum, utpote ab ipso instituta, quia *omnia per ipsum facta sunt*: quod quidem nec Angelis, nec alicui alii creaturae concessum est, nisi soli verbo incarnato. Et hoc est quod dicitur Matth. VIII, 27: *qualis est iste, quia mare et venti obediunt ei*? Quarto quantum ad docendi, seu operandi modum. Moyses enim et alii prophetae non propria auctoritate praecepta dabant et homines instruebant, sed Dei; unde dicebant: *haec dicit dominus* etc.; et: *locutus est dominus ad Moysen* et cetera. Christus vero loquitur tamquam dominus et potestatem habens, idest propria virtute: unde dicebat, Matth. V, v. 22: *ego dico vobis* etc.; propter quod in fine sermonis eius in monte dicitur, quod erat docens quasi *potestatem habens* et cetera. Item, alii sancti operabantur miracula virtute non sua; Christus vero virtute propria; unde dicitur Mc. I, 27: *quaenam est haec nova doctrina, quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei*? Sic ergo singularis est gloria verbi. Nota autem quod aliquando dicimus in Scriptura Christum unigenitum, sicut hic, et infra: *unigenitus, qui est in sinu patris ipse enarravit*. Aliquando vero dicimus ipsum primogenitum; Hebr. I, 6: *et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: et adorent eum omnes Angeli Dei*. Quod ideo est, quod sicut totius sanctae Trinitatis proprium est esse Deum, ita verbo Dei proprium est quod sit Deus genitus: et quandoque quidem nominamus Deum, secundum quod est in se, et sic ipse solus singulariter est Deus per essentiam suam. Unde hoc modo dicimus quod est tantum unus Deus, secundum illud Deut. VI, 4: *audi Israel, dominus Deus tuus, unus est*. Quandoque nomen deitatis derivamus etiam ad alios, secundum quod aliqua similitudo divinitatis ad homines derivatur: et sic dicimus multos deos, secundum illud I Cor. VIII, 5: *siquidem sunt dii multi, et domini multi*. Eodem modo ergo, si consideremus proprietatem filii qua genitus est, quantum ad modum quo sibi ista filiatio attribuitur, scilicet per naturam, dicimus ipsum unigenitum Dei: quia cum ipse solus sit naturaliter genitus a patre, unus tantum est genitus Dei. Si vero consideremus ipsum filium, secundum quod per similitudinem ad ipsum filiatio derivatur ad alios, sic sunt multi filii Dei per participationem. Et quia per eius similitudinem dicuntur filii Dei, ideo ipse dicitur primogenitus omnium. Rom. VIII, 29: *quos praescivit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Sic ergo Christus dicitur unigenitus Dei per naturam, primogenitus vero in quantum ab eius naturali filiatione per quamdam similitudinem et participationem filiatio ad multos derivatur. Consequenter cum dicit *plenum gratiae et veritatis*, ipsam gloriam verbi determinat, quasi dicat: talis est eius gloria quod plenus est gratia et divinitate. Possunt autem haec verba exponi de Christo tripliciter. Primo secundum unionem. Ad hoc enim alicui datur gratia, ut per ipsam uniatur Deo. Ille ergo gratia plenus est qui perfectissime Deo unitur. Et alii quidem coniunguntur Deo per participationem similitudinis naturalis, Gen. I, 26: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, alii per fidem, Eph. III, 17: *habitare per fidem Christum* etc., alii per caritatem, quia, *qui manet in caritate, in Deo manet*, ut dicitur I Io. IV, v. 16. Sed omnes isti modi particulares sunt: quia neque per participationem naturalis similitudinis perfecte aliquis Deo coniungitur, neque videtur Deus per fidem sicuti est, neque per caritatem diligitur, quantum diligibilis est: quia enim ipse est infinitum bonum, ideo sua amabilitas est infinita, ad quam infinite amandam non potest pertingere alicuius creaturae amor; et ideo non potest esse plena coniunctio. In Christo autem, in quo humana natura est unita divinitati in unitate suppositi, est invenire plenam et perfectam coniunctionem ad Deum, quia talis fuit illa unio, ut omnes actus tam divinae quam humanae naturae essent actus suppositi. Fuit ergo plenus gratia, in quantum non accepit a Deo aliquod donum gratuitum speciale, sed quod esset ipse Deus; Phil. II, 9: *dedit illi nomen, scilicet Deus pater filio, quod est super omne nomen*; Rom. I, 4: *qui praedestinatus est filius Dei in virtute*. Fuit etiam plenus veritatis, quia humana natura in Christo pervenit ad ipsam veritatem divinam, scilicet quod ille homo esset ipsa divina veritas: in aliis enim hominibus sunt multae veritates participatae, secundum quod ipsa veritas prima per multas similitudines in mentibus eorum relucet, sed Christus

est ipsa veritas. Unde dicitur Col. II, 3 quod *in ipso sunt absconditi omnes thesauri sapientiae*. Secundo possunt exponi secundum animae perfectionem, secundum quam dicitur plenus gratiae et veritatis, secundum quod in anima eius fuit plenitudo omnium gratiarum absque mensura aliqua; Io. III, 34: *non enim datus est spiritus ad mensuram*, qui tamen mensurate datus est omnibus creaturis rationalibus, tam Angelis, quam hominibus. Nam, secundum Augustinum, sicut in singulis membris corporis est unus sensus communis, scilicet sensus tactus, in capite vero sunt sensus omnes, ita in Christo, qui est caput omnis rationalis naturae, et specialiter sanctorum, qui ei uniuntur per fidem et caritatem, superabundanter omnes virtutes, et gratiae, et dona inveniuntur: in aliis vero sanctis participationes sunt donorum et gratiarum, quamvis commune donum omnium sanctorum sit caritas. De plenitudine gratiae Christi dicitur Is. XI, 1: *egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris domini*. Fuit etiam Christus veritate plenus, quia eius pretiosa et beata anima omnem veritatem, tam divinam quam humanam, ab instanti conceptionis cognovit; unde dicit ei Petrus: *tu omnia scis*, et in Ps. LXXXVIII, 25: *veritas mea*, idest cognitio omnis veritatis *et misericordia mea*, idest omnium gratiarum plenitudo *cum ipso*. Tertio modo possunt exponi secundum capitis dignitatem, scilicet in quantum Christus est caput Ecclesiae. Et sic sibi competit gratiam communicare aliis, tam in mentibus hominum operando virtutem per gratiae infusionem, quam merendo per doctrinam et opera et passiones mortis superabundantem gratiam infinitis mundis, si essent. In quantum igitur nobis largitus est perfectam iustitiam, quam non poteramus habere per legem, quae infirmabatur, quae nullum iustificare posset, neque ad perfectum adducere, in quantum gratia plenus est, ut dicitur Rom. c. VIII, 3: *quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne*. Item fuit veritate plenus, in quantum figuras veteris legis et promissiones factas patribus adimplevit; Rom. XV, 8: *dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum*; II Cor. I, v. 20: *quotquot promissiones Dei sunt in illo est*. Item dicitur plenus gratia, quia eius doctrina et conversatio gratiosissima fuit; Ps. XLIV, 3: *diffusa est gratia in labiis tuis*. Unde dicitur Lc. XXI, 3, quod *omnes mane ibant*, idest mane ire studebant. Sed plenus veritate, quia non docebat in aenigmatibus et figuris, nec palpabat vitia hominum, sed veritatem omnibus aperte sine ulla fraude praedicabat; infra XVI, 29: *ecce palam loqueris* et cetera.

## Lectio 9

[87427] Super Io., cap. 1 l. 9 Posita evidentia verbi, qua ipsis apostolis innotuit per visum, consequenter Evangelista ponit eius evidentiam, secundum quod aliis quam apostolis innotuit per auditum, per testimonium ipsius Ioannis et cetera. Et circa hoc tria facit. Primo enim testis introducitur; secundo testificandi modus innotuit, ibi *et clamat*; tertio testimonium ponitur, ibi *hic erat quem dixi* et cetera. Dicit ergo: nos quidem gloriam eius vidimus, sicut unigeniti a patre, sed hoc nobis non creditur, quia forte habemur suspecti: accedat illius testis, scilicet Ioannes Baptista, qui testimonium Christo perhibuit; est enim testis fidelis, qui non mentietur; Prov. XIV, 5: *testis fidelis non mentietur* et cetera. Infra V, 33: *vos misistis ad Ioannem, et testimonium perhibuit veritati*. Hic enim Ioannes testimonium perhibet; quasi dicat, perseveranter suum officium implet, quia ipse venit in testimonium. Prov. c. XII, 19: *labium veritatis firmum erit in perpetuum*. Deinde cum dicit *et clamat dicens*, ponitur modus testificandi, qui fit cum clamore. Et ideo dicit *clamat*, in quantum libere sine timore; Is. XL, 9: *exalta in fortitudine vocem tuam (...) ecce Deus noster*. Ardentem et ex magno fervore; quia, ut dicitur Eccli. XLVIII, 1, *verbum eius ut facula ardebat*; Is. VI, 3: *Seraphim clamabant alter ad alterum*, per quod intimior ardor mentis exprimitur. Per manifestationem etiam clamoris ostenditur, quod non sub figuris, neque occulte ad paucos sermo testificantis dirigitur; sed aperte et ostensive declaratur et denuntiatur veritas iam non paucis, sed multis; Is. LVIII, v. 1: *clama, ne cesses*. Deinde cum dicit *hic erat quem dixi*, quid sit testificatus subiungit. Ubi duo facit. Primo enim describit continuitatem sui testimonii; secundo describit eum, cui testimonium perhibet, ibi *qui post me venturus est, ante me factus est*. Fuit ergo testimonium Baptistae continuum, quia non semel tantum sed multoties, et etiam antequam Christus ad ipsum venisset, Ioannes testimonium ei perhibuit: et ideo dixit *hic erat quem dixi*, idest antequam vidissem eum corporaliter, testimonium ei perhibui. Lc. I, 76: *tu puer propheta altissimi vocaberis*. Et hoc ideo quia praesentem et futurum ostendit. Est etiam eius testimonium certum, quia non solum futurum esse praedixit, sed praesentem digito demonstravit, dicens *ecce agnus Dei*. Ex quo

insinuatur quod Christus corporaliter praesens erat Ioanni; nam solitus erat saepe ad Ioannem venire, antequam baptizatus fuisset. Describit autem consequenter eum, cui testimonium perhibet, dicens *qui post me venturus est, ante me factus est*. Ubi notandum est, quod Ioannes non statim praedicat discipulis Christum esse filium Dei, sed paulatim eos ad altiora provehit: primo praeferens eum sibi, qui tamen tantae famae et auctoritatis erat ut crederetur esse Christus, vel aliquis de magnis prophetis. Comparat autem Christum sibi primo quantum ad ordinem praedicationis; secundo quantum ad ordinem dignitatis; tertio quantum ad ordinem durationis. Quantum ad ordinem praedicationis, Ioannes praecessit Christum sicut famulus dominum, et sicut miles regem, et sicut Lucifer solem; Mal. III, 1: *ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Qui igitur post me venit, scilicet in notitiam hominum praedicando*. Et notandum, quod *ly venit* est temporis praesentis, quia in Graeco ponitur participium praesentis temporis. Praecessit autem Ioannes Christum duplici ratione. Primo, secundum Chrysostomum, quia Ioannes erat consanguineus Christi secundum carnem; Lc. I, 36: *et ecce Elisabeth cognata tua* et cetera. Si ergo testimonium perhibuisset Christo postquam eum cognoverat, potuisset suum testimonium suspectum habere, et ideo Ioannes venit ad praedicandum, nondum habens familiaritatem cum Christo, ut eius testimonium efficacius esset. Unde dicebat infra: *ego nesciebam eum; sed ut manifestetur in Israel propterea veni ego, in aqua baptizans*. Secundo quia in his quae de potentia procedunt ad actum, imperfectum naturaliter praecedit perfectum: unde dicitur I Cor. XV, 46: *non prius quod spirituale est, sed quod animale*. Et ideo perfectam Christi doctrinam debuit praecedere imperfectior doctrina Ioannis, quae quodam modo fuit media inter doctrinam legis et prophetarum, quae annuntiabat de longinquo Christum futurum, et doctrinam Christi, quae manifesta erat, et Christum manifeste annuntiabat. Comparat sibi quantum ad ordinem dignitatis, cum dicit *ante me factus est*: unde sciendum est, quod ex hoc Ariani sumpserunt occasionem erroris. Dicebant enim quod hoc quod dixit *post me venit*, intelligitur de Christo secundum carnem assumptam, sed hoc quod addit *ante me factus est*, non potest intelligi nisi de verbo Dei, quod carni praeeexistebat; et propterea Christum, in quantum est verbum, factum esse, et non esse patri coaeternum. Sed, secundum Chrysostomum, haec expositio stulta est, quia si hoc esset verum, non dixisset Baptista *ante me factus est, quia prior me erat*, cum nullus ignoret, quod si prior eo erat, ante eum factus est; sed potius e converso dixisset: *prior me erat, quia factus est ante me*. Et ideo, secundum Chrysostomum, intelligendum est de prioritate dignitatis, idest mihi praelatus est, et antepositus. Quasi dicat: quamvis Iesus post me ad praedicandum venerit, tamen factus est ante me, idest dignior, et superior auctoritate, et hominum reputatione; Job XXVIII, 17: *non adaequabitur ei aurum* et cetera. Vel *ante me factus est*, idest coram me, ut habetur in Glossa, et littera in Graeco hoc sonat. Quasi dicat coram me, idest in conspectu meo, quia mihi apparuit, et innotuit. Item comparat eum sibi quantum ad ordinem durationis, dicens *quia prior me erat*. Quasi dicat: ipse est ab aeterno Deus, ego ex tempore homo fragilis; et ideo, licet eum praedicando praecesserim, tamen rationabiliter praelatus est mihi in fama et opinione hominum, qui sua aeternitate praecedit omnia. Hebr. ult., 8: *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula*; et infra VIII, 58: *antequam Abraham fieret, ego sum*. Potest etiam exponi quod dictum est *ante me factus est* ut referatur ad ordinem temporis secundum carnem. Christus enim in instanti suae conceptionis fuit perfectus Deus et perfectus homo, habens rationalem animam perfectam virtutibus, et corpus omnibus lineamentis distinctum, non tamen secundum quantitatem perfectam; Ier. XXXI, 22: *mulier circumdabit virum, scilicet perfectum*. Constat autem quod Christus ante fuit conceptus quam Ioannes esset natus, et perfectus homo; et ideo dicit *ante me factus est* quia ipse prius fuit homo perfectus, quam natus fuisset ex utero.

## Lectio 10

[87428] Super Io., cap. 1 l. 10 Sequitur *et de plenitudine eius nos omnes accepimus*. Verba ista usque ad locum illum *et hoc est testimonium Ioannis*, dupliciter inseruntur. Nam, secundum Origenem, sunt verba prolata a Ioanne Baptista, et subduntur ab eo quasi in argumentum praemissorum; quasi dicat: vere *prior me erat*, quia *de plenitudine eius*, scilicet gratiarum, non solum ego, sed etiam *omnes*, prophetae et patres, *accepimus*, quia omnes gratiam quam habuerunt, habuerunt per fidem incarnati verbi. Et secundum hoc, ab illo loco *Ioannes testimonium perhibet* etc., incepit texere exordium suae incarnationis. Secundum Augustinum autem et Chrysostomum, sunt verba Ioannis Evangelistae ab hoc quod dicitur *Ioannes testimonium perhibet*; et tunc continuatur ad hoc quod dixerat *plenum gratiae et veritatis*, ut dicatur sic: supra Evangelista ostendit evidentiam verbi, quae innotuit et per visum, et per auditum, hic vero utrumque explicat: et primo quomodo apostolis

innotuit visu, quasi a Christo accipientibus; secundo quomodo Ioannes testificatus est de eo, ibi *et hoc est testimonium Ioannis*. Circa primum duo facit. Primo ostendit Christum esse fontalem originem omnis spiritualis gratiae; secundo ostendit derivatam in nos gratiam per ipsum et ab ipso, ibi *et gratiam pro gratia*. Dicit ergo primo: experimento patet, quod vidimus eum *plenum gratiae et veritatis*, quia *de plenitudine eius nos omnes accepimus*. Est autem plenitudo sufficientiae, qua aliquis est sufficiens ad actus meritorios et excellentes faciendos, sicut in Stephano. Item est plenitudo redundantiae, qua beata virgo excellit omnibus sanctis, propter eminentiam, et abundantiam meritorum. Est etiam plenitudo efficientiae et effluentiae, quae soli homini Christo competit, quasi auctori gratiae. Sic enim beata virgo redundavit gratiam in nos, ut tamen auctrix gratiae nequaquam esset, sed ab anima eius gratia redundavit in carnem; nam per spiritus sancti gratiam, non solum mens virginis fuit Deo per amorem perfecte unita, sed eius uterus a spiritu sancto est supernaturaliter impraegnatus. Et ideo statim cum dixisset Gabriel, *ave gratia plena*, subiunxit de plenitudine ventris, dicens *dominus tecum*. Ut ergo Evangelista hanc singularem plenitudinem redundantiae et efficientiae de Christo ostenderet, dixit *de plenitudine eius omnes accepimus*, scilicet omnes apostoli, et patriarchae, et prophetae, et iusti, qui fuerunt, sunt et erunt, et etiam omnes Angeli. Nota, quod haec praepositio de aliquando quidem denotat efficientiam, seu originalem causam, sicut cum dicitur, radius est vel procedit de sole; et hoc modo denotat in Christo efficientiam gratiae, seu auctoritatem, quia plenitudo gratiae, quae est in Christo, est causa omnium gratiarum quae sunt in omnibus intellectualibus creaturis. Eccli. c. XXIV, 26: *venite ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis*, quae scilicet de me procedunt, *adimplemini*, participatione sufficientis plenitudinis. Aliquando autem haec praepositio de denotat consubstantialitatem, ut cum dicitur, filius est de patre; et secundum hoc plenitudo Christi est spiritus sanctus, qui procedit ab eo consubstantialis ei in natura, in virtute et maiestate. Quamvis enim dona habitualia alia sint in anima Christi quam ea quae sunt in nobis, tamen spiritus sanctus, qui est in ipso, unus et idem replet omnes sanctificandos. I Cor. XII, 11: *haec omnia operatur unus atque idem spiritus*; Ioel. II, 28: *effundam de spiritu meo super omnem carnem*; Rom. c. VIII, 9: *si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius*. Nam unitas spiritus sancti facit in Ecclesia unitatem; Sap. I, 7: *spiritus domini replevit orbem terrarum*. Tertio modo haec praepositio de denotat partialitatem, sicut cum dicimus, accipe de hoc pane, vel vino, idest partem accipe, et non totum; et hoc modo accipiendo, notat in accipientibus partem de plenitudine derivari. Ipse enim accepit omnia dona spiritus sancti sine mensura, secundum plenitudinem perfectam; sed nos de plenitudine eius partem aliquam participamus per ipsum; et hoc secundum mensuram, quam unicuique Deus divisit. Eph. IV, 7: *unicuique autem nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis*. Deinde cum dicit *et gratiam pro gratia* ostendit derivationem gratiarum in nos per Christum. Ubi duo facit. Primo ostendit quod accepimus gratiam a Christo, eo auctore; secundo accepimus ab eo sapientiam, ibi *Deum nemo vidit unquam*. Circa primum duo facit. Primo ostendit quod de plenitudine eius accepimus; secundo necessitatem accipiendi ostendit, ibi *quia lex per Moysen data est* et cetera. Dicit autem primo quod accepimus de plenitudine Christi hoc quod dico *et gratiam pro gratia*. Sed per hoc quod ponitur, cogimur intelligere quod de plenitudine eius accepimus gratiam, et pro illa gratia accepimus aliam; et ideo videndum est quae sit prima gratia, pro qua secundam accepimus, et quae ipsa secunda. Secundum Chrysostomum autem, prima gratia, quam totum genus humanum accepit, fuit gratia veteris testamenti accepta in lege, quae quidem magna fuit, iuxta illud Prov. IV, v. 2: *donum bonum tribuam vobis* et cetera. Magnum enim fuit quod hominibus idolatris data sunt praecepta a Deo, et unius veri Dei vera cognitio; Rom. III, 1: *quid amplius Iudaeo, aut quae utilitas circumcisionis? Multum quidem per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt eis eloquia Dei*. Pro gratia ergo ista, quae prima fuit, secundam longe meliorem accepimus; Zach. IV, 7: *exaequabit gratiae*. Sed numquid non sufficebat prima gratia? Respondeo dicendum, quod non, quia per legem solum cognitio peccati datur, non ablatio. *Neminem enim ad perfectum adduxit lex*, Hebr. VII, 19. Et ideo erat necesse quod alia gratia peccata auferens, et reconcilians Deo, veniret. Et ideo dicit *quia lex per Moysen data est; gratia et veritas per Iesum Christum facta est*. Ubi Evangelista praefert Christum legislatori Moysi, quem Baptista sibi praetulerat. Moyses autem reputabatur maximus prophetarum; Deut. ult., 10: *non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses*. Praefert autem eum Moysi, quantum ad excellentiam et dignitatem operum *quia per Moysen lex data est*; et horum duorum, tantum unum excellit alium, quantum figuratum excellit figuram et veritas ipsam umbram. *Umbram enim habuit lex futurorum bonorum* etc.; Hebr. X, 1. Item excellit quantum ad modum operandi: quia lex data est per Moysen, sicut ut per proponentem, non per facientem; quia, *solus dominus est legifer noster*: Is. XXXIII, v. 22. *Gratia autem, et veritas facta est per Christum*, sicut per

dominum et auctorem veritatis et gratiae, ut supra expositum est. Secundum Augustinum vero, prima est iustificans et praeveniens, quae non datur nobis ex operibus; Rom. XI, 6: *si autem gratia, iam non ex operibus*. Pro ista ergo gratia, scilicet imperfecta, accepimus aliam gratiam consummatam, scilicet aeternae vitae. Et quamvis aeterna vita aliquo modo meritis acquiratur, tamen quia principium merendi in omnibus est gratia praeveniens, ideo vita aeterna dicitur gratia; Rom. VI, 23: *gratia Dei vita aeterna*. Et, ut breviter concludatur, quicquid praevenienti gratiae de gratia additur, totum gratia pro gratia dicitur. Necessitas autem secundae gratiae est ex insufficientia legis, quae ostendebat quid faciendum et quid cavendum erat; sed ad implendum ea quae praecipiebat, non praebebat auxilium; immo per occasionem operabatur mortem quae tamen videbatur fuisse ad vitam; apostolus, Rom. VII, 10, et II Cor. III, v. 9, dicit, legem ministram fuisse mortis: *nam si ministratio damnationis in gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiae in gloria*. Item promittebat auxilium gratiae, sed non solvebat, quia *neminem ad perfectum adducit lex*, ut dicitur Hebr. VII, 19. Item per sacrificia et caeremonias veritatem novae gratiae figurabat, ipso suo ritu clamans eam figuram; et ideo necesse fuit quod Christus veniret, qui per mortem propriam alienas mortes perimeret, et conferret auxilium novae gratiae, ut faciliter et delectabiliter adimpleremus praecepta, et moreremur transgressioni et conversationi antiquae; Rom. VI, 6: *vetus homo noster simul crucifixus est* et cetera. Item ut manifestaretur veritas figurarum contentarum in lege, et ut promissiones factae patribus solverentur; II Cor. I. Vel aliter, *veritas per Christum facta est*, quantum ad sapientiam et veritatem occultam a saeculis, quam veniens in mundum aperte docuit, infra XVIII, v. 37: *in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*. Sed si ipse Christus est veritas, ut infra XIV, 6 dicitur, quomodo per ipsum facta est veritas, cum nihil possit fieri a seipso? Respondeo, dicendum est, quod ipse est per suam essentiam veritas increata; quae aeterna est, et non facta, sed a patre est genita; sed per ipsum factae sunt omnes veritates creatae, quae sunt quaedam participationes et refulgentiae primae veritatis, quae in animabus sanctis relucent.

## Lectio 11

[87429] Super Io., cap. 1 l. 11 Supra Evangelista ostendit quomodo gratiam apostoli acceperunt a Christo, eo faciente; hic ostendit quomodo acceperunt ab ipso eam docente. Et circa hoc tria facit. Primo ostendit huius doctrinae necessitatem, dicens *Deum nemo vidit unquam*; secundo doctoris ad docendum eam facultatem, ibi *unigenitus qui est in sinu patris*; tertio ipsam doctrinam declarat, ibi *enarravit*. Necessitas autem huius doctrinae erat defectus sapientiae in hominibus, quem quidem defectum Evangelista insinuabat per ignorantiam Dei, quae in hominibus abundabat, dicens *Deum nemo vidit unquam*. Et hoc facit congrue: nam sapientia proprie in cognitione Dei, et divinorum consistit. Unde Augustinus dicit, quod sapientia est divinarum rerum cognitio, sicut et scientia humanarum. Quod autem hic dicit Evangelista *Deum nemo vidit unquam* contrariari videtur pluribus auctoritatibus divinae Scripturae. Dicitur enim Is. VI, 1: *vidi dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*; II Reg. VI, 2, fere idem habetur: *nomen domini sedentis super Cherubim* etc.; Matth. V, v. 8, dicit dominus: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Sed si aliquis responderet ad hoc ultimum, dicens, verum esse quod in praeterito nullus vidit, sed in futuro videbit, sicut dominus promittit, apostolus hoc excludit, dicens I Tim. ult., 16: *lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. Sed quia apostolus dicit: *nullus hominum vidit*, posset aliquis dicere, quod si non ab hominibus videri possit, saltem videtur ab Angelis; praesertim cum Deus dicat Matth. XVIII, 10: *Angeli eorum in caelis semper vident faciem patris*. Sed nec isto modo dici potest: quia, ut dicitur Matth. XXII, 30: *filiis resurrectionis erunt sicut Angeli Dei in caelo*. Si ergo Angeli vident Deum in caelo, manifestum est etiam quod et filii resurrectionis eum vident; I Io. III, 2: *cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicut est*. Quomodo ergo intelligendum est hoc quod dicit Evangelista *Deum nemo vidit unquam*? Ad huius ergo intellectum sciendum est, quod Deus dicitur videri tripliciter. Uno quidem modo per subiectam creaturam, visui corporali propositam; sicut creditur Abraham vidisse Deum, quando *tres vidit, et unum adoravit*, Gen. XVIII; unum quidem adoravit, quia tres, quos prius homines reputaverat, et postmodum Angelos credidit, recognovit mysterium Trinitatis. Alio modo per repraesentatam imaginationem; et sic Isaias vidit *dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*. Plures visiones huic similes in Scripturis reperiuntur. Alio vero modo videtur per aliquam speciem intelligibilem a sensibilibus abstractam, ab his qui per considerationem magnitudinis creaturarum, intellectu intuentur magnitudinem creatoris, ut dicitur Sap. XIII, 5: *a magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit*

*creator horum videri, et Rom. I, 20: invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Alio modo per aliquod spirituale lumen a Deo infusum spiritualibus mentibus in contemplatione; et hoc modo vidit Iacob *Deum facie ad faciem*, Gen. XXXII, 30 quae visio, secundum Gregorium, facta est per altam contemplationem. Sed per nullam istarum visionum, ad visionem divinae essentiae pervenitur: nulla enim species facta, sive qua informatur sensus exterior, sive qua informatur imaginatio, sive qua informatur intellectus, est repraesentativa divinae essentiae sicut est. Illud autem homo per essentiam cognoscit quod species quam habet in intellectu, repraesentat ut est: per nullam ergo speciem ad visionem divinae essentiae pervenitur. Quod autem nulla creata species divinam essentiam repraesentet, patet: quia nullum finitum potest repraesentare infinitum ut est; omnis autem species creata est finita: ergo et cetera. Praeterea, Deus est suum esse; et ideo eius sapientia et bonitas, et quaecumque alia, idem sunt; per unum autem creatum non possent omnia ista repraesentari: ergo cognitio qua Deus per creaturas videtur, non est ipsius essentia, sed aenigmatica et specularis, et a remotis. Iob XXXVI, 25: *omnes homines vident eum*, aliquo dictionum modorum, *sed unusquisque intuetur procul*, quia per omnes illas cognitiones non scitur de Deo quid est, sed quid non est, vel an est. Unde dicit Dionysius libro mysticae theologiae, quod perfectus modus quo Deus in vita praesenti cognoscitur, est per privationem omnium creaturarum, et intellectuum a nobis. Fuerunt autem aliqui dicentes, quod divina essentia numquam videbitur ab aliquo intellectu creato, et quod nec ab Angelis vel beatis videtur. Sed haec propositio ostenditur esse falsa et haeretica tripliciter. Primo quidem, quia contrariatur auctoritati divinae Scripturae; I Io. III, 2: *videbimus eum sicuti est*; et infra XVII, 3: *haec est vita aeterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum*. Secundo quia claritas Dei non est aliud quam eius substantia: non enim est lucens per participationem luminis, sed per seipsam. Tertio quia impossibile est quod aliquis perfectam beatitudinem consequatur, nisi in visione divinae essentiae: quia naturale desiderium intellectus est scire et cognoscere causas omnium effectuum cognitorum ab eo; quod non potest impleri nisi scita et cognita prima universali omnium causa, quae non est composita ex effectu et causa, sicut causae secundae. Et ideo auferre possibilitatem visionis divinae essentiae ab hominibus, est auferre ipsam beatitudinem. Necesse est ergo ad beatitudinem intellectus creati, ut divina essentia videatur, Matth. V, 8: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Quo ad visionem autem divinae essentiae, oportet tria attendere. Primo, quia numquam videbitur oculo corporali, vel aliquo sensu, vel imaginatione, cum per sensus non percipiuntur nisi sensata corporea; Deus autem incorporeus est; infra IV, v. 24: *Deus spiritus est*. Secundo, quia intellectus humanus quamdiu corpori est coniunctus, Deum videre non potest, quia aggravatur a corruptibili corpore, ne possit ad summum contemplationis pertingere. Et inde est quod anima quanto magis est a passionibus libera, et purgata ab affectibus terrenorum, tanto amplius in contemplationem veritatis ascendit, et gustat quam suavis est dominus. Summus gradus autem contemplationis est videre Deum per essentiam; et ideo quamdiu homo in corpore subiecto ex necessitate passionibus multis vivit, Deum non potest per essentiam videre. Ex. c. XXXIII, 20: *non videbit me homo et vivet*. Ad hoc ergo quod intellectus humanus divinam essentiam videat, necesse est ut totaliter deserat corpus; vel per mortem, sicut apostolus dicit II Cor. V, 8: *audemus, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad dominum*; vel quod totaliter abstrahatur per raptum a corporis sensibus, sicut de Paulo legitur II Cor. c. XII, 3. Tertio modo, quod nullus intellectus creatus quantumcumque abstractus, sive per mortem, vel a corpore separatus, videns divinam essentiam, ipsam nullo modo comprehendere potest. Et ideo communiter dicitur, quod, licet divina essentia tota videatur a beatis, cum sit simplicissima et partibus carens, tamen non videtur totaliter, quia hoc esset eam comprehendere. Hoc enim quod dico totaliter, dicit modum quemdam. Quilibet autem modus Dei est divina essentia; unde qui non videt eum totaliter, non comprehendit eum. Comprehendere autem proprie dicitur aliquis aliquam rem cognoscendo, qui cognoscit rem illam quantum in se cognoscibilis est; alias, quamvis cognoscat eam, non tamen comprehendit. Sicut qui cognoscit hanc propositionem: triangulus habet tres angulos aequales duobus rectis, syllogismo dialectico, non cognoscit eam quantum cognoscibilis est, et ideo non cognoscit totaliter; sed qui cognoscit eam syllogismo demonstrativo, totaliter scit eam. Unumquodque enim tantum cognoscibile est, quantum habet de ente et veritate; sed ipse cognoscens tantum cognoscit quantum habet de virtute cognoscitiva. Omnis autem substantia intellectualis creata est finita: ergo finite cognoscit. Cum ergo Deus sit infinitae virtutis et entitatis, et per consequens infinite cognoscibilis, a nullo intellectu creato cognosci potest quantum est cognoscibilis; et ideo omni intellectui creato remanet incomprehensibilis; Iob XXXVI, 26: *ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*. Solus autem ipse comprehendendo contemplatur seipsum, quia tanta est eius virtus in cognoscendo quanta est eius entitas in

essendo. Ier. XXXII, 18: *fortissime, magne, potens dominus exercituum nomen tibi, magnus consilio, incomprehensibilis cogitatu*. Sic ergo, secundum praemissa, intelligitur *Deum nemo vidit unquam*. Primo sic: *nemo*, idest nullus hominum, *vidit Deum*, idest essentiam divinam, oculo corporali et imaginario. Secundo *nemo*, in hac mortali vita vivens, *vidit* divinam essentiam in seipsa. Tertio *nemo*, homo vel Angelus, *vidit Deum*, visione comprehensionis. Quod autem de aliquibus dicitur, quod Deum viderunt oculo, seu viventes in corpore, intelligitur non per essentiam, sed per subiectam creaturam, ut dictum est. Sic ergo necessarium erat quod reciperemus sapientiam, quia *Deum nemo vidit unquam*. Huius autem sapientiae sufficiens doctor nobis proponitur ab Evangelista, cum subdit *unigenitus filius qui est in sinu patris*, in quo ostendit nobis doctoris ipsius facultatem per tria. Scilicet per naturalem similitudinem, et per singularem excellentiam, et per perfectissimam consubstantialitatem. Per naturalem similitudinem, quia filius naturaliter similitudinem patris habet. Et inde est etiam quod intantum aliquis dicitur filius Dei, inquantum similitudinem filii naturalis participat; et intantum cognoscit, inquantum de similitudine eius habet: quia cognitio fit per assimilationem. I Io. III, 2: *nunc filii Dei sumus*, et sequitur: *cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est*. Et ideo in hoc quod Evangelista dicit *filius*, importatur similitudo, et aptitudo ad cognoscendum Deum. Sed quia iste doctor specialius quam alii filii Deum cognoscit, ideo Evangelista hoc insinuat per excellentiam singularem, cum dicit *unigenitus*; quasi dicat: iste cognoscit Deum prae aliis filiis. Ideo dicitur *unigenitus*, quia est filius naturalis, eandem habens cum patre naturam et cognitionem; Ps. II, 7: *dominus dixit ad me: filius meus es tu*. Quamvis autem singulariter cognosceret, posset tamen sibi deesse facultas docendi, si non cognosceret totaliter; et ideo addit tertium, scilicet consubstantialitatem eius ad patrem, cum dicit *in sinu patris*: ut non accipiatur sinus prout in hominibus veste praecinctis dici consuevit, sed pro patris occulto. Illud enim in occulto gerimus, quod in sinu portamus. Occultum autem patris est, quia superexcedit omnem virtutem, et cognitionem, cum divina essentia sit infinita. In illo ergo sinu, idest in occultissimo paternae naturae et essentiae, quae excedit omnem virtutem creaturae, est unigenitus filius; et ideo consubstantialis est patri. Et quod Evangelista hic significavit per sinum hoc David expressit per uterum, dicens Ps. CIX, 3: *ex utero ante Luciferum*, idest ex intimo et occulto meae essentiae, incomprehensibili omni intellectui creato, *genui te*, et consubstantialem mihi, et eiusdem naturae et virtutis et potestatis et cognitionis; I Cor. II, v. 11: *quae sunt hominis, nemo novit nisi spiritus hominis (...) et quae sunt Dei, nemo novit nisi spiritus Dei*. Comprehendit ergo divinam essentiam, quae sua est. Anima autem Christi Deum cognoscendo non comprehendit, quia hoc non dicitur, nisi de unigenito, qui est in sinu patris. Unde et dominus dicit Matth. XI, 27: *nemo novit patrem, nisi filius, et cui voluerit filius revelare*; ut utrumque intelligatur de notitia comprehensionis, de qua hic videtur loqui Evangelista. Nullus enim divinam comprehendit essentiam, nisi solus Deus pater, et filius, et spiritus sanctus. Sic ergo patet facultas doctoris ad docendum. Notandum etiam, quod per hoc quod dicit *qui est in sinu patris*, excluditur error quorundam, dicentium, patrem invisibilem esse, filium vero visibilem, et non visum fuisse in veteri testamento. Nam, ex hoc quod est in abscondito patris, manifestum est quod naturaliter invisibilis est, sicut pater. Et propter hoc dicebat de ipso Is. XLV, 15: *tu es vere Deus absconditus*. Et ideo in Scriptura divina fit mentio de incomprehensibilitate filii; Matth. XI, 27: *nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius*; Prov. XXX, 4: *quod nomen filii eius, si nosti?* Consequenter Evangelista modum tradendi ipsam doctrinam insinuat, cum dicit *ipse enarravit*. Olim enim unigenitus filius manifestavit Dei cognitionem per prophetas, qui eum intantum annuntiaverunt inquantum aeterni verbi fuerunt participes. Unde dicebant: *factum est verbum domini* et cetera. Sed nunc *ipse unigenitus, filius, enarravit* fidelibus. Is. LII, 6: *ego ipse qui loquebar, ecce adsum*; Hebr. I, 1: *multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio*. Et haec doctrina ideo omnibus aliis doctrinis supereminet dignitate, auctoritate et utilitate, quia ab unigenito filio, qui est prima sapientia, immediate est tradita. Hebr. II, 3: *quae cum initium accepisset enarrari per dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est*. Sed quid narravit nisi unum Deum? Hoc ipsum et Moyses enarravit, Deut. VI, 4: *audi, Israel: dominus Deus tuus, dominus unus est*. Quid ergo amplius Moyses? Multum per omnem modum, quia mysterium Trinitatis, et multa alia, quae nec Moyses, nec aliquis prophetarum narravit.

## Lectio 12

[87430] Super Io., cap. 1 l. 12 Supra ostendit Evangelista quomodo Christus innotuit testimonio Ioannis ipsis apostolis; hic plenius explicat ipsum testimonium. Et primo ponit testimonium Ioannis ad turbas; secundo vero

testimonium quod perhibuit de Christo discipulis suis, ibi *altera die iterum stabat*. Si autem bene considerentur quae dicta sunt, duplex testimonium Ioannis ad Christum invenitur. Unum quod tulit Christo in eius praesentia, aliud in eius absentia: nisi enim in eius praesentia testimonium Ioannes tulisset, non dixisset *hic erat*, et nisi in eius absentia, non diceret *quem dixi vobis*. Primo ergo Evangelista explicat testimonium Ioannis quod tulit de Christo in eius absentia; secundo quod tulit in eius praesentia, ibi *altera die vidit*. Differunt autem haec duo testimonia, quia primum tulit interrogatus, alterum spontaneus; et ideo in primo testimonio non solum ponitur testimonium quod tulit, sed etiam ipsa interrogatio. Primo autem fuit interrogatus de persona; secundo de officio, ibi *et qui missi fuerant*. Ostenditur ergo primo quomodo Ioannes confessus est se non esse quod non erat; secundo quomodo non negavit se esse quod erat, ibi *dixerunt ergo ei: quis es?* Circa primum ponuntur tres interrogationes est tres responsiones, sicut patet in littera. In prima autem interrogatione est magna Iudaeorum reverentia ad Ioannem, qui mittunt ad eum, eius testimonium inquirentes. Ubi magnitudo reverentiae ex quatuor colligitur. Primo ex mittentium dignitate: non enim Galilaei miserunt, sed illi qui praecipui fuerunt in populo Israel, scilicet Iudaei, qui sunt de tribu Iuda, habitantes iuxta Ierusalem; I Paral. V, de Iuda elegit dominus principes populi; infra IV, 22: *salus ex Iudaeis est*. Secundo ex loci praecellentia, quia ab Ierusalem, quae est civitas sacerdotalis, et divino cultui mancipata; infra IV, 20: *vos dicitis, quia Ierosolymis est locus ubi adorare oportet*. Is. XIX, 21: *et colent eum in hostiis et in muneribus*. Tertio ex nuntiorum auctoritate, qui solemnes erant, et sanctiores in populo, quia sacerdotes et Levitae; Is. LXI, 6: *vos sacerdotes domini vocabimini*. Quarto ex hoc quod miserunt ut Ioannes de se testimonium perhiberet, quasi tantam fidem habentes dictis suis, ut crederent Ioanni de seipso etiam testimonium perhibenti. Unde dicitur *ut interrogarent eum, tu quis es?* Quod Christo non faciebant; immo dicebant ei, Io. VIII, 13: *tu testimonium perhibes de teipso* et cetera. Consequenter cum dicit *et confessus est, et non negavit*, ponitur Ioannis responsio. Ideo autem Evangelista ingeminat hoc quod dicit *et confessus est*, ut ostendat humilitatem Ioannis: quia licet esset tantae auctoritatis apud Iudaeos ut eum crederent Christum, non tamen honorem sibi non debitum usurpabat; immo *confessus est, quia non sum ego Christus*. Sed quid est hoc quod dicit *confessus est, et non negavit?* Videtur autem quod negavit, quia dicit se non esse Christum. Sed dicendum est, quod ideo non negavit veritatem, quia dixit se non esse Christum: alias negasset veritatem. Iob XXXI, 26: *si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare; et laetatum est cor meum in abscondito et osculatus sum manum meam ore meo: quae est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum*. Non negavit ergo veritatem quia quantumcumque haberetur magnus, non est elatus in superbiam, usurpans sibi honorem alienum. *Et confessus est, quia, non sum ego Christus*: quia vere non erat. Supra: *non erat ille lux* et cetera. Sed cum hi qui missi erant non quaererent an esset Christus, sed quis esset; quare Ioannes respondit *non sum ego Christus?* Sed dicendum, quod magis respondet ad mentem quaerentium, quam ad quaestionem; et hoc potest accipi dupliciter. Secundum Origenem enim intelligendum est, quod sacerdotes et Levitae bona intentione venerant ad ipsum. Cognoverant enim ex Scripturis, et praecipue ex prophetia Danielis, quia iam venerat tempus adventus Christi. Unde videntes sanctitatem Ioannis, suspicabantur eum esse Christum: unde miserunt ad Ioannem, quasi scire volentes per hoc quod dicunt ei *tu quis es?* An ipse se Christum fateretur. Et ideo eorum respondit menti *non sum ego Christus*. Chrysostomus vero dicit, quod isti fraudulenter interrogabant. Nam Ioannes cognatus erat sacerdotum, utpote principis sacerdotum filius, erat etiam sanctus; et tamen testimonium perhibebat Christo, cuius genus humile videbatur. Unde et dicebant: *nonne iste est fabri filius?* Et ignotus erat eis. Et ideo cupientes magis habere magistrum Ioannem quam Christum, mittunt ad eum volentes eum per blanditias allicere, et inducere ut sibi honorem hunc attribuens, confiteatur se esse Christum. Quam quidem malitiam videns Ioannes, dicit *non sum ego Christus*. Secunda interrogatio ponitur consequenter, cum dicitur *et interrogaverunt eum: quid ergo? Elias es tu?* Sciendum est autem, quod a populo Iudaeorum sicut expectabatur dominus venturus, ita expectabatur Elias Christum praecessurus; Mal. ult., 5: *mittam vobis Eliam* et cetera. Et ideo videntes, qui missi erant quod Ioannes non confitebatur se esse Christum, instant quod saltem confiteatur si est Elias. Et hoc est quod dicunt *quid ergo? Elias es tu?* Quidam autem haeretici dicunt, quod anima de corpore transmittitur in corpus. Et hoc dogma tunc temporis erat in auctoritate apud Iudaeos, unde credebant quod propter similitudinem operum Ioannis ad Eliam, anima Eliae esset in corpore Ioannis. Et dicunt quod quaerebant isti a Ioanne, an esset Elias; id est, an anima Eliae esset in Ioanne; et adducunt pro eis, quod dicit dominus, Matth. XI, 14, de Ioanne: *si vultis scire, ipse est Elias*. Sed tamen contrariatur eis responsio Ioannis dicentis *non sum Elias*. Ad quod ipsi respondent, quod Ioannes ex ignorantia respondit, nesciens, an anima sua esset anima Eliae. Sed contra hoc dicit Origenes, quod valde irrationabile videtur, quod



Ioannes tamquam propheta a spiritu illuminatus, et de Dei unigenito tanta narrans, ignoraret de seipso, an numquam eius anima fuerit in Elia. Non hac ergo intentione quaerebant *Elias es tu?* Sed quia habentes ex Scripturis, IV Reg. II, 11 quod Elias non fuit mortuus, sed vivus raptus est per turbinem in caelum, credebant eum subito inter eos apparuisse. Sed contra hoc est quod Ioannes ex notis parentibus natus erat, et nativitas eius omnibus nota erat. Unde dicitur Lc. I, 63, quod *mirati sunt universi, et ponebant in corde suo, dicentes: quis putas puer iste erit?* Ad quod potest dici, quod non est incredibile quod ita aestimarent de Ioanne, sicut dictum est. Quia et simile habetur Matth. XIV, 1 quod Herodes credebat de Christo quod esset Ioannes, quem ipse decollaverat, et tamen diu antequam Ioannes decollatus esset, Christus praedicaverat, et notus fuerat. Et ideo, ex simili amentia et crassitudine, Iudaei quaerebant a Ioanne an ipse esset Elias. Sed quid est hoc quod dicit Ioannes *non sum*, scilicet Elias cum Christus dixerit, Matth. XI, 14, *ipse est Elias?* Hanc autem quaestionem solvit Angelus, Lc. I, 17: *ipse praecedet ante eum in spiritu et virtute Eliae*, in suis scilicet operibus. Non fuit ergo Elias in persona, sed in spiritu, et virtute: quia scilicet similitudinem Eliae in suis operibus ostendebat. Potest autem attendi similitudo quantum ad tria. Primo quantum ad officium: quia sicut Elias secundum domini adventum praeveniet, ita iste praecessit primum et cetera. Unde et Angelus dixit: *ipse praecedet ante ipsum* et cetera. Secundo quantum ad vivendi modum: quia Elias in desertis morabatur, parco utebatur cibo et duris vestibus operiebatur, ut dicitur III Reg. XIX, 3 ss. et IV Reg. I, 8. Et Ioannes in desertis erat, cibus eius locustae et mel silvestre, et zona eius de pilis camelorum. Tertio quantum ad zelum: quia maximi zeli fuit; unde dicebat III Reg. XIX, 10: *zelo zelatus sum pro domino*. Sic et Ioannes zelo veritatis mortuus est, ut patet Matth. XIV, v. 6 ss. Consequenter cum dicit *propheta es tu?* Ponitur tertia quaestio. Ubi primo quaeritur. Cum dicatur Lc. I, v. 76: *tu puer propheta altissimi vocaberis* etc. quid est quod Ioannes interrogatus si esset propheta, respondit se non esse prophetam? Ad quod tripliciter respondetur. Uno modo quod Ioannes non est propheta simpliciter, sed plusquam propheta. Alii namque prophetae solum futura praedicebant a remotis; Hab. II, 3: *si moram fecerit, expecta illum*; Ioannes vero Christum praesentem annuntiavit, quasi digito ostendens; infra: *ecce agnus Dei*. Et ideo, Matth. XI, 9, dominus dicit eum esse plus quam prophetam. Item alio modo, secundum Origenem, quia Iudaei ex malo intellectu tres excellentes personas futuras credebant circa adventum Christi, scilicet ipsum Christum, Eliam et quemdam alium maximum prophetam, de quo Deut. XVIII, 15: *prophetam suscitant nobis dominus* et cetera. Et licet hic maximus propheta, secundum veritatem, non sit alius quam Christus, tamen secundum Iudaeos alius est a Christo; et ideo non quaerunt simpliciter utrum sit propheta, sed an sit ille propheta maximus. Quod quidem ex ordine quaestionis apparet. Nam primo, quaerunt an sit Christus; secundo, an sit Elias; tertio, an sit propheta ille. Et ideo in Graeco ponitur hic articulus, ut dicatur *ly propheta*, quasi anthonomastice dictum. Tertio modo quia Pharisei movebantur contra Ioannem, quod sibi baptizandi officium praeter ordinem legis et traditionem eorum assumpsisset. De tribus autem habetur in veteri testamento quibus competere poterat baptizare, scilicet de Christo; Ez. XXXVI, 25, ex persona Christi dicitur: *effundam super vos aquam mundam* et cetera. Item de Elia, de quo dicitur IV Reg. II, 8, quod divisit aquas Iordanis, et transiens raptus est. Item de Eliseo, qui Naaman Syrum lavari fecit septies in Iordane, ut lavaretur a lepra: ut dicitur IV Reg. c. V, 9. Videntes ergo Iudaei Ioannem baptizare, credebant eum aliquem istorum esse, scilicet Christum, vel Eliam, vel Eliseum; et ideo cum dicunt hic *propheta es tu?* Interrogant an sit Eliseus. Et dicitur singulariter propheta, propter multa miracula quae fecerat; unde et ipse dicit IV Reg. V, 8: *sciat prophetam esse in Israel*. Et secundum hoc respondet *non sum*, scilicet Eliseus. Consequenter cum dicit *dixerunt ergo ei, quis es?* Ostendit quomodo confessus est se esse quod erat, et primo ponitur interrogatio nuntiorum; secundo responsio, ibi *ego vox clamantis in deserto*. Dixerunt ergo: *quis es tu ut responsum demus his qui miserunt nos?* Quasi dicant: ad hoc missi sumus, ut sciamus quis es; ideo dicas nobis *quid dicis de te ipso?* Sed attende Ioannis devotionem: *iam implevit* quod apostolus dicit, Gal. II, 20, *vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus*. Et ideo non respondet: ego sum filius Zachariae, vel talis, et talis; sed solum illud in quo Christum sequebatur. Unde dicit: *ego vox clamantis in deserto*. Dicit autem se vocem esse, quia vox origine posterior est verbo, sed notitia prior. Nam verbum in corde conceptum, per vocem prolatam cognoscimus, cum sit signum eius. Deus autem pater praecursorem misit Ioannem in tempore factum, ut verbum suum ab aeterno conceptum annuntiaretur; et ideo congrue dicit *ego vox*. Quod autem addit *clamantis*, potest intelligi dupliciter, ut scilicet sit vel Ioannis in deserto clamantis et praedicantis, vel Christi clamantis in ipso, secundum illud II Cor. ult., 3: *an experimentum eius quaeritis qui in me loquitur Christus?* Clamat autem propter quatuor. Primo namque clamor manifestationem importat; et ideo ut ostendat quod Christus in Ioanne et in se manifeste loquebatur, clamat; infra VII, 37: *in*

*novissimo die magno festivitatis stabat Iesus, et clamabat dicens: si quis sitit, veniat ad me et bibat.* In prophetis autem non clamavit, quia prophetiae in aenigmate et figuris datae sunt; unde in Ps. XVII, 12 dicitur: *tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Secundo quia clamor fit ad distantes; Iudaei autem elongati erant a Deo, ideo necesse erat quod clamaret. Ps. LXXXVII, 19: *elongasti a me amicum et proximum.* Tertio clamat, quia surdi erant. Is. XLII, 19: *quis surdus, nisi servus meus?* Quarto clamat, quia cum indignatione loquitur, quia ipsi iram Dei meruerunt. Ps. II, 5: *loquetur ad eos in ira sua* et cetera. Sed attende quod clamat *in deserto*, quia, Lc. III, 2, *factum est verbum domini super Ioannem Zachariae filium in deserto.* Et potest esse huiusmodi ratio et litteralis et mystica. Litteralis quidem, ut in deserto manens, immunis esset ab omni peccato, ut sic dignior esset Christo testimonium ferre, et ex vita sua testimonium suum credibilius esset hominibus. Mystica autem causa duplex est. Nam per desertum gentilitas designatur, iuxta illud Is. c. LIV, 1: *multi filii desertae, magis quam eius quae habet virum.* Ut ergo ostenderet quod doctrina Dei de cetero non debet esse in Ierusalem tantum, sed in gentibus, clamavit in deserto. Matth. XXI, 43: *auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius.* Item, per desertum intelligitur Iudaea, quae iam deserta erat; Matth. c. XXIII, 38: *ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Clamavit ergo *in deserto*, idest est in Iudaea, ut per hoc daretur intelligi, quod populus cui praedicabat, iam desertus erat a Deo; Ps. LXII, 3: *in terra deserta et invia et inaquosa sic in sancto apparui tibi.* Sed quid clamat? *Dirigite viam domini:* quia ad hoc missus fuit; Lc. I, 76: *tu puer propheta altissimi vocaberis, praeibis enim ante faciem domini parare vias eius.* Via autem ad recipiendum Deum parata et recta, est via iustitiae, secundum illud Is. c. XXVI, 7: *semita iusti recta est* et cetera. Tunc enim semita iusti est recta quando homo totus subiicitur Deo, ut scilicet intellectus per fidem, voluntas per amorem, operatio per obedientiam Deo subdantur. Et hoc, *sicut dicit Isaias propheta;* idest, sicut praedixit. Quasi dicat: ego sum ille in quo ista complentur.

### Lectio 13

[87431] Super Io., cap. 1 l. 13 Supra Ioannes interrogatus perhibuit testimonium Christo de seipso quantum ad personam; hic vero quantum ad officium. Et circa hoc ponuntur quatuor. Primo interrogantes; secundo interrogatio, ibi *et interrogaverunt eum;* tertio responsio, in qua testimonium perhibuit, ibi *respondit eis Ioannes* et cetera. Quarto locus ubi haec facta sunt, ibi *haec in Bethania facta sunt.* Interrogantes autem sunt Pharisei. Unde dicit *et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis.* Et quidem, secundum Origenem, quod dicitur ex hoc loco, ad aliud testimonium pertinet: et isti qui missi sunt ex Pharisaeis, non sunt iidem cum sacerdotibus et Levitis, qui missi sunt a Iudaeorum universitate, sed alii specialiter missi a Pharisaeis. Et secundum hoc dicitur: *et qui missi sunt,* non a Iudaeis scilicet, sicut fuerunt sacerdotes et Levitae, sed alii *erant ex Pharisaeis.* Et ideo dicit quod, quia sacerdotes et Levitae disciplinati erant et reverentes, humiliter et cum reverentia Ioannem interrogant de eius dignitate, utrum scilicet Christus esset, an Elias, an propheta; isti vero, qui ex Pharisaeis erant, secundum nomen suum divisi et importuni, contumeliosas voces praetendunt Baptistae, unde *dixerunt ei: quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* Secundum alios vero, Gregorium scilicet, Chrysostomum et Augustinum, isti qui ex Pharisaeis, sunt illi iidem qui missi fuerant a Iudaeis sacerdotes et Levitae. Quaedam enim secta erat inter Iudaeos, qui propter exteriorem cultum divisi erant ab aliis: unde et Pharisaei, idest divisi vocabantur; in qua quidem erant aliqui de sacerdotibus et Levitis, et aliqui de populo. Ut ergo nuntii maioris auctoritatis essent, miserunt sacerdotes et Levitas, qui erant ex Pharisaeis, ut eis nec sacerdotalis ordinis dignitas, nec religionis deesset auctoritas. Ideo autem Evangelista addit hoc quod dicitur *et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis,* ut primo quidem rationem quaestionis Baptismi Ioannis, pro qua missi non fuerunt, assignet; quasi dicat: missi fuerunt, ut interrogarent a Ioanne quis esset. Sed quod quaerunt *quid ergo baptizas?* Fecerunt, quia erant ex Pharisaeis, quibus eorum religio ausum praebebat. Secundo, ut dicit Gregorius, ut ostendat qua intentione quaesierunt a Ioanne *tu quis es?* Pharisaei enim inter omnes alios insidiose, et calumniose se habebant ad Christum. Unde ipsi dixerunt ei, Matth. XII, 24: *in Beelzebub principe Daemoniorum Daemonia eiicit.* Ipsi etiam inierunt cum Herodianis consilium, *ut caperent Iesum in sermone.* Matth. XXII, 15. Et ideo per hoc quod dicit *qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis,* ostendit, quod calumniose se habebant, et ex invidia eum interrogaverunt. Interrogatio autem est de officio baptizandi, unde dicitur *et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: quid ergo baptizas?* et cetera. Unde notandum est, quod non quaerunt ut sciant, sed ut impedian. Quia enim videbant multitudinem populi ad Ioannem currere, propter novum ritum baptizandi, et extraneum a ritu

Pharisaeorum et legis, invidabant Ioanni, et conabantur pro posse impedire Baptismum eius; et ideo, se continere non valentes, suam manifestant invidiam, et dicunt *quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* Quasi dicant: non debes baptizare, ex quo negas te esse aliquem illorum trium in quibus praefiguratus est Baptismus, ut dictum est supra. Scilicet, *si tu non es Christus*, qui habiturus est fontem in ablutionem peccati; et si non es Elias, sive propheta, idest Eliseus, qui sicco vestigio Iordanem transiverunt, ut dicitur IV Reg. II, 8, quomodo audes baptizare? Similes istis sunt invidi, animarum profectum impediunt, *qui dicunt videntibus: nolite videre* etc.: Is. XXX, 10. Responsio autem est vera: unde dicit *respondit eis Ioannes, dicens: ego baptizo in aqua*. Quasi dicat: non debetis mirari, si ego, qui non sum Christus, nec Elias, nec propheta, baptizo: quia Baptismus meus non est completivus, sed imperfectus. Nam ad perfectionem Baptismi exigitur lotio corporis et animae; et corpus quidem secundum naturam lavatur aqua, anima vero non nisi spiritu. Unde *ego baptizo in aqua*, idest, corpore lavo corpus; veniet autem alius, qui perfecte baptizabit, scilicet in aqua et spiritu sancto; Deus et homo, qui et corpus aqua et spiritum spiritu lavabit, ita quod sanctificatio spiritus derivabitur ad corpus. Act. I, 5: *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies*. Testimonium autem perhibet de Christo, cum dicit *medius autem vestrum stetit* etc., et primo per comparisonem ad Iudaeos; secundo per comparisonem ad seipsum, ibi *ipse est qui post me venturus est*. Ad Iudaeos autem comparat eum, dicens *medius autem vestrum stetit*; quasi dicat: ego imperfectum opus feci; sed est alius qui perficiet opus meum, qui *medius vestrum stetit*. Quod quidem exponitur multipliciter. Uno siquidem modo, secundum Gregorium, Chrysostomum et Augustinum, ut referatur ad communem Christi conversationem inter homines, quia, secundum naturam humanam, aliis hominibus similis apparuit; Phil. II, 6: *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. Et secundum hoc dicit *medius vestrum stetit*, idest multoties conversatus est quasi unus ex vobis; Lc. XXII, v. 27: *ego in medio vestrum sum*. *Quem vos nescitis*, idest, hoc quod Deus factus est homo, capere non potestis. Item, *nescitis* quam magnus sit secundum naturam divinam, quae in eo latebat; Iob XXXVI, 26: *ecce dominus magnus vincens scientiam vestram*. Et ideo, ut Augustinus dicit, *accensa est lucerna*, scilicet Ioannes, *ut inveniatur Christus*. Ps. CXXXI, 17: *paravi lucernam Christo meo*. Alio modo exponitur, secundum Origenem, et hoc dupliciter. Primo ut referatur ad Christi divinitatem; et secundum hoc *medius vestrum*, idest in medio omnium rerum, *stetit*, scilicet Christus: quia ipse secundum quod verbum a principio creaturae implevit universam creaturam. Ier. XXIII, 24: *caelum et terram ego impleo*. *Quem tamen vos nescitis*, quia, ut dicitur supra, *in mundo erat (...) et mundus eum non cognovit*. Alio modo ut referatur ad causalitatem humanae sapientiae, et dicatur *medius vestrum stetit*; idest, in intellectu omnium relucet: quia quicquid lucis et sapientiae est in hominibus, provenit eis ex participatione verbi. Et dicit *in medio*, quia in medio hominis corporaliter est cor, cui attribuitur quaedam sapientia et intellectus: unde, licet intellectus non habeat organum corporale, tamen quia cor est principale organum, consuevit accipi pro intellectu; unde in medio stare dicitur secundum hanc similitudinem, in quantum *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. *Quem tamen vos nescitis*; quia, ut dicitur supra, *lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt*. Quarto modo exponitur ut referatur ad prophetiam Christi praenuntiationem, ut sic respondeatur principaliter Pharisaeis, qui continue Scripturas veteris testamenti, in quibus praenuntiabatur Christus, inquirebant, et tamen eum non cognoscebant. Et secundum hoc dicitur *medius vestrum stetit*; idest, in sacra Scriptura, quam vos semper revolvitis; infra V, 39: *scrutamini Scripturas*. *Quem tamen vos nescitis*, quia cor vestrum induratum est propter infidelitatem et oculi vestri excaecati sunt, ut non agnoscatis praesentem, quem creditis futurum. Comparat autem Christum ad se Ioannes, cum dicit *ipse est qui post me venturus est*. Ubi primo ponit excellentiam Christi ad seipsum; secundo vero excellentiae immensitatem ostendit, ibi *cuius non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti*. Excellentiam autem Christi ad seipsum ostendit et quantum ad ordinem praedicationis, et quantum ad ordinem dignitatis. Quantum quidem ad ordinem praedicationis, Ioannes primo innotuit. Et ideo dicit *ipse est qui post me venit*, ad praedicandum, baptizandum et moriendum; quia, ut dicitur Lc. I, 76, *praeibis ante faciem domini, parare vias eius*. Sed Ioannes quidem praecessit Christum, sicut imperfectum perfectum, et sicut dispositio formam; sicut dicitur I Cor. c. XV, 46: *non prius quod spirituale, sed quod animale*. Nam tota vita Ioannis fuit quoddam praeparatorium ad Christum; unde dixit supra *ego vox clamantis in deserto*. Sed Christus praecessit Ioannem et nos omnes, sicut perfectum imperfectum, et sicut exemplar exemplatum. Matth. XVI, 24: *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*; I Pet. c. II, 21: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*. Quantum vero ad

ordinem dignitatis, cum dicit *qui ante me factus est*, idest, mihi praelatus est, et dignitate praepositus; quia, ut dicit infra III, 30, *me oportet minui, illum autem crescere*. Immensitatem autem excellentiae assignat cum dicit *cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calceamenti*. Quasi dicat: non intelligatis ipsum mihi in dignitate praepositum sicut unus homo praefertur alteri, sed tam excellenter, quod nihil sum in comparatione ad ipsum. Et hoc patet, quia *non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti eius*: quod est minimum obsequium quod hominibus fieri potest. Ex quo patet quod Ioannes multum accesserat ad Dei cognitionem, in quantum ex consideratione infinitae magnitudinis Dei se totaliter vilipendebat, et nihil se esse dicebat. Sicut Abraham, cum Deum cognovisset, dicebat, Gen. XVIII, 27: *loquar ad dominum meum, cum sim pulvis et cinis*. Sic Iob c. XLII, 5, cum dominum vidisset, dixit: *nunc oculus meus videt te; idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere*. Sic Is. XL, 17, postquam vidit gloriam Dei dixit: *omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo*. Et haec quidem expositio est litteralis. Exponitur autem et mystice. Uno modo secundum Gregorium, ut per calceamentum, quod fit de pellibus mortuorum animalium, intelligatur humana natura mortalis, quam Christus assumpsit; Ps. LIX, 10: *in Idumaea extendam calceamentum meum* et cetera. Corrigia autem calceamenti eius, est ipsa unio divinitatis et humanitatis, quam nec Ioannes, nec aliquis, potest solvere nec potuit plene investigare, cum talis esset quod hominem faceret Deum, et Deum hominem. Et ideo dicit *cuius non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti*; idest, ut explicem mysterium incarnationis et cetera. Intelligendum est plene et perfecte: nam quoquo modo et Ioannes et alii praedicatores, licet imperfecte, solvunt corrigiam calceamenti. Alio modo exponitur, quia in veteri lege praeceptum erat, Deut. XXV, 5-10 quod quando aliquis moriebatur sine liberis, frater defuncti uxorem defuncti recipere tenebatur, et ex ea semen fratri suo suscitare; quod si nollet eam in uxorem recipere, tunc aliquis propinquus defuncti eam recipere volens, debebat eum discalceare in signum huius cessionis, et illam in uxorem recipere, et domus eius debebat vocari domus discalceati. Secundum hoc ergo dicit *cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere*; idest, non sum dignus habere sponsam, quae sibi debetur, Ecclesiam. Quasi dicat: non sum dignus ut vocer sponsus Ecclesiae, quae consecratur Christo in Baptismo spiritus; ego autem baptizo in aqua tantum. Infra III, 29: *qui habet sponsam, sponsus est* et cetera. Locus autem, ubi praedicta facta sunt, subditur consequenter, cum dicit *haec in Bethania facta sunt trans Iordanem*. Sed circa hoc primo consurgit quaestio. Cum Bethania sit in monte oliveti quod est iuxta Ierusalem, sicut dicitur Io. XI, 1 et Matth. XXVI, 6 quomodo dicit quod facta sunt trans Iordanem, qui multum distabat ab Ierusalem? Sed dicendum, secundum Origenem et Chrysostomum, quod non debet dici Bethania, sed Bethabora, quae est quaedam villa ultra Iordanem: et hoc quod dicit Bethania, corruptum est vitio scriptorum. Sed quia tam libri Graeci quam Latini habent Bethania, ideo dicendum est aliter, quod est duplex Bethania: una quae est prope Ierusalem in latere montis oliveti, alia trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans. Quod autem mentionem facit de loco, habet rationem litteralem et mysticam. Litteralem quidem secundum Chrysostomum, quia Ioannes scribebat Evangelium istud viventibus forte aliquibus qui et tempus quo ista facta sunt, et locum viderunt, et ideo quasi ad maiorem certitudinem illos testes facit illorum quae viderant. Mysticam vero, quia haec loca conveniunt Baptismo. Nam, si dicatur Bethania, quae domus obedientiae interpretatur, significat quod necesse est per obedientiam fidei ad Baptismum pervenire; Rom. I, 5: *ad obediendum fidei in omnibus gentibus*. Si vero dicatur Bethabora, quae interpretatur domus praeparationis, significat quod per Baptismum praeparatur homo ad vitam aeternam. Nec vacat mysterio quod trans Iordanem sit. Iordanis enim interpretatur descensus eorum; et, secundum Origenem, significat Christum, qui descendit de caelis, ut dicit ipse: *descendi de caelo, ut facerem voluntatem patris mei*. Unde dicitur Eccli. XXIV, 41: *ego quasi fluvius Dorix*. Per ipsum autem omnes ingredientes in hunc mundum, mundari convenit, secundum illud Apoc. I, 5: *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Convenienter etiam Iordanis Baptismum significat. Ipse enim confinium est inter illos qui acceperunt sortes hereditatis a Moyse ex una parte Iordanis, et illos qui acceperunt a Iosue ex alia; et ita Baptismus quasi quoddam confinium est inter Iudaeos et gentiles, qui proficiscuntur illuc, ut se lavent ad Christum venientes, ut opprobrium peccati deponant. Sicut enim filios Israel terram promissionis intrantes oportuit transire Iordanem, ita et per Baptismum oportet patriam caelestem intrare. Dicit autem *trans Iordanem*, ut insinuet quod etiam transgressoribus et peccatoribus Baptismus poenitentiae praedicabat Ioannes; unde et dominus, Matth. c. IX, 13: *non veni vocare iustos, sed peccatores*.

[87432] Super Io., cap. 1 l. 14 Supra Ioannes perhibuit testimonium Christo interrogatus; hic vero perhibet aliud testimonium Christo spontaneus. Et primo quidem fert ipsum testimonium; secundo testimonium latum confirmat, ibi *et testimonium perhibuit Ioannes*. Circa primum autem primo quidem describuntur circumstantiae testimonii; secundo ponitur ipsum testimonium, ibi *ecce agnus Dei*; tertio excluditur suspicio testis, ibi *et ego nesciebam eum*. Describuntur autem circumstantiae. Una quidem ex parte temporis. Unde dicit *altera die*: in quo quidem commendatur Ioannis constantia, quia non uno die, non semel tantum, sed pluribus diebus et multoties Christo testimonium perhibebat. Ps. CXLIV, 2: *per singulos dies benedicam tibi*. Commendatur etiam eius profectus: quia non debet nobis succedere una dies sicut alia; sed quae succedit debet esse altera, idest melior; iuxta illud Ps. LXXXIII, 8: *ibunt de virtute in virtutem*. Alia circumstantia ponitur ex parte modi testificandi, quia *vidit Ioannes Iesum*: in quo insinuatur certitudo. Nam testimonium de visu certissimum est. Alia vero circumstantia ponitur ex parte eius cui testimonium perhibetur. Unde dicit *Iesum ad se venientem*, scilicet de Galilaea, ut dicitur Matth. III, 13: *venit Iesus a Galilaea*. Nec tamen intelligendum est de adventu quo venit ad Baptismum, de quo ibi loquitur Matthaeus, sed de alio adventu quo iam baptizatus, et circa Iordanem aliquamdiu commoratus, venit ad Ioannem, alias non dixisset: *super quem videris spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto*. Et ego vidi et cetera. Iam ergo viderat eum, et spiritum super eum descendentem quasi columbam etc., ut infra dicit. Huius autem Christi ad Ioannem adventus post Baptismum una causa fuit ut testimonium Ioannis certificaretur. Dixerat enim Ioannes de Christo: *ipse est qui post me venturus est*: nam aliquis posset errare in cognitione venturi, cum adesset; venit ad Ioannem, ab eo digito ostendendus, dicente Ioanne *ecce agnus Dei* et cetera. Alia ratio ut excluderet errorem. Posset enim aliquis credere quod Christus prima vice, cum venit ad Baptismum, venerit ad Ioannem sicut a peccatis purgandus. Christus ergo, ut hoc excluderet, venit etiam ad eum post Baptismum. Unde signanter dicit Ioannes *ecce qui tollit*. Peccatum nullum fecit, sed venit peccatum tollere. Venit etiam ut praeberet humilitatis exemplum: quia, ut dicitur Eccli. III, 20, *quanto maior es, humilia te in omnibus*. Et advertendum, quod sicut Christo iam concepto, quando virgo mater ascendit in montana cum festinatione, Elisabeth matrem Ioannis visere, Ioannes in utero matris existens, nec loqui valens, reverentiam Christo et tripudium faciens, exultavit in utero; ita et nunc, Christo ex humilitate ad eum venienti testimonium et reverentiam praebet, et in vocem prorumpit, dicens *ecce agnus Dei* et cetera. Ubi testimonium Ioannis ponitur: in quo quidem ostendit virtutem Christi, et dignitatem eius, ibi *hic est de quo dixi*. Virtutem quidem ostendit dupliciter. Primo proponendo figuram; secundo exponendo eam, ibi *ecce qui tollit peccata mundi*. Circa primum sciendum est, quod, sicut dicit Origenes, in veteri lege consueverunt quinque animalia offerri in templo: tria de terrestribus, scilicet vitulus, capra et ovis, sed ovium quidem aries, ovis et agnus; de volatilibus vero duo, turtur scilicet, et columba: quae quidem omnia praefigurativa fuerunt veri sacrificii, quod est Christus, qui *semetipsum obtulit oblationem Deo*, ut dicitur Eph. V, 2. Quare ergo Baptista Christo testimonium perhibens, agnum specialiter nominavit? Huius ratio est, quia sicut dicitur Num. XXVIII, v. 3 s., licet alia fierent sacrificia in templo ceteris temporibus, unum tamen erat quotidianum, in quo iugiter unus agnus mane, et alius vespere offerebatur; nec hoc mutabatur unquam, sed tamquam principale observabatur, alia vero ex adiuncto. Et ideo per agnum, qui erat principale sacrificium, significatur Christus, qui est principale sacrificium. Nam licet omnes sancti, qui pro fide Christi passi sunt, prosint ad salutem fidelium, hoc tamen non habent nisi in quantum super oblationem agni, quasi oblatio adiuncta principali sacrificio, immolantur. Offeritur quidem mane et vespere, quia per Christum patet aditus ad intelligibilia divinorum contemplanda et fruenda, quod pertinet ad cognitionem matutinam; et instruimur quomodo utamur terrenis absque inquinamento, quod pertinet ad vespertinam. Et ideo dicit: *ecce agnus Dei*, etc., idest per agnum significatus. Dicit autem *Dei*, quia in Christo sunt duae naturae, humana scilicet et divina. Et quod hoc sacrificium esset virtuosum ad purgandum et sanctificandum a peccatis, habet ex virtute divinitatis, in quantum scilicet *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, II Cor. V, v. 19. Vel dicitur *agnus Dei*, quasi oblatus a Deo, scilicet ab ipso Christo, qui est Deus; sicut dicitur oblatio hominis, quam homo offert. Vel dicitur *agnus Dei*, scilicet patris: quia ipse providit homini oblationem ad offerendum pro peccatis sufficientem, quam homo per se habere non potest. Unde Gen. c. XXII, 7, cum Isaac quaereret ab Abraham: *ubi est victima holocausti?* Respondit: *Deus providebit tibi victimam holocausti*. Rom. VIII, v. 32: *proprio filio suo non pepercit Deus; sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Dicitur autem Christus agnus primo propter puritatem; Ex. XII, 5: *erit agnus anniculus* etc.; I Petr. I, 18: *non corruptibilibus auro vel argento redempti estis*. Secundo propter mansuetudinem; Is. LIII, 7: *quasi agnus coram tondente se obmutuit*. Tertio propter fructum, Prov. XXVII, 26: *agni sunt tibi ad vestimentum tuum*. Et

hoc quantum ad indumentum, iuxta illud Rom. XIII, v. 14: *induimini dominum Iesum Christum*. Et quantum ad cibum, infra VI, 52: *caro mea est pro mundi vita*. Et ideo dicebat Isaias, c. XVI, 1: *emitte agnum, domine, dominatorem terrae*. Consequenter propositam figuram exponit cum dicit *qui tollit peccata mundi*, idest aufert; quod in lege nec per agnum, nec per alia sacrificia auferrī poterat, quia, ut dicitur Hebr. X, 6: *impossibile est per sanguinem taurorum et hircorum auferri peccata*. Sanguis iste *tollit*, idest aufert, *peccata mundi*. Oseae ult., 3: *omnem aufert iniquitatem*. Vel *tollit*, idest in se accipit, *peccata totius mundi*; quia, ut dicitur I Petr. II, v. 24, *qui peccata nostra pertulit in corpore suo*. Is. LIII, 4: *dolores nostros ipse tulit, et languores nostros ipse portavit*. Dicit autem, secundum Glossam, *peccatum*, et non *peccata*, ut ostendat in universali, quod abstulit totum genus peccati; I Io. II, 2: *ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Vel quia pro uno peccato, scilicet originali, mortuus; Rom. V, 12: *per unum hominem peccatum intravit in mundum* et cetera. Supra perhibuit Baptista testimonium Christo quantum ad eius virtutem; hic vero perhibet testimonium quantum ad eius dignitatem, comparans eum sibi tripliciter. Et primo quantum ad officium et ordinem praedicationis; unde dicit *hic*, scilicet agnus, digito eum demonstrans, *est ille de quo dixi*, scilicet in eius absentia, *post me venit vir*, ad praedicandum et baptizandum, qui post me venit nascendo. Dicitur autem vir Christus ratione perfectae aetatis: quia quando incepit docere post Baptismum, iam erat in aetate perfecta; Lc. III, 23: *Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*. Item, ratione perfectionis omnium virtutum quae in eo fuerunt; Is. IV, 1: *apprehendent septem mulieres*, idest virtutes, *virum unum*, scilicet Christum perfectum. Zach. VI, 12: *ecce vir, oriens nomen eius*: quia ipse est origo omnium virtutum in aliis. Item, ratione desponsationis; quia ipse sponsus est Ecclesiae; Oseae II, 16: *vocabis me virum* etc.; II Cor. XI, 2: *despondi vos uni viro*. Secundo quantum ad ordinem dignitatis, cum dicit *qui ante me factus est*. Quasi dicat: licet post me venerit ad praedicandum, tamen *ante me* idest praelatus mihi factus est dignitate. Cant. II, 8: *ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*. Collis unus fuit Ioannes Baptista, quem Christus transilivit: quia, ut dicitur infra III, 30: *me oportet minui, illum autem crescere*. Tertio quantum ad ordinem durationis, cum dicit *quia prior me erat*. Quasi dicat: non mirum si praefertur mihi dignitate, quia, etsi posterior sit tempore, est tamen prior aeternitate *quia prior me erat*. Ex hoc autem duplex error destruitur. Error Arii: quia non dicit prior me factus est ut sit creatura, sed *prior me erat*, ab aeterno ante omnem creaturam; Prov. VIII, 25: *ante omnes colles generavit me dominus*. Item error Pauli Samosatēni: quia dixit *prior me erat*, ut ostendat, quod non ex Maria sumpserat exordium. Nam, si essendi principium sumpsisset ex virgine, non extitisset utique prior praecursore, qui Christum in sex mensibus secundum generationem praecedebat humanam. Consequenter cum dicit *et ego nesciebam eum*, excludit falsam suspicionem a suo testimonio. Posset enim aliquis dicere, Ioannem testimonium perhibuisse Christo propter affectionem specialis familiaritatis quam ad ipsum habebat; et ideo hoc excludens Ioannes, dicit *ego nesciebam eum*: nam Ioannes in deserto a pueritia sua conversatus est. Licet autem miracula multa facta sint in nativitate Christi, puta de magis et de stella, et huiusmodi, tamen non erant nota Ioanni: tum quia infans erat secundum aetatem, tum quia ad desertum secedens, Christi familiaritatem non habuit. Medio vero tempore a nativitate usque ad Baptismum, nullum miraculum Christus operatus est; sed conformis conversatione aliis erat, et sua virtus ignota omnibus existebat. Quod autem medio tempore non fuerit miracula operatus usque ad triginta annos, patet per hoc quod dicitur infra II, 11: *hoc fecit initium signorum Iesus* et cetera. Ex quo apparet falsitas libri de infantia salvatoris. Ideo autem non fecit miracula medio tempore, ut non putaretur mysterium circumcisionis et incarnationis phantasma esse, si non se habuisset aetate sicut alii infantes. Et ideo demonstrationem scientiae et virtutis suae in aliud distulit tempus, in quo alii homines scientia et virtute vigere consueverunt. Iuxta quod dicitur Lc. II, 52: *puer autem proficiebat gratia et sapientia*; non quod ipse virtutem et sapientiam ante non habitam susciperet, cum in eis fuerit ab instanti suae conceptionis perfectus, sed quia virtus eius et sapientia magis innotescebat hominibus. Is. c. XLV, 15: *vere tu es Deus absconditus*. Ideo ergo Ioannes nesciebat eum, quia nulla signa adhuc de eo viderat, neque aliis per signa innotuerat. Unde subdit *sed ut manifestetur in Israel, propterea ego veni in aqua baptizans*. Quasi dicat: totum ministerium meum est ad manifestationem. Supra, *non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Dicit autem *veni in aquam baptizans*, ad differentiam Baptismi Christi. Quia Christus non in aqua solum baptizavit, sed in spiritu, conferens gratiam; unde et Baptismus Ioannis fuit significativum tantum, non effectivum. Manifestavit autem Baptismus Ioannis Christum tripliciter. Primo scilicet per Ioannis praedicationem. Licet enim Ioannes etiam sine Baptismo potuisset praedicando parare viam domino, et inducere turbas ad Christum, tamen propter novitatem officii plures ad eum concurrebant quam si sine Baptismo praedicatio facta esset. Secundo profuit Baptismus Ioannis propter Christi humilitatem, quam demonstravit,

baptizari volens a Ioanne; Matth. III, 13: *venit Christus ad Ioannem ut baptizaretur ab eo*. In quo quidem exemplum humilitatis praebuit, ut scilicet nullus, quantumcumque magnus, dedignetur a quocumque ad hoc ordinato, sacramenta suscipere. Tertio, quia Christo baptizato a Ioanne, affuit virtus patris in voce, et spiritus sanctus in columba, per quam virtus Christi et dignitas magis manifestata fuit. Lc. III, 22: *et vox patris intonuit: hic est filius meus dilectus*. Consequenter cum dicit *et testimonium perhibuit Ioannes* ipse magna quae testatus est de Christo quod totius orbis terrarum solus peccata tolleret, confirmat auctoritate Dei. Et circa hoc tria facit. Primo proponit visionem; secundo praebet de intellectu visionis instructionem, ibi *et ego nesciebam eum*; tertio suam ex ipsa visione conceptionem ostendit, ibi *et ego vidi, et testimonium perhibui*. Visionem quidem proponit cum dicit *vidi spiritum descendantem quasi columbam de caelo*. Quod quidem quando factum fuerit, Ioannes Evangelista non refert; sed Matthaeus et Lucas dicunt hoc factum fuisse quando Christus baptizatus est a Ioanne. Et quidem congruebat quod spiritus sanctus adesset baptizato et Baptismo. Baptizato namque congruebat, quia sicut filius existens a patre, manifestat patrem infra XVII, 6: *pater, manifestavi nomen tuum* etc., ita et spiritus sanctus a filio existens, filium manifestat. Infra XVI, 14: *ille me clarificabit, quia de meo accipiet* et cetera. Baptismo autem congruit, quia Baptisma Christi est inchoativum et consecrativum nostri Baptismatis. Nostrum autem Baptisma consecratur per invocationem sanctae Trinitatis; Matth. ult., 19: *baptizantes eos in nomine patris, et filii, et spiritus sancti* et cetera. Quod ergo nos invocamus in Baptismo nostro, affuit Baptismo Christi, scilicet pater in voce, spiritus sanctus in columba, filius in humana natura. Dicit autem *descendentem*, quia cum descensus duos terminos habeat, scilicet principium sursum et terminum deorsum, quantum ad utrumque convenit Baptismo. Est enim duplex spiritus, unus mundi et alius Dei. Et spiritus quidem mundi est amor mundi, qui non est desursum, sed ab inferiori ascendit in hominem, et eum descendere facit; spiritus autem Dei, scilicet Dei amor, desursum descendit ad hominem, et eum ascendere facit. I Cor. II, 12: *nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum Dei*. Quia ergo ille spiritus de supernis est, ideo dicit *descendentem*. Similiter etiam, quia impossibile est creaturam recipere Dei bonitatem in tanta plenitudine, secundum quod convenit Deo, ideo bonitatis ipsius ad nos derivatio, est quasi quidam descensus; Iac. I, 17: *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum*. Sed quia spiritus sanctus in sua natura videri non potest, ut dicitur infra III, 8: *spiritus ubi vult spirat, et nescis unde veniat, aut quo vadat*, spiritus etiam non est descendere, sed ascendere. Ez. VIII, 3: *elevavit me spiritus* et cetera. Ideo consequenter Evangelista modum visionis et descensus exponit, dicens, hic non fuisse in spiritu, idest natura sed in specie columbae, in qua apparuit: unde dicit *quasi columbam*. Et hoc quidem congrue, ut scilicet filius Dei per carnem visibilis factus, manifestaretur per spiritum sanctum visibili specie columbae. Quae quidem columba non est assumpta a spiritu sancto in unitatem personae, sicut humana natura assumpta est a filio Dei. Cuius ratio est, quia filius apparuit non solum ut manifestator, sed ut salvator. Et ideo, secundum quod dicit Leo Papa, oportuit quod esset Deus et homo: Deus quidem, ut afferret remedium; homo vero, ut praeberet exemplum. Spiritus vero sanctus apparuit solum ad manifestandum, ad quod sufficiebat speciem corporalem assumere solum ad significationem quamdam. Utrum autem columba illa fuerit verum animal, et utrum praexistens apparitioni: sciendum, quod rationabiliter dicitur illa fuisse vera columba. Venit enim spiritus sanctus ad manifestandum Christum, qui cum sit veritas, non nisi per veritatem manifestandus erat. Quantum vero ad secundum, dicendum, quod non praexistit apparitioni; sed tunc virtute divina absque commixtione maris et feminae formata fuit, sicut et corpus Christi virtute spiritus sancti conceptum, non ex virili semine. Et tamen fuit vera columba, quia, ut Augustinus dicit in libro de agone Christiano, omnipotenti Deo, qui universam creaturam ex nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbae sine aliarum columbarum ministerio figurare, sicut non fuit difficile verum corpus in utero b. virginis sine naturali semine fabricare. Cyprianus in libro de unitate Ecclesiae: idcirco et in columba dicitur spiritus sanctus apparuisse, quia columba simplex animal et innocens est, non felle amarum, non morsibus ferum, non unguium laceratione violentum: hospitia humana diligere, unius domus consortium nosse, cum generat simul filios edere, cum conveniat volantibus invicem cohaerere, communi conversatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimatis implere. Quare autem potius in columba, quam in alia specie apparuit, multipliciter ratio assignatur. Primo quidem propter columbae simplicitatem. Nam columba simplex est; Matth. X, 16: *estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae*. Spiritus autem sanctus, quia facit respicere unum, scilicet Deum, simplices facit; et ideo in specie columbae apparet. Et quidem, secundum Augustinum, apparuit etiam super discipulos congregatos per ignem, quia quidam sunt simplices, sed tepidi; quidam autem ferventes, sed malitiosi. Ut ergo spiritu sanctificati dolo

careant, spiritus in columbae specie demonstratur; et ne simplicitas frigiditate tepescat, demonstratur in igne. Secundo, propter caritatis unitatem. Nam columba amore multum fervet; Cant. VI, 8: *una est columba mea*. Ut ergo ostendat Ecclesiae unitatem, in specie columbae spiritus sanctus apparet. Nec te moveat quod discipulis dispartitae linguae apparuerunt, quando sedit supra singulos eorum spiritus sanctus, qui et dispartitus apparet, secundum diversa donorum officia, et tamen unit per caritatem; et sic propter primum apparuit in dispartitis linguis, ut dicitur I Cor. XII, 4: *divisiones gratiarum sunt*, in columbae specie propter secundum. Tertio, propter gemitum. Columba enim habet gemitum pro cantu; sic spiritus sanctus *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ut dicitur Rom. VIII, 26, et Nahum II, 7: *ancillae eius mirabantur*. Quarto, propter fecunditatem. Columba enim animal fecundissimum est, idcirco ad designandum fecunditatem gratiae spiritualis in Ecclesia, in specie columbae spiritus sanctus apparuit. Hic est quod Levit. V, 7 dominus pullos columbarum offerre praecepit. Quinto, propter columbae cautelam. Sedet enim super rivos aquarum, in quibus respiciens, falconem volitantem conspicit, et sibi ab eo cavet; Cant. V, 12: *oculi tui sicut columbae* et cetera. Unde, quia in Baptismo est nostra tutela et defensio, congrue in specie columbae spiritus sanctus apparuit. Respondet igitur figurae veteris testamenti. Sicut etenim columba deferens ramum virentis olivae, ostendit signum clementiae Dei his qui residui fuerant ex aquis diluvii; ita et in Baptismo veniens spiritus sanctus in columbae specie, ostendit signum divinae clementiae, quae baptizatis et peccata remittit, et gratiam confert. Dicit autem *manentem super eum*, quia in mansione quies designatur. Et quod spiritus sanctus in aliquo non quiescat, duplici de causa contingit. Una est ex peccato. Omnes enim alii homines, praeter Christum, vel sauciantur vulnere peccati mortalis, per quod effugatur spiritus sanctus, vel obfuscantur macula veniali, per quam aliqua operatio spiritus sancti impeditur. In Christo autem neque mortale, nec veniale, nec originale peccatum fuit: unde nec in eo fuit spiritus sanctus inquietatus; sed *super eum mansit*, idest quievit. Alia causa: quia quantum ad gratias gratis datas, non semper adest aliis sanctis potestas operandi. Sicut non semper adest sanctis potestas operandi miracula, nec prophetis spiritus prophetiae. Christus vero semper habuit potestatem ad omnem operationem virtutum et gratiarum: et ideo ad hoc designandum, *super eum mansit*. Unde hoc proprium signum fuit agnoscendi Christum, ut dicitur in Glossa Is. XI, 2: *requiescet super eum spiritus domini*. Quod intelligendum est de Christo, in quantum est homo, secundum quod est minor patre et spiritu sancto. Consequenter cum dicit *et ego nesciebam eum*, instruit de intellectu visionis praedictae. Quidam enim haeretici, scilicet Ebionitae, dicebant, Christum a principio nativitate suae, neque Christum fuisse, nec filium Dei, sed ex tunc filius Dei et Christus esse incepit quando in Baptismo oleo spiritus sancti unctus fuit. Sed hoc falsum, quia in ipsa hora nativitate Angelus dixit pastoribus, Lc. II, 11: *natus est vobis hodie salvator, qui est Christus dominus in civitate David*. Ne ergo aliquis crederet spiritum sanctum in Baptismo supra Christum descendisse, quasi de novo Christus indigeret spiritu ad sui sanctificationem, ideo causam sui descensus Baptista ostendit, dicens quod non descendit propter sui necessitatem, sed propter nos, ut scilicet gratia eius nobis manifestaretur. Et ideo dicit *ego nesciebam eum. Sed ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans*. Sed hic oritur quaestio. Dicit enim *qui misit me baptizare* etc., si dicatur quod pater misit eum, verum est; similiter si dicatur quod filius, manifestius, cum dicatur quod et pater et filius misit eum, quia Ioannes non est de illis de quibus dicit Ierem. c. XXIII, 21: *non mittebam eos, et ipsi currebant*. Quomodo ergo dicit *ego nesciebam eum*, si filius misit eum? Si dicatur, quod licet cognosceret eum secundum divinitatem, non tamen cognoscebat eum secundum humanitatem, nisi postquam vidit spiritum descendentem super eum, contra: spiritus enim sanctus descendit super Christum quando baptizatus est. Ioannes autem cognovit Christum antequam baptizaretur, alias non dixisset *ego debeo a te baptizari, et tu venis ad me?* Est ergo dicendum, quod tripliciter potest ad hanc quaestionem responderi. Uno modo, secundum Chrysostomum, ut referatur ad cognitionem familiaritatis, ut sit sensus *ego nesciebam eum*, scilicet familiariter. Et si obiiciatur, quod dicit Ioannes *ego a te debeo baptizari* etc., dicitur quod ista duo sunt ad diversa tempora referenda, ut hoc quod dicit *ego nesciebam eum*, referatur ad tempus diu ante Baptismum, in quo nondum Christo familiaris erat; hoc vero quod dicit *ego a te debeo baptizari*, referatur ad tempus illud in quo baptizatus est Christus, quando iam propter frequentem visitationem eius, Christus familiaris erat. Alio modo, secundum Hieronymum, dicendum quod erat Christus filius Dei et salvator mundi, et hoc quidem sciebat Ioannes; sed nesciebat eum per Baptismum mundi salvatorem: et ideo hoc quod nescivit addidit, scilicet quod *hic est qui baptizat in spiritu sancto*. Sed melius dicendum est, secundum Augustinum, quod aliquid scivit et aliquid nescivit, et hoc quod nescivit addidit, scilicet quod potestatem baptizandi, quam potuit fidelibus suis communicare, sibi soli retinuit. Et hoc est quod dicit *qui misit me baptizare in aqua (...) hic est*, singulariter



scilicet, et solus, *qui baptizat in spiritu sancto*, et nullus alius: quia hanc potestatem sibi soli retinuit. Notandum autem, quod triplex potestas Christi attenditur in Baptismo. Una est efficientiae, qua mundat interius animam a macula peccati; quam quidem potestatem habet Christus in quantum est Deus, non autem in quantum homo; et haec potestas nulli alii potest communicari. Alia potestas est ministerii, quam quidem communicavit fidelibus; Matth. ult., 19: *baptizantes eos in nomine patris, et filii, et spiritus sancti*. Et ideo sacerdotes, ut ministri, potestatem habent baptizandi; Christus autem, in quantum homo, minister dicitur, ut apostolus dicit sed tamen caput est omnium ministrorum Ecclesiae. Et quantum ad hoc habet singulariter potestatem excellentiae in sacramentis: quae quidem excellentia apparet in quatuor. Primo in sacramentorum institutione: quia nullus homo purus, nec etiam tota Ecclesia, posset sacramenta instituere, vel sacramenta mutare, aut a sacramentis absolvere. Nam sacramenta invisibilem gratiam conferunt ex eorum institutione; conferre autem gratiam solius Dei est: et ideo solus qui est verus Deus potest sacramenta instituere. Secundum est quantum ad meriti Christi efficaciam: nam ex merito passionis Christi sacramenta virtutem habent; Rom. VI, 3: *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Tertium est quia Christus potest conferre effectum Baptismi sine sacramento: quod solius Christi est. Quarto quia aliquo tempore Baptismus conferebatur ad invocationem nominis Christi; sed modo non ita fit. Quae quidem quatuor nulli hominum communicavit; licet aliquid eorum communicare potuisset, puta quod in nomine Petri, vel alicuius alterius, conferretur Baptismus, et forte aliquid aliorum. Sed hoc ideo non fuit factum ne fieret schisma in Ecclesia, si baptizati spem suam ponerent in illis in quorum nominationem baptizarentur. Et ideo didicit Ioannes per hoc quod spiritus sanctus descendit super eum, quod Christus solus est qui sua virtute interius baptizat. Et forte posset dici, quod cum dixit *ego a te debeo baptizari* etc. cognovit eum per internam revelationem; sed cum vidit spiritum sanctum descendentem super eum, cognovit eum per exterioris signi manifestationem. Et ideo utrumque modum cognitionis tangit. Primum, cum dicit *qui me misit baptizare, ille mihi dixit*, idest interius revelavit. Secundum, quando addidit *super quem videris spiritum descendentem (...) hic est qui baptizat*. Consequenter ostendit quid Baptista ex hac visione intellexit, scilicet quod Christus esset filius Dei; et hoc est quod dicit *et ego vidi*, scilicet spiritum descendentem super eum, et *testimonium perhibui, quia hic*, scilicet Christus, *est filius Dei*, scilicet verus et naturalis. Filii enim adoptivi patris fuerunt ad similitudinem filii Dei naturalis; Rom. VIII, 29: *quos praescivit conformes fieri imaginis filii sui*. Ille ergo debet filios Dei facere qui baptizat in spiritu sancto, per quem filii adoptantur; Rom. VIII, 15: *non enim accepistis spiritum servitutis (...) sed spiritum adoptionis* et cetera. Quia ergo iste, scilicet Christus, est qui baptizat in spiritu sancto, ideo recte concludit Baptista, quod est filius Dei verus et purus. I Io. ult., 20: *ut simus in vero filio eius* et cetera. Sed si alii viderunt spiritum sanctum descendentem super eum, quare non crediderunt? Respondeo, quia non erant dispositi ad hoc, vel forte quia soli Baptistae visio illa demonstrata est.

## Lectio 15

[87433] Super Io., cap. 1 l. 15 Supra Evangelista posuit testimonia Baptistae ad turbas; hic consequenter ponit eius testimonia ad discipulos Ioannis. Et primo ponitur testimonium; secundo ostenditur testimonii fructus, ibi *et audierunt eum duo discipuli loquentem* et cetera. Circa primum tria facit. Primo describitur testis; secundo assignatur modus testificandi; tertio ponitur eius testimonium. Sed testis describitur, cum dicit *altera die iterum stabat Ioannes, et ex discipulis eius duo*. In hoc autem quod dicit *stabat*, tria notantur circa Ioannem. Scilicet doctrinae ipsius modus, qui differens fuit a modo doctrinae Christi, et discipulorum eius. Christus enim circumeundo docebat; unde dicitur, Matth. IV, 23, quod *circuibat Iesus totam Galilaeam* et cetera. Similiter et apostoli discurrendo per mundum, docebant; Mc. ult., 15: *euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae*. Sed Ioannes stando docebat; unde dicitur *stabat Ioannes*, scilicet in uno loco trans Iordanem, et instruebat de Christo omnes ad eum venientes. Ratio autem quare Christus et eius discipuli discurrendo docebant, est quia praedicatio Christi facta erat credibilis per miracula, et ideo circuibant diversa loca, ut miracula et virtutes Christi innotescerent. Praedicatio vero Ioannis non est confirmata miraculis, unde dicitur infra X, 41: *Ioannes signum fecit nullum*: sed merito et sanctitate vitae. Et ideo stabat in loco uno, ut diversi ad eum confluerent, et per eius sanctitatem ducerentur ad Christum. Similiter etiam si Ioannes sine miraculis discurrisset ad praenuntiandum Christum, eius testimonium incredibilius redderetur, cum videretur importune, et quasi ingerendo se hoc facere. Secundo notatur Ioannis constantia in veritate, quia Ioannes non fuit arundo vento

agitata, sed firmus in fide, secundum illud I Cor. X, 12: *qui se existimat stare videat ne cadat*. Hab. II, 1: *super custodiam meam stabo*. Tertio allegorice notatur, quod stare allegorice idem est quod deficere; IV Reg. IV, 6: *stetitque oleum*, idest defecit. Stabat ergo Ioannes veniente Christo, quia cum venit veritas, defecit figura. Ioannes stat, quia lex transit. Modus autem testificandi ponitur certus, quia cum aspectu. Unde dicit *et respiciens Iesum ambulantem*. Ubi sciendum est, quod prophetae perhibuerunt testimonium Christo, Act. X, 43: *huic omnes prophetae testimonium perhibent*. Similiter et apostoli per mundum discurrentes, Act. I, 8: *eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea et cetera*. Sed tamen non per visum, neque de praesente, sed de absente. Prophetae quidem ut de futuro, apostoli vero ut de praeterito. Sed Ioannes, Christo sibi praesente et a se viso, testimonium perhibuit: et ideo dicit *et respiciens*, oculis corporis, et mentis, iuxta illud Ps. LXXXIII, 10: *respice in faciem Christi tui*; Is. LII, 8: *oculo ad oculum videbunt*. Sed dicit *ambulantem*, ut designet incarnationis mysterium, per quod Dei verbum mutabilem naturam assumpsit; infra XVI, 28: *exivi a patre, et veni in mundum*. Consequenter ponitur testimonium, cum dicit *ecce agnus Dei*, quod non solum est demonstrativum, sed admirativum virtutis ipsius; Is. IX, 6: *vocabitur nomen eius admirabilis*. Et vere admirabilis virtutis est iste agnus, qui occisus, leonem interfecit: illum, inquam, leonem de quo dicitur I Petr. ult., 8: *adversarius vester Diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret*. Et ideo ipse agnus leo vocari meruit victor et gloriosus; Apoc. V, 5: *ecce vicit leo de tribu Iuda*. Breviter autem testimonium profert, dicens *ecce agnus Dei*, tum quia discipuli quibus hoc testimonium perhibebat, ex his quae audierant a Ioanne, iam satis instructi erant de Christo; tum etiam quia per hoc satis intelligitur tota intentio Ioannis, quae ad hoc solum erat ut eos ad Christum duceret. Nec dicit: ite ad eum, ne videantur discipuli gratiam praestare Christo, si eum sequerentur; sed commendat Christi gratiam, ut quasi in beneficium sibi computent, si Christum sequuntur. Et ideo dicit *ecce agnus Dei*; idest, ecce in quo est gratia, et virtus purgativa peccatorum: agnus enim offerebatur pro peccatis, ut dictum est. Consequenter ponitur fructus testimonii, cum dicit *et audierunt eum duo discipuli loquentem*, et primo ponitur fructus proveniens ex testimonio Ioannis et discipulorum eius; secundo vero ponitur fructus proveniens ex praedicatione Christi, ibi *in crastinum autem voluit exire in Galilaeam*. Circa primum primo ponitur fructus proveniens ex testimonio Ioannis; secundo fructus proveniens ex praedicatione unius discipulorum eius, ibi *erat autem Andreas frater Simonis Petri et cetera*. Circa primum duo facit. Primo ponitur inchoatio huius fructus ex testimonio Ioannis facta. Secundo ponitur consummatio facta per Christum, ibi *conversus autem Iesus et cetera*. Dicit ergo primo *et audierunt eum*, scilicet Ioannem, *duo discipuli*, qui erant cum eo, *loquentem (ecce agnus Dei) et secuti sunt Iesum*, ad litteram: euntes cum eo. Ubi quatuor, secundum Chrysostomum, considerari possunt. Primo quia hoc quod Ioannes loquitur et Christus tacet, et verbo Ioannis discipuli congregantur ad Christum, competit mysterio: Christus enim est sponsus Ecclesiae, Ioannes vero amicus et paranympus sponsi. Officium autem paranympsi est sponsam tradere sponso, et loquendo, pacta tradere; sponsi autem est quasi prae verecundia tacere, et de sponsa iam habita pro velle disponere. Sic ergo discipuli traduntur a Ioanne Christo quasi desponsati per fidem. Ioannes loquitur, Christus tacet; sed tamen susceptos diligenter instruxit. Secundo vero quod cum Ioannes dignitatem Christi commendans dixit *ante me factus est*, et quoniam *non sum dignus solvere corrigiam calceamenti eius*, nullus conversus est; sed quando humilia de Christo, et incarnationis mysterio locutus est, tunc secuti sunt eum discipuli: quia humilia, et quae pro nobis passus est Christus, magis movent nos; et ideo dicitur Cant. I, 2: *oleum effusum nomen tuum*, idest misericordia, qua salutem omnium procurasti; et ideo statim sequitur *adolescentulae dilexerunt te nimis*. Tertio, quia verbum praedicationis est sicut semen cadens in diversas terras: in una quidem fructificat, in alia non. Ita et Ioannes cum praedicat, non omnes discipulos convertit ad Christum, sed duos tantum, scilicet qui bene dispositi erant; alii vero e contrario invidia moventur ad Christum: unde et quaestionem ei movent, ut dicitur Matth. IX, 14. Quartum est quod discipuli Ioannis audito eius testimonio de Christo, non statim ingesserunt se ad loquendum cum eo ex abrupto, sed quasi studiosi cum quadam verecundia singulariter loqui cum eo, et in secreto loco studuerunt. Eccle. VIII, 6: *omni negotio tempus est, et opportunitas*. Consequenter ponitur consummatio fructus, cum dicit *conversus autem Iesus*. Quod enim Ioannes inchoavit, consummatur per Christum, quia *neminem ad perfectum adduxit lex*, ut habetur Hebr. VII, 19. Et circa hoc Christus duo facit: primo enim examinavit discipulos sequentes; secundo eos instruxit, ibi *dicit eis: venite, et videte*. Circa primum primo ponitur Christi examinantis interrogatio; secundo discipulorum examinerum responsio, ibi *qui dixerunt ei: Rabbi, ubi habitas?* Dicit ergo *conversus autem Iesus, et videns eos sequentes se, dixit eis*. Et quidem per litteralem sensum intelligendum est quod Christus eos praeibat, et hi duo discipuli eum sequentes, faciem eius

minime videbant: et ideo Christus ut daret eis fiduciam, convertit se ad eos. In quo datur nobis intelligi, quod omnibus, qui Christum sequi incipiunt puro corde, dat fiduciam vel spem misericordiae; Sap. VI, 14: *praeoccupat eos qui se concupiscunt*. Convertit autem se Iesus ad nos, ut videatur a nobis: hoc erit in illa beata visione, quando ostendet nobis faciem suam, ut dicitur in Ps. LXXIX, 4: *ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus*. Quamdiu enim in mundo isto sumus, videmus posteriora eius, quia per effectus in eius cognitionem venimus; unde dicitur Ex. XXXIII, 23: *posteriora mea videbis*. Item convertit se ut opem suae misericordiae nobis impendat. Hoc petebat Ps. LXXXIX, 13: *convertere, domine, aliquantulum* et cetera. Quamdiu enim Christus opem suae miserationis non impendit, videtur a nobis aversus. Conversus est ergo Iesus ad discipulos Ioannis eum sequentes, ut faciem suam eis ostenderet, et gratiam eis infunderet. Examinat autem eos specialiter de intentione. Sequentium namque Christum non eadem intentio est: quidam enim eum sequuntur propter bona temporalia; alii vero propter bona spiritualia. Et ideo quid isti intendant, dominus quaerit, dicens *quid quaeritis?* Non quidem ut discat, sed ut rectam intentionem aperientes, magis familiares faciat, et ostendat eos auditione dignos. Notandum autem, quod hoc est primum verbum quod Christus in isto Evangelio loquitur. Et congrue, quia primum quod quaerit Deus ab homine, est recta intentio. Et secundum Origenem, post sex verba quae Ioannes dixerat, Christus septimum locutus est. Primum namque Ioannes Baptista locutus est, quando testimonium perhibens de Christo, clamabat dicens *hic est de quo dixi*. Aliud quando dixit *non sum dignus solvere corrigiam calceamenti eius*. Tertium quando dixit *ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis*. Quartum *ecce agnus Dei*. Quintum *vidi spiritum descendentem quasi columbam* et cetera. Sextum, cum hic dicit *ecce agnus Dei*. Et Christus septimum loquitur, ut intelligas mystice, quod quies, quae designatur per septimum diem, nobis est futura per Christum, et quod in ipso est plenitudo septiformis gratiae spiritus sancti. Consequenter respondent discipuli *qui dixerunt ei* et cetera. Et quidem interrogati de uno, duo respondent. Primo quidem quare Christum sequuntur, scilicet ut addiscant, unde et magistrum eum vocant *Rabbi* (quod dicitur interpretatum *magister*) quasi dicerent: quaerimus, ut nos doceas. Iam enim praecognoscebant quod dicitur Matth. XXIII, 10, *unus est magister vester Christus*. Secundo vero quod sequendo quaerunt, scilicet *ubi habitas?* Et quidem litteraliter dici potest quod in veritate domum Christi quaerebant. Propter enim mira et magna, quae a Ioanne de eo audierant, nolebant eum perfunctorie interrogare, nec semel tantum, sed frequenter et seriose; et ideo domum eius scire volebant, ut frequenter ad eum accederent, iuxta consilium sapientis, Eccli. VI, 36: *si videris sensatum, evigila ad illum*, et Prov. c. VIII, 34: *beatus qui audit me, et vigilat ad fores meas quotidie*. Allegorice autem in caelis est habitaculum Dei, secundum illud Ps. CXXII, 1: *ad te levavi oculos meos qui habitas in caelis*. Quaerunt ergo ubi Christus habitet, quia ad hoc debemus Christum sequi ut per eum ducamur ad caelos, idest ad gloriam caelestem. Moraliter autem interrogant *ubi habitas?* Quasi vellent scire, quales debent esse homines qui digni sunt quod Christus habitet in eis; de quo habitaculo dicitur Eph. II, 22: *aedificamini in habitaculum Dei*, et Cant. I, v. 6: *indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Consequenter cum dicit *venite, et videte*, ponitur instructio discipulorum a Christo, et primo describitur ipsa instructio discipulorum a Christo; secundo commendatur discipulorum obedientia *venerunt, et viderunt*; tertio determinatur tempus *quia hora erat quasi decima*. Dicit ergo primo *venite, et videte*, scilicet ubi habitem. Sed hic est quaestio. Cum dominus dicat, Matth. VIII, 20, *filius hominis non habet ubi caput suum reclinet*, quare dicit *venite, et videte* ubi habito? Respondeo dicendum, secundum Chrysostomum, quod per hoc quod dicit dominus: *filius hominis non habet ubi caput suum reclinet*, demonstravit quod non habuit proprium habitaculum, non quod in domo alicuius alterius non maneret. Et ad hanc videndum istos invitabat, dicens *venite, et videte*. Mystice autem dicit *venite, et videte* quia habitatio Dei, sive gloriae, sive gratiae, agnoscere non potest nisi per experientiam: nam verbis explicari non potest; Apoc. II, 17: *in calculo nomen novum* et cetera. Et ideo dicit *venite, et videte*. *Venite*, credendo et operando, *et videte*, experiendo et intelligendo. Notandum autem, quod quatuor modis pervenitur ad hanc cognitionem. Primo per bonorum operum actionem: unde dicit *venite*. Ps. XLI, 3: *quando veniam, et apparebo ante faciem domini*. Secundo per mentis quietem, seu vacationem; Ps. XLV, 11: *vacate, et videte*. Tertio per divinae dulcedinis gustationem; Ps. XXXIII, 9: *gustate, et videte, quoniam suavis est dominus*. Quarto per operationem devotionis; Thren. III, v. 41: *levemus corda nostra cum manibus orando* et cetera. Et ideo dicit dominus Lc. XXIV, v. 39: *palpate, et videte* et cetera. Consequenter ponitur discipulorum obedientia, quia statim sequitur *venerunt, et viderunt*, quia veniendo viderunt, et videntes non deseruerunt, unde dicitur *et manserunt ibi die illo* quia, ut dicitur infra c. VI, 45, *omnis qui audit a patre, et didicit, venit ad me*. Qui enim recedunt a Christo, non viderunt eum adhuc, sicut videre oportet. Isti autem qui

perfecte credendo, eum viderunt, *manserunt ibi die illo*; audientes et videntes beatum diem, beatam noctem duxerunt; III Reg. X, 8: *beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper*. Et ideo, ut dicit Augustinus, *aedificemus et nosmetipsi in corde nostro, et faciamus domum quo veniat ille, et doceat nos*. Et dicit *die illo*, quia nox esse non potest ubi est lumen Christi, ubi est sol iustitiae. Tempus autem determinatur consequenter, cum dicit *hora autem erat quasi decima*. Quod quidem Evangelista determinat, ut, secundum litteram, insinuet commendationem Christi, et discipulorum. Hora enim decima est in occasu diei: ex quo et Christus commendatur, qui tam studiosus erat ad docendum, quod nec propter temporis tarditatem eos docere distulit, sed in hora decima docuit eos; Eccle. XI, 6: *mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua*. Similiter etiam commendatur et discipulorum temperantia. Quia etiam hora decima qua consueverunt homines comedisse et esse minus sobrii ad perceptionem sapientiae, ipsi et sobrii et apti erant ad sapientiam audiendam, nec propter cibum, aut vinum impediabantur. Nec mirum, quia discipuli eius fuerant, scilicet Ioannis, cuius potus erat aqua, esca autem locusta et mel silvestre. Secundum autem Augustinum, per horam decimam lex signatur, quae in decem praeceptis data est. Erat ergo hora decima quando isti venerunt, et manserunt cum Christo, et ab eo erudiuntur, ut impleretur lex per Christum quae a Iudaeis impleri non poterat. Et ideo etiam in ipsa hora vocatus est Rabbi, idest magister. Consequenter cum dicit *erat autem Andreas frater Simonis Petri* etc. ponitur fructus quem fecit discipulus Ioannis conversus ad Christum. Et super hoc primo describitur discipulus; secundo fructus ab ipso inchoatus, ibi *invenit hic primum fratrem suum Simonem*; tertio ponitur consummatio fructus facta per Christum, ibi *intuitus autem eum Iesus dixit*. Describitur autem discipulus primo a nomine, cum dicit *erat autem Andreas*, idest virilis. Ps. XXX, 25: *viriliter agite, et confortetur cor vestrum*. Exprimit autem nomen, ut ostendatur eius privilegium: tum quia prior conversus est ad fidem Christi perfecte, tum etiam quia Christum praedicavit: unde sicut Stephanus fuit primus martyr post Christum, ita et Andreas fuit primus Christianus. Secundo describitur a cognatione, quia *frater Simonis Petri*: quia iunior erat. Et hoc quidem est ad commendationem suam, ut qui aetate posterior, fide efficiatur primus. Tertio a disciplina, quia *unus ex duobus qui audierant a Ioanne*. Et huius quidem nomen describitur ad ostendendum Andreae privilegium quod insignis fuerit. Alterius enim nomen tacetur: aut quia ille alius fuit Ioannes Evangelista, cuius consuetudo est in suo Evangelio cum de eo agitur, nomen suum non exprimere propter humilitatem; aut, secundum Chrysostomum, non fuit aliquis insignis, nec fecit aliquid magnum: unde non fuisset utilitas nomen eius ponere. Sic enim et Lucas, cap. X, nomina septuaginta duorum discipulorum, quos dominus binos misit ante faciem suam, non posuit, quia non erant solemnes personae et insignes, sicut apostoli fuerunt. Aut, secundum Alcuinum, ille discipulus fuit Philippus: et hoc patet, quia statim postquam Evangelista prosecutus est de Andrea, prosequitur de Philippo, dicens: *in crastinum autem voluit exire in Galilaeam, et invenit Philipppum* et cetera. Quarto commendatur a devotionis studio: unde dicitur *et secuti fuerant eum*, idest Iesum. Iob XXIII, 11: *vestigia eius secutus est pes meus*. Fructus autem inchoatus per Andream ponitur, cum dicit *invenit hic primum Simonem fratrem suum*. Et primo insinuat apud quem fructum fecit, scilicet apud fratrem suum, ut commendet suae conversionis perfectionem: sicut enim Petrus dicit in itinerario Clementis, evidens signum perfectae conversionis alicuius est, cum conversus, quanto aliquis sibi est magis coniunctus, tanto magis satagit eum convertere ad Christum. Et ideo Andreas perfecte conversus non detinuit apud seipsum inventum thesaurum, sed festinat et currit cito ad fratrem, traditurus ei bona quae suscepit. Et ideo dicit *invenit hic*, scilicet Andreas, *primum*, idest primo adverbialiter, *fratrem suum Simonem*, quem quaerebat, ut sicut erat sanguine, ita faceret eum germanum fide. Prov. XVIII, 19: *frater qui adiuvatur a fratre quasi civitas firma*; Apoc. ult., 17: *qui audit, dicat, veni*. Secundo ponit verba quae dicit Andreas *invenimus Messiam (quod interpretatur Christus)*; ubi, secundum Chrysostomum, tacite respondet cuidam quaestioni. Scilicet, si quis eum interrogaret de quo instructi fuissent a Christo, in promptu est responsio, scilicet quod per testimonia Scripturae instruxit eum intantum quod cognosceret eum esse Christum. Et ideo dicit *invenimus*. Per quod etiam innuit quod diu cum desiderio eum quaesierat; Prov. III, 13: *beatus homo qui invenit sapientiam*. *Messia* Hebraice, quod Graece interpretatum est Christus, idest unctus Latine: quia specialiter unctus est oleo invisibili, idest spiritus sancti. Ideo signanter nomine isto manifestat eum: unde in Ps. XLIV, 8 dicitur: *unxit te Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus*, idest prae omnibus sanctis: nam omnes sancti isto oleo ungentur; sed iste singulariter unctus est, et singulariter sanctus. Ideo secundum Chrysostomum, non dicit Messiam simpliciter, sed cum adiectione articuli. Tertio ponit fructum quem fecit, quia *adduxit eum ad Iesum*, scilicet Petrum. In quo Petri obedientia commendatur: confestim enim occurrit, in hoc non tardans. Et Andreae devotionem considera: quia duxit eum ad Iesum, non ad se

(sciebat enim se infirmum), et ideo eum ad Christum adducit, ut ipse eum instruat; instruens simul per hoc, quod hic debet esse praedicatorum conatus et studium, ut fructus praedicationis et studium non sibi vindicent, seu ad utilitatem et honorem proprium convertant, sed ut adducant ad Iesum, idest ad eius gloriam et honorem referant. II Cor. IV, 5: *non enim praedicamus nosmetipsos, sed Iesum Christum*. Consummatio autem huius fructus ponitur cum dicit *intuitus autem eum Iesus dixit*, et cetera. Ubi Christus, ad fidem divinitatis eum elevare volens, incipit quae divinitatis sunt opera facere, occulta praedicans. Et primo quidem quantum ad occulta praesentiae; unde *intuitus eum*, idest, statim cum vidit eum virtute divinitatis, consideravit, et dixit ei nomen suum: unde dicit *tu es Simon*. Nec mirum, quia, ut dicitur I Reg. XVI, v. 7, *homines vident ea quae apparent, Deus autem intuetur cor*. Congruit autem hoc nomen mysterio. Nam Simon interpretatur obediens; ut insinuet quod obedientia necessaria est ei qui conversus est ad Christum per fidem. Act. V, 32: *dat spiritum sanctum obedientibus sibi*. Secundo vero quantum ad occulta praeterita. Unde dicit *filius Ioanna*, quia hoc nomine vocatus est pater suus, vel, secundum Matthaem, filius Iona, cum dicit *Simon Bariona*. Et utrumque congruit mysterio. Ioanna enim interpretatur gratia, ut insinuet quod homines per gratiam veniunt ad fidem Christi; Eph. II, 5: *gratia salvati estis* et cetera. Iona vero interpretatur columba, ut insinuet quod per spiritum sanctum, qui datus est nobis, firmamur in amore Dei, ut dicitur Rom. V, 5: *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*. Tertio vero quantum ad occulta futura; unde dicit *tu vocaberis Cephass, quod interpretatur Petrus*, et in Graeco caput. Et congruit mysterio, ut ille qui debet esse aliorum caput et Christi vicarius, firmitati inhaereret. Matth. XVI, 18: *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Sed hic est quaestio litteralis. Et primo quare Christus imposuit ei in principio suae conversionis nomen, et non voluit quod a principio nativitatis suae hoc nomine vocaretur? Ad hoc respondetur dupliciter. Secundum Chrysostomum, primo quidem quia nomina divinitus imposita aliquam eminentiam gratiae spiritualis designant. Quando autem Deus confert specialem gratiam alicui, ab ipsa nativitate nomen gratiam illam significans imponitur; sicut patet de Ioanne Baptista, qui ante a Deo est nominatus quam natus, quia fuit sanctificatus in utero matris. Aliquando autem aliter confertur eminentia gratiae specialis tempore procedenti; et talia nomina divinitus imponuntur non a principio nativitatis, sed in ipso processu temporis; sicut patet de Abraham et Sara, quibus nomina mutata sunt quando promissionem multiplicandi germinis acceperunt. Eodem modo et Petrus nominatur divinitus quando ad fidem Christi, et gratiam apostolatus vocatur, et specialiter quia constitutus est princeps apostolorum totius Ecclesiae; quod in aliis apostolis non est factum. Secundum Augustinum autem, quia si a principio fuisset nominatus Cephass, non apparuisset mysterium. Et ideo voluit dominus quod tunc nomen haberet, ut mutatione nominis, Ecclesiae mysterium appareret, quae in confessione fidei eius fundata erat. Petrus enim a petra dicitur; petra autem erat Christus. In Petri ergo nomine figurata est Ecclesia, quae supra firmam petram immobilem, idest Christum, aedificata est. Secunda quaestio est utrum hic fuerit impositum hoc nomen Simoni, an in Matthaem cum dicitur *tu es Petrus*. Et ad hoc respondet Augustinus dicens, quod istud nomen hoc loco fuit Simoni impositum; sed quod dicit ei dominus in Matth. *tu es Petrus* etc. non est nominis impositio, sed impositi nominis commemoratio, ut quasi utatur illo nomine tamquam iam imposito. Alii autem dicunt, quod hoc nomen fuit impositum Simoni quando dominus dixit ei *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Hic vero non imponit ei hoc nomen, sed praesignat quod sit ei postmodum imponendum. Tertia quaestio est de vocatione Petri et Andreae: quia hic dicitur, quod fuerunt vocati iuxta Iordanem, quia fuerunt discipuli Ioannis; et Matth. IV, 18 dicitur, quod Christus vocavit eos iuxta mare Galilaeae. Et ad hoc dicendum, quod triplex fuit vocatio apostolorum. Prima fuit ad cognitionem, seu familiaritatem, et fidem; et de hac dicitur hic. Secunda fuit in officii praesignatione, de qua habetur Lc. V, 10: *ex hoc eris homines capiens*. Tertia fuit ad apostolatam, de qua dicitur Matth. IV, 18 s., quae fuit perfecta, quia postea non redierunt ad propria.

## Lectio 16

[87434] Super Io., cap. 1 l. 16 Posito fructu qui provenit ex praedicatione Ioannis, et eius discipuli, consequenter Evangelista manifestat fructum qui provenit ex praedicatione Christi, et primo agit de conversione unius discipuli ad praedicationem Christi; secundo de conversione aliorum ad praedicationem discipuli ad Christum conversi, ibi *invenit Philippus Nathanaelem* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ponitur discipuli vocandi occasio; secundo subditur ipsius discipuli vocatio; tertio describitur vocati discipuli conditio, ibi *erat autem Philippus a Bethsaida*. Occasio quidem vocationis fuit exitus Iesu a Iudaea. Et ideo dicitur *in crastinum*

autem *voluit exire*, scilicet Iesus a Iudaea, *in Galilaeam, et invenit Philippum*. Ratio autem exitus Iesu in Galilaeam assignatur triplex: duae videlicet litterales, quarum una est quia postquam baptizatus fuerat a Ioanne, volens honorem deferre Baptistae, exivit in Galilaeam, a Iudaea recedens, ne sua praesentia offuscaret, et minueret Ioannis magisterium, dum adhuc statum haberet: docens nos honore invicem praevenire, ut dicitur Rom. XII, 10. Secunda ratio est quia in Galilaea non sunt insignes personae, infra VII, 52: *a Galilaea propheta non surgit* etc. et ideo voluit exire illuc Iesus, et eligere inde principes orbis terrae, qui sunt prophetis maiores, ut per hoc suam virtutem ostendat. Ps. CVI, 35: *posuit desertum in stagna aquarum*. Tertia ratio est mystica: quia Galilaea interpretatur transmigratio. Voluit ergo exire a Iudaea in Galilaeam ut insinuaret quod in crastinum, idest in die gratiae, scilicet Evangelii, exiret a Iudaea in Galilaeam, idest ad gentes salvandas; infra VII, 35: *numquid hic iturus est in dispersionem gentium?* Vocatio ergo discipuli est ad sequendum; et ideo dicit *invenit Philippum, et dicit ei: sequere me*. Et nota, quod aliquando homo invenit Deum, sed quasi ignotum; Prov. VIII, 35: *qui invenerit me, inveniet vitam, et hauriet salutem a domino*. Aliquando Deus invenit hominem, sed ut eum manifestet, et magnificet; Ps. LXXXVIII, 21: *inveni David servum meum*. Et sic Christus invenit Philippum, ut eum ad fidem et gratiam vocet: et ideo statim dicit *sequere me*. Quaestio est quare Iesus a principio non vocavit discipulos. Ad quod respondet Chrysostomus, quod noluit a principio aliquem vocare, antequam aliquis spontaneus ei adhaereret per praedicationem Ioannis: quia homines magis exemplo trahuntur quam verbis Ex. XXVI, *cortina trahit cortinam*. Quaeritur etiam quare Philippus statim ad unum verbum secutus est Christum, cum Andreas eum secutus fuerit audiens a Ioanne de Christo, Petrus autem ab Andrea. Ad hoc est triplex responsio. Una, quia Philippus iam instructus erat a Ioanne; quia, secundum unam expositionem supra positam, ille alius, qui cum Andrea secutus est Christum, erat Philippus. Alia ratio est quia vox Christi virtutem quamdam habebat ut non solum exterius, sed etiam interius cor moveret; Ier. XXIII, 29: *verba mea sunt quasi ignis*. Non enim vox Christi solum exterioribus dicebatur, sed fidelium interiora ad eius inflammabat amorem. Tertio, quia forte Philippus iam de Christo fuerat instructus ab Andrea et Petro, quia ex eadem villa erant; quod Evangelista videtur innuere per hoc quod subdit *erat autem Philippus a Bethsaida civitate Andreae et Petri*. In quo discipuli vocati conditio exprimitur: quia erat a Bethsaida. Et sic congruit mysterio. Bethsaida enim domus venatorum interpretatur: ut ostendat quales tunc animo erant Philippus, Petrus et Andreas, et quod de domo venatorum, congrue venatores ad capiendas animas ad vitam vocaret. Ier. XVI, 16: *mittam meos venatores* et cetera. Consequenter ponitur fructus discipuli ad Christum conversi, et primo ponitur inchoatio fructus facta a discipulo; secundo consummatio facta per Christum, ibi *vidit Iesus Nathanaelem*. Circa primum tria facit. Primo ponitur Annuntiatio Philippi; secundo responsio Nathanaelis, ibi *et dixit Nathanael*; tertio consequens admonitio Philippi, ibi *dicit ei Philippus*. Circa primum attende, quod sicut Andreas perfecte conversus studuit adducere fratrem suum ad Christum, ita et Philippus fratrem suum Nathanaelem. Et ideo dicit *invenit Philippus Nathanaelem*, quem forte quaerebat, sicut Andreas Petrum quaesierat: quod fuit signum perfectae conversionis. *Et dixit ei*. Nathanael interpretatur donum Dei; et quod aliquis ad Christum convertatur, ex dono Dei est. Annuntiat autem ei omnes prophetias et legem complementum habere, et desideria sanctorum patrum non esse frustrata, sed esse verificata, et quod eorum desideriiis erat promissum a Deo, iam adimpletum esse. *Quem scripsit Moyses in lege et prophetis, invenimus Iesum*; per quod datur intelligi quod Nathanael erat satis peritus in lege, et quod etiam Philippus iam instructus de Christo, voluit Nathanaelem ex sibi notis, scilicet ex lege et prophetis, inducere ad Christum, et ideo dicit *quem scripsit Moyses* et cetera. Moyses enim de Christo scripsit; infra V, 46: *si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit*. Similiter prophetae de Christo scripserunt; Act. c. X, 43: *huic omnes prophetae testimonium perhibent*. Etiam attende, quod tria dicit de Christo Philippus, legi et prophetis consona. Primo quidem nomen; unde dixit *invenimus Iesum*. Et hoc consonat prophetis: Is. XIX, v. 20: *mittam eis salvatorem* etc.; Hab. ult., v. 18: *exultabo in Deo Iesu meo*. Secundo vero genus, unde duxit originem humanam cum dicit *filium Ioseph*, scilicet qui erat de domo David et familia. Et quamvis ex eo Christus originem non duxerit, tamen ex virgine duxit, quae erat de eadem progenie cum Ioseph. Vocat autem *filium Ioseph*, quia eius filius aestimabatur esse, cui scilicet desponsata erat mater eius. Unde dicitur Lc. c. III, 23: *ut putabatur filius Ioseph*. Nec mirum, si Philippus vocabat eum filium Ioseph, cum et mater eius divinae incarnationis conscia, ipsum eius filium diceret; Lc. II, 48, *pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te*. Et si quidem aliquis filius alicuius vocatur, quia nutritur ab ipso, Ioseph multo amplius pater Iesu dici poterat, licet secundum carnem pater non esset: quia et eum nutriverat, et sponsus matris virginis erat. Dicitur autem hic a Philippo non tamquam de commixtione Ioseph et virginis natus esset, sed quia sciebat

Christum de generatione David nasciturum, de cuius domo et familia erat Ioseph, cui desponsata erat Maria. Et hoc etiam consonat prophetis: Ierem. XXIII, 5: *suscitabo David germen iustum* et cetera. Tertio commemorat patriam, dicens *a Nazareth*: non quia in ea natus esset, immo in Bethlehem, sed quia in ea erat nutritus. Quia enim nativitas eius multis erat incognita, locus autem ubi nutritus erat, cognitus erat multis, ideo Philippus Bethlehem tacuit, et posuit Nazareth. Et hoc quidem consonat dictis prophetarum; nam, Is. XI, 1: *egredietur virga de radice Iesse, et flos, sive Nazaraeus, secundum aliam litteram, de radice eius ascendet*. Consequenter cum dicit *et dixit ei Nathanael* etc. ponitur responsio Nathanaelis: quod quidem potest legi et assertive et interrogative; et utroque modo eiusmodi responsio congruit verbis Philippi. Si enim, secundum quod Augustinus vult, legatur assertive, est sensus: *a Nazareth potest aliquid boni esse*. Idest, a civitate, tanti nominis, potest esse quod aliquid summae gratiae nobis oriatur, seu aliquis doctor eximius, qui florem virtutum et munditiam sanctitatis nobis praedicet. Nazareth enim flos interpretatur. Ex quo datur intelligi quod Nathanael doctissimus in lege, scrutatus Scripturas, praenoscebat quod de Nazareth expectandus esset salvator, quod non facile alii Scribae et Pharisei noverant; et ideo, cum Philippus diceret *invenimus Iesum a Nazareth*, erectus in spem, respondit: vere a Nazareth potest esse et cetera. Si vero legatur, secundum Chrysostomum, interrogative, tunc est sensus: *a Nazareth potest aliquid boni esse?* Quasi dicat: omnia alia quae dicis credibilia videntur esse, quia et nomen et genus prophetis consonat, sed hoc quod dicis *a Nazareth*, non videtur possibile. Nathanael enim habuerat per Scripturas, quod a Bethlehem oportet Christum venire, secundum illud Matth. II, 6: *et tu, Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel*. Et ideo, non inveniens convenire enunciationem Philippi cum prophetica praedicatione, prudenter et mansuete de veritate dicti interrogat *a Nazareth potest aliquid boni esse?* Consequenter ponitur admonitio Philippi: *dixit ei Philippus: veni et vide*; quae quidem admonitio utrique responsioni Nathanaelis convenit. Assertive quidem, ut dicatur: tu dicis quod a Nazareth potest aliquid boni esse, sed ego dico, quod illud bonum quod tibi annuntio, tantum et tam magnificum est quod ego exprimere non valeo; et ideo *veni, et vide*. Interrogative autem legitur sic. Tu admirando dicis: *a Nazareth potest aliquid boni esse?* Reputans hoc esse impossibile secundum Scripturas; sed si experiri volueris quae ego expertus sum, intelliges vera esse quae dico; et ideo *veni, et vide*. Trahit quidem Philippus Nathanaelem ad Christum, eius interrogationibus non fractus, qui scit de reliquo eum non contradicturum, si verba et doctrinam Christi gustaverit: et in hoc Philippus Christum secutus est, qui superius interrogantibus eum de habitaculo, respondit: *venite, et videte*. Ps. XXXIII, 6: *accedite ad eum, et illuminamini*. Consequenter cum dicit *vidit Iesus Nathanaelem*, ponitur consummatio fructus per Christum. Sciendum autem, quod aliqui dupliciter convertuntur ad Christum: quidam per miracula visa, et experta in se, sive in aliis; quidam vero per spirationes internas, et per prophetiam et praenoscentiam occultorum futurorum. Sed efficacior est modus per prophetias et praenoscentiam futurorum converti, quam per miracula. Ipsi enim Daemones, et aliqui homines eorum auxilio, aliqua mira praetendere possunt: sed futura praedicere solius divinae virtutis opus est; Is. XLI, 23: *ventura quoque annuntiate, et dicemus quod dii estis*; I Cor. c. XIV, 22: *prophetiae datae sunt fidelibus*. Et inde est quod dominus non per miracula, sed per praenuntiationem occultorum Nathanaelem ad fidem trahit; et ideo dicit de eo *ecce vere Israelita, in quo dolus non est*. Ubi tria occulta ei insinuat, scilicet occulta praesentia, quae sunt in corde, praeterita facta, et futura caelestia: quae quidem tria scire, divinum est, non humanum opus. Occulta quidem praesentia insinuat ei, cum dicit *ecce vere Israelita, in quo dolus non est*: ubi quidem primo ponitur Christi praenuntiatio; secundo vero Nathanaelis inquisitio, ibi *unde me nosti?* Dicit ergo circa primum *vidit Iesus Nathanaelem venientem ad se*, quasi dicat: antequam ad ipsum perveniret, dixit de eo: *ecce vere Israelita* et cetera. Dixit autem hoc de eo antequam ad ipsum perveniret, quia si dixisset hoc postquam ad Iesum pervenisset, potuisset credere Nathanael quod hoc Iesus audivisset a Philippo. Dixit autem *ecce vere Israelita, in quo dolus non est*: Israel autem duas interpretationes habet. Uno enim modo interpretatur rectissimus; Is. XLIV, 2: *noli timere, serve meus rectissime, quem elegi*, ubi dicit Glossa, quod Israel interpretatur rectissimus. Alio modo Israel interpretatur vir videns Deum. Et secundum utrumque, Nathanael est vere Israelita: quia enim ille dicitur rectus in quo non est dolus, ideo dicitur *vere Israelita, in quo dolus non est*; quasi dicat: vere repraesentas genus tuum, quia tu es rectus et sine dolo. Quia vero per munditiam et simplicitatem homo Deum videt, ideo dixit *vere Israelita*; idest, tu es vir vere videns Deum, quia tu es simplex et sine dolo. Dixit autem *in quo dolus non est*, ne credatur quod malitiose dixerit: *a Nazareth potest aliquid boni esse?* Quasi interrogans. Augustinus autem aliter exponit. Manifestum est enim quod omnes sub peccato nascuntur. Illi ergo dicuntur dolosi qui peccatum habentes in corde, exterius fingunt se

iustos; qui vero peccator est, et se peccatorem confitetur, non est dolosus. Dixit ergo *ecce vere Israelita, in quo dolus non est*, non quod peccatum non haberet, non quod illi medicus necessarius non esset, quia nemo sic natus est ut nullo medico indigeat; sed in eo confessionem peccati laudavit. Consequenter cum dicit *unde me nosti?* Ponitur Nathanaelis inquisitio. Admirans enim Nathanael virtutem Dei in occultorum manifestatione, quia hoc solius Dei est: Ier. XVII, 9, *pravum est cor hominis, et inscrutabile, et quis cognoscet illud? Ego dominus scrutans cor et probans renes*; et I Reg. XVI, 7, *homines vident ea quae parent, Deus autem intuetur cor*, ideo quaerit *unde me nosti?* In quo commendatur Nathanaelis humilitas: quia licet laudaretur, non est elatus; sed laudem propriam suspectam habuit: contra quod dicitur Is. III, 12: *popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt*. Praeterita vero absentia insinuat, cum dicit *priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te*, ubi primo ponitur denuntiatio Christi; secundo confessio Nathanaelis, ibi *respondit et Nathanael, et ait: Rabbi, tu es filius Dei*. Circa primum sciendum est, quod Nathanael posset habere duplicem suspicionem de Christo: unam quod dixisset Christus praemissa, volens ei blandiri et ad amicitiam suam trahere; aliam quod ea quae dixit supra, ab alio cognovisset. Ut ergo suspicionem auferat, et ad altiora erigat, illa occulta manifestat quae nullus nisi divinitus scire potuisset, ea videlicet quae statim circa ipsum Nathanaelem contigerant: et hoc est quod dicit *priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te*. Ad litteram enim, sub arbore ficu fuerat Nathanael, cum a Philippo vocaretur: quod Christus virtute divinitatis coniecerat, quia, ut dicitur Eccli. XXIII, v. 28, *oculi domini multo lucidiores super solem*. Mystice autem per ficum designatur peccatum: tum quia invenimus arborem ficu maledictam folia sola habentem, et non fructum, Matth. XXI, 19 quod factum est in figuram peccati; tum quia Adam et Eva cum peccassent, de foliis ficu perizomata fecerunt. Dicit ergo *cum esses sub ficu*, idest, sub umbra peccati antequam ad gratiam vocatus esses, *ego vidi te*, scilicet oculo misericordiae: nam ipsa Dei praedestinatio oculo pietatis respicit praedestinos sub peccatis viventes; Eph. I, 4: *elegit nos ante mundi constitutionem* et cetera. Et de isto oculo loquitur hic. *Vidi te*, praedestinando scilicet ab aeterno. Vel, secundum Gregorium, *cum esses sub ficu*, idest sub umbra legis, *vidi te*. Hebr. X, v. 1: *umbram habens lex futurorum bonorum* et cetera. Statim autem Nathanael ad hoc conversus, et virtutem divinitatis in Christo cognoscens, in vocem confessionis et laudem prorumpit, dicens *Rabbi, tu es filius Dei*. Ubi tria considerat de Christo, scilicet plenitudinem scientiae, cum dicit *Rabbi*, quod interpretatur magister; ac si dicat, perfectus es in scientia. Iam praesentiebat quod dicitur Matth. XXIII, 10: *magister vester unus est, Christus*. Secundo excellentiam singularis gratiae, cum dicit *tu es filius Dei*. Nam quod homo sit filius Dei per adoptionem, non est nisi gratiae; et etiam esse filium Dei per unionem, quod est proprium homini Christo, per gratiam est: quia non ex aliquibus praecedentibus meritis, sed per gratiam unionis homo ille est filius Dei. Tertio vero immensitatem potentiae, cum dicit *tu es rex Israel*, idest expectatus ab Israel in regem et defensorem; Dan. VII, 14: *potestas eius, potestas aeterna* et cetera. Sed circa hoc insurgit quaestio, secundum Chrysostomum. Cum Petrus, qui post multa miracula, post magnam doctrinam confessus fuit quod hic confitetur Nathanael de Christo, *tu es filius Dei*, meruit beatificari, dicente domino: *beatus es, Simon Bariona* etc., cur et Nathanael, qui simile dixerat ante visa miracula et perceptam doctrinam, beatificatus non fuit? Et ad hoc respondet Chrysostomus, quod huius causa est, quia licet eadem verba Nathanael et Petrus protulerint, non tamen fuit eadem intentio utriusque. Petrus quidem confessus fuit, Christum esse filium Dei verum per naturam, ut scilicet sic esset homo quod tamen esset verus Deus; hic autem confessus est esse filium Dei per adoptionem, secundum illud Ps. LXXXI, 6: *ego dixi: dii estis, et filii excelsi omnes*. Et hoc patet per verba sequentia. Si enim intellexisset eum esse filium Dei per naturam, non dixisset, *tu es rex Israel* solum, sed totius mundi. Hoc etiam patet, quia ad fidem Petri Christus nihil addidit, quasi perfectam existentem, sed Ecclesiam dixit se fabricaturum esse in confessione illius. Sed Nathanaelem, quasi maiori parte suae confessionis deficiente, elevat ad maiora, scilicet ad cognitionem divinitatis suae. Unde dixit *maius his videbis*. Ubi notatur tertium, scilicet insinuatio futurorum, quasi dicat: quia dixi tibi praeterita, credis me esse filium Dei per adoptionem et regem Israel tantum, sed ducam te ad maiorem cognitionem, ut scilicet credas me filium Dei naturalem et regem omnium saeculorum. Et ideo sequitur *amen, amen dico vobis, videbitis caelum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes super filium hominis*, ubi, secundum Chrysostomum, vult probare dominus quod sit verus Dei filius, et Deus. Angelorum enim est proprium ministrare, et subiici, Ps. CII: *benedicite domino, omnes Angeli eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius*. Cum ergo videbitis quod Angeli administrabunt mihi, certum erit vobis quod sum verus filius Dei. Hebr. c. I, 6: *cum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: et adorent eum omnes Angeli Dei*. Sed quando viderunt hoc apostoli? Viderunt, inquam, in passione, quando Angelus affuit illi, confortans eum, Lc.



XXII, 43. Item in resurrectione, quando apostoli invenerunt duos Angelos stantes supra sepulcrum. Similiter in ascensione, quando dixerunt apostolis, Act. I, 11: *virii Galilaei, quid admiramini aspicientes in caelum? Hic Iesus qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.* Et quia de praeteritis ei vera iam dixerat, magis ei credibile fuit quod praenuntiat de futuro, cum dicit *videbitis*. Evidens enim argumentum est vera dicere de futuris qui de occultis praeteritis manifestaverat veritatem. Dicit autem *super filium hominis Angelos ascendentes et descendentes*, quia secundum carnem mortalem paulo minoratus est ab Angelis: et intantum Angeli ascendunt et descendunt super eum; sed secundum quod est filius Dei, ipse super Angelos est, ut dictum est. Secundum Augustinum autem, pulchre in verbis praedictis suam divinitatem manifestat. Legitur enim Gen. XXVIII, 12 quod *Iacob vidit scalam, et Angelos ascendentes et descendentes*. Et Iacob intelligens quid vidit, surgens unxit lapidem oleo, et deinde dixit: *vere dominus est in loco isto*. Lapis iste Christus est, quem reprobaverunt aedificantes; et est unctus oleo invisibili spiritus sancti; sed erigitur in titulum, quia futurus erat Ecclesiae fundamentum, ut dicitur I ad Cor. c. III, 11: *fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est*. Angeli autem ascendunt et descendunt, inquantum ei adsunt obsequendo et ministrando. Dixit ergo: *amen, amen dico vobis, videbitis caelum apertum* etc., quasi dicat: quia vere Israelita es, attende ad id quod Israel vidit, ut scilicet credas me illum esse qui est significatus per unctum lapidem a Iacob: nam tu etiam videbis super ipsum Angelos ascendentes et descendentes. Vel Angeli sunt praedicatores, secundum Augustinum, praedicantes Christum; Is. XVIII, 2: *ite veloces Angeli ad gentem convulsam et dilaceratam*; qui quidem ascendunt per contemplationem, sicut Paulus ascenderat usque ad tertium caelum, ut dicitur II Cor. c. XII, 2, et descendunt per proximorum eruditionem *super filium hominis*, idest ad honorem Christi: quia, ut dicitur II Cor. IV, v. 5: *non enim praedicamus nos ipsos, sed Iesum Christum dominum nostrum*. Sed ut ascendant et descendant, apertum est caelum, quia oportet quod gratia caelestis detur praedicatoribus, ut ascendant et descendant. Ps. LXVII, 9: *caeli distillaverunt* etc.; Apoc. IV, v. 1: *postea vidi caelum apertum* et cetera. Ratio autem quare Nathanael non eligitur in apostolum post tantam fidei confessionem, ista est, quia Christus noluit quod mundi conversio ad fidem ascriberetur humanae sapientiae, sed solum potentiae Dei. Et ideo non voluit Nathanaelem in lege peritissimum, in apostolum eligere; sed simplices et indoctos elegit; ut dicitur I Cor. I, 26: *non multi sapientes (...) sed quae stulta sunt mundi elegit Deus*.

CORPUS THOMISTICUM  
Sancti Thomae de Aquino  
Super Evangelium S. Ioannis lectura  
caput II

Textum Taurini 1952 editum  
ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas  
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

Caput 2

Lectio 1

[87435] Super Io., cap. 2 l. 1. 1 Supra Evangelista ostendit dignitatem verbi incarnati, et evidentiam eius multipliciter; hic consequenter incipit determinare de effectibus et operibus quibus manifestata est mundo divinitas verbi incarnati, et primo narrat ea quae Christus fecit in mundo vivendo, ad manifestationem suae divinitatis; secundo quomodo Christus suam divinitatem monstravit moriendo; et hoc a XII cap. et ultra. Circa primum duo facit: primo enim ostendit Christi divinitatem quantum ad dominium quod habuit supra naturam; secundo quantum ad effectus gratiae, et hoc in III cap. *ibi erat homo ex Pharisaeis Nicodemus nomine* et cetera. Dominium autem Christi super naturam proponitur nobis per hoc quod naturam mutavit: quae quidem mutatio facta est a Christo in signum primo discipulis ad confirmandum; secundo vero turbis ad credendum, *ibi post hoc descendit Capharnaum*. Mutatio autem naturae ad confirmandos discipulos in nuptiis facta est, in quibus convertit aquam in vinum; et hoc est quod dicit *nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae*: ubi primo describuntur nuptiae; secundo illi qui nuptiis interfuerunt, *ibi erat autem mater Iesu*; tertio describitur ipsum miraculum patratum, *ibi et deficiente vino* et cetera. Describit autem nuptias primo quidem quantum ad tempus; unde dicit *et die tertia nuptiae factae sunt*, scilicet postquam praedicta de vocatione discipulorum fecerat. Postquam enim manifestatus fuerat testimonio Ioannis, voluit etiam seipsum manifestare. Secundo vero, quantum ad locum; unde dicit *in Cana Galilaeae*. Galilaea namque provincia est, Cana viculus quidam in ipsa provincia. Quantum autem ad litteram pertinet, sciendum est, quod circa tempus praedicationis Christi est duplex opinio. Quidam namque dicunt, quod a Baptismate Christi usque ad passionem eius, fuerint duo anni et dimidius. Et secundum hos, hoc quod hic legitur de nuptiis, eodem anno factum est quo Christus baptizatus est. Sed his contrariatur sententia et consuetudo Ecclesiae: nam in festo Epiphaniae trium miraculorum commemoratio fit, scilicet adorationis magorum, quae fuit primo anno nativitatis dominicae; et Baptismi Christi, quo baptizatus est eodem die, revolutis triginta annis; et de nuptiis, quae sunt factae eodem die, revoluto anno. Ex quo sequitur quod ad minus unus annus elapsus fuit a Baptismo usque ad nuptias. In quo quidem anno nil aliud legitur dominus fecisse nisi quod dicitur Matth. IV de ieiunio in deserto, et de tentatione a Diabolo, et ea quae hic Ioannes refert de testimonio Baptistae et conversione discipulorum. A nuptiis autem coepit publice praedicare et miracula facere usque ad passionem, ita quod duobus annis cum dimidio publice praedicavit. Mystice autem per nuptias intelligitur coniunctio Christi et Ecclesiae, quia, ut dicit apostolus Eph. V, 32, *sacramentum hoc magnum est, dico autem in Christo et in Ecclesia*. Et illud quidem matrimonium initiatum fuit in utero virginali, quando Deus pater filio humanam naturam univit in unitate personae, unde huius coniunctionis thalamus fuit uterus virginalis; Ps. XVIII, 6: *in sole posuit tabernaculum suum*. De istis nuptiis dicitur Matth. XXII, 2: *simile est regnum*

*caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo*, tunc scilicet quando Deus pater humanam naturam verbo suo copulavit in utero virginali. Publicatum autem fuit, quando Ecclesia sibi per fidem coniuncta est; Oseae II, 20: *sponsabo te mihi in fide* et cetera. De istis nuptiis dicitur Apoc. XIX, 9: *beati qui ad caenam nuptiarum agni vocati sunt*. Consummatum autem erit, quando sponsa, idest Ecclesia, introducetur in thalamum sponsi, in caelestem scilicet gloriam. Nec vacat a mysterio quod die tertio nuptiae factae sunt. Primus namque dies est tempus legis naturae; secundus tempus legis scriptae; tertius vero dies tempus gratiae, in quo dominus incarnatus nuptias celebravit; Oseae VI, 3: *vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos*. Locus autem congruit mysterio: Cana enim interpretatur zelus; Galilaea vero transmigratio. In zelo ergo transmigrationis hae nuptiae celebrantur, ut denuntiet eos maxime Christi coniunctione dignos existere qui zelo piaevotionis ferventes transmigrant de statu culpae ad gratiam Ecclesiae, Eccli. XXIV, 26: *transite ad me, omnes qui concupiscitis me* etc., et de morte ad vitam, idest de statu mortalitatis et miseriae, ad statum immortalitatis et gloriae; Apoc. XXI, 5: *ecce nova facio omnia*. Consequenter cum dicit *erat autem mater Iesu ibi*, describuntur personae invitatae: ubi agitur de tribus, scilicet de matre, de Iesu, et de discipulis. De matre quidem, cum dicit *et erat mater Iesu ibi*. Quae quidem praemittitur, ut ostendatur quod Iesus adhuc ignotus erat, et non vocatus ad nuptias sicut insignis persona, sed ex quadam familiaritate, tamquam notus, et unus aliorum: sicut enim vocaverunt matrem, ita et filium. Vel forte prius invitatur mater, quia ambigebant de Iesu, an invitatus venturus esset ad nuptias propter summam religiositatem, quam videbant in eo, et quia non viderunt eum se immiscuisse conviviiis. Et ideo puto quod primo consuluerunt matrem, an Iesus esset vocandus. Et ideo signanter dixit Evangelista primo matrem adesse iam in nuptiis, et Iesum postmodum fuisse vocatum. Et hoc est quod sequitur *vocatus est Iesus*. Voluit autem Christus nuptiis interesse primo quidem ut daret nobis humilitatis exemplum: neque enim ad dignitatem suam respiciebat, sed quomodo dignatus est formam servi accipere, ita non dedignatus est ad nuptias venire servorum, ut dicit Chrysostomus. Et ideo Augustinus: erubescat homo esse superbus, quoniam factus est humilis Deus. Nam inter cetera humilia quae fecit filius virginis, venit ad nuptias, qui eas, cum esset apud patrem, instituit in Paradiso. Et de hoc exemplo dicitur, Matth. XI, v. 29: *discite a me quia mitis sum et humilis corde*. Secundo vero, ut errorem quorundam excluderet, qui nuptias damnant, quia, ut dicit Beda si thoro immaculato, et nuptiis debita castitate celebratis, culpa inesset, nequaquam dominus ad has venire voluisset. Quia ergo ad nuptias venit, insinuat quod sit damnabilis eorum perfidia qui nuptiis detrahunt. I Cor. VII, 36: *non peccat mulier, si nubat*. De discipulis vero agitur, cum dicit *et discipuli eius*. Mystice autem in nuptiis spiritualibus est mater Iesu, virgo scilicet beata, sicut nuptiarum consiliatrix, quia per eius intercessionem coniungitur Christo per gratiam; Eccli. XXIV, 25: *in me omnis spes vitae et virtutis*. Christus autem, sicut verus animae sponsus, ut dicitur infra III, 29: *qui habet sponsam, sponsus est*. Discipuli vero ut paranympi, quasi coniungentes Ecclesiam Christo, de quo uno dicebatur II Cor. XI, 2: *despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Et quia in istis nuptiis materialibus aliquid de miraculo pertinet ad matrem, aliquid ad Christum et aliquid ad discipulos, ideo consequenter cum dicit *et deficiente vino* etc. ostendit quid pertineat ad matrem, quid ad Christum et quid ad discipulos. Ad matrem quidem pertinet miraculi procuratio; ad Christum autem miraculi consummatio, et hoc *ibi erant ibi lapideae hydriae sex* etc.; ad discipulos vero miraculi contestatio, *ibi hoc fecit initium signorum Iesus*. Gessit ergo, quantum ad primum, mater Christi, mediatrix personam; et ideo duo facit: primo enim interpellat ad filium; secundo erudit ministros, *ibi et dicit mater eius ministris* et cetera. Circa primum quidem duo ponuntur. Primo matris interpellatio; secundo filii responsio, *ibi dixit ei Iesus: quid mihi et tibi est, mulier?* In matre autem interpellante, primo quidem nota pietatem et misericordiam. Ad misericordiam enim pertinet ut quis defectum alterius reputet quasi suum: misericors enim dicitur, quasi miserum habens cor super miseria alterius; II Cor. XI, 29: *quis infirmatur, et ego non infirmor?* Quia ergo virgo beata misericordia plena erat, defectus aliorum sublevare volebat; et ideo dicit *deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum*. Secundo reverentiam eius ad Christum: ex reverentia enim quam ad Deum habemus, sufficit nobis ei tantum defectus nostros exponere, secundum illud Ps. XXXVII, 10: *domine, ante te omne desiderium meum*. Qualiter autem nobis Deus subveniat, non est nostrum inquirere; quia, sicut dicitur Rom. VIII, v. 26, *nam quid oremus, sicut oportet, nescimus*. Et ideo mater eius defectum aliorum simpliciter exposuit, dicens *vinum non habent*. Tertio, virginis sollicitudinem et diligentiam: quia usque ad extremam necessitatem non distulit, sed *deficiente vino*, idest dum esset in deficiendo, iuxta illud quod dicitur in Ps. IX, 10 de Deo: *adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*. Sed quaerit Chrysostomus: quare ante non incitavit Christum ad miracula? Nam de virtute eius erat instructa per Angelum, et confirmata per multa quae viderat circa ipsum fieri, quae omnia conservabat, conferens

in corde suo, ut dicitur Lc. II, 51. Cuius ratio est, quia antea ut unus aliorum conversabatur: unde quia non viderat tempus opportunum, hoc facere distulit. Nunc vero post Ioannis contestationem et post discipulorum conversionem, confidenter Christum ad miracula facienda provocat, gerens in hoc figuram synagogae, quae est mater Christi: nam familiare est Iudaeis miracula requirere; I Cor. I, 22: *Iudaei signa petunt*. Dicit ergo ei *vinum non habent*. Ubi sciendum est, quod ante incarnationem Christi, triplex vinum deficiebat, scilicet iustitiae, sapientiae et caritatis, seu gratiae. Vinum enim mordicat, et quantum ad hoc iustitia dicitur vinum. Lc. X, 34, Samaritanus vinum et oleum apposuit vulneribus sauciati, idest cum dulcedine misericordiae severitatem iustitiae; Ps. LIX, 5: *potasti nos vino compunctionis*. Vinum etiam laetificat cor, iuxta illud Ps. CIII, 15, *vinum laetificat cor hominis*, et quantum ad hoc dicitur vinum sapientia, cuius meditatio maxime laetificat; Sap. VIII, 16: *non habet amaritudinem convictus illius*. Vinum similiter inebriat, Cant. V, v. 1: *bibite, amici, et inebriamini, carissimi*, et secundum hoc caritas dicitur vinum, Cant. c. V, 1, *bibi vinum meum cum lacte meo*. Et dicitur caritas etiam vinum ratione fervoris; Zach. IX, 17: *vinum germinans virgines*. Et quidem iustitiae vinum deficiebat in veteri lege; in qua iustitia imperfecta erat. Sed Christus eam perfecit; Matth. V, 20: *nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum*. Deficiebat etiam vinum sapientiae, quae erat occulta et figuralis, quia, ut dicitur I Cor. X, 11, *omnia in figura contingebant illis*. Sed Christus eam manifestavit; Matth. c. VII, 29: *erat enim docens eos, sicut potestatem habens*. Sed et vinum caritatis deficiebat ibi: quia acceperant spiritum servitutis tantum in timore. Sed Christus aquam timoris convertit in vinum caritatis, quando dedit *spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater*, ut dicitur Rom. VIII, 15, et quando *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*, ut dicitur Rom. V, 5. Consequenter cum dicit *dixit ei Iesus* etc. ponitur responsio Christi: ex qua quidem responsione triplicis haeresis occasio sumpta est. Manichaei namque dicunt Christum non habuisse verum corpus, sed phantasticum. Valentinus asserit Christum attulisse corpus caeleste, dicens quod, quantum ad corpus, Christus nihil pertinet ad virginem. Et huius erroris fulcimentum sumit per hoc quod dicit ei Iesus. *Quid mihi et tibi est, mulier?* Quasi dicat: nihil a te suscepi. Sed hoc est contra auctoritatem sacrae Scripturae: dicit enim apostolus, Gal. IV, 4: *misit Deus filium suum, factum ex muliere*: non enim posset dici ex ea factus, nisi ex ea aliquid sumpsisset. Arguit praeterea contra eos Augustinus, dicens: quomodo scis, quod dominus dixit *quid mihi et tibi?* Respondes, quia Ioannes Evangelista hoc narrat. Sed ipse etiam Evangelista dicit de virgine quod erat mater eius. Si ergo credis Evangelistae in eo quod narrat Iesum dixisse matri: *quid mihi et tibi est, mulier?* Credas etiam in hoc ei quod dicit: *et erat mater Iesu ibi*. Ebion autem dicens ex virili semine Christum conceptum, et Elvidius, qui dicit quod virgo post partum non permansit virgo, sumpserunt erroris fulcimentum ex hoc quod dicit *mulier*, quod videtur corruptionem importare. Sed hoc est falsum, quia mulier in sacra Scriptura quandoque importat solum sexum femineum, secundum illud Gal. IV, 4: *factum ex muliere* et cetera. Et hoc patet etiam per hoc quod Adam ad Deum loquens de Eva, dixit: *mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi*, Gen. III, 12. Constat enim tunc Evam adhuc virginem fuisse, cum adhuc esset in Paradiso, ubi non cognoverat eam. Unde hoc quod hic dicitur *mulier*, non importat corruptionem, sed determinat sexum. Sumpserunt etiam Priscillianistae erroris occasionem ex hoc quod dixit *nondum venit hora mea*, dicentes, omnia ex fato accidere, et facta hominum certis horis esse subiecta, et etiam Christi: unde propter hoc dixit *nondum venit hora mea*. Sed hoc est falsum de quolibet homine. Cum enim homo liberam electionem habeat, libera autem electio competat ei ex hoc quod rationem et voluntatem habet, quae quidem sunt immaterialia: manifestum est quod homo quantum ad electionem nulli corpori subiicitur, sed potius dominatur. Immaterialia enim nobiliora sunt materialibus, et ideo dicit philosophus, quod sapiens dominatur astris. Praeterea, hoc multo minus locum habet in Christo, qui est dominus et conditor siderum. Unde per hoc quod dixit *nondum venit hora mea*, intelligitur hora passionis, sibi, non ex necessitate, sed secundum divinam providentiam determinata. Contra eos etiam est quod dicitur Eccli. XXXIII, 7: *quare dies diem superat?* Respondet: *a domini scientia separati sunt*; idest, divina providentia distincti sunt adinvicem, non a casu. His ergo exclusis, investigemus huius dominicae responsionis causam. *Quid mihi et tibi est, mulier?* Et quidem, secundum Augustinum, in ipso sunt duae naturae, divina scilicet et humana; et quamvis idem Christus sit in utraque natura, ea tamen quae conveniunt ei secundum humanam naturam, distincta sunt ab his quae conveniunt ei secundum divinam. Miracula autem facere competit ei secundum divinam naturam, quam accepit a patre; pati vero secundum humanam, quam accepit a matre. Et ideo matri exigenti miraculum, respondit dicens *quid mihi et tibi est, mulier?* Ac si dicat: illud quod in me facit miracula, non accepi a te, sed illud unde patior; idest secundum quod competit mihi pati, scilicet humanam naturam, a te accepi; et ideo tunc te cognoscam, cum

ipsa infirmitas pendeat in cruce. Et ideo subdit *nondum venit hora mea*; quasi dicat: cum venerit hora passionis, ibi te matrem recognoscam. Unde et in cruce pendens matrem discipulo commendavit. Secundum Chrysostomum vero, aliter exponitur. Dicitur enim quod beata virgo fervens zelo honoris filii, voluit quod statim antequam opportunum esset, Christus miracula faceret; et ideo Christus, matre haud dubio sapientior, eam repressit. Noluit enim prius facere miraculum, quam sciretur defectus: quia ex hoc fuisset minus notum et minus credibile, et ideo dicit *quid mihi et tibi est, mulier?* Quasi dicat. Quid me molestas? *Nondum venit hora mea*; idest, nondum cognitus sum his qui adsunt. Sed neque defectum vini sentiunt; sine primo hoc sentire, quia cum necessitatem cognoverint, maius reputabunt beneficium quod recipient. Quamvis autem mater repulsa sit, tamen de filii misericordia non diffidit; ideo consequenter monet ministros, dicens *quodcumque dixerit vobis, facite*, in quo quidem consistit totius iustitiae perfectio. Perfecta namque iustitia est Christo in omnibus obedire; Ex. XXIX, 35: *omnia quae praecepit nobis dominus faciemus*. Hoc autem verbum *omnia quaecumque dixerit vobis facite*, non convenit dici nisi de solo Deo, homo enim aliquando potest errare. Unde in talibus quae sunt contra Deum, hominibus obedire non tenemur; Act. V, 29: *oportet obedire Deo magis quam hominibus*. Deo autem, qui non errat nec falli potest, in omnibus obedire debemus. Consequenter cum dicit *erant autem ibi lapideae hydriae*, ponitur consummatio miraculi per Christum: circa quod primo describuntur vasa in quibus miraculum patratum est; secundo designatur materia miraculi, ibi *dixit eis Iesus: implete hydrias aqua*; tertio insinuat miraculi demonstratio et approbatio, ibi *dixit eis Iesus: haurite nunc*. Vasa autem in quibus miraculum patratum est, ponuntur sex; et est quod dicit *erant autem ibi lapideae hydriae sex*. Ubi sciendum est, quod sicut Mc. VII, 2 ss., dicitur, Iudaei observabant multas ablutiones corporales, et Baptismata calicum et vasorum: unde quia erant in Palaestina, in qua est defectus aquarum, habebant vasa in quibus servabatur aqua purissima, qua se, et vasa crebro lavarent. Et ideo dicit, quod *erant ibi sex lapideae hydriae*, idest vasa ad conservandum aquam, ab hydros, quod est aqua, *posita secundum purificationem Iudaeorum*, idest ad usum purificationis, *capientes singulae metretas*, idest mensuras, *binas, vel ternas*: metros enim Graece, mensura Latine dicitur. Et, ut dicit Chrysostomus, vasa ista deferuntur ad tollendam miraculi suspicionem: tum propter eorum puritatem, ne posset aliquis suspicari quod aqua saporem vini sumpsisset ex faecibus vini prius in eis repositi, nam vasa illa erant *secundum purificationem*, et ideo purissima oportebat ea esse; tum etiam propter vasorum quantitatem, ut evidenter pateat quod aqua tot vasorum in vinum mutari non potuisset, nisi virtute divina. Mystice vero per sex hydrias significantur sex aetates veteris testamenti, in quibus erant corda hominum receptiva Scripturarum Dei parata, et proposita in exemplum vivendi, ut dicit Glossa. Hoc vero quod dicit *metretas*, secundum Augustinum, refertur ad Trinitatem personarum. Et dicuntur binae, vel ternae, quia quandoque in sacra Scriptura tres personae distinctim ponuntur, secundum illud Matth. ult., 19: *baptizantes eos in nomine patris, et filii, et spiritus sancti*, quandoque vero duo tantum, scilicet pater et filius, in quibus intelligitur persona spiritus sancti, qui est connexio amborum, secundum illud infra XIV, 23: *si quis sermonem meum servabit, pater meus diliget eum, et ad eum veniemus*. Vel binae propter duas conditiones hominum, Iudaeorum scilicet, et gentilium, ex quibus propagata est Ecclesia. Vel ternae propter tres filios Noe, ex quibus propagatum est humanum genus post diluvium. Consequenter cum dicit *dixit eis Iesus: implete hydrias aqua*, agitur de miraculi materia. Sed circa hoc insurgit quaestio quare non ex nihilo, sed ex materia praeiacente hoc miraculum factum est: ad quod triplex ratio assignatur. Una est secundum Chrysostomum, et litteralis, quia ex nihilo aliquid facere, maius est et mirabilius, quam facere aliquid ex subiecta materia; sed non est ita evidens et credibile multis. Et ideo volens magis credibile esse quod fiebat, ex aqua fecit vinum, capacitati hominum condescendens. Alia ratio est, ad confutandum perversa dogmata. Quidam namque sunt (ut Marcionistae et Manichaei) qui dixerunt alium esse conditorem mundi, quam Deum, et omnia visibilia ab illo, idest Diabolo, condita esse. Et ideo dominus plura miracula etiam ex substantiis creatis, et visibilibus fecit, ut ostendat ipsas substantias bonas esse, et a Deo creatas. Tertia ratio est mystica. Ideo enim noluit ex nihilo vinum facere, sed ex aqua vinum fecit, ut ostenderet se non omnino novam doctrinam condere et veterem reprobare, sed adimplere; ut dicitur Matth. V, 17: *non veni solvere legem, sed adimplere*: dum quod figurabat vetus lex, et promittebat, Christus exhibuit, et aperuit; Lc. ult., 45: *aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas*. Voluit autem per ministros hydrias impleri aqua, ut eos, eius quod fiebat, testes haberet: unde infra dicitur: *ministri autem sciebant* et cetera. Consequenter cum dicit *et dixit eis Iesus* etc. ponitur miraculi publicatio. Statim enim quod hydriae impletae sunt, aqua in vinum conversa est; et ideo statim dominus miraculum publicat, dicens *haurite nunc, et ferte architriclino*, ubi primo ponitur mandatum Christi examinatore eligentis; secundo sententiam architriclini degustantis, ibi *ut autem gustavit architriclinus* et

cetera. *Dixit ergo eis, scilicet ministris, haurite nunc, scilicet vinum de hydriis, et ferte architriclino.* Ubi sciendum est, quod triclinium est locus ubi sunt tres ordines mensarum, et dicitur triclinium a triplici ordine lectorum: cline enim in Graeco lectum significat. Nam antiqui in lectis accumbentes consueverant comedere, ut maximus Valerius narrat. Et ideo dicunt in Scripturis accumbere et recumbere. Architriclinus ergo dicitur primus et princeps inter convivas. Vel aliter, secundum Chrysostomum, architriclinus erat qui erat ordinator et dispensator totius convivii. Quia vero sollicitus nondum aliquid gustaverat, voluit dominus quod ipse iudicaret de eo quod factum erat, et non convivae, ne aliquis posset miraculo detrahere, dicens eos ebrios esse, et eorum sensus per comestionem corruptos, ita quod non possent discernere, an vinum esset, vel aqua. Sed, secundum Augustinum, architriclinus erat maior inter discumbentes, ut dictum est; et ideo, ut eius sententia acceptabilior fieret, voluit in eo quod factum erat habere sententiam praesidentis. Mystice autem, qui hauriunt aquam sunt praedicatores; Is. XII, 3: *haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.* Architriclinus autem est aliquis legisperitus, puta Nicodemus, Gamaliel et Paulus. Dum ergo talibus verbum Evangelii committitur, quod latebat in littera legis, quasi vinum de aqua factum architriclino propinatur: qui hoc degustans approbat fidem Christi. Consequenter cum dicit *ut autem gustavit architriclinus*, ponitur examinantis iudicium: ubi primo inquiri veritatem facti; secundo profert sententiam, dicens *omnis homo primum bonum vinum ponit.* Dicit ergo *ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset*, quia ignorabat aquam vinum factam miraculo per Christum, *ministri autem sciebant* cuius ratio est, quia *hauserant aquam; vocat sponsum architriclinus*, ut veritatem inquirat, et de vino sententiam proferat; unde subdit *omnis homo primum bonum vinum ponit* et cetera. Ubi, secundum Chrysostomum, hoc considerandum est in miraculis Christi, quod omnia perfectissima fuerunt; unde et socrui Petri perfectissimam sanitatem restituit, ut statim surgens ministraret, ut dicitur Mc. I, 30 et Mt. c. IX, 6. Paralyticum etiam ita perfecte sanitati restituit quod statim surgens, et sublato lecto iret in domum suam, ut dicitur infra V, 9. Hoc etiam in isto miraculo apparet: quia non qualecumque vinum de aqua fecit, sed optimum quod poterat esse. Et ideo dicit architriclinus *omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est*, quia minus bibunt, et quia vinum bonum in quantitate sumptum, cum quantitate cibi magis gravat; quasi dicat: unde est tale vinum, quod tu servasti usque adhuc? Contra consuetudinem scilicet faciens. Competit autem mysterio. Nam aliquis dicitur mystice primo bonum vinum ponere, qui alios decipere intendens, errorem quem intendit non proponit primo, sed quae alliciant auditores, ut postquam inebriati et allecti fuerint ad consensum suae intentionis, perfidiam manifestet; et de isto vino dicitur Prov. XXIII, 31: *ingreditur blande, et in novissimo mordebit sicut coluber.* Dicitur autem aliquis primo bonum vinum ponere, qui a principio suae conversionis sancte et spiritualiter vivere incipiens, tandem in vitam carnalem degenerat; Gal. III, 3: *sic stulti facti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini?* Christus vero non primo vinum bonum ponit: quia a principio amara et dura proponit; Mt. VII, 14: *arcta est via quae ducit ad vitam.* Sed quanto plus homo in eius fide et doctrina procedit, tanto plus dulcoratur, et maiorem suavitatem sentit; Prov. IV, 11: *ducam te per semitam aequitatis, quam cum ingressus fueris non arctabuntur gressus tui.* Item in mundo isto amaritudines et tribulationes patiuntur omnes qui pie volunt vivere in Christo; infra XVI, 20: *amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos* et cetera. Sed in futuro delectationes et gaudia suscipient; unde et sequitur: *tristitia vestra vertetur in gaudium.* Rom. VIII, 18: *existimo quod non sunt condignae passionis huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.* Consequenter cum dicit *hoc fecit initium signorum Iesus*, ponitur miraculi contestatio per discipulos facta. Ex quo habetur quod falsa est historia de infantia salvatoris, in qua recitantur multa miracula facta a Christo adhuc puero existente; si enim hoc verum esset, non utique Evangelista diceret *hoc fecit initium signorum Iesus.* Et ratio quare non in pueritia miracula fecit, assignata est supra, ne ea scilicet homines phantastica reputarent: ergo hac de causa hoc miraculum, scilicet de aqua vinum, fecit in Cana Galilaeae Iesus, quod est initium signorum, quae fecit Iesus postea. *Et manifestavit gloriam suam*, idest potentiam qua gloriosus est; Ps. c. XXIII, 10: *dominus virtutum ipse est rex gloriae. Et crediderunt in eum discipuli eius.* Sed quomodo crediderunt? Iam enim discipuli erant, et ante crediderant. Sed dicendum est, quod aliquid dicitur esse aliquando non secundum quod nunc est, sed secundum quod futurum est; sicut dicitur quod Paulus apostolus natus est Tharso Ciliciae: non quod ibi sit natus apostolus, sed quod futurus apostolus, ibi natus fuit; ita dicitur hic *et crediderunt in eum discipuli eius*, scilicet qui erant discipuli eius. Vel dicendum, quod ante crediderunt ei sicut bono viro, iusta et recta praedicanti; sed modo crediderunt in eum tamquam in Deum et cetera.

## Lectio 2

[87436] Super Io., cap. 2 l. 2 Supra Evangelista posuit signum quod fecit Christus pertinens ad virtutem immutativam naturae, ad discipulorum confirmationem; hic consequenter agit de signo resurrectionis ad eandem virtutem pertinente, quod proposuit Christus ad turbarum conversionem. Circa hoc ergo miraculum duo facit Evangelista. Primo ponit miraculi proponendi occasionem; secundo ipsius miraculi praenuntiationem, ibi *responderunt ergo Iudaei et cetera*. Circa primum duo facit. Primo describit locum; secundo narrat factum, quod fuit occasio miraculi proponendi, ibi *et invenit in templo vendentes oves et boves*. Locus autem in quo hoc fuit, est Ierosolyma: et ideo Evangelista gradatim ostendit quo ordine Ierusalem dominus venerit. Primo ergo ostendit quomodo in Capharnaum descendit; secundo vero quomodo Ierosolymam ascendit, ibi *et prope erat Pascha*. Circa primum tria facit. Primo assignat locum quo descendit; secundo, describit societatem quam habuit; tertio innuit moram quam protraxit. Locus quidem quo descendit est Capharnaum; et ideo dicit *post hoc*, scilicet miraculum de vino, *descendit Capharnaum*. Videtur, quantum ad historiam pertinet, huic dicto contrariari quod dicitur Matth. IV, v. 12 s., scilicet quod dominus descenderit Capharnaum post incarcerationem Ioannis. Hoc autem quod hic refert Evangelista, totum factum est ante incarcerationem Ioannis. Respondeo dicendum, quod ad huius quaestionis intelligentiam sciendum est, quod sicut ex ecclesiastica historia habetur, reliqui Evangelistae, scilicet Matthaeus, Marcus et Lucas narrationem evangelicam inceperunt ab eo tempore quo Ioannes fuit inclusus in carcere. Unde statim Matth. IV, 12, post Baptismum, et ieiunium, et tentationem eius, texere incepit suam narrationem ante incarcerationem Ioannis, dicens: *cum audivisset Iesus quod traditus esset Ioannes etc.*, et similiter Marcus; unde dicit: *postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilaeam* et cetera. Ioannes vero Evangelista qui supervixit aliis, cum trium Evangelistarum ad ipsum notitia pervenisset, dictorum fidem et veritatem probavit; tamen, quia vidit aliqua deesse, illa scilicet quae primo praedicationis suae tempore, ante Ioannis incarcerationem, dominus gesserat, ideo ad preces fidelium ipse Evangelium suum altius inchoans, ea quae praeterierant, priora, ante traditionem Ioannis, domini gesta conscripsit, scilicet a primo anno quo baptizatus est; ut in eius Evangelii serie apparet. Secundum hoc ergo Evangelistae non dissonant; sed quia dominus bis Capharnaum descendit, semel ante incarcerationem Ioannis, de quo agitur hic, et semel post incarcerationem eius, de quo agitur Matth. IV, 13 et Lc. IV, 31. Capharnaum autem interpretatur villa pulcherrima, et significat mundum istum, qui habet decorem ex ordine et dispositione divinae sapientiae; Ps. XLIX, 11: *pulchritudo agri mecum est*. Descendit ergo dominus in Capharnaum, idest mundum istum, cum matre, et fratribus, et discipulis. Nam in caelis dominus patrem habet sine matre, in terris matrem sine patre; et ideo signanter matrem solum nominat. In caelis etiam fratres non habet; sed est ipse *unigenitus, qui est in sinu patris*: supra I, 18. In terris vero est *primogenitus in multis fratribus*, ut dicitur Rom. VIII, v. 29. In terris habet discipulos quos doceat mysteria divinitatis, quae ante hominibus ignota fuerant, quia, ut dicitur Hebr. I, 2, *novissime diebus istis locutus est nobis in filio* et cetera. Vel Capharnaum interpretatur ager consolationis: per quod signatur omnis homo qui fructum bonum facit; Gen. XXVII, 27: *ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*. Et talis homo dicitur ager consolationis, quia dominus consolatur, et gaudet de profectu eius; Is. LXII, 5: *gaudebit dominus super te etc.*, quia de eius bono Angeli gaudent; Lc. XV, v. 10: *gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente*. Dicit *ipse, et mater*. Societas eius fuit primo matris; unde dicit *et mater eius*, quia enim ad nuptias venerat, et fuerat miraculi procuratrix, reducebat eam dominus Nazareth, quae erat villa in Galilaea, in qua Capharnaum metropolis erat. Secundo fuit fratrum; unde dicit *et fratres eius* et cetera. Ubi cavendi sunt duo errores, scilicet Elvidii dicentis, quod beata virgo post Christum alios filios habuit, et hos dicit fratres domini, quod est haeticum: quia fides nostra tenet, quod mater Christi sicut fuit virgo ante partum, ita et in partu, et post partum virgo permansit. Item error quorundam dicentium, Ioseph ex alia coniuge filios genuisse, et hos vocari fratres domini, quod Ecclesia non tenet. Et ideo Hieronymus eos improbat: nam dominus in cruce pendens virginem matrem virgini discipulo custodiendam dimisit. Cum ergo Ioseph fuerit specialis custos virginis et etiam salvatoris in pueritia, credibile est eum virginem fuisse. Et ideo sane intelligentes, fratres domini dicimus consanguineos virginis matris, in quocumque gradu, vel etiam Ioseph, qui putabatur pater; et hoc quidem secundum consuetudinem Scripturae, quae communiter consanguineos fratres appellat. Unde Gen. XIII, v. 8: *ne quaeso sit iurgium inter me et te: fratres enim sumus*, dicit Abraham ad Lot; cum tamen esset nepos eius. Et attende, quod separatim nominat fratres et discipulos: quia non omnes consanguinei Christi, eius discipuli erant. Unde infra VII, 5 dicitur: *nondum credebant in eum fratres eius*. Tertio socii eius fuerunt

discipuli sui: unde dicit *et discipuli eius*. Sed ex hoc insurgit quaestio, qui fuerint eius discipuli. Videtur enim, secundum Matthaeum, quod primi qui conversi sunt ad Christum, fuerint Petrus et Andreas, Ioannes et Iacobus; sed hi vocati sunt a Christo post incarcerationem Ioannis, ut patet Matth. IV, v. 18 ss. non videtur ergo quod descenderint cum Christo in Capharnaum, ut hic habetur, cum hoc fuerit ante Ioannis incarcerationem. Sed ad hoc duplex est responsio. Una, secundum Augustinum, de consensu Evangelistarum, quod Matthaeus non servat ordinem historiae, sed illud quod praetermiserat recapitulans, ea narrat post Ioannis incarcerationem quae ante facta fuerant. Unde sine ulla temporis consequentis differentia dicit: *ambulans Iesus iuxta mare Galilaeae, vidit duos fratres etc.*, non addens post hoc vel in diebus illis. Alia est, secundum eundem, quod discipuli domini, in Evangelio dicuntur non solum illi duodecim quos elegit dominus, et apostolos nominavit, ut habetur Lc. VI, 13, sed etiam omnes qui in eum credentes, eius magisterio ad regnum caelorum erudiebantur. Potuit ergo esse quod quamvis illi duodecim nondum eum secuti fuissent, nihilominus tamen aliqui alii qui sibi adhaeserunt, hic eius discipuli nominentur. Sed prima responsio melior est. Moram autem contraxit ibi parvam; unde dicit *et ibi manserunt non multis diebus*. Huius ratio est, quia cives Capharnaum non se exhibuerunt devotos ad suscipiendum doctrinam Christi, quia erant valde corrupti; unde et Matth. XI, 23 dominus eos obiurgat, quod nec ad virtutes in eis factas, nec ad doctrinam Christi poenitentiam egerunt, dicens: *et tu, Capharnaum, numquid ad caelum exaltaberis? Usque in Infernum descendes: quia si in Sodomis factae fuissent virtutes quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem*. Et tamen quamquam mali essent, descendit illuc, ut deduceret matrem ad cuius consolationem et honorem ibidem aliquamdiu moratur. Mystice autem signatur per hoc quod aliqui multis sermonibus Christi immorari non possunt, sed pauca ad eorum illuminationem de multis sufficiunt, propter intellectus eorum imbecillitatem. Unde apud tales Christus paucis documentis immoratur ut Origenes dicit; secundum illud infra XVI, v. 12: *multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo*. Consequenter cum dicit *et prope erat Pascha*, manifestat locum quo ascendit. Et circa hoc duo facit. Primo innuit occasionem ascensus; secundo ponit ascensum, ibi *et ascendit Iesus*. Occasio autem ascensus fuit Pascha Iudaeorum. Ex. XXIII, 17 praecipitur quod ter in anno omne masculinum praesentetur coram domino, et inter illos terminos unus erat Pascha Iudaeorum. Quia ergo dominus venit ut doceret omnes humilitatis et perfectionis exemplum, voluit legem, quamdiu statum habuit, observare: non enim venit legem solvere, sed adimplere, ut ipse dicit Matth. V, v. 17. Ex quo, quia Pascha Iudaeorum imminebat, Ierusalem ascendit. Nos ergo ad eius exemplum deberemus sollicitate divina praecepta servare. Si enim ipse Dei filius decreta legis a se datae implebat, celebrans solemnitates; quanto studio bonorum operum deberemus nos eas et praevenire, et celebrare? Notandum est, quod in Evangelio Ioannis in tribus locis fit mentio de Pascha, scilicet hic, et infra VI, 4, ubi fecit miraculum de panibus, ubi dicitur: *erat autem proximum Pascha, dies festus Iudaeorum*; et infra c. XIII, 1, ubi dicitur: *ante diem festum Paschae*. Unde secundum hoc Evangelium, habemus quod post miraculum de vino Christus praedicavit duobus annis, et quantum est a diebus Baptismi usque ad Pascha; nam hoc quod fecit hic, fuit prope Pascha, ut hic dicitur, et postea, revoluto anno, prope aliud Pascha fecit miraculum de panibus, et tunc Ioannes fuit decollatus. Unde Ioannes circa Pascha decollatus fuit; quia, ut dicitur Matth. c. XIV, 13, statim post decollationem Ioannis, Christus secessit in desertum, et ibi fecit miraculum de panibus: quod quidem miraculum fuit factum prope Pascha, ut dicitur infra VI. Sed tamen festum huius decollationis celebratur eo die quo caput eius inventum est. Postea, in alio Paschate, passus est Christus. Secundum opinionem ergo illorum qui dicunt, quod miraculum factum in nuptiis, et ea quae hic dicuntur, eodem anno gesta sunt quo baptizatus est Christus, a Baptismo Christi usque ad eius passionem fuerunt duo anni et dimidius: et ideo, secundum eos, Evangelista dicit *prope erat Pascha Iudaeorum*, ut ostendat quod ante paucos dies fuerat baptizatus. Sed Ecclesia tenet contrarium. Credimus enim quod eodem die quo dominus baptizatus est, revoluto anno, factum fuerit miraculum de vino; et postea revoluto anno, prope Pascha, Ioannes fuerit decollatus; et quod ab isto Paschate circa quod Ioannes fuit decollatus, fuerit unus annus usque ad Pascha in quo Christus passus est. Unde oportet aliud Pascha a Baptismo Christi usque ad miraculum de vino intermedium esse, de quo nullus Evangelista facit mentionem: et sic, secundum quod Ecclesia tenet, Christus tribus annis et dimidio praedicavit. Ait autem *Iudaeorum*, non quod alterius nationis homines Pascha celebrarent, sed duplici de causa. Una quia quando aliqui festum aliquod sancte et pure celebrant, dicitur illud domino celebrare; cum vero nec pure, nec sancte celebrant, non domino, sed sibi solemnizant; Is. I, 14: *Kalendas vestras, et festivitates vestras odovit anima mea*; quasi dicat: quia vobis, et non mihi celebratis, non placent mihi; Zach. VII, 5: *cum ieiunaretis, numquid ieiunium ieiunastis mihi?* Quasi dicat, non, sed vobis. Quia ergo isti Iudaei depravati erant, et eorum Pascha indebite



celebrabant, ideo Evangelista non dicit: prope erat Pascha domini, sed *Iudaeorum*. Vel hoc dicit ad differentiam nostri Paschae: nam Pascha Iudaeorum erat figurale, utpote immolatione agni figuralis celebratum; sed nostrum Pascha verum est, in quo recolimus veram passionem agni immaculati; I Corint. V, 7: *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Ascensus fuit in Ierusalem; et ideo dicit *et ascendit Iesus Ierosolymam*. Ubi nota, secundum ordinem historiae, Iesum bis circa festum Paschae Ierosolymam ascendisse, et expulisse de templo ementes et vendentes. Semel quidem ante incarcerationem Ioannis, quod hic Evangelista commemorat, alia vice, imminente Paschate, et tempore passionis, quod narrat Matthaeus. Nam frequenter dominus similia facta operatus est, sicut patet de duplici illuminatione caecorum: una Matth. IX, 28, et alia Mc. c. X, 46 ss. Et similiter bis eiecit ementes et vendentes de templo. Mystice autem ascendit Ierosolymam, quae interpretatur visio pacis, et significat aeternam beatitudinem: in quam ascendit, et suos transduxit. Sed non vacat a mysterio, quod in Capharnaum descendit, et postmodum Ierosolymam ascendit. Nisi enim descendisset primum, non competisset ei ascendere: quia, ut dicitur Eph. IV, 10, *qui descendit, ipse est et qui ascendit*. Non facit autem mentionem de discipulis in ascensu ad Ierosolymam: quia discipulorum ascensus est ex ascensu Christi; infra III, 13: *nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo, filius hominis*. Consequenter cum dicit *et invenit in templo vendentes oves et boves* etc. narrat Evangelista factum quod movit Christum ad signum resurrectionis proponendum. Et circa hoc duo facit. Primo manifestat Iudaeorum vitium; secundo innuit Christi remedium, ibi *et cum fecisset quasi flagellum* etc.; tertio subdit prophetiae oraculum, ibi *recordati vero sunt discipuli* et cetera. Circa primum sciendum, quod Diabolus insidiatur his quae Dei sunt, et ea nititur corrumpere. Inter cetera autem quibus sancta corrumpit, praecipuum est vitium avaritiae; unde dicitur Is. LVI, 11: *pastores eius nescierunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt: unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum*. Quod quidem ab antiquis temporibus Diabolus fecit. Nam sacerdotes veteris testamenti, qui instituti erant ut divinis vacarent, avaritiae studebant. Praeceptum autem erat a Deo in lege, quod in certis solemnitatibus domino immolarent aliqua animalia; ad quod quidem praeeptum implendum de prope venientes ad templum, secum animalia ducebant, illi autem qui a remotis veniebant, non valebant animalia ducere de domibus suis. Quia ergo oblationes huiusmodi cedebant in utilitatem sacerdotum, ne deessent animalia de remotis venientibus ad offerendum, providerunt ipsi sacerdotes ut animalia in templo venderentur; et ideo faciebant ea in templo, idest in atrio templi, exponi ad vendendum. Et hoc est quod dicit *et invenit dominus in templo vendentes oves, et boves, et columbas* et cetera. Ubi primo facit mentionem de duobus animalibus terrestribus, quae secundum legem domino offerri poterant, scilicet de bove et ove. Tertium vero animal terrestre, quod offerebatur capra scilicet, annumeratur cum ove: similiter etiam turtur annumeratur cum columba. Et quia contingebat aliquando aliquos ad templum venire, qui nec animalia secum ducebant, nec pecuniam, unde emere non valebant; ideo sacerdotes aliam avaritiae artem adinvenerant, ut scilicet in templo constituerent nummularios et campsores, qui praedictis non habentibus pecuniam mutuarent. Et licet usuram inde non reciperent, quia hoc erat in lege prohibitum, loco tamen eius quaedam collibia, idest parva munuscula et vilia recipiebant. Et haec ipsa in utilitatem sacerdotum cedebant; et hoc est quod dicit *et nummularios sedentes* scilicet in templo, paratos ad pecuniam mutuandam. Sed hoc quidem mystice tripliciter intelligi potest. Primo enim per vendentes et ementes significantur illi qui ecclesiasticas res vendunt, vel emunt: nam bona ecclesiastica spiritualia, et eis annexa, significantur per oves, et boves, et columbas. Ipsa consecrata quidem, et confirmata sunt ex doctrinis apostolorum et doctorum, qui significantur per boves; Prov. XIV, 4: *ubi plurimae sunt segetes, ibi manifesta fortitudo bovis*. Item ex sanguine martyrum, qui significantur per oves. Unde in persona eorum dicitur in Ps. XLIII, et Rom. VIII, 36: *aestimati sumus ut oves occisionis*. Item dona spiritus sancti, quae significantur per columbas: quia, ut dicitur supra I, 32, spiritus sanctus in specie columbae apparuit. Omnia ergo haec vendunt, scilicet doctrinam apostolorum, sanguinem martyrum et dona spiritus sancti, quicumque bona ecclesiastica spiritualia, et eis annexa vendere praesumunt. Secundo, contingit aliquos praelatos, seu Ecclesiarum praepositos, etsi non manifeste per simoniam, occulte tamen per negligentiam boves, et oves, et columbas vendere, tunc scilicet quando tantum inhiant temporalibus lucris, et occupantur in eis, et negligunt spiritualem salutem subditorum: nam per hoc vendunt oves, et boves, et columbas, idest tria genera hominum eis subditorum. Scilicet praedicatores et operatores, qui significantur per boves; Is. XXXII, 20: *beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini*. Quia praelati debent ordinare boves, idest doctores et sapientes cum asinis, idest rudibus et simplicibus. Vendunt etiam activos, et ministeriis vacantes, qui significantur per oves, infra X, 27: *oves meae vocem meam audiunt* etc.; II Reg. ult., 17: *isti, qui oves sunt, quid fecerunt?* Vendunt et

contemplantes, qui significantur per columbas; Ps. LIV, 7: *quis dabit mihi pennas sicut columbae et volabo?* Tertio per templum Dei potest intelligi spiritualis anima, ut dicitur I Cor. III, 17: *templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Tunc ergo homo vendit in templo oves, et boves, et columbas, quando in anima bestiales motus retinet, pro quibus homo vendit se Diabolo. Nam per boves, qui agriculturae deserviunt, significantur terrena desideria; per ovem, quae est animal stultum, significatur hominis stoliditas; per columbas vero hominis instabilitas: quae quidem Deus de cordibus hominum expellit. Et ideo statim ponitur domini remedium, cum dicit *et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo*: ubi dominus apposuit remedium et operis, et verbi, ut doceret eos qui curam habent Ecclesiae, subditos facto et verbo debere corrigere. Et ideo circa hoc duo facit. Primo ponitur remedium quod adhibuit facto; secundo remedium quod adhibuit verbo, ibi *et his qui vendebant columbas dixit* et cetera. Circa primum tria facit. Primo eiecit homines; secundo oves et boves; tertio effudit pecuniam. Eiecit quidem homines flagello, et hoc est quod dicit *et cum fecisset quasi flagellum de funiculis*, quod quidem non potuit fieri nisi virtute divina; nam, et Origenes dicit, quod divina potestas Iesu poterat cum volebat accensam iracundiam hominum suffocare, sicut sedare mentium turbines; Ps. XXXII, v. 10: *dominus dissipat cogitationes hominum*. Facit autem flagellum de funiculis, quia, ut dicit Augustinus, de peccatis nostris sumit materiam, unde nos puniat: ipsa enim protelatio peccatorum, secundum quod peccata peccatis adduntur, funiculi dicuntur; Prov. V, v. 22: *funibus peccatorum suorum constringitur*; Is. V, 18: *vae qui trahitis iniquitatem in funiculis* et cetera. Sicut ergo eiecit de templo negotiatores, ita nummulariorum aes effudit, et mensas subvertit. Attende, quod si ista, quae videbantur aliquo modo licita, quasi ad cultum Dei ordinata, de templo eiecit, quanto magis si invenisset aliqua illicita? Ideo autem eos eiecit, quia sacerdotes in hoc non intendebant honorem Dei, sed utilitatem propriam. Unde dicitur Ez. XLIV, 8: *posuistis custodes observationum mearum in sanctuario meo vobismetipsis*. Ostendit autem dominus zelum ad ea quae sunt legis, ut ex hoc ipso confutaret pontifices et sacerdotes, qui erant ei de lege calumniam illaturi. Per hoc etiam quod huiusmodi eiecit de templo, dedit intelligere quod appropinquabat tempus quo sacrificia legis cessare debebant, et verus Dei cultus ad gentes transferri; Matth. c. XXI, 43: *auferetur a vobis regnum* et cetera. Similiter etiam ut ostenderet eorum damnationem qui spiritualia vendunt; Act. VIII, 20: *pecunia tua tecum sit in perditione*. Consequenter cum dicit *et his qui columbas vendebant, dixit* etc., ponit remedium quod adhibuit verbo. Ubi notandum est, quod simoniaci primo quidem fugandi sunt de Ecclesia. Sed quia adhuc dum vivunt, per liberum arbitrium possunt se convertere, et adiuti a Deo ad statum gratiae redire, non sunt desperandi. Si vero non convertuntur, tunc quidem non fugantur, sed ligantur ab illis, quibus dicitur, Matth. XXII, 13: *ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores*. Et ideo dominus hoc attendens, primo quidem admonet; secundo rationem admonitionis inducit, ibi *et nolite facere* et cetera. Monet quidem venditores columbarum eos increpando, quia per eos signantur illi qui vendunt dona spiritus sancti, scilicet simoniaci. Rationem huius inducit, cum dicit: *et nolite facere domum patris mei, domum negotiationis*. Is. I, 16: *auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*. Attende autem, quod Matth. XXI, 13 dicit: *nolite facere domum meam speluncam latronum*, hic vero dicit: *domum negotiationis*, quod dominus ideo fecit ut, sicut bonus medicus, primo a levioribus incipiens, postea dura proponeret. Hoc enim quod hic factum dicitur, primo factum fuit: unde in ipso principio, non latrones, sed negotiatores eos vocat. Sed quia ex eorum duritia adhuc a tali negotiatione non cessabant, ideo dominus alia vice eos expellens de quo agitur in Mc. c. IX, 15 ss. durius eos increpat, vocans latrocinium quod primo vocaverat negotiationem. Dicit autem *domum patris mei*, ad excludendum errorem Manichaei, qui dicebat, quod Deus veteris testamenti non fuerat pater Christi, sed Deus novi. Sed si hoc verum esset, cum templum fuisset domus veteris testamenti, non utique Christus dixisset templum domum patris sui. Sed quare non sunt turbati Iudaei de hoc quod hic vocat Deum patrem suum, sicut dicitur infra V, 18, quod propter hoc eum persequerentur? Ad quod dicendum est, quod Deus est pater aliquorum per adoptionem, puta iustorum, et hoc non erat novum apud Iudaeos; Ier. III, 19: *patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis*. Sed per naturam solius Christi est, Ps. II, 7: *dominus dixit ad me: filius meus es tu*, scilicet verus et naturalis; et hoc inauditum erat apud eos. Et ideo quia Christus se verum Dei filium dicebat, Iudaei persequerentur ipsum; infra V, 18: *propter hoc persequerentur Iudaei Christum, quia non solum solvebat sabbatum; sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se Deo faciens*. Cum autem hic Deum vocat patrem, dicebant de eo quod esset per adoptionem. Quod autem domus Dei non debeat fieri domus negotiationis, habetur Zach. c. ult., 21: *non erit ultra mercator in domo domini exercituum in die illo*. Et in Ps. LXX, v. 16 secundum aliam litteram: *quoniam non cognovi negotiationem, introibo in potentias domini*. Consequenter cum dicit *recordati sunt vero discipuli eius* etc. ponit

prophetiae oraculum, quod quidem scriptum est in Ps. LXVIII, 10: *zelus domus tuae comedit me*. Ubi sciendum, quod zelus proprie dicitur quamdam intensionem amoris, qua intense diligens, nihil sustinet quod amori suo repugnet. Et inde est quod viri diligentes intense uxores, nec in eis sustinentes aliorum consortium, utpote amori eorum contrarium, zelotypi dicuntur. Ille igitur proprie zelum Dei habet qui nihil patienter sustinere potest contra honorem Dei, quem maxime diligit; III Reg. c. XIX, 10: *zelo zelatus sum pro domino exercituum* et cetera. Nos autem debemus diligere domum domini, secundum illud Ps. XXV, 8: *domine, dilexi decorem domus tuae*. Et intantum debemus diligere quod zelus eius nos comedat: dum si quid contrarium fieri videbimus, studeamus etiam quantumcumque cari nostri sint qui hoc facient, remove, nec timeamus propter hoc aliqua mala perpeti. Unde dicitur in Glossa: bonus zelus est fervor animi, quo quis mortis abiecto timore, pro defensione veritatis accenditur. Eo comeditur, qui quaelibet prava quae viderit, corrigere satagit; et si nequit, tolerat, et gemit.

### Lectio 3

[87437] Super Io., cap. 2 l. 3 Posita occasione signi exhibendi, hic consequenter Evangelista manifestat signum exhibendum: et primo ponit signum quod exhibetur; secundo ponit fructum factorum signorum, qui sequitur, ibi *cum autem esset Ierosolymis* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ponitur signi postulatio; secundo signi exhibitio, ibi *respondit Iesus, et dixit eis: solvite templum hoc* etc.; tertio signi exhibitus intellectus, seu conceptio, ibi *dixerunt ergo ei: quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc* et cetera. Signum autem postulatur a Iudaeis; et hoc est quod dixit *responderunt ergo Iudaei, et dixerunt ei: quod signum ostendis nobis, quia haec facis?* Ubi sciendum est, quod in eiectione negotiatorum de templo per Iesum, duo considerari poterant in Christo: rectitudo et zelus, quae pertinent ad virtutem; et potestas, seu auctoritas. Sed de virtute et zelo Christi, quibus praedicta fecerat, non oportebat peti signum a Christo; cum unicuique liceat operari secundum virtutem. De auctoritate tamen eius, qua eos de templo expellit, signum ab eo quaeri poterat; cum hoc non cuilibet liceret facere, sed auctoritatem habenti. Praetermisso igitur Iudaei zelo et virtute, signum petunt de eius auctoritate; et ideo dicunt *quod signum ostendis nobis, quia haec facis?* Idest, quare cum tanta potestate et auctoritate nos expellis? Non videtur hoc esse tui officii. Simile dicunt, Matth. XXI, 23: *in qua potestate haec facis?* et cetera. Signum autem quaerunt: quia familiare erat Iudaeis, signum quaerere, utpote per ea ad legem vocati; Deut. ult., 10. *Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis*. Et, I Cor. c. I, 22, *Iudaei signa quaerunt*. Ideo David in persona Iudaeorum conqueritur, dicens, Ps. LXXIII, 9: *signa nostra non vidimus*. Quaerebant autem signum, non ut crederent, sed quasi desperantes, quod signum ostendere non posset, et sic eum reprimerent et impedirent. Quia ergo prave quaerebant, non dedit eis signum apertum, sed occultum in figura, scilicet signum de resurrectione. Unde dicit *respondit Iesus, et dixit eis* etc. in quo ponitur signi postulati exhibitio. Ideo autem dat eis signum resurrectionis futurum, quia in hoc maxime virtus divinitatis eius ostenditur. Non enim puri hominis est ut se excitaret a mortuis; sed solum Christus, qui fuit inter mortuos liber, hoc virtute suae divinitatis fecit. Simile etiam signum ostendit eis. Matth. XII, 39: *generatio prava, et adultera signum quaerit; sed signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae*. Et licet utrobique dederit signum occultum et figurale; illud tamen manifestius, istud vero obscurius fuit. Notandum autem, quod ante incarnationem dedit Deus signum futurae incarnationis, Is. VII, 14: *ipse dominus dabit vobis signum: ecce virgo concipiet, et pariet filium* etc.; similiter et ante resurrectionem dedit signum de resurrectione futura: quia istis duobus maxime virtus divinitatis commendatur in Christo. Nihil enim mirabilius fieri potuit quam quod Deus factus est homo, et quod humanitas in Christo, post eius resurrectionem, immortalitatis divinae particeps effecta est; Rom. VI, 9: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur (...)* *quod enim vivit, vivit Deo*, idest ad similitudinem Dei. Sed attendenda sunt verba signi dati. Nam Christus corpus suum templum dicit: cuius ratio est, quia templum dicitur in quo Deus inhabitat etc. secundum illud Ps. X, 5: *dominus in templo sancto suo*. Et inde est quod anima sancta, quam Deus inhabitat, dicitur templum Dei; I Cor. III, 17: *templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Quia ergo in corpore Christi divinitas inhabitat, ideo corpus Christi est templum Dei, non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus; Col. II, 9: *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Et in nobis quidem habitat Deus secundum gratiam, scilicet secundum actum intellectus et voluntatis, qui non est actus corporis, sed animae tantum; sed in Christo habitat secundum unionem in persona: quae quidem unio non solum ipsam animam, sed et corpus includit; et ideo

ipsum corpus Christi est templum Dei. Ex hoc autem Nestorius, sui erroris occasionem sumens, dicit verbum Dei unum humanae naturae secundum inhabitationem tantum; ex quo sequitur quod alia sit persona Dei, alia hominis in Christo. Et ideo dicendum est, quod inhabitatio Dei in Christo refertur ad naturam, quia alia est divina natura, alia humana in Christo; sed non ad personam, quae est eadem in Christo Dei et hominis, scilicet persona verbi, ut dictum est supra. Hoc igitur supposito, circa hoc signum dominus duo facit. Primo quidem praenuntiat suam mortem futuram; secundo vero resurrectionem. Mortem quidem praenuntiat cum dicit *solvite templum hoc*. Christus enim mortuus fuit, et ab aliis occisus, Matth. XVII, v. 22: *et occident eum*, eo tamen volente: quia, ut dicitur Is. LIII, 7, *oblatus est quia ipse voluit*. Et ideo dicit *solvite templum hoc*, idest corpus meum. Et non dicit, solvetur, ne intelligas eum seipsum occidisse; sed dicit *solvite*, quod non est imperantis, sed praenuntiantis, et permittentis. Praenuntiantis quidem, ut sit sensus *solvite templum hoc*, idest, solvetis; permittentis vero, ut sit sensus *solvite templum hoc*, idest, facite de corpore meo quod vultis, illud vobis expono, sicut dicit Iudae, infra XIII, 27: *quod facis, fac citius*: non quidem imperans ei, sed eum eius arbitrio derelinquens. Dicit autem *solvite*, quia mors Christi est solutio corporis eius, aliter tamen quam aliorum hominum. Nam corpora aliorum hominum solvuntur per mortem usque ad incinerationem carnis, et pulverationem: qualis quidem solutio non fuit in Christo; quia, ut dicitur in Ps. XV, 10, *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Fuit ibi tamen solutio per mortem, quia anima separata est a corpore, ut forma a materia, et quia sanguis separatus est a corpore, et quia corpus eius perforatum est clavis et lancea. Resurrectionem autem praenuntiat cum dicit *et in tribus diebus excitabo illud*, scilicet corpus; idest a mortuis suscitabo. Non autem dicit excitabitur, nec excitabit illud pater, sed ego *excitabo*: ut ostendat se propria virtute a mortuis resurgere. Nec tamen negamus quin pater eum a mortuis suscitaverit, quia, ut dicitur Rom. c. VIII, 11, *qui suscitavit Iesum a mortuis*. Et in Ps. XL, 11: *tu autem, domine, miserere mei, et resuscita me*. Sic ergo Deus pater Christum suscitavit a mortuis, et Christus propria virtute resurrexit; Ps. III, 6: *ego dormivi, et soporatus sum, et exurrexi, quia dominus suscepit me*. Nec est in hoc contrarietas, quia eadem est virtus utriusque: unde *quaecumque pater facit, haec similiter, et filius facit*: infra V, 19. Nam si pater eum suscitavit, et filius; II Cor. ult., 4: *nam si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*. Dicit autem *et in tribus diebus* et non post tres dies, quia non diebus tribus completis in monumento permansit; sed, sicut Augustinus dicit, est synecdochica locutio, in qua ponitur pars pro toto. Origenes autem huius locutionis mysticam rationem assignat, dicens: corpus Christi verum est templum Dei, quod quidem corpus figurat corpus mysticum, idest Ecclesiam; I Cor. XII, 27: *vos estis corpus Christi, et membra de membro*. Et sicut in corpore Christi habitat divinitas per gratiam unionis, ita et in Ecclesia per gratiam adoptionis. Et quamvis corpus istud mystice dissolvi videatur adversitatibus tribulationum, quibus affligitur, tamen suscitatur in tribus diebus, scilicet in die legis naturae, et in die legis scriptae, et in die legis gratiae; quia, etsi in his diebus, quantum ad aliquos corpus dissolvatur, quantum ad aliquos tamen vivit. Et ideo dicit *in tribus diebus*, quia huius resurrectio spiritualis in tribus diebus perficitur. Sed post tres dies perfecte resuscitabimur, non solum quantum ad primam resurrectionem, sed etiam quantum ad secundam; Apoc. XX, v. 6: *beatus qui habet partem in resurrectione secunda*. Consequenter cum dicit *dixerunt ergo Iudaei* etc. ponitur signi exhibitus intellectus, et primo quidem ponitur intellectus falsus, conceptus a Iudaeis; secundo vero intellectus verus, conceptus ab apostolis, ibi *ille autem dicebat de templo corporis sui*. Falsus autem intellectus Iudaeorum erat quia credebant quod Christus diceret hoc de templo materiali, in quo tunc erat; et ideo secundum hunc intellectum, respondent de templo materiali, et dicunt *quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc*, scilicet materiale, in quo sumus, *et in tribus diebus excitabis illud*? Sed contra hoc est obiectio litteralis. Nam templum in Ierusalem per Salomonem fuit aedificatum, et ut habetur III Reg. c. VI, 1 s. a Salomone fuit consummatum septem annis, quid est ergo quod hic dicit *quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc*? Respondeo. Dicendum, secundum quosdam, quod hoc non est intelligendum de prima aedificatione templi, quae completa est a Salomone septem annis: nam templum quod Salomon aedificaverat, destructum fuit a Nabuchodonosor, sed intelligendum est de reaedificatione facta sub Zorobabel, postquam reversi fuerunt a captivitate, sicut legitur in libro Esdrae quae quidem multis impugnantibus undique inimicis, intantum impedita et dilata fuit, quod non potuit consummari templum usque ad quadagesimum sextum annum. Vel dicendum, secundum Origenem, quod intelligitur de templo Salomonis: quod quidem dicitur aedificatum quadraginta et sex annorum tempore, ut numeretur tempus ab eo die quo David mentionem fecit de aedificatione templi, consulens super hoc Nathan prophetam, ut habetur II Reg. VII, 2 s., usque ad consummationem perfectam per Salomonem: nam ex illo die David incepit praeparare materiam et necessaria ad aedificationem templi. Et si

diligenter dictum tempus consideretur, ascendit ad numerum quadraginta sex annorum. Quamvis autem Iudaei intentionem suam referrent ad templum materiale, tamen, secundum Augustinum, potest referri ad templum corporis Christi: quia, sicut ipse dicit in Lib. LXXXIII quaest., conceptio et formatio humani corporis perficitur quadraginta quinque diebus hoc modo. Primis enim sex diebus corporis humani conceptio, quasi lactis habet similitudinem; novem vero diebus sequentibus convertitur in sanguinem; duodecim inde diebus solidatur in carnem; sed decem et octo reliquis diebus formatur usque ad perfecta lineamenta omnium membrorum. Isto ergo numero sex, novem, duodecim et octodecim in unum coacto, exurgit numerus quadraginta et quinque, cui addito uno propter sacramentum unitatis, sunt quadraginta sex. Sed ex hoc insurgit quaestio: quia huius processus formationis non videtur habere locum in corpore Christi, quia in ipso instanti conceptionis formatum fuit et animatum. Sed dicendum, quod licet in corporis Christi formatione sit aliquid singulare, quia in ipso instanti corpus Christi fuit perfectum quantum ad omnia lineamenta membrorum, non tamen quantum ad debitam corporis quantitatem; et ideo in utero virginis tamdiu permansit quousque ad quantitatem debitam perveniret. Accipiamus autem dictum numerum suprapositum, scilicet senarium, qui primus erat et quadraginta sex, qui erat ultimus; et ducamus unum in alterum: ex eis surgunt ducenta septuaginta sex. Dividendo ergo tot dies in menses, dando cuilibet mensi triginta dies sunt novem menses et sex dies. Recte ergo quadraginta et sex annis templum dicitur aedificatum esse, quod significabat corpus Christi, ut insinuet, quod tot anni fuerunt in fabricatione templi quot fuerunt dies in perfectione corporis Christi: nam ab octavo Kal. Aprilis in quo Christus fuit conceptus, et (ut creditur) passus, usque ad octavum Kal. Ianuarii sunt tot dies, scilicet ducenti septuaginta sex, quod numerus surgit ex senario ducto in quadraginta et sex. Ex hoc etiam numero Augustinus (ut patet per Glossam) aliud intelligit mystice. Dicit enim, quod ex litteris nominis Adam multiplicatis, secundum numerum quem more Graecorum ipsae litterae important, surgit numerus quadraginta et sex. Nam a in Graeco secundum numerum importat unum, cum sit prima littera in alphabeto; d vero secundum ordinem importat quatuor. Addito ergo uno quod importat a, et quadraginta quod importat m, habemus quadraginta et sex. In quo significatur quod corpus Christi assumptum est de corpore Adam. Item secundum Graecos ex primis litteris acceptis ex nominibus quatuor partium mundi componitur hoc nomen Adam: scilicet anathole, quod est oriens; disis quod est occidens; Arctos, quod est Septemtrio; mesembria, quod est meridies: in quo significatur quod Christus ex Adam carnem assumpsit, ut congreget electos suos a quatuor partibus mundi; Matth. XXIV, 31: *congregabit electos suos a quatuor ventis*. Consequenter cum dicit *ille autem dicebat de templo corporis sui*, ponitur intellectus signi verus, conceptus a discipulis, et primo ponitur ipsorum intellectus; secundo vero unde apostoli hoc conceperunt, ibi *cum ergo surrexit* et cetera. Dicit ergo: Iudaei hoc dixerunt ignorantes, sed Christus non sic intelligebat, immo intelligebat de templo corporis sui; et hoc est quod dicit *ille autem dicebat de templo corporis sui*. Qua autem ratione corpus Christi dicatur templum, dictum est supra. Et ex hoc Apollinaris occasionem erroris sumens, dixit, quod caro Christi esset materia inanimata, quia templum est res inanimata. Sed in hoc decipitur: quia cum dicitur quod corpus Christi est templum, est metaphorica locutio, in qua quidem locutione non attenditur similitudo quantum ad omnia, sed quantum ad aliquid, scilicet quantum ad inhabitationem, quod quidem refertur ad naturam, ut dictum est supra. Praeterea hoc manifeste apparet per auctoritatem sacrae Scripturae, cum dicit ipse Christus: *potestatem habeo ponendi animam meam*. Unde autem apostoli hunc verum intellectum conceperunt, ostendit consequenter Evangelista, cum subdit *cum ergo surrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius* et cetera. Nam ante resurrectionem difficile erat hoc intelligere: primo quia per hoc ostendebatur quod in corpore Christi erat vera divinitas, alias non potuisset dici templum; et hoc tunc temporis intelligere, humanam capacitatem excedebat. Secundo quia in hoc facit mentionem de passione et resurrectione, cum dicit *excitabo illud*, quod nullus discipulorum adhuc audierat. Unde quando Christus resurrectionem et passionem suam expressit apostolis, Petrus hoc audiens, scandalizatus est, dicens: *absit a te, domine* (Matth. XVI, 22). Sed post resurrectionem, quando iam plene cognoverant Christum esse Deum, per ea quae circa passionem et resurrectionem ostenderat, et quando sacramentum resurrectionis ipsius didicerant *tunc recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat de corpore suo, et tunc crediderunt Scripturae*, scilicet prophetarum; Oseae VI, 3: *vivificabit nos post duos dies, et tertia die suscitabit nos*; Ionae II, 1: *erat Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus*. Et inde est quod in ipsa die resurrectionis aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. *Et sermone eius, quem dixit Iesus, huic scilicet, solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*. Analogice autem per hoc datur nobis intelligi, secundum Origenem, quod in ultima resurrectione naturae, erimus Christi discipuli, quando in magna resurrectione totum corpus Iesu, idest Ecclesia eius, certificabitur de his quae nunc

per fidem aenigmaticè cognoscimus; et tunc recipiemus fidei complementum, videndo per speciem quod nunc per speculum intuemur. Consequenter cum dicit *cum autem esset Ierosolymis*, ponit fructum consecutum ex signis, scilicet conversionem aliquorum credentium: et circa hoc tria facit. Primo proponit ipsos credentes, propter miracula; secundo ostendit quomodo Christus se habuit ad eos, ibi *ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis*; tertio rationem assignat ad hoc, ibi *eo quod ipse nosset omnes*. Fructus autem qui provenit ex signis Iesu magnus est, quia multi crediderunt, et conversi sunt ad eum; et hoc est quod dicit *cum autem esset Ierosolymis in Pascha, in die festo, multi crediderunt in nomine eius*, idest in eum, *videntes signa quae faciebat*. Nota autem, quod dupliciter aliqui crediderunt. Quidam namque propter miracula visa, quidam vero propter occultorum revelationem et prophetiam. Sed commendabiliores sunt qui propter doctrinam credunt, quia sunt magis spirituales, quam qui propter signa, qui sunt grossiores et magis sensibiles. Isti autem qui conversi sunt, sensibiles ostenduntur per hoc quod non propter doctrinam, sicut discipuli, sed *videntes signa quae faciebat, crediderunt in nomine eius*. I Cor. XIV, v. 22: *prophetiae datae sunt fidelibus* et cetera. Sed quaeritur hic quaenam signa viderunt facta a Iesu, cum nullum legamus eum tunc signum fecisse in Ierusalem. Ad hoc potest dupliciter responderi, secundum Origenem. Uno modo quod multa signa facta sint a Iesu ibi tunc temporis, quae hic non habentur; nam Evangelistae scienter multa praetermiserunt de miraculis Christi, cum tot fecerit quod non possent de facili scribi; infra ult., 25: *multa quidem alia signa fecit Iesus: quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros*. Et hoc signanter Evangelista ostendit cum dicit *videntes signa quae faciebat*, quae iam praetermissa sunt, quia non fuit intentio Evangelistarum omnia signa Iesu conscribere, sed tot quot necessaria erant ad Ecclesiam fidelium instruendam. Alio modo, quia inter miracula potest maximum signum reputari, quod cum flagello facto ex funibus, hominum multitudinem Iesus de templo solus eiecerit. Qualiter autem ad credentes se habuit, ostendit dicens *ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis*, scilicet qui crediderant in eum. Sed quid est hoc quod homines credunt Deo, et ipse Iesus non credebat se eis? Numquid potuissent eum occidere, ipso nolente? Sed dicet aliquis, quod ideo non credebat se eis, quia sciebat eos fecte credere. Sed si hoc verum esset, non utique diceret Evangelista, quod multi crediderant in nomine eius, et tamen non credebat se eis. Et ratio est, secundum Chrysostomum, quia isti crediderunt in eum, sed imperfecte, quia nondum poterant attingere ad perfecta mysteria Christi, *et ideo non credebat se eis*, idest, secreta sua mysteria eis nondum revelabat: nam et ipsis apostolis multa non revelavit; infra XVI, 12: *multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo*; I Cor. III, 1: *non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*. Et ideo notanter Evangelista, ut ostendat eos imperfecte credere, non dicit, quod credebant in eum, quia nondum credebant eius divinitatem; sed dicit *in nomine eius*: illud quod de eo, nomine tenus dicebatur, scilicet quod iustus, vel huiusmodi. Vel, secundum Augustinum, isti gerunt in Ecclesia typum catechumenorum, qui etsi credant in nomine Christi, Iesus tamen non credit se illis, quia Ecclesia non dat eis corpus Christi: quod quidem corpus, sicut nullus sacerdos conficere potest nisi in sacerdotem consecratus, ita nullus sumere debet nisi baptizatus. Ratio autem huius quod non credebat se eis, ostenditur ex perfecta Christi cognitione; unde dicit *eo quod ipse nosset omnes*. Licet autem homo ignorans debeat de quolibet praesumere bonum; tamen postquam veritas innotescit de aliquibus, debet se homo habere ad eos secundum eorum conditionem. Et quia Christum nihil latebat eorum quae sunt in homine, cum sciret eos imperfecte credere, non credebat se eis. Describitur autem cognitio Christi universalis, quia non solum familiares, sed etiam alios extraneos cognoscebat, et ideo dicit *eo quod ipse nosset omnes*, et hoc per potentiam divinitatis; Eccli. XXIII, 28: *oculi domini multo plus lucidiores sunt super solem*. Nam homo, etsi cognoscat alios, non tamen certam cognitionem de eis potest habere, quia non videt nisi ea quae apparent; et ideo opus est ei testimonio aliorum. Christus autem certissime cognoscit, quia intuetur cor: et ideo *non erat ei opus ut quis testimonium perhiberet de homine*; immo ipse testis est, Iob XVI, 20: *ecce in caelo est testis meus*. Perfecta, quia non solum quantum ad exteriora, sed etiam quantum ad interiora sua cognitio se extendit; et ideo dicit *ipse enim sciebat quid esset in homine*, idest occulta cordis. Prov. XV, 11: *Infernus, et perditio coram domino*.

© 2006 *Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem*  
*Iura omnia asservantur*  
OCLC nr. [49644264](#)

CORPUS THOMISTICUM  
Sancti Thomae de Aquino  
Super Evangelium S. Ioannis lectura  
a capite III ad caput IV

Textum Taurini 1952 editum  
ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas  
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

Caput 3

Lectio 1

[87438] Super Io., cap. 3 l. 1 Supra ostendit Evangelista virtutem Christi quantum ad mutationem naturae; hic vero ostendit eam quantum ad reformationem gratiae, de qua principaliter intendit. Reformatio autem gratiae fit per spiritualem generationem, et per beneficiorum regeneratis collationem. Primo ergo tractat de spirituali generatione; secundo de beneficiorum spiritualium regeneratis divinitus collatione; et hoc in V cap. ibi *post haec erat dies festus Iudaeorum* et cetera. Circa primum duo facit. Primo agit de spirituali regeneratione quantum ad Iudaeos; secundo de propagatione fructuum huius regenerationis etiam quantum ad externas nationes. Et hoc in IV cap. ibi *ut ergo cognovit Iesus, quia audierunt Pharisei* et cetera. Circa primum duo facit. Primo manifestat spiritualem regenerationem verbis; secundo implet eam factis, ibi *post haec venit Iesus, et discipuli eius in terram Iudaeam* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ostendit spiritualis regenerationis necessitatem; secundo eius qualitatem, ibi *dicit ad eum Nicodemus: quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* Tertio eius modum et rationem, ibi *respondit ad eum Nicodemus, et dixit ei: quomodo possunt haec fieri?* Circa primum duo facit. Primo ostendit demonstrandae necessitatis occasionem; secundo necessitatem huius regenerationis, ibi *respondit Iesus, et dixit ei: amen, amen dico tibi* et cetera. Occasio autem huius necessitatis inducitur ex Nicodemo; et ideo dicit *erat autem homo ex Phariseis, Nicodemus nomine* et cetera. Quem describit ex persona, ex tempore, et ex confessione ipsius. Ex persona quidem describitur quantum ad tria. Scilicet quantum ad religionem, quia Phariseus; unde dicit *erat homo ex Phariseis*. Duplex namque secta erat apud Iudaeos, scilicet Phariseorum et Sadducaeorum. Sed Pharisei magis conveniebant nobiscum in opinionibus, quia credebant resurrectionem et dicebant esse creaturas aliquas spirituales. Sadducaei vero magis discordabant, quia nec resurrectionem futuram, nec spiritum esse credebant. Et dicebantur isti Pharisei, quasi ab aliis divisi. Et quia opinio eorum probabilior erat, et magis propinqua veritati, ideo Nicodemus facilius conversus est ad Christum. Act. XXVI, 5: *secundum certissimam sectam religionis nostrae* et cetera. Item quantum ad nomen, cum dicit *Nicodemus nomine*: quod interpretatur victor, seu victoria populi, per quem significantur illi qui ex Iudaeis ad Christum conversi, fide vicerunt mundum. I Io. ult., 4: *haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra*. Item tertio, quantum ad dignitatem; unde dicit *princeps Iudaeorum*. A principio namque licet dominus non elegerit sapientes, potentes, aut nobiles, ne virtus fidei sapientiae et potentiae humanae attribueretur ut dicitur I Cor. I, 26: *non multi sapientes, secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi eligit Deus*, voluit tamen aliquos sapientes et potentes a principio ad se convertere, ne si doctrina sua solum ab ignobilibus et insipientibus reciperetur, haberetur contemptui, et ne credentium multitudo potius attribueretur rusticitati, et insipientiae conversorum, quam virtuti fidei. Nihilominus tamen voluit istos nobiles et potentes non



multos esse ad eum conversos, ne ut dictum est humanae potentiae, aut sapientiae ascriberetur. Et ideo dicitur Io. XII, 42, quod *aliqui ex principibus crediderunt in eum*: inter quos fuit iste Nicodemus; Ps. XLVI, 10: *principes populorum congregati sunt*. Ex tempore vero describit eum, cum dicit *hic venit ad Iesum nocte* et cetera. Circa quod sciendum est, quod qualitas temporis consuevit in Scriptura describi circa aliquos, ad insinuandam cognitionem mentis, seu conditionem actionis eorum. Describitur autem hic tempus istud obscurum, unde dicit *venit nocte*. Nox enim obscura est, et competebat qualitati affectus Nicodemi, qui non cum securitate et libera propalatione, sed cum timore ad Iesum veniebat; nam erat de illis principibus, de quibus dicitur Io. XII, 42 quod *crediderunt in eum; sed propter Phariseos non confitebantur, ut de synagoga non eicerentur*. Non enim perfecte diligebant; unde subditur: *dilexerunt enim magis gloriam hominum quam gloriam Dei*. Competit etiam nox eius ignorantiae, et imperfectae cognitioni, quam iste habebat de Christo; Rom. XIII, 12: *nox praecessit etc.*; Ps. LXXXI, 5: *nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*. Ex confessione vero describitur, cum subdit *et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister*. Ubi confitetur Christi officium in docendo, cum dicit *Rabbi*, etc. et eius potestatem in agendo, ibi *nemo enim potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*. Et quidem in utroque verum dicit, licet parum confessus est. Verum enim est quod vocat eum *Rabbi*, idest magister, quia, ut dicitur infra XIII, 13: *vos vocatis me magister, et domine, et bene dicitis, sum etenim*. Legerat enim Nicodemus quod scriptum est Ioel II, 23: *filiis Sion, exultate, et laetamini in domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiae*. Sed parum dicit, quia dicit eum a Deo venisse magistrum sed tacet eum Deum esse. Nam venire a Deo magister, commune est omnibus bonis praelatis, Ier. III, 15, *et dabo vobis pastores iuxta cor meum; et pascent vos scientia, et doctrina*; unde hoc non est singulare Christo: quamquam aliter doceant homines, aliter Christus. Alii enim magistri docent tantum exterius, sed Christus etiam interius, quia, ut dicitur supra I, 9, *erat lux vera, quae illuminat omnem hominem*: et ideo ipse solus dat sapientiam; Lc. XXI, 15: *ego dabo vobis os et sapientiam*. Et hoc nullus purus homo dicere potest. Potestatem vero confitetur ex signis visis, quasi dicat: *credo quod a Deo venisti magister, quia nemo potest haec signa facere*. Et verum dicit, quia signa quae Christus fecit, non possunt fieri nisi divinitus, et quia Deus cum eo erat; infra VIII, v. 29: *qui me misit, mecum est*. Sed parum dicit, quia credebatur quod Christus non propria potestate signa faceret, quasi indigens extranea virtute, ac si Deus non esset cum eo per unitatem essentiae, sed per infusionem gratiae solum. Quod quidem falsum est, quia non extranea virtute, sed propria, signa faciebat: nam eadem est potestas Dei et Christi. Simile est quod dicit mulier Eliae, III Reg. XVII, 24: *in hoc facto cognovi quoniam vir Dei es tu*. Consequenter cum dicit *respondit Iesus, et dixit ei etc.* ponit necessitatem spiritualis regenerationis provenientem ex ignorantia Nicodemi. Et ideo dicit *amen, amen*. Ubi notandum est, quod haec dictio *amen* est Hebraea, qua frequenter Christus usus est: unde ob eius reverentiam nullus translator, tam Graecorum quam Latinorum, transferre voluit. Et quandoque quidem significat idem quod verum, aut idem quod vere; quandoque vero idem quod fiat. Unde in Ps. LXXI, LXXXVIII et CVI, ubi nos habemus, *fiat*, in Hebraeo est *amen, amen*. Sed hanc dictionem solus Ioannes Evangelista ingeminat inter Evangelistas. Cuius ratio est, quia alii Evangelistae ea principaliter tradunt quae ad humanitatem Christi pertinent: ad quae, cum facilius credibilia sint, minor assertio necessaria erat; Ioannes vero ea quae ad divinitatem Christi pertinent, principaliter tractat, quae, cum occulta sint, et a cognitione hominum remota, maiori assertione indigebant. Deinde attendendum est, quod haec responsio Christi videtur omnino inconsona propositis a Nicodemo, nisi diligenter consideretur. Quomodo namque convenire videtur quod dixit Nicodemus *Rabbi, scimus quia a Deo venisti*, cum hoc quod respondit dominus *nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*? Sed notandum, sicut iam dictum est, quod Nicodemus imperfectam opinionem habens de Christo, confitebatur eum magistrum et haec signa facere tamquam hominem purum. Vult ergo ei dominus ostendere, quomodo ad altiore cognitionem de ipso posset pervenire. Et quidem poterat de hoc dominus disputare; sed quia hoc fuisset versum in contentionem, cuius contrarium de eo scriptum est Is. XLII, 2: *non contendet*, ideo cum mansuetudine voluit eum ad veram cognitionem perducere, quasi diceret: non mirum si me purum hominem credis, quia illa secreta divinitatis non potest aliquis scire, nisi adeptus fuerit spiritualem regenerationem. Et hoc est quod dicit *nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*. Ubi sciendum, quod cum visio sit actus vitae, secundum diversas vitas, diversae sunt visiones. Nam est quaedam vita carnalis, qua communiter omnia alia vivunt, et haec habet carnalem visionem, seu cognitionem. Est et vita spiritualis, qua homo conformatur Deo et spiritibus sanctis, et haec habet spiritualem visionem. Secundum carnalem quidem spiritualia videri non possunt; I Cor. c. II, 14: *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*, sed percipiuntur visione spirituali; unde ibidem subditur *quae Dei sunt*,

*nemo novit nisi spiritus Dei.* Spiritus autem est qui regenerat; unde apostolus Rom. VIII, v. 15: *non accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis.* Et hunc quidem spiritum per regenerationem spiritualem accipimus. Ad Tit. III, 5: *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis spiritus sancti.* Si ergo visio spiritualis non est nisi per spiritum sanctum, et spiritus sanctus infunditur nobis per lavacrum regenerationis spiritualis: ergo non possumus videre regnum Dei, nisi per lavacrum regenerationis, et ideo dicit *nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quasi dicat: non est mirum si non vides regnum Dei, quia nullus illud videre potest nisi accipiat spiritum sanctum, per quem renascitur in filium Dei. Ad regnum autem non solum pertinet regale solium, sed etiam quae sunt ad regni gubernationem, scilicet regia dignitas, beneficia gratiarum et via iustitiae, qua solidatur regnum, et ideo dicit *non potest videre regnum Dei*, idest gloriam et dignitatem Dei, idest mysteria salutis aeternae, quae per fidei iustitiam inspiciuntur; Rom. XIV, 17: *regnum Dei non est esca et potus.* In veteri autem lege fuit quaedam regeneratio spiritualis, sed imperfecta et figuralis; I Cor. X, 2: *omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari;* idest, in figura Baptismum acceperunt. Et ideo mysteria regni Dei videbant quidem, sed figuraliter tantum; Hebr. c. XI, 13: *a longe aspicientes.* In nova vero lege est manifesta regeneratio spiritualis, sed tamen est imperfecta, quia renovamur interius tantum per gratiam, sed non exterius per incorruptionem; II Cor. IV, 16: *licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem.* Et ideo videmus regnum Dei et mysteria salutis aeternae, sed imperfecte, quia, ut dicitur I Cor. XIII, 12, *videmus nunc per speculum in aenigmate* et cetera. In patria vero est perfecta regeneratio, quia renovabimur interius et exterius. Et ideo regnum Dei perfectissime videbimus; unde I Cor. XIII, 12: *tunc autem videbimus facie ad faciem;* et I Io. III, 2: *cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Patet ergo quod sicut visionem corporalem non habet quis nisi natus, ita nec spiritualem habere potest nisi renatus. Et secundum triplicem regenerationem est triplex modus visionis. Nota autem, quod in Graeco non habetur denuo, sed *anothe*, idest desuper, quod Hieronymus transtulit *denuo*, ut scilicet importet additionem. Et sic Hieronymus intellexit dicens *nisi renatus fuerit denuo*; quasi dicat: nisi renatus iterato per supernaturalem generationem. Chrysostomus autem dicit, nasci desuper, esse proprium filii Dei, quia ipse solus natus est desuper; infra (hoc cap.) *qui desursum venit, super omnes est.* Et dicitur Christus nasci desuper quantum ad tempus (ut ita liceat loqui) quia ab aeterno genitus; Ps. CIX, v. 3: *ante Luciferum genui te.* Et quantum ad generationis principium, quia a patre caelesti; infra VI, 38: *descendi, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Quia ergo nostra regeneratio est ad similitudinem filii Dei, secundum illud Rom. VIII, v. 29: *quos praescivit conformes fieri imaginis filii sui*, ideo, quia illa generatio superna est, et nostra generatio desuper est, quantum ad tempus, per aeternam praedestinationem, Eph. I, 4: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, et quantum ad donum Dei, infra VI, 44: *nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.* Eph. II, 5: *gratia Dei salvati estis* et cetera. Consequenter cum dicit *dicit ad eum Nicodemus* etc., ponit modum, et rationem huius spiritualis regenerationis: et circa hoc primo ponitur dubitatio Nicodemi; secundo responsio Christi *respondit Iesus: amen, amen dico tibi* et cetera. Circa primum sciendum est, quod, sicut dicitur I Cor. II, 14, *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*, et ideo, quia Nicodemus carnalis adhuc et animalis erat, non potuit quae dicebantur, nisi carnaliter intelligere. Et ideo ea quae dominus dixerat de regeneratione spirituali, ipse de regeneratione carnali intelligebat. Et hoc est quod dicit *quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* Ubi, secundum Chrysostomum, sciendum est, quod Nicodemus voluit obiicere contra verba salvatoris. Sed tamen obiectio eius derisibilis est, quia Christus loquitur de regeneratione spirituali, hic autem obiicit de carnali. Similiter omnes rationes inductae ad impugnandum ea quae sunt fidei, derisibiles sunt, quia non sunt secundum intentionem sacrae Scripturae. Obiicit autem Nicodemus contra verba domini dupliciter, secundum quod dupliciter videbatur dictum domini impossibile, scilicet quod homo denuo renascatur. Uno modo scilicet propter irreversibilitatem humanae vitae: nam a senectute non potest homo redire ad pueritiam. Unde dicitur Iob XVI, v. 23: *semitam*, scilicet vitam praesentem, *per quam non revertar, ambulo.* Et secundum hoc dicit *quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* Quasi dicat: numquid iterum efficitur puer ut renascatur? Iob VII, 10: *non revertetur ultra in domum suam, neque cognoscat eum amplius locus eius.* Secundo ex modo carnalis generationis: nam homo in principio cum generatur est in parva quantitate, ita ut possit eum uterus maternus capere; postmodum vero, cum iam natus est, ad continua crementa paulatim perducitur, ita ut non possit in materno utero contineri. Et ideo dicit *numquid potest in ventrem matris suae iterato introire, et renasci?* Quasi dicat, non, quia non capit eum venter. Sed haec locum non habent in generatione spirituali, quia homo, quantumcumque per peccatum spiritualiter inveteratus,

secundum illud Ps. XXXI, 3: *quoniam tacui, inveteraverunt omnia ossa mea*, potest per auxilium gratiae divinae ad novitatem venire, secundum illud Ps. CII, 5: *renovabitur ut aquilae iuventus tua*. Potest, et quantumcumque magnus, in uterum spirituales, scilicet Ecclesiae, per sacramentum Baptismi introire. Quis autem sit uterus spiritualis, manifestum est; alias numquam diceretur: *ex utero ante Luciferum genui te*. Nihilominus tamen aliqualem similitudinem habet quod dicitur; nam, sicut homo semel carnaliter natus, non potest iterum nasci, ita et semel per Baptismum spiritualiter natus, non potest iterum nasci, quia non debet iterum baptizari; Eph. IV, 5: *unus dominus, una fides, unum Baptisma*. Consequenter cum dicit *respondit Iesus etc.*, ponitur responsio Christi. Et circa hoc tria facit. Primo solvit rationes Nicodemi, ostendendo qualitatem regenerationis; secundo manifestat solutionem per rationem, ibi *quod natum est ex carne, caro est etc.*; tertio per exemplum, ibi *non mireris et cetera*. Solvit ergo obiectiones, ostendens quod regeneratio de qua loquitur, est spiritualis, et non carnalis. Et hoc est quod dicit *amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, quasi dicat: tu intelligis de generatione carnali, sed ego loquor de spirituali. Sed attende quod supra dixerat *non potest videre regnum Dei*, hic vero dicit *non potest introire in regnum Dei*, quod idem est. Nam quae regni Dei sunt, nullus videt, nisi regnum Dei intret; et tantum videt quantum intrat. Apoc. II, 17: *in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit*. Quod autem spiritualis regeneratio ex spiritu fiat, rationem habet. Nam oportet generatum generari ad similitudinem generantis; nos autem regeneramur in filios Dei, ad similitudinem veri filii: oportet ergo quod regeneratio spiritualis fiat per id per quod assimilamur vero filio; quod quidem est per hoc quod spiritum eius habemus. Rom. VIII, 9: *si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius*; I Io. IV, 13: *in hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis et cetera*. Oportet ergo quod spiritualis regeneratio per spiritum sanctum fiat. Rom. VIII, 15: *non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum*; infra VI, 63: *spiritus est qui vivificat et cetera*. Et etiam huic regenerationi necessaria aqua propter tria. Primo quidem propter humanae naturae conditionem. Homo enim ex anima et corpore constat, et si in eius regeneratione esset spiritus tantum, solum quod spirituale est hominis, ostenderetur regenerari. Ut ergo regeneretur etiam caro, oportet quod sicut est ibi spiritus, per quem regeneratur anima, ita sit ibi aliquid corporale, per quod regeneretur corpus; et hoc est aqua. Secundo propter humanam cognitionem: nam, sicut Dionysius dicit, divina sapientia ita omnia ordinat ut unicuique provideat secundum modum suae conditionis. Homo autem est naturaliter cognoscitivus; oportet ergo eo modo dona spiritualia hominibus conferri, ut ea cognoscant; I Cor. II, 12: *ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis*. Naturalis autem modus huius cognitionis est ut spiritualia per sensibilia cognoscat, cum omnis nostra cognitio a sensu incipiat. Oportuit ergo ad hoc quod intelligamus id quod spirituale est in hac regeneratione, quod esset in ea aliquid sensibile et materiale, scilicet aqua: per quod intelligamus quod sicut aqua lavat et purgat corporaliter exterius, ita et per Baptismum homo lavatur et purgatur interius spiritualiter. Tertio propter causae congruitatem: nam causa nostrae regenerationis est verbum incarnatum. Supra I, 12: *dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Congruit ergo quod in sacramentis, quae efficaciam habent ex virtute verbi incarnati, sit aliquid correspondens verbo, et aliquid correspondens carni, seu corpori. Et hoc est spiritualiter aqua in sacramento Baptismi, ut scilicet per eam configuremur morti Christi, dum submergimur in ea, quando baptizamur, sicut Christus tribus diebus fuit in ventre terrae; Rom. VI, 4: *consepulti enim sumus cum illo per Baptismum*. Hoc etiam mysterium in prima rerum productione signatum est, Gen. I, quando spiritus domini ferebatur super aquas. Sed per tactum mundissimae carnis Christi maior virtus collata est aquis: quia in principio producebant aquae reptile animae viventis; sed ex quo Christus baptizatus est in Iordane, animas spirituales aqua reddit. Per hoc autem quod hic dicit *nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto*, manifeste apparet spiritum sanctum esse Deum. Supra enim I, 13, dicit: *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Ex quo sic formatur ratio. Ille ex quo spiritualiter renascuntur homines, est Deus; sed homines renascuntur spiritualiter per spiritum sanctum, ut hic dicitur: ergo spiritus sanctus est Deus. Sed hic est duplex quaestio. Prima est. Si nullus intrat regnum Dei, nisi renascatur aqua, antiqui autem patres non sunt renati aqua, quia non baptizabantur: ergo non intraverunt regnum Dei. Alia est, quia cum sit triplex Baptismus, scilicet fluminis, fluminis et sanguinis, et multi fuerint baptizati ultimis duobus, quos dicimus intrasse regnum Dei statim (cum tamen non fuerint renati aqua) non videtur esse verum quod hic dicitur *nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto*. Responsio. Dicendum est quantum ad primum, quia regeneratio ex aqua et spiritu sancto fit dupliciter, scilicet in veritate et figura. Antiqui autem patres, licet non fuerint regenerati regeneratione vera, fuerunt tamen regenerati regeneratione figurati, quia semper

habuerunt aliquod signum sensibile, in quo vera regeneratio praefigurabatur; et secundum hoc renati intraverunt regnum Dei, soluto pretio. Quantum ad secundum dicendum, quod illi qui renascuntur Baptismo sanguinis et flaminis, licet non habeant regenerationem in actu, habent tamen in voto: alias enim neque Baptismus sanguinis aliquid valeret; nec esse posset Baptismus spiritus. Sic ergo ad hoc quod homo intret regnum Dei, oportet quod adsit Baptismus aquae in re, sicut est in omnibus baptizatis; vel in voto, sicut est in martyribus et catechumenis, qui morte praeventiuntur antequam votum impleant; vel in figura, sicut in antiquis patribus. Ex hoc quod dicitur *nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto*, Pelagiani errantes dixerunt, quod pueri baptizantur, non quidem ut mudentur a peccatis quae nondum habent, sed ut possint intrare regnum Dei. Sed hoc est falsum: quia, secundum quod Augustinus dicit in Lib. de Baptismo parvulorum, inconueniens est quod imago Dei, scilicet homo, subtrahatur a regno Dei, nisi propter aliquod impedimentum; quod esse non potest, nisi peccatum. Oportet ergo quod in pueris qui subtrahuntur a regno, sit aliquod peccatum scilicet originale. Consequenter cum dicit *quod natum est ex carne, caro est* etc. probat per rationem, quod oportet nasci ex aqua et spiritu sancto: et est ratio sua talis. Nullus potest pervenire ad regnum, nisi spiritualis efficiatur; sed aliquis non efficitur spiritualis nisi per spiritum sanctum: ergo nullus potest intrare regnum Dei nisi renatus ex spiritu sancto. Dicit ergo *quod natum est ex carne, caro est*; idest, nativitas secundum carnem, facit nasci in vitam carnalem, I Cor. XV, 47: *primus homo de terra terrenus, et quod natum est ex spiritu*, idest ex virtute spiritus sancti, *spiritus est*, idest spiritualis. Nota autem, quod haec praepositio ex quandoque designat causam materialem; sicut cum dico, cultellus est ex ferro; quandoque causam efficientem; sicut domus est ex aedificatore. Et secundum hoc, quod dicitur *quod natum est ex carne*, potest intelligi dupliciter, effective et materialiter. Effective quidem, quia virtus quae est in carne, est effectiva generationis; materialiter vero, quia aliquod carnale in animalibus est materia generati. Sed ex spiritu non dicitur aliquid nasci materialiter, cum spiritus immutabilis sit, materia vero sit subiectum transmutationis, sed dicitur effective. Secundum hoc ergo, possumus accipere triplicem generationem. Unam quae est ex carne materialiter et effective, quae est communis omnibus qui carnalem statum habent. Alia est secundum spiritum effective, secundum quam regeneramur in filios Dei per gratiam spiritus sancti, et efficitur spirituales. Tertia est media, scilicet quae est ex carne materialiter solum, et ex spiritu sancto effective. Et haec est singularis et propria Christi: quia materialiter est habens carnem ex carne matris natus, et effective est ex spiritu sancto; Matth. I, 20: *quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est*. Et ideo natus est sanctus; Lc. I, 35: *spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*.

## Lectio 2

[87439] Super Io., cap. 3 l. 2 Supra posuit dominus rationem ad instruendam spiritualem generationem; hic ponit exemplum. Datur autem intelligi, quod Nicodemus, audito *quod natum est ex spiritu, spiritus est*, turbationem quamdam dubietatis incurrit; et ideo dominus dicit ei *non mireris, quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo*. Ubi sciendum est, quod duplex est admiratio. Una devotionis, secundum quod aliquis magnalia Dei considerans, cognoscit ea sibi incomprehensibilia esse: unde relinquitur admirationi locus, secundum illud Ps. XCII, 4: *mirabilis in altis dominus*; et alibi CXVIII, v. 129: *mirabilia testimonia tua*. Et ad hanc homines sunt inducendi, non prohibendi. Alia est infidelitatis, dum quis ea quae dicuntur non credens, miratur. Unde dicitur Matth. c. XIII, 57 quod *mirabantur in doctrina Christi*: et sequitur, quod *scandalizabantur in eo*. Et ab hac admiratione dominus Nicodemum removet, inducens exemplum, cum dicit *spiritus ubi vult spirat*. Quod quidem, eadem servata sententia, dupliciter quantum ad litteram exponi potest. Uno enim modo, secundum Chrysostomum, accipitur pro vento, sicut in Ps. c. CXLVIII, 8: *spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius*. Et secundum hoc quatuor dicit de vento. Primo venti potestatem, cum dicit *spiritus ubi vult spirat*; idest, ventus quo vult flat. Et si dicas, quod ventus non habet voluntatem; dicendum, quod voluntas sumitur pro appetitu naturali, qui nihil est aliud quam naturalis inclinatio, de qua dicitur Iob XXVIII, 25: *qui creavit ventis pondus*. Secundo ponitur venti indicium, cum dicit *et vocem eius audis*; et sumitur vox pro sono quem facit ventus ex percussione ad aliquod corpus; de quo dicitur in Ps. LXXVI, 19: *vox tonitru tui in rota*. Tertio ponit venti originem, quae occulta est; unde dicit *et nescis unde veniat*, idest ubi oriatur; Ps. CXXXIV, 7: *qui producit ventos de thesauris suis*. Quarto ponit venti finem, qui similiter occultus est; unde dicit *aut quo vadat*; supple, nescis, idest ubi persistat. Et hanc quidem similitudinem inducit ad propositum, cum dicit *sic est omnis qui natus*

*est ex spiritu*; quasi dicat: si ventus, qui est corporeus, habet occultam originem, nec potest sciri eius processus; quomodo miraris, si tu non potes scire processum regenerationis spiritualis? Sed contra hanc expositionem obiicit Augustinus dicens, quod dominus non intellexit de vento, cum dixit *spiritus ubi vult spirat* etc. nam de quolibet vento scimus, unde veniat, aut quo vadat: nam Auster venit a meridie, et vadit ad Aquilonem; Boreas vero e converso ab Aquilone ad meridiem vadit. Quomodo ergo de spiritu corporeo dicit dominus *nescis unde veniat, aut quo vadat*? Sed ad hoc responderi potest, quod principium venti potest sciri dupliciter. Uno modo in generali; et hoc modo scitur unde veniat, idest a qua parte mundi, sicut scitur, quod Auster venit a meridie; et quo vadat, quia ad Aquilonem. Alio modo in speciali; et hoc modo nescitur unde veniat, idest in qua plaga determinate incipiat: aut quo vadat, idest ubi determinate cesset. Et cum Chrysostomo ad hanc expositionem conveniunt omnes fere Graeci doctores. Alio modo exponitur de spiritu sancto; et secundum hoc quatuor ponit de spiritu sancto. Primo quidem eius potestatem, cum dicit *spiritus ubi vult spirat*: quia pro libero potestatis arbitrio inspirat ubi vult, et quando vult, corda illustrando; I Cor. XII, 11: *haec omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult*. Ex quo confutatur error Macedonii ponentis spiritum sanctum esse ministrum patris et filii. Non enim spiraret ubi ipse vellet, sed ubi ei mandaretur. Secundo vero ponit spiritus sancti indicium, cum dicit *et vocem eius audis*; Ps. XCIV, 8: *hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Sed contra hoc obiicit Chrysostomus dicens, quod non potest intelligi de spiritu sancto. Dominus enim loquebatur Nicodemo, qui adhuc infidelis erat, cui non competebat audire vocem spiritus sancti. Sed dicendum, secundum Augustinum, quod spiritus sancti est duplex vox. Una, qua loquitur intus in corde hominis; et hanc audiunt solum fideles et sancti: de qua dicitur in Ps. c. LXXXIV, 9: *audiam quid loquatur in me dominus Deus*. Alia est, qua spiritus sanctus loquitur in Scripturis, vel per praedicatores, secundum quod dicitur Matth. X, 20: *non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus sanctus qui loquitur in vobis*. Et hanc audiunt etiam infideles et peccatores. Tertio ponit spiritus sancti originem, quae occulta est, unde dicit *et nescis unde veniat*, licet vocem eius audias: et hoc ideo quia venit a patre et filio; infra XV, 26: *cum autem venerit Paraclitus, quem ergo mittam vobis a patre spiritum veritatis, qui a patre procedit*. Pater autem, et filius lucem habitant inaccessibilem, *quam nemo hominum vidit, sed nec videre potest*: ut dicitur I Tim. ult. 16. Quarto ponit spiritus sancti finem, qui quidem occultus est, et ideo dicit *aut quo vadat*, supple: nescis, quia perducit ad occultum finem, scilicet ad beatitudinem aeternam. Unde dicitur *pignus hereditatis*, Eph. I, v. 14 et I Cor. II, 9: *oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum*. Vel *nescis unde veniat*, idest quomodo hominem introeat, *aut quo vadat*, idest ad quam perfectionem illum adducat; Job IX, 11: *si venerit ad me, non videbo eum*. Sic est *omnis qui natus est ex spiritu*, idest, sicut spiritus sanctus. Nec mirum: nam sicut supra dixerat, *quod natum est ex spiritu, spiritus est*: quia in viro spirituali sunt proprietates spiritus sancti, sicut in carbone succenso sunt proprietates ignis. Sunt autem in eo qui natus est ex spiritu sancto praedictae quatuor proprietates spiritus. Primo namque habet libertatem; II Cor. c. III, 17: *ubi spiritus domini, ibi libertas*, quia spiritus domini ducit ad id quod rectum est, Ps. CXLII, 10: *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, et liberat a servitute peccati et legis, Rom. VIII, 2: *lex spiritus vitae in Christo liberavit me* et cetera. Secundo vero eius indicium sumis per vocem verborum suorum, quam dum audis, cognoscis eius spiritualitatem; Matth. XII, 34: *ex abundantia cordis os loquitur*. Tertio vero habet originem occultam, et finem, quia nullus potest spiritualem iudicare I Cor. II, 15: *spiritualis omnia iudicat, et ipse a nemine iudicatur*. Vel *nescis unde veniat*, principium spiritualis nativitatis eius, quod est gratia baptismalis *aut quo vadat*, idest quo dignus efficitur, idest vita aeterna, quae tibi adhuc occulta est. Hic ponitur causa et ratio spiritualis regenerationis: et primo ponitur interrogatio Nicodemi; secundo responsio domini *respondit Iesus, et dixit ei* et cetera. Apparet autem ex primo, quod Nicodemus adhuc rudis, et adhuc Iudaeus sensibilis existens, mysteria Christi, et per ea exempla, et per rationes proposita intelligere non poterat; et ideo dicit *quomodo possunt haec fieri*? Dupliciter namque aliqui inquirunt. Quidam namque ex diffidentia; sicut Zacharias, Lc. I, v. 18: *unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis*: et ideo punitus fuit; Is. XL, 23: *qui dat scrutatores eius quasi non sint*. Aliqui vero ex studio addiscendi, sicut virgo beata, cum dixit Angelo, Lc. I, 34: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*? Et tales instruuntur. Quia ergo iste quaesivit ex studio addiscendi, ideo meruit instrui. Et hoc est quod sequitur *respondit Iesus* etc. ubi primo dominus arguit eius tarditatem; secundo respondet ad quaestionem ipsius, ibi *et nemo ascendit in caelum*. Tarditatem eius arguit ex tribus: primo ex conditione personae eius cui loquitur, cum dicit *tu es magister*: ubi non reprehendit eum dominus ut insultaret ei, sed quia confidebat adhuc de magisterio suo, praesumens de sua scientia, voluit eum

humiliando efficere habitaculum spiritus sancti; Is. ult., 2: *ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu?* Et dicit *tu es magister*: quia si aliquis simplex non potest profunda capere, tolerabile est; sed hoc in magistro valde est reprehensibile, et ideo dicit ei *tu es magister*, idest litterae quae occidit, I Cor. III; *in Israel, et haec*, scilicet spiritualia ignoras? Hebr. V, 12: *etenim cum deberetis esse magistri propter tempus, rursus indigetis ut vos doceamini*. Si dicas, quod dominus iuste argueret Nicodemum, si dixisset ei aliquid de veteri lege, et ipse non intellexisset; sed dixit ei de nova lege. Dicendum, quod ea quae dominus dicit de spirituali generatione, continentur in lege veteri, sed sub figura, secundum quod habetur I Cor. X, 2: *omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari*. Et prophetae etiam hoc dixerunt; Ez. XXXVI, 25: *effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Secundo vero arguit eius tarditatem ex conditione dicentis. Quod enim non acquiescatur dictis alicuius hominis rudis, tolerari potest; sed repugnare dictis hominis sapientis, et magnae auctoritatis, reprehensibile est; et ideo dicit *amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur*. Requiritur enim ad idoneitatem testis ut perhibeat testimonium de auditu, vel visu; I Io. I, 3: *quod vidimus, et audivimus*. Et ideo dominus utrumque dicit *quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur*. Scit autem dominus, secundum quod homo, omnia; infra ult., 17: *domine, tu omnia nosti*; II Mac. VI, 30: *domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis*. Sed et videt omnia cognitione divinitatis; infra VIII, v. 38: *ego quae vidi apud patrem meum, haec facio*. Dicit autem pluraliter *scimus et vidimus*, ut insinuet mysterium Trinitatis. Ideo *pater in me manens, ipse facit opera*: infra XIV, 10. Vel *quod scimus*, ego et alii spirituales effecti: quia, dicitur Matth. XI, 26: *nemo novit patrem nisi filius, et cui voluerit filius revelare*. Et tamen *testimonium*, ita probatum, ita firmum, *non accipitis*. Infra eodem *et testimonium eius nemo accipit*. Tertio arguit eius tarditatem ex conditione eorum quae dicuntur. Quod enim aliqua difficilia non capiantur ab aliquo, non est mirum; sed quod facilia quis non capiat, reprehensibilis est. Et ideo dicit *si terrena dixi vobis, et non creditis; quomodo si dixero vobis caelestia, credetis?* Quasi dicat: si haec quae sunt levia, non capis; quomodo capere poteris processum spiritus sancti? Sap. c. IX, 16: *quae in terris sunt, difficile invenimus, et quae in caelis sunt quis investigabit?* Sed contra. Non invenitur ex praemissis quod dominus dixerit Nicodemo aliqua terrena. Et dicendum, secundum Chrysostomum hic, quod dicit dominus *si terrena dixi vobis* et cetera. Intelligitur de exemplo venti. Ventus enim cum sit generabilis et corruptibilis, numeratur inter res terrenas. Vel potest dici, secundum eundem, quod spiritualis generatio, quae est in Baptismo, caelestis quidem est quantum ad principium, quod sanctificat et regenerat, sed terrena quantum ad subiectum: quod enim regeneratur, scilicet homo, terrenus est. Vel dicendum, secundum Augustinum, quod intelligendum est de eo quod supra dixerat: *solvite templum hoc* etc. quod ideo terrenum est, quia hoc dixit de templo corporis sui, quod de terra acceperat. *Si terrena dixi vobis, et non creditis; quomodo si caelestia, credetis?* Quasi dicat: si non creditis generationem spiritualem temporalem, quomodo credetis aeternam filii generationem? Vel si non creditis quae dico de potestate corporis mei, quomodo credetis de potestate divinitatis meae, et de potestate spiritus sancti? *Respondit Iesus*, et cetera. Hic respondet quaestioni: et primo ponit causas spiritualis regenerationis; secundo manifestat quod dicit, ibi *sic enim Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret*. Causa autem spiritualis regenerationis est duplex, scilicet mysterium incarnationis Christi et passionis eius: et ideo primo agit de incarnatione; secundo de passione, ibi *et sicut Moyses exaltavit serpentem* et cetera. Est autem considerandum primo, quomodo ista responsio Christi quaestioni Nicodemi satisfaciat. Dixerat enim supra dominus, de spiritu loquens, quod *nescis unde veniat, aut quo vadat*: per quod dabatur intelligi, quod spiritualis regeneratio haberet occultum principium et occultum finem. Occulta autem nobis sunt quae in caelis sunt, secundum illud Sap. IX, 16: *quae in caelis sunt, quis investigabit?* Quaestio ergo Nicodemi *quomodo possunt haec fieri?* Sic debet intelligi: quomodo possit aliquid de occulto caelorum venire aut ad occultum caelorum ire? Unde antequam quaestioni satisfaceret, hunc intellectum quaestionis explicavit, dicens *quomodo si dixero vobis caelestia, credetis?* Et statim incipit ostendere, cuius sit in caelum ascendere proprium: quia omnis qui de caelo descendit, secundum illud Eph. IV, 10: *qui descendit ipse est et qui ascendit*. Hoc enim et in rebus naturalibus invenitur quod unumquodque corpus tendit in locum, secundum suam originem vel naturam. Unde hoc modo potest fieri ut aliquis per spiritum vadat ad locum quem carnales nesciunt, ascendendo in caelum, si hoc fiat per virtutem eius qui descendit de caelo: quia ad hoc descendit, ut ascendens, nobis viam aperiret; Mich. II, v. 13: *ascendit pandens iter ante eos*. Sed quia dicit *qui descendit de caelo filius hominis*: quidam errandi sumpserunt occasionem. Cum enim filius hominis designet humanam naturam, quae componitur ex anima et corpore, per hoc quod dicit quod filius descendit de caelo, Valentinus accipere voluit, quod etiam corpus de caelo detulisset, et transisset per virginem, nihil ex ea

accipiens, sicut aqua per fistulam: ergo non de terrena substantia, nec sumptum de virgine: quod est contra apostolum, Rom. I, 3: *qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Origenes vero dixit, quod descendit de caelo secundum animam, quam dicit ab initio fuisse creatam cum Angelis, et verbo unitam, et postmodum de caelo descendisse assumendo carnem de virgine. Sed et hoc repugnat Catholicae fidei, quae animas dicit ante corpora non extitisse. Non ergo intelligendum est quod filius hominis secundum humanam naturam de caelo descenderit, sed secundum divinam. Cum enim in Christo sit unum suppositum, vel hypostasis, vel persona duarum naturarum, divinae scilicet, et humanae; ex quacumque earum hoc suppositum nominetur, possunt ei attribui et divina et humana. Possumus enim dicere, quod filius hominis creavit stellas, et quod filius Dei crucifixus est. Sed filius Dei crucifixus est, non secundum divinam naturam, sed secundum humanam; filius autem hominis creavit stellas secundum divinam naturam. Ita in his quae de Christo dicuntur, non est attendenda distinctio quantum ad id de quo dicuntur, quia indifferenter et divina et humana dicuntur de Deo et homine; sed est attendenda distinctio quantum ad id secundum quod dicuntur, quia divina dicuntur de Christo secundum divinam naturam, humana vero secundum humanam. Descendere ergo de caelis dicitur de filio hominis, non secundum humanam naturam, sed secundum divinam, secundum quam convenit ei ante incarnationem de caelo fuisse, secundum illud Ps. CXIII, 16: *caelum caeli domino*. Dicitur autem descendisse, non motu locali, quia sic non remaneret in caelo: nihil enim localiter motum manet unde descendit. Et ideo ad excludendum motum localem, subdit *qui est in caelo*; quasi dicat: sic descendit de caelo, quod tamen est in caelo. Descendit enim de caelo, non quidem desinens esse sursum, sed assumens naturam quae est deorsum: quae, quia non includitur, vel comprehenditur, corpore eius existente in terra, ipse secundum divinitatem erat in caelis, et ubique. Et ideo ad designandum, quod hoc modo dicitur descendisse, quia assumpsit naturam, dixit quod *descendit filius hominis*; idest, in quantum factus est filius hominis. Vel potest dici etiam, quod quantum ad corpus descendit de caelo, ut Hilarius dicit: non quod materia corporis Christi descenderit de caelo, sed quod virtus formativa eius de caelo fuit. Sed quid est quod dicit *nemo ascendit in caelum, nisi filius hominis, qui est in caelo*? Nonne Paulus, et Petrus, et alii sancti ascenderunt, secundum illud II Cor. c. V, 1: *domum habemus, non manufactam in caelis* et cetera. Respondeo dicendum, quod nemo ascendit in caelum nisi Christus et membra sua, idest iusti fideles: propterea filius Dei de caelis descendit, ut nos faciendo membra sua ad ascensum caelorum praepararet; nunc quidem in spe, tandem vero in re; Eph. II, 6: *qui resuscitavit nos, et consedere nos fecit in caelestibus in Christo Iesu*. Hic ponit mysterium passionis, cuius virtute Baptismus efficaciam habet; Rom. c. VI, 3: *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Et circa hoc tria facit: primo namque proponit passionis figuram; secundo passionis modum; tertio passionis fructum. Figuram quidem assumit de veteri lege, ut reducat ad intellectum Nicodemum; unde dicit *sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto* etc. quod quidem habetur Num. XXI, 5 quoniam dominus, populo Iudaeorum dicenti: *nauseat anima nostra super hoc cibo levissimo*, in ultionem misit serpentes, et postea concurrente populo ad Moysen, et ipso clamante ad dominum, mandavit dominus in remedium fieri serpentem aeneum, qui quidem fuit et in remedium contra illos serpentes, et in figuram passionis dominicae. Unde et dicitur: *in signum posuit eum*. Proprium autem serpentis est habere venenum; sed serpens aeneus venenum non habuit, sed figura fuit serpentis venenosi. Sic et Christus non habuit peccatum, quod est venenum: quia *cum consummatum fuerit, generat mortem*, ut dicitur Iac. c. I, 15, sed habuit similitudinem peccati, Rom. c. VIII, 3: *misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati*. Ideo Christus habuit effectum serpentis contra motum concupiscentiarum ignitarum. Modum autem passionis ostendit, cum dicit *sic exaltari oportet filium hominis*: quod intelligitur de exaltatione crucis. Unde infra XII, 34 cum diceret: *oportet exaltari filium hominis* etc. sequitur: *hoc dicebat significans qua morte clarificaturus esset Deum*. Voluit autem mori exaltatus, primo ut purgaret caelestia: iam enim per sanctitatem suae conversationis purgaverat terram, restabat per mortem purgare aerea. Col. I, 20: *pacificans per sanguinem suum quae in caelis et quae in terris*. Secundo ut triumpharet de Daemonibus, qui in aere bellum praeparant; Eph. c. II, 2: *secundum principem potestatis aeris* et cetera. Tertio ut corda nostra ad se traheret; infra XII, 32: *ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*. Quarto quia in morte crucis fuit exaltatus, in quantum ibi de inimicis triumphavit: unde mors non vocatur, sed exaltatio; Ps. 109: *de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput* et cetera. Quinto quia crux fuit causa exaltationis eius; Phil. II, 8: *factus est obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum*. Fructus autem passionis Christi est vita aeterna; unde dicit *ut omnis qui credit in ipsum, bene operando, non pereat, sed habeat vitam aeternam*. Et respondet hic fructus fructui figuralis serpentis. Quicumque enim respiciebant serpentem aeneum, liberabantur a veneno, et praeservabantur

vitae. Ille autem respicit filium hominis exaltatum qui credit Christo crucifixo; et sic liberatur a veneno et a peccato, infra XI, 26: *qui credit in me, non morietur in aeternum*: et praeservatur ad vitam aeternam; infra XX, 31: *haec scripta sunt ut credatis, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius*.

### Lectio 3

[87440] Super Io., cap. 3 l. 3 Supra dominus assignavit causam spiritualis regenerationis quantum ad descensum filii, et exaltationem filii hominis, et posuit fructum, scilicet vitam aeternam, qui quidem fructus incredibilis videbatur hominibus habentibus necessitatem moriendi: et ideo dominus hoc manifestat, et primo probat magnitudinem fructus ex magnitudine divini amoris; secundo excludit quamdam responsionem, ibi *non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum*. Notandum est autem, quod omnium bonorum nostrorum causa est dominus et divinus amor. Amare enim proprie est velle alicui bonum. Cum ergo voluntas Dei sit causa rerum, ex hoc provenit nobis bonum, quia Deus amat nos. Et quidem amor Dei est causa boni naturae; Sap. XI, 25: *diligis omnia quae sunt* et cetera. Item est causa boni gratiae; Ier. XXXI, 3: *in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te*, scilicet per gratiam. Sed quod sit etiam dator boni gloriae, procedit ex magna caritate. Et ideo ostendit hic, hanc Dei caritatem esse maximam ex quatuor. Primo namque ex persona amantis, quia Deus est qui diligit, et immense; et ideo dicit *sic Deus dilexit*; Deut. XXXIII, 3: *dilexit populos: omnes sancti in manu illius sunt*. Secundo ex conditione amati, quia homo est qui diligitur, mundanus scilicet, corporeus, idest in peccatis existens; Rom. V, 10: *commendat Deus suam caritatem in nobis: quoniam cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius*. Et ideo dicit *mundum*. Tertio ex magnitudine munerum: nam dilectio ostenditur per donum, quia, ut dicit Gregorius probatio dilectionis, exhibitio operis est. Deus autem maximum donum nobis dedit, quia filium suum unigenitum; et ideo dicit *ut filium suum unigenitum daret*; Rom. VIII, 32: *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Et dicit *suum*, idest filium naturalem, sibi consubstantialem, non adoptivum: de quibus in Ps. LXXXI, 6: *ego dixi, dii estis*. Et per hoc patet falsitas Aarii: quia si filius Dei esset creatura, ut ipse dicebat, non posset in eo ostendi immensitas divini amoris, per susceptionem infinitae bonitatis, quam nulla creatura recipere potest. Dicit etiam *unigenitum*, ut ostendat Deum non divisum amorem habere ad plures filios, sed totum in filio, quem dedit ad comprobandum immensitatem sui amoris; infra V, 20: *pater diligit filium, et omnia demonstrat ei*. Quarto ex fructus magnitudine, quia per eum habemus vitam aeternam, unde dicit *ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*: quam acquisivit nobis per mortem crucis. Sed numquid ad hoc dedit eum ut moreretur in cruce? Dedit quidem eum ad mortem crucis, inquantum dedit voluntatem patiendi in ea: et hoc dupliciter. Primo quia inquantum filius Dei, ab aeterno habuit voluntatem assumendi carnem, et patiendi pro nobis, et hanc voluntatem habuit a patre. Secundo vero quia animae Christi inspirata est a Deo voluntas patiendi. Nota autem, quod dominus supra loquens de descensu qui competit Christo secundum divinitatem, nominavit eum filium Dei; et hoc est ratione unius suppositi in duabus naturis, sicut supra dictum est. Et ideo divina possunt praedicari de supposito humanae naturae, et humana de supposito divinae, non tamen secundum eandem naturam; sed divina secundum divinam naturam, et humana secundum humanam. Specialis autem causa quare hic nominavit eum filium Dei est quia ipse proposuit donum istud in signum divini amoris, per quem provenit nobis fructus vitae aeternae. Tali ergo nomine nominandus erat, cui competeret indicare virtutem factivam vitae aeternae, quae non est in Christo inquantum filius hominis, sed inquantum filius Dei; I Io. ult., 20: *hic est verus Deus, et vita aeterna*; supra I, 4: *in ipso vita erat*. Sed nota, quod dicit *non pereat*. Perire namque dicitur aliquid quod impeditur ne perveniat ad finem ad quem ordinatur. Homo autem ordinatur ad finem, qui est vita aeterna; et quamdiu peccat, avertit se ab ipso fine. Et licet dum vivit omnino non pereat, ita quod non possit restaurari, tamen quando moritur in peccato, tunc perit omnino; Ps. I, 6: *iter impiorum peribit*. In hoc autem quod dicit *habeat vitam aeternam*, indicatur divini amoris immensitas: nam dando vitam aeternam, dat seipsum. Nam vita aeterna nihil aliud est quam frui Deo. Dare autem seipsum, magni amoris est indicium; Eph. II, 5: *Deus autem, qui dives est in misericordia, convivificavit nos in Christo*, idest fecit nos habere vitam aeternam. Hic excludit dominus obiectionem quae posset fieri. In veteri enim lege promittebatur quod dominus esset venturus ad iudicandum; Is. III, 14: *dominus ad iudicium veniet* et cetera. Unde posset aliquis dicere, quod non venerat filius Dei, ut det vitam aeternam, sed ut iudicet mundum: et ideo hoc excludens dominus, primo ostendit se non venisse ad iudicandum; secundo probat, ibi *qui credit in eum, non iudicatur*. Dicit ergo: non enim venit



filius Dei ad iudicandum, quia *non misit Deus filium suum*, scilicet quantum ad primum adventum, *ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus*. Simile habetur infra XII, 47: *non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum*. Salus autem hominis est ut perveniat ad Deum; Ps. LXI, 8: *in Deo salutare meum*. Pervenire autem ad Deum est consequi vitam aeternam: unde idem est salvari quod habere vitam aeternam. Nec debent homines esse pigri, et abutentes Dei misericordia, propter hoc quod dicit *non veni ut iudicem mundum* licentiam sibi indulgere peccandi, quia etsi in primo adventu non venerit ad iudicandum, sed ad dimittendum; in secundo tamen veniet ad iudicandum, sed non ad dimittendum, ut Chrysostomus dicit. Ps. LXXIV, 3: *cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*. Contra est, quod dicitur infra IX v. 39: *in iudicium ego veni*. Sed dicendum est, quod duplex est iudicium. Unum est discretionis; et ad hoc venit filius Dei in primo adventu: quia eo veniente homines discreti sunt, quidam per caecitatem, quidam per lumen gratiae. Aliud est condemnationis; et in hoc quantum de se non venit. Hic probat quae dixerat, quasi per locum a divisione, hoc modo. Quicumque iudicabitur, aut erit fidelis, aut infidelis; sed non veni ad iudicandum infideles, quia iam iudicati sunt: ergo a principio *non misit Deus filium suum, ut iudicet mundum*. Primo ergo ostendit, quod fideles non iudicantur; secundo quod nec infideles, ibi *qui autem non credit, iam iudicatus est*. Dicit ergo: *non veni ut iudicem mundum*: quia non venit ad iudicandum fideles, quia *qui credit in eum, non iudicatur*, scilicet iudicio condemnationis, quo nullus credens in eum fide formata iudicatur; infra c. V, 24: *in iudicium non venit, sed transit a morte in vitam*: sed iudicabitur iudicio praemiationis et approbationis, de quo dicit apostolus I Cor. IV, 4: *qui autem iudicat me, dominus est*. Sed numquid multi fideles peccatores non damnabuntur? Respondeo dicendum, quod quidam haeretici dixerunt, quod nullus fidelis, quantumcumque peccator, damnabitur; sed salvabitur merito fundamenti, scilicet fidei, licet aliquam poenam patiat. Et erroris sui fundamentum sumunt ex hoc quod dicit apostolus I Cor. c. III, 11: *fundamentum aliud nemo potest ponere*; et infra: *si cuiusquam opus arserit, ipse tamen salvus erit, quasi per ignem*. Sed hoc manifeste est contra apostolum ad Gal. V, 19: *manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia et cetera. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Dicendum est ergo, quod fundamentum non est fides informis, sed formata, quae per caritatem operatur. Et ideo signanter non dicit dominus qui credit ei, sed *qui credit in eum*; idest, qui credendo in eum, per caritatem tendit, *non iudicatur*; et hoc, quia non peccat mortaliter, per quod tollitur fundamentum. Vel, secundum Chrysostomum, omnis qui male agit, non credit; ad Tit. I, 16: *confitentur se nosse Deum, factis autem negant*; sed qui bene agit, Iac. II, 18: *ostende mihi ex operibus fidem tuam*: et talis non iudicatur et non condemnatur propter infidelitatem. Hic ostendit quod infideles non iudicantur. Et primo ponit suam sententiam; secundo manifestat eam, ibi *hoc autem est iudicium* et cetera. Sciendum est autem circa primum, secundum Augustinum, quod non dicit Christus: qui non credit, iudicatur; sed dicit *non iudicatur*: quod potest tripliciter exponi. Secundum Augustinum enim qui non credit non iudicatur, quia iam iudicatus est, non in re, sed in Dei praesentia; idest, iam praecognitus est apud Deum condemnandus; II Tim. c. II, 19: *novit dominus qui sunt eius*. Alio modo, secundum Chrysostomum, *qui non credit iam iudicatus est*; idest, hoc ipsum quod non credit, est sibi ad condemnationem: non credere enim, est non adhaerere lumini, quod est esse in tenebris; et haec est magna condemnatio; Sap. XVII, 17: *una catena tenebrarum omnes erant colligati*; Tob. V, 12: *quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo, et lumen caeli non video?* Tertio modo secundum eundem, *qui non credit*, non iudicatur, idest, iam condemnatus est; idest, iam manifestam causam condemnationis habet. Et simile est ac si diceretur de aliquo qui manifestam causam mortis habet, ante etiam quam feratur sententia mortis contra eum, quia iam mortuus est. Unde Gregorius dicit quod in iudicio duplex est ordo. Quidam etenim iudicabuntur iudicio discussionis, illi videlicet qui habent aliquid condemnationi repugnans, scilicet bonum fidei, scilicet fideles peccatores. Sed infideles, quorum damnatio est manifesta, absque discussione damnantur; et de istis dicitur *qui non credit, iam iudicatus est*; Ps. I, 5: *non resurgent impii in iudicio*, scilicet discussionis. Sciendum est autem, quod iudicari idem est quod condemnari; condemnari autem est a salute excidere, ad quam una sola via pervenitur, scilicet per nomen filii Dei; Act. IV, 12: *non est aliud nomen datum sub caelo, in quo oporteat nos salvos fieri*. Et in Ps. LIII, 3: *Deus in nomine tuo salvum me fac*. Qui ergo non credunt in filium Dei, excidunt a salute, et manifesta est in eis causa damnationis. Hic manifestat dominus suam sententiam, scilicet quod causa condemnationis manifesta est in infidelibus: et primo ponit manifestans signum; secundo ostendit signi convenientiam, ibi *omnis enim qui male agit, odit lucem*. In signo autem proposito tria facit: primo enim proponit Dei beneficium; secundo perversitatem mentis infidelium; tertio perversitatis causam. Dicit ergo: manifeste apparet quod *qui non credit, iam iudicatus est*, quod apparet ex Dei beneficio: quia *lux venit in*

*mundum*. Homines enim erant in tenebris ignorantiae, quas quidem tenebras Deus destruxit, mittens lucem in mundum, ut homines cognoscerent veritatem; infra VIII, 12: *ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae*; Lc. I, 78: *visitavit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent*. Sed ista venit in mundum, scilicet lux, quia homo ad eam accedere non poterat: nam *lucem habitat inaccessibilem, quam nemo hominum vidit, sed nec videre potest*: I Tim. VI, 16. Apparet etiam ex perversitate mentis infidelium, qui *dilixerunt magis tenebras quam lucem*, idest, magis voluerunt esse in tenebris ignorantiae quam instrui per Christum; Iob c. XXIV, 13: *ipsi fuerunt rebelles lumini*: Is. c. V, 20: *vae qui ponunt lucem tenebras* et cetera. Cuius quidem perversitatis causa est quia *erant eorum mala opera*: quae a luce dissonant et tenebras quaerunt; Rom. XIII, 12: *abiiciamus opera tenebrarum*, idest peccata, quae tenebras quaerunt; I Thess. ult., 7: *qui dormiunt, nocte dormiunt*; Iob XXIV, 15: *oculus adulteri observat caliginem*. Ex hoc autem aliquis non credit luci, quod ei repugnat, discedendo. Sed numquid omnes infideles habent mala opera? Videtur quod non: nam multi gentiles secundum virtutem operati sunt; puta Cato, et alii plures. Sed dicendum, secundum Chrysostomum, quod aliud est bene operari ex virtute, aliud ex aptitudine et dispositione naturali. Nam aliqui ex dispositione naturali bene operantur, quia ex eorum dispositione non inclinantur ad contrarium. Et hoc modo etiam infideles potuerunt bene operari: sicut quod aliquis caste vixit, quia non impugnabatur a concupiscentia, et sic de aliis. Illi autem ex virtute bene operantur, qui, etsi inclinantur ad vitium contrarium, tamen ex rectitudine rationis, et bonitate voluntatis a virtute non declinant et hoc est proprium fidelium. Vel dicendum, quod licet infideles bona facerent, non tamen faciebant propter amorem virtutis, sed propter inanem gloriam. Nec etiam omnia bene operabantur, quia Deo cultum debitum non reddebant. Consequenter dicit *omnis enim qui male agit, odit lucem*, ostendit propositi signi convenientiam: et primo quidem quantum ad malos; secundo quantum ad bonos, ibi *qui autem facit veritatem venit ad lucem*. Dicit ergo: ideo non dilixerunt lucem, quia *erant eorum mala opera*. Et hoc patet, quia *omnis qui male agit, odit lucem*. Non autem dicit egit sed *agit*: quia si quis male egit, tamen poenitens, et videns se male fecisse, dolet, non odit lucem, sed ad lucem venit. Sed *omnis qui male agit*, idest in malo perseverat, non dolet, nec ad lucem venit, sed eam odit: non in quantum veritatis quidem est manifestativa, sed in quantum per eam peccatum hominis manifestatur. Diligit enim malus homo cognoscere lucem et veritatem; sed odit per eam manifestari; Iob XXIV, 17: *si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis*. Et ideo *non venit ad lucem*. Et hoc *ut non arguantur opera eius*: nullus enim homo, qui non vult malum deserere, vult reprehendi; sed fugit, et odit; Amos V, 10: *odio habuerunt corripientem in porta*; Prov. XV, 12: *non amat pestilens eum qui se corripit*. Hic ostendit idem quantum ad bonos facientes veritatem, idest bona opera. Veritas enim non solum in cogitatione et dictis consistit, sed et in factis. *Venit ad lucem*. Sed numquid aliquis ante Christum fecit ita? Videtur quod non. Ille enim facit veritatem, qui non peccat; sed *ante Christum omnes peccaverunt*: ut dicitur Rom. III, 23. Respondeo dicendum, secundum Augustinum, quod ille facit veritatem in seipso, cui displicet malum quod fecit; et relictis tenebris, observat se a peccatis, et de praeteritis poenitens *venit ad lucem*, ad hoc ut specialiter *manifestentur opera eius*. Sed contra est, quod nullus debet publicare bona quae facit: unde Pharisei de hoc a domino reprehenduntur. Dicendum est, quod licitum est velle manifestare opera sua coram Deo, ut approbentur, secundum quod dicitur II Cor. X, 18: *non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*. Et Iob XVI, 20: *ecce in caelo est testis meus*. Velle etiam manifestari in sua conscientia ut gaudeat; secundum quod dicitur II Cor. I, 12: *gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae*. Velle autem manifestari hominibus ad laudem, vel gloriam propriam, reprehensibile est. Nihilominus tamen sancti viri bona quae faciunt, manifestari desiderant hominibus propter honorem Dei et propter utilitatem fidei; Matth. V, 16: *sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in caelis est*. Sed veniunt *ad lucem, ut manifestentur opera eorum, quoniam in Deo sunt facta*, idest secundum mandatum Dei, vel per gratiam Dei. Quicquid enim boni facimus, sive vitando peccatum, seu poenitendo de commissis, sive bona operando, totum est a Deo, iuxta illud Is. XXVI, 12: *omnia opera nostra operatus es in nobis*.

#### Lectio 4

[87441] Super Io., cap. 3 l. 4 Supra dominus tradidit doctrinam de spirituali regeneratione per verba; hic vero doctrinam illam implet per opera, baptizando. Et primo inducitur duplex Baptismus; secundo movetur quaestio de comparatione eorum, ibi *facta est ergo quaestio* et cetera. Circa primum duo facit. Primo inducitur Baptismus

Christi; secundo Baptismus Ioannis, *ibi erat autem Ioannes baptizans* et cetera. Dicit ergo primo: *post haec*, scilicet quae de doctrina spiritualis regenerationis praemissa sunt, *venit Iesus, et discipuli eius in terram Iudaeam*. Sed hic est quaestio litteralis: nam supra dixerat Evangelista, quod dominus de Galilaea venerat in Ierusalem, quae est Iudea terra, ubi instruxerat Nicodemum. Quomodo ergo post instructionem Nicodemi, venit in Iudaeam, cum iam esset ibi? Ad quod est duplex responsio: nam secundum Bedam, Christus post verba Nicodemi, ivit in Galilaeam, et ibi aliquandiu moratus rediit in Iudaeam: et ideo cum dicitur *post haec venit Iesus*, non est intelligendum quod immediate venerit in Iudaeam post verba Nicodemi. Alio modo, secundum Chrysostomum, intelligendum est quod post haec immediate venerit in terram Iudaeam. Christus enim volebat praedicare ubi multitudo conveniebat, ut multi converterentur; Ps. XXXIX, 10: *annuntiavi iustitiam tuam in Ecclesia magna*. Et infra c. XVIII, 20: *ego palam locutus sum* et cetera. Duo autem loca erant in Iudaea, ad quae confluebat multitudo Iudaeorum, scilicet Ierusalem, ad quam ibant ad festa, et Iordanis, ad quem concurrebant propter praedicationem et Baptismum Ioannis. Et ideo dominus ista duo loca frequentans, statim completis diebus festis in Ierusalem, quae est in una parte Iudaeae, venit in aliam partem Iudaeae, ubi Ioannes baptizabat, scilicet in Iordanem. Moraliter autem Iudaea interpretatur confessio, ad quam venit Iesus, quia Christus confitentes sua peccata, vel divinam laudem, visitat; Ps. CXIII, 2: *facta est Iudaea sanctificatio eius*. Et illic moratur, quia tales non transitorie visitat; infra XIV, 23: *ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*. Et illic baptizat, idest purgat a peccatis: quia nisi quis peccata sua confiteatur, remissionem non consequitur; Prov. XXVIII, 13: *qui abscondit scelera sua, non dirigitur*. Deinde cum dicit *erat autem et Ioannes baptizans in Aennon*, introducit Evangelista Baptisma Ioannis: et circa hoc quatuor facit. Primo enim ponit personam baptizantis; secundo locum Baptismi; tertio fructum; quarto tempus. Persona baptizans est Ioannes; et ideo dicit *erat autem Ioannes baptizans*. Sed hic est quaestio: quia cum Baptisma Ioannis ordinaretur ad Baptismum Christi, videtur quod, veniente Baptismate Christi, Ioannes cessare debuerit a baptizando, sicut veniente veritate, cessat figura. Ad hoc est triplex responsio. Una, quantum ad personam Christi: nam Ioannes baptizavit ut Christus baptizaretur ab eo. Nec oportebat quod solus Christus ab eo baptizaretur, ne Baptismus Ioannis ex huius singularitate, melior Christi Baptismate videretur: et ideo expediens fuit ut alii ante Christum baptizarentur a Ioanne, quia antequam Christi doctrina publicata est, necessarium erat homines praeparari ad Christum Baptismo Ioannis. Unde secundum hoc, ita se habet Baptismus Ioannis ad Baptismum Christi sicut catechismus, in quo baptizandi instruuntur de fide et praeparantur ad Baptismum, se habet ad verum Baptisma. Necessarium etiam fuit ut postquam Christus baptizatus fuerat a Ioanne, alii baptizarentur ab eo, ne Ioannis Baptisma reprobandum videretur; sicut etiam non statim veniente veritate cessavit usus legalium, sed, secundum Augustinum, licuit Iudaeis determinato tempore legalia servare. Alio modo quantum ad personam Ioannis: nam si Ioannes statim cum Christus baptizare coepit, destitisset a Baptismo, potuisset credi, quod hoc fecisset ex invidia, vel ira. Et quia, ut dicitur Rom. XII, 17: *providere debemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*: ideo Ioannes non statim cessavit. Alio modo quantum ad discipulos Ioannis, qui iam incipiebant se zelotypos habere ad Christum, et ad discipulos eius, quia baptizabant. Unde si statim Ioannes totaliter baptizare cessasset, dimisisset discipulos suos in maiori zelo et controversia contra Christum et discipulos eius. Iam enim etiam Ioanne baptizante, ipsi aegre ferebant Baptismum Christi: quod patet ex sequentibus. Et ideo non statim cessavit; I Cor. VIII, 9: *videte ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis*. Locus autem Baptismi erat *in Aennon iuxta Salim*: quia aquae multae erant ibi. Salim alio nomine dicitur Salem quae est villa, unde Melchisedech rex fuit. Et dicitur hic Salim, quia apud Iudaeos, lector pro voluntate uti potest vocalibus litteris in medio dictionum: unde, sive dicatur Salim, sive Salem, non refert apud Iudaeos. Hoc autem quod addit *quia aquae multae erant ibi* ponit ad exponendum hoc nomen loci, scilicet Aennon, quod idem est quod aqua. Fructus autem Baptismi est remissio peccatorum; et ideo dicit *et veniebant et baptizabantur*, idest mundabantur: quia, ut dicitur Matth. III, 5, Lc. III, 7 multitudo magna ibat ad Ioannem. Tempus ponitur ibi *nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem*: quod ideo dicit, ut det intelligere quod ipse incepit narrationem de factis Christi ante alios Evangelistas. Alii namque inceperunt narrare opera Christi solum a tempore incarcerationis Ioannis. Unde dicitur Matth. IV, 12: *cum audisset Iesus, quia Ioannes traditus esset, secessit in Galilaeam*. Et ideo, quia omnia facta Christi ante Ioannis incarcerationem praeterierant, Ioannes, qui ultimo Evangelium scripsit, defectum hunc supplevit; et hoc insinuat, cum dicit *nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem*. Sed nota, quod dispensatione divina factum est ut Ioannes, Christo baptizante, non diu baptizaret et praedicaret, ne ex hoc fieret schisma in populo; quamquam hoc ei aliquo

tempore permissum fuerit, ne reprobatus videretur, ut supra dictum est. Sic etiam dispensatione factum est ut post praedicationem fidei, et conversionem fidelium, templum totaliter destrueretur, ut videlicet tota devotio, et spes fidelium traheretur ad Christum. Deinde cum dicit *facta est autem quaestio* etc., inducitur quaestio Baptismatum: et primo proponitur ipsa quaestio; secundo relatio quaestionis ad Ioannem, ibi *et venerunt ad Ioannem*; tertio ponitur quaestionis determinatio, ibi *respondit Ioannes, et dixit eis*. Quia ergo duo baptizabant, ut dictum est, scilicet Christus et Ioannes, discipuli ipsius Ioannis pro magistro suo zelantes, occasionem dissidii sumpserunt. Et hoc est quod dicit *facta est quaestio*, idest controversia, *ex discipulis Ioannis*, ipsis scilicet primo moventibus hanc quaestionem, *cum Iudaeis*: quos reprehendebant discipuli Ioannis, eo quod ad Christum magis currerent propter miracula quae faciebat, quam ad Ioannem, qui miraculum nullum faciebat. Et quaestio ista facta est *de purificatione*, idest de Baptismo. Causam autem unde invidabant discipuli Ioannis, et controversiam movebant, sumpserunt ex eo quod Ioannes illos quos baptizabat, mittebat ad Christum; Christus vero quos baptizabat non mittebat ad Ioannem. Ex quo videbatur, et forte Iudaei dicebant, Christum maiorem esse Ioanne: et ideo isti nondum spirituales, de Baptismo contendunt cum Iudaeis; I Cor. III, 3: *cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis?* Sed motam quaestionem referunt ad Ioannem; et ideo dicit *et venerunt ad Ioannem*. Et si attenditur diligenter, conati sunt commovere Ioannem contra Christum. Similes isti sunt bilinguibus et susurronibus; Eccli. c. XXVIII, 15: *susurro et bilinguis maledictus multos enim turbabit pacem habentes*. Proponunt autem quatuor, quae commotionem in animo Ioannis contra Christum causarent. Primo enim commemorant humilitatem status Christi praeteriti; secundo beneficium a Ioanne impensum; tertio officium assumptum a Christo; quarto detrimentum quod provenit Ioanni ex Christi officio. Humilitatem autem status commemorant, cum dicunt *qui erat tecum*, quasi unus de discipulis; non autem tu cum illo, sicut cum magistro: nam si alicui maiori honor exhibeatur, non est tanta causa invidiae; sed tunc quis invidet, quando minori se magis honor exhibetur; Eccli. X, 7: *vidi servos in equis sedentes, et principes ambulantes super terram quasi servos*; Iob XIX, 16: *servum meum vocavi, et non respondit*. Quia plus turbatur dominus aliquis de rebellione servi et subditi, quam alicuius alterius. Secundo commemorantes beneficium impensum a Ioanne, non dicunt quem tu baptizasti, quia in hoc confessi fuissent magnificentiam Christi, quae in Baptismo demonstrata est, et descensum spiritus sancti super eum in specie columbae, et vocem patris sibi factam; sed dicunt *cui tu testimonium perhibuisti*; idest, quem tu clarum et circumspectum fecisti, talia tibi rependere audet, quod multum concitat exacerbationem; Ps. XL, 10: *qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*. Sed quia quaerentes propriam gloriam, et intendentes lucrum proprium in suo officio, dolent si alius officium illud assumat. Ideo, tertio, isti addunt etiam, quod Christus Ioannis officium sibi assumpsit, cum dicunt: *ecce hic baptizat*; idest, officium tuum exercet: quod multum concitat ad turbationem. Nam communiter videmus hic, homines eiusdem artis insidiose et invidie se habere ad invicem. Figulus figulo invidet, non autem fabro. Sic etiam doctores proprium honorem quaerentes, dolent si alius veritatem docet; contra quos dicit Gregorius: mens pii pastoris optat ut veritatem, quam solus docere non sufficit, alii doceant. Sic et Moyses, Num. XI, 29: *quis det ut omnis hic populus prophetet?* Sed non solum sufficiebat istis concitare Ioannem; sed quod magis movet, referunt, scilicet detrimentum quod Ioanni ex assumpto officio a Christo provenire videbatur; quod quarto exponunt, cum dicunt *et omnes veniunt ad eum*, qui scilicet ad te venire solebant: quia te dimisso et contempto, omnes ad Baptismum eius currunt. Quod autem ante consueverant ire ad Ioannem, patet ex testimonio Matth. XI, 7: *quid existis in desertum videre?* et cetera. Tali invidia movebantur Pharisei contra Christum; unde dicebant, infra XII, 19: *ecce totus mundus post eum vadit*. Sed ex his Ioannes non fuit motus contra Christum: non enim erat arundo vento agitata, ut dicitur Matt. XI, 7. Et hoc patet ex responsione Ioannis, quae sequitur in determinatione quaestionis sibi delatae.

## Lectio 5

[87442] Super Io., cap. 3 l. 5 Hic ponitur responsio Ioannis super quaestione sibi delata a discipulis quae quidem quaestio duo continebat, scilicet querimoniam de officio assumpto: unde dicebant *ecce hic baptizat*, et de Christi profectu in fama et opinione hominum: unde dicebant *et omnes veniunt ad eum*. Et ideo Ioannes dirigit responsionem suam ad haec duo: et primo respondet ad querimoniam de officio assumpto; secundo vero ad querimoniam de profectu Christi, ibi *illum oportet crescere, me autem minui*. Circa primum tria facit. Primo ostendit officiorum Christi et sui originem; secundo ipsorum distinctionem, ibi *ipsi vos mihi testimonium*

*perhibetis*; tertio ostendit habitudinem Christi et suam ad dicta officia, ibi *qui habet sponsam, sponsus est*. Circa primum autem nota quod discipuli Ioannis licet malitiose Ioanni quaestionem proponant, et ex hoc sint reprehensione digni, Ioannes tamen non eos vehementer increpat; et hoc propter imperfectionem: timebat enim ne commoti ex reprehensione, recederent ab eo, et iungentes se Pharisaeis, Christo publice insidiarentur; implens in hoc quod de domino dicitur, Is. XLII, 3: *calamum quassatum non confringet* et cetera. Similiter advertendum, quod a principio suae responsionis non ardua et praeclara de Christo asserit, sed humilia et plana propter ipsorum invidiam. Cum enim excellentia sit alterius invidiae provocativa, si Ioannes statim Christi excellentiam eis proposuisset, illorum invidiae fomentum praestitisset. Et ideo humilia proponens, dicit *non potest homo a se accipere quicquam*: intendens in hoc eis terrorem incutere; quasi dicat: hoc quod omnes ad eum currunt, non est nisi a Deo, quia *non potest homo accipere quicquam*, scilicet perfectionis et boni, *nisi fuerit ei datum de caelo*, et ideo si vos contradicitis, contradicitis Deo; Actor. V, 38: *si ex hominibus est consilium hoc, aut opus istud, dissolvetur*. Et sic exponit Chrysostomus, referens hoc ad Christum. Augustinus autem refert ad ipsum Ioannem, et melius. *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de caelo*; quasi dicat: vos zelatis pro me, et vultis quod ego maior sim quam Christus; sed hoc non est mihi datum, nec ego volo mihi usurpare; secundum illud Hebr. V, 4: *nemo assumit sibi honorem* et cetera. Sic ergo patet officiorum origo. Sequitur officiorum distinctio, cum dicit *ipsi vos mihi testimonium perhibetis*; quasi dicat: ex testimonio meo, quod sibi perhibui, potestis scire officium mihi commissum a Christo: nam *ipsi vos mihi testimonium perhibetis*, idest perhibere potestis, *quod dixerim: non sum ego Christus*; supra I, 20: *confessus est et non negavit*. Sed hoc dixi, *quia missus sum ante illum*, sicut praeco ante iudicem. Sic ergo ex testimonio meo scire potestis officium meum, quod est praecedere Christum, et praeparare sibi viam; supra I, 6: *fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes*. Sed officium Christi est iudicare et praeesse. Et si bene attenditur, Ioannes more providi respondentis, proponentes ex verbis eorum arguit, secundum illud Lc. XIX, 22: *ex ore tuo te iudico*. Qualiter autem Ioannes se habet ad officium suum, ostendit cum subdit *qui habet sponsam, sponsus est*: et primo ponit quamdam similitudinem; secundo adaptat eam ad propositum, ibi *in hoc autem gaudium meum impletum est*. Circa primum duo facit. Primo ponit similitudinem quantum ad id quod pertinet ad Christum; secundo quantum ad id quod pertinet ad seipsum, ibi *amicus autem sponsi* et cetera. Circa primum notandum est, quod in rebus humanis disponere, et dominari, et habere sibi sponsam, pertinet ad sponsum tantum; et ideo dicit *qui habet sponsam*, idest ad quem pertinet habere sponsam, *sponsus est*. Iste autem sponsus est Christus; Ps. XVIII, 6: *tamquam sponsus procedens de thalamo suo*. Sponsa sua est Ecclesia, quae coniungitur ei per fidem; Oseae II, 20: *sponsabo te mihi in fide*. Et in huius figuram dixit Sephora ad Moysen, Ex. IV, 25: *sponsus sanguinum tu mihi es*. Et de istis nuptiis dicitur Apoc. XIX, 7: *venerunt nuptiae agni*. Sic ergo, quia Christus sponsus est, etiam ad eum pertinet habere sponsam, scilicet Ecclesiam; sed ad me non pertinet nisi gaudere quod sponsam habet. Unde dicit *amicus autem sponsi (...) gaudio gaudet*. Et licet supra dixerit quod non erat dignus solvere corrigiam calceamentorum Iesu, hic tamen vocat se eius amicum, ut insinuet caritatis suae fidelitatem ad Christum. Nam servus ad ea quae domini sui sunt, non movetur affectu caritatis, sed spiritu servitutis; amicus vero ex amore, quae amici sunt procurat, et fideliter. Unde servus fidelis est sicut amicus domini sui; Eccli. XXXIII, 31: *si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua*. Et ex hoc patet fidelitas servi, quando gaudet de bonis domini, et quando non sibi, sed domino suo bona procurat. Sic ergo, quia Ioannes sponsam sibi creditam, non sibi, sed sponso reservavit, servus fidelis fuit, et amicus sponsi. Et ideo ad hoc insinuandum, se amicum sponsi dicit. Simile debent facere homines amici veritatis, ut sponsam eis ad custodiendum commissam non ad propriam utilitatem et gloriam convertant, sed ad honorem et gloriam sponsi honorifice praeservent: alias non essent amici sponsi, sed potius adulteri. Unde Gregorius dicit, quod adulterinae cogitationis puer reus est, si placere oculis sponsae desiderat, per quem sponsus dona transmittit. Quod non faciebat apostolus II Cor. c. XI, 2: *despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Simile et Ioannes faciebat, quia sponsam, scilicet populum fidelem, non sibi retinuit, sed ad sponsum, scilicet Christum, duxit. Sic ergo insinuat caritatis suae fidelitatem per hoc quod dicit *amicus sponsi*. Item permanentiam, cum dicit *stat*, firmus in amicitia et fidelitate, non elevans se supra se; Hab. II, 58: *super custodiam meam stabo*; I Cor. XV, 58: *estote stabiles et immobiles*; Eccli. VI, 11: *amicus, si permaneat fixus, erit tibi quasi coequalis*. Item attentionem, cum dicit *et audit eum*; idest, attente considerat modum quo sponsus sponsae coniungitur. In quo, secundum Chrysostomum, explicat modum istorum sponsalium; nam per fidem celebrantur: fides autem est ex auditu, Rom. X, 17. Vel *audit*, idest reverenter obedit, disponendo de sponsa secundum imperium sponsi; Is. I, 4:

*audiam eum quasi magistrum*: quod est contra malos praelatos, qui non secundum Christi mandatum disponunt Ecclesiam. Item insinuat spiritualem iucunditatem, cum dicit *et gaudio gaudet propter vocem sponsi*; scilicet, cum sponsus sponsam suam alloquitur. Et dicit *gaudio gaudet*, ut ostendat veritatem et perfectionem sui gaudii. Qui enim non gaudet de bono, non vero gaudio gaudet. Et ideo, si ego dolerem ex hoc quod Christus, qui est verus sponsus, sponsae, idest Ecclesiae, praedicat, non essem amicus sponsi: sed ego non doleo. Immo *in hoc gaudium meum impletum est*, scilicet quod video quod diu desideravi, sponsum videlicet sponsam alloquentem. Vel *in hoc gaudium meum impletum est*, idest, ad perfectam et debitam mensuram pervenit, quando sponsa iam coniungitur sponso: quia iam habeo gratiam meam, et officium meum perfeci; Habac. III, 18: *ego autem in domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo*. Consequenter cum dicit *illum oportet crescere, me autem minui* solvit quaestionem quantum ad querimoniam de profectu gratiae Christi. Et primo ponit huius profectus convenientiam; secundo rationem assignat, ibi *qui de sursum est, super omnes est*. Dicit ergo: vos dicitis, quod omnes currunt ad eum, idest ad Christum; et sic proficit in honore et fama populi: sed ego dico, quod hoc non est inconveniens, quia *illum oportet crescere*, non in se, sed quantum ad alios, in quantum eius virtus magis ac magis innotescit; sed *me oportet minui*, in reverentia et fama quoad populum: nam honor et reverentia non debetur mihi sicut principali, sed Christo. Et ideo ipso veniente, cessat exhibitio reverentiae quantum ad me; sed crescit quantum ad Christum: sicut veniente principe, cessat officium legati; I Cor. XIII, 10: *cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*. Et sicut in caelo Lucifer praecedit solem ad illuminandum, quo veniente, cessat eius lux; ita Ioannes praecessit Christum: unde Lucifero comparatur; Job XXXVIII, 32: *numquid produces Luciferum?* Significatur hoc etiam in nativitate Ioannis, et in morte eius. In nativitate quidem, quia natus est Ioannes eo tempore quo dies decrescere incipiunt; Christus vero quando dies crescere incipiunt, scilicet octavo Kalendas Ianuarii. Quantum ad mortem vero, quia Ioannes mortuus minoratus per capitis abscissionem, Christus vero sublimatus per crucis exaltationem. Moraliter autem hoc debet esse in unoquoque nostrum. *Oportet illum*, idest Christum, in te *crescere*, ut scilicet in cognitione et amore eius proficias: quia in quantum magis eum potes cognoscendo et amando percipere, tanto magis Christus crescit in te; sicut qui magis proficit in videndo unam et eandem lucem, reputat lucem magis crescere. Et ex hoc oportet homines sic proficientes minui in sua reputatione: quia quanto plus cognoscit quis de altitudine divina, tanto minorem reputat parvitatem humanam; unde Prov. XXX, 1, dicitur: *visio quam locutus est vir, cum quo est Deus*; et sequitur: *stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum*. Et Job ult., 5: *auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te: idcirco ipse me reprehendo, et ago paenitentiam in favilla et cinere*. Consequenter cum dicit *qui desursum venit, super omnes est*, assignat rationem dictorum: et hoc dupliciter. Primo ex origine; secundo ex doctrina, ibi *qui de terra est, de terra loquitur*. Circa primum sciendum est, quod in rebus unumquodque, ad hoc quod sit perfectum, oportet venire ad terminum sibi debitum ex sua origine: sicut si aliquis ex rege oritur, oportet eum tamdiu crescere quousque fiat rex. Christus autem habet originem excellentissimam et aeternam; et ideo oportet illum crescere per manifestationem suae virtutis, quantum ad alios, quousque innotescat, eum super omnes esse; et ideo dicit *qui desursum est*, scilicet Christus secundum divinitatem. Supra (hoc cap.): *nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo*; infra c. VIII, 23: *vos de deorsum estis, ego autem de superius sum*. Vel desursum venit secundum humanam naturam, idest de altitudine humanae naturae, assumendo eam in altitudine sua secundum quod fuit in quolibet statu. Consideratur enim secundum triplicem statum. Primus enim status humanae naturae est ante peccatum; et de hoc assumpsit puritatem, assumendo carnem non inquinatam contagio culpae originalis; Ex. XII, 5: *erit agnus anniculus absque macula*. Secundus status est post peccatum: et de hoc assumpsit passibilitatem et mortem, assumendo similitudinem carnis peccati, quantum ad poenam, non ipsum peccatum quantum ad culpam; secundum illud Rom. VIII, 3: *misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati*. Tertius est status resurrectionis et gloriae; et de hoc assumpsit impossibilitatem peccandi, et fruitionem animae. Sed cavendus est hic error quorundam dicentium in Adam remansisse aliquod materialiter non inquinatum macula originali, et traductum in posterum, puta usque ad beatam virginem; et de hoc corpus Christi fuisse formatum. Quod quidem haereticum est: quia quicquid in Adam materialiter fuit, macula originalis peccati inquinatum est. Materia vero, de qua formatum est corpus Christi, depurata fuit virtute spiritus sancti, beatam virginem sanctificantis. Iste, inquam, *qui desursum venit* secundum divinitatem et secundum humanam naturam, *super omnes est*, et per eminentiam gradus, secundum illud Ps. CXII, 4: *excelsus super omnes gentes dominus*, et per auctoritatem et potestatem; Eph. I, 22: *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*. Hic ostendit rationem quantum ad doctrinam. Et primo ostendit

modum doctrinae Christi, et eius altitudinem; secundo diversitatem recipientium vel non recipientium ipsam doctrinam, ibi *et testimonium eius nemo accipit* et cetera. Circa primum duo facit. Primo proponit conditionem doctrinae Ioannis; secundo conditionem doctrinae Christi; ibi *qui de caelo venit, super omnes est*. Circa primum sciendum est quod homo per loquelam suam maxime cognoscitur, Matth. XXVI, 73: *loquela tua manifestum te facit*; et ibid. XII, 34: *ex abundantia cordis os loquitur*. Et inde est quod conditio doctrinae attenditur secundum conditionem suae originis. Sic ergo ad cognoscendum conditionem doctrinae Ioannis, consideremus primo conditionem suae originis; unde dicit *qui est de terra*, scilicet Ioannes, non solum materialiter, sed etiam active: quia corpus eius virtute creata formatum fuit; Iob IV, 19: *qui habitant domos luteas, et terrenum habent fundamentum*. Secundo consideremus eius conditionem quae terrena est: unde dicit *de terra est*, idest terrenus. Et ideo tertio doctrina eius describitur; unde dicit *de terra loquitur*, idest de terrenis; Is. XXIX, 4: *de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum*. Sed quomodo de terra loquitur qui fuit spiritu sancto repletus adhuc ex utero matris suae? Respondeo, secundum Chrysostomum, dicendum, quod Ioannes de terra se loqui dicit in comparatione ad Christi doctrinam; quasi dicat: ea quae loquitur, parva et humilia sunt, qualia decens est suscipere terrestrem naturam, in comparatione ad illum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi*, ut dicitur Col. II, 3. Is. LV, v. 9: *sicut exaltantur caeli a terra, ita exaltatae sunt viae meae a viis vestris*. Vel dicendum, secundum Augustinum, et melius, quod considerandum est in quolibet homine quid habeat ex se, et quid ex alio. Ioannes autem, et quilibet homo purus ex se habet quod sit de terra. Et ideo quantum ad ipsum pertinet, non habet quod loquatur nisi de terra; et si aliqua divina loquitur, hoc habet ex divina illuminatione; Eccli. XXXIV, 6: *cor tuum quasi phantasias patitur, nisi ab omnipotente fuerit emissa visitatio*. Unde et apostolus dicit, I Cor. XV, 10: *non autem ego, sed gratia Dei mecum*; Matth. X, 20: *non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*. Sic ergo, quantum ad Ioannem pertinet, *de terra est, et de terra loquitur*. Si quid autem divinum in eo fuit, non recipientis, sed illuminantis est. Hic proponit conditionem doctrinae Christi; et circa hoc tria facit. Primo enim ostendit conditionem originis quae caelestis est; unde dicit *qui de caelo venit, super omnes est*. Licet enim corpus Christi materialiter de terra fuerit, active tamen de caelo venit, in quantum virtute divina corpus eius formatum fuit. Venit etiam de caelo, quia persona aeterna et increata filii de caelo venit per carnis assumptionem. Supra eodem: *nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo filius hominis, qui est in caelo*. Secundo ostendit dignitatem suae conditionis, quae altissima est; unde dicit *super omnes est*: et hoc expositum est supra. Tertio concludit dignitatem doctrinae suae, quae certissima est, quia *quod vidit et audivit, hoc testatur*. Christus enim, in quantum est Deus, est ipsa veritas; sed in quantum homo, est testis veritatis; infra XVIII, 37: *in hoc natus sum, et ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati*. Ideo testimonium perhibet de seipso; infra VII, 13: *testimonium perhibes de teipso*. Sed testatur certa, quia quae audivit apud patrem; infra VIII, 26: *ego quae audivi a patre meo, haec loquor in mundo*; I Io. I, 3: *quod vidimus et audivimus*. Sed nota, quod aliter habetur cognitio rei per visum, et aliter per auditum; nam per visum habetur cognitio rei per ipsam rem visam; sed per auditum non cognoscitur res per ipsam vocem auditam, sed per intellectum loquentis. Quia ergo dominus habet scientiam acceptam a patre, ideo dicitur *quod vidit*, in quantum procedit de essentia patris, *et audivit*, in quantum procedit ut verbum intellectus paterni. Sed quia in rebus intelligentibus aliud est eorum esse, et aliud eorum intelligere; ideo aliter accipitur ab eis cognitio per visum, et aliter per auditum. Sed in Deo patre idem est esse et intelligere; ideo in filio idem est videre et audire. Similiter etiam quia in vidente non est ipsa essentia rei in se, sed similitudo eius, similiter et in audiente non est ipsa conceptio loquentis, sed signum ipsius; ideo videns non est ipsa essentia rei in se, nec audiens est ipsum verbum. In filio autem est ipsa essentia patris accepta per generationem, et est ipsum verbum; et ideo in ipso idem est videre et audire. Et hoc sic concludit Ioannes, quod ex quo doctrina Christi altior et certior est quam mea, ideo magis audiendus est Christus quam ego.

## Lectio 6

[87443] Super Io., cap. 3 l. 6 Supra Ioannes Baptista commendavit Christi doctrinam; hic vero agit de diversitate recipientium: unde tractat de fide adhibenda ipsi doctrinae, et circa hoc tria facit. Primo ostendit raritatem credentium; secundo credendi debitum, ibi *qui autem acceperit eius testimonium* etc.; tertio fidei praemium, ibi *qui credit in filium, habet vitam aeternam*. Dicit ergo: dico quod Christus certam scientiam habet, et vera loquitur. Tamen licet pauci testimonium eius accipiant, non propter hoc doctrinae ipsius derogatur, quia hoc non

est ex parte eius, sed ex parte eorum qui non recipiunt, scilicet discipulorum Ioannis, qui nondum credebant, et Pharisaeorum, qui ipsius doctrinae detrahebant. Et ideo dicit *et testimonium eius nemo accipit*. Hoc autem quod dicit *nemo*, potest dupliciter exponi. Uno modo, *nemo*, idest pauci, et si aliqui accipiant. Et quod aliqui accipiant, ostendit subdens: *qui autem accepit eius testimonium* et cetera. Hoc modo loquendi usus est Evangelista cum dixit, supra I, 11: *in propria venit, et sui eum non receperunt*: quia pauci eum receperunt. Alio modo, quia accipere eius testimonium est credere in Deum; sed nullus potest credere ex seipso, sed ex Deo; Eph. II, 8: *gratia salvatis estis*. Et ideo dicit *nemo accipit*, scilicet ex se, nisi donetur sibi a Deo. Vel aliter. Consuetum est in Scriptura divina populo loqui de duobus. Quia quamdiu sumus in hoc mundo, mali sunt permixti bonis; et ideo Scriptura aliquando loquitur de populo, referendo intentionem suam ad malos, aliquando ad bonos. Et hic modus loquendi habetur Ier. XXVI: nam primo dicit: omnis populus et sacerdotes quaerebant occidere Ieremiam: referens intentionem suam ad malos: et postea statim dicit, quod omnis populus quaerebat eum liberare, loquens de bonis. Eodem modo et Ioannes Baptista habens oculos suos ad sinistram, idest ad malos, dicit *et testimonium eius nemo accipit*: et ex alia referens ad dexteram, idest ad bonos, dicit *qui autem accepit eius testimonium* et cetera. *Qui autem accepit eius testimonium*, ubi ostendit debitum fidei, quod est supponere se veritati divinae. Et circa hoc quatuor facit. Primo proponit divinam veritatem; secundo subdit divinae veritatis denuntiationem, ibi *quem enim misit Deus, verba Dei loquitur*; tertio insinuat denuntiandi facultatem, ibi *non enim ad mensuram dat Deus spiritum*; quarto assignat facultatis rationem, ibi *pater diligit filium* et cetera. Debitum autem fidei est ut homo veritati divinae se supponat; et ideo dicit quod si pauci testimonium eius accipiunt, tamen aliqui accipiunt; unde dicit *qui autem accepit eius testimonium*; idest quicumque sit ille, *signavit*, idest signum quoddam in corde suo ponere debet seu posuit, quod ipse Christus est Deus. Et *est verax*, quia ipse dicebat se esse Deum: quod si non esset, non esset verax, cum tamen scriptum sit, Rom. III, 4: *est autem Deus verax* et cetera. De isto signaculo dicitur Cant. VIII, 6: *pone me ut signaculum super cor tuum*. Et II Tim. II, 19: *firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum* et cetera. Vel, secundum Chrysostomum, *signavit*, idest monstravit, *quia Deus*, scilicet pater, *verax est*; quia scilicet misit filium suum, quem promisit mittendum. Quod ideo dicit Evangelista ut ostendat eos qui non credunt Christo, veritatem patris negare. Et ideo statim subdit divinae veritatis commendationem, dicens *quem enim misit Deus, verba Dei loquitur*; quasi dicat: hoc signavit, quod Christus, cuius testimonium accipit, *quem Deus misit, verba Dei loquitur*: et ideo qui credit ei, credit patri, infra VIII, 26: *ego quae audivi a patre loquor in mundo*. Unde non loquebatur nisi patrem, et verba patris; quia missus erat a patre, et quia ipse est verbum patris: unde etiam se loqui patrem dicit. Vel si hoc quod dicit, *quod Deus verax est*, referatur ad Christum, datur intelligi distinctio personarum: cum enim pater sit Deus verax, et Christus est verax Deus; sequitur, quod verus Deus misit Deum verum, distinctum ab eo in persona, non in natura. Denuntiandi autem facultas subest Christo maxima, quia non ad mensuram recipit spiritum; et ideo dicit *non enim ad mensuram dat Deus spiritum*. Posses enim dicere, quod licet miserit eum Deus, tamen non omnia a Deo loquitur, sed aliqua: nam et prophetae aliquando quidem locuti sunt ex spiritu suo, aliquando vero ex spiritu Dei. Sicut II Reg. VII, 3 legitur de Nathan propheta, quod ex spiritu suo loquens, consuluit David, quod aedificaret templum; quod quidem postmodum ex spiritu et nutu divino retractavit. Sed hoc ostendit Baptista locum non habere in Christo; quia prophetae quidem accipiunt spiritum Dei mensurate, scilicet quantum ad aliquid non quantum ad omnia, et ideo non quantum ad omnia verba Dei loquuntur; Christus autem, qui absque mensura et quantum ad omnia spiritum recepit, ideo quantum ad omnia verba Dei loquitur. Sed quomodo spiritus sanctus datur ad mensuram, cum sit immensus, secundum Athanasium in suo symbolo: *immensus pater, immensus filius, immensus spiritus sanctus*? Responsio. Dicendum, quod spiritus sanctus datur ad mensuram, non quantum ad essentiam suam et virtutem eius, secundum quod est infinitus; sed quantum ad dona, quae dantur mensurate. Ephes. IV, 7: *unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram*. Notandum autem, quod hoc quod dicitur hic de Christo, quod non ad mensuram dedit ei Deus pater spiritum, potest dupliciter intelligi. Uno modo intelligitur de Christo secundum quod Deus; alio modo secundum quod homo. Ad hoc enim datur alicui aliquid ut habeat illud: habere autem spiritum sanctum, convenit Christo et in quantum Deus et in quantum homo; et sic secundum utrumque habet spiritum sanctum. Sed in quantum homo, habet spiritum sanctum ut sanctificantem; Is. LXI, 1: *spiritus domini super me, eo quod unxerit me*, scilicet hominem; in quantum vero Deus habet spiritum sanctum ut manifestantem tantum, secundum quod ab eo procedit. Io. XVI, 14: *ille clarificabit*, idest manifestabit, *quia de meo accipiet*. Sic ergo utroque modo, scilicet in quantum Deus et in quantum homo, Christus habet spiritum sanctum non ad mensuram. Nam Christo,



inquantum Deus, dicitur Deus pater dare spiritum sanctum, non ad mensuram, quia dat ei virtutem et potestatem spirandi spiritum sanctum, qui, cum sit infinitus, in infinitum dat ei pater: quem quidem pater dat ei sicut ipse habet, ut scilicet sicut ab eo procedit, ita et filio. Et hoc dedit ei per aeternam generationem. Similiter et Christus, inquantum homo, non ad mensuram habuit spiritum; nam hominibus datur spiritus sanctus ad mensuram, quia gratia eius ad mensuram eis datur; sed Christus inquantum homo non ad mensuram recepit gratiam: et ideo non ad mensuram recepit spiritum sanctum. Sed notandum, quod in Christo est triplex gratia, scilicet unionis, singularis personae, quae est habitualis, et capitis, quae est influentiae; et quamlibet istarum recepit Christus non ad mensuram. Nam gratia unionis, quae non est habitualis, sed quoddam gratuitum donum, datur Christo, ut scilicet in humana natura sit verus filius Dei non per participationem, sed per naturam, inquantum scilicet humana natura Christi unita filio Dei in persona sit: quae quidem unio gratia dicitur, quia nullis praecedentibus meritis hoc habuit. Natura autem divina infinita est: unde ex ipsa unione accepit donum infinitum. Sic ergo non ad mensuram recepit spiritum sanctum, idest donum et gratiam unionis, quae spiritui sancto attribuitur inquantum gratuita. Gratia autem habitualis dicitur, secundum quod anima Christi plena fuit gratia et sapientia, secundum quod dicitur supra I, 14: *vidimus eum quasi unigenitum a patre, plenum gratiae* et cetera. De qua quidem gratia dubium esse potest, an recepit eam non ad mensuram. Cum enim huiusmodi gratia sit donum creatum, confiteri oportet quod habeat essentiam finitam: quod quidem quantum ad essentiam, secundum quod quid creatum est, ipsa gratia habitualis finita fuit. Sed tamen Christus dicitur eam recepisse non ad mensuram, triplici ratione. Primo quidem ex parte recipientis. Manifestum est enim uniuscuiusque naturae capacitatem esse finitam: quia, etsi infinitum bonum recipere possit cognoscendo, et amando, et fruendo, tamen ipsum recipit fruendo finite. Est autem cuiuslibet creaturae, secundum suam speciem et naturam, determinata capacitatis mensura; quae tamen divinae potestati non praeiudicat quin posset aliam creaturam facere maioris capacitatis; sed iam non esset eiusdem naturae secundum speciem; sicut si ternario addatur unitas, erit alia species numeri. Quando igitur alicui naturae non datur de bonitate divina, quanta est capacitas naturalis speciei suae, videtur ei secundum aliquam mensuram donatum; quando vero tota naturalis capacitas impletur, non videtur ei secundum mensuram donatum; quia etsi sit mensura ex parte recipientis, non est tamen mensura ex parte dantis, qui totum paratus est dare: sicut aliquis vas ad fluvium deferens, absque mensura invenit ibi aquam paratam, quamvis ipse cum mensura accipiat, propter vasis determinatam quantitatem. Sic igitur gratia Christi habitualis, finita quidem est secundum essentiam, sed infinite, et non secundum mensuram dicitur dari, quia tantum ei datur quantum natura creata capere potest. Secundo vero ex parte doni recepti. Nam omnis forma, seu actus secundum rationem suam consideratus, non est finitus eo modo quo, finitur per subiectum in quo recipitur; sed nihil prohibet illum secundum suam essentiam finitum esse, inquantum esse suum est in aliquo receptum. Illud enim secundum essentiam suam infinitum est, quod habet totam plenitudinem essendi: quod quidem soli Deo convenit, qui est summum esse. Si autem ponatur aliqua forma spiritualis esse non in subiecto existens, puta albedo, vel color, non quidem haberet essentiam infinitam, quia essentia eius esset determinata ad genus, vel speciem; nihilominus tamen totam plenitudinem illius speciei possideret: unde secundum rationem speciei, absque termino, vel mensura esset, habens quicquid ad illam speciem pertinere potest. Si autem in aliquo subiecto recipiatur albedo, vel color, non habet semper totum quicquid pertinet ad rationem formae huius de necessitate et semper, sed solum quando sic habetur sicut perfecte haberi potest; ita scilicet quod modus habendi adaequet rei habitae potestatem. Sic igitur gratia Christi habitualis, finita quidem fuit secundum essentiam; sed tamen dicitur absque termino et mensuram fuisse, quia quicquid ad rationem gratiae poterat pertinere, totum Christus accepit. Alii autem non totum accipiunt; sed unus sic, et alius sic. *Divisiones enim gratiarum sunt*: I Cor. XII, 4. Tertio autem ex parte causae. In causa enim quodammodo habetur effectus. Cuicumque ergo adest causa infinitae virtutis ad influendum, dicitur habere illud quod influitur, absque mensura, et aliquo modo infinite. Puta, si quis haberet fontem, qui aquam infinitam posset effluere, infinite diceretur et absque mensura aquam habere. Sic anima Christi, infinitam et absque mensuram gratiam habet, ex hoc ipso quod habet verbum sibi unitum, quod est totius emanationis creaturarum infinitum et indeficiens principium. Patet autem ex his quae dicta sunt, quod gratia ipsius Christi, quae dicitur capitis, secundum quod Christus est caput Ecclesiae, est infinita quantum ad influentiam. Ex hoc enim quod habuit unde effunderet absque mensura spiritus dona, accepit virtutem effundendi ipsa absque mensura, ut scilicet gratia Christi non solum sufficiat ad salutem hominum aliquorum, sed hominum totius mundi, secundum illud I Io. II, 2: *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, et non pro nostris tantum, sed etiam totius mundi, ac etiam plurium mundorum, si essent*. Habet etiam Christus denunciandi

veritatem divinam opportunam facultatem, quia omnia sunt in potestate eius; unde dicit *pater diligit filium, et omnia dedit in manu eius*: quod quidem potest referri ad Christum secundum quod homo, et secundum quod Deus; sed aliter et aliter. Si enim referatur ad Christum, secundum naturam divinam, tunc *diligit* non designat principium, sed signum: non enim possumus dicere quod pater omnia filio dat, quia diligit eum, propter duo. Primo, diligere est actus voluntatis; dare autem naturam filio, est generare ipsum. Si ergo pater daret voluntate naturam filio, voluntas patris esset principium generationis filii; et sic sequeretur quod pater generaret filium voluntate, et non natura: quod est haeresis Ariana. Secundo autem, quia dilectio patris ad filium est spiritus sanctus. Si ergo dilectio patris ad filium esset ratio quare dedit omnia pater in manu filii, sequeretur quod spiritus sanctus esset principium generationis filii; quod est inconueniens. Dicendum est ergo, quod *ly diligit* importat signum tantum, ut dicatur, quod dilectio perfecta, qua *pater diligit filium*, est signum quod pater *dedit omnia in manu eius*, quae scilicet pater habet. Matth. XI, 27: *omnia mihi tradita sunt a patre meo*. Infra XIII, 3: *sciens quia omnia dedit ei pater in manus*. Si referatur autem ad Christum, secundum quod homo, sic *ly diligit* dicit rationem principii, ut dicatur pater omnia in manu filii tradidisse, scilicet quae in caelis et quae in terris sunt, secundum illud Matth. ult., 18: *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*. Hebr. I, 2: *quem constituit heredem universorum*. Et huius traditionis ratio est, quia diligit eum; unde dicit *pater diligit filium*: dilectio enim patris ratio est creandi quamlibet creaturam. Sap. XI, 25: *diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti*. De dilectione autem filii habetur Lc. c. III, et Matth. III, 17: *hic est filius meus dilectus, in quo complacui mihi*. Et Coloss. I, v. 13: *transtulit nos in regnum filii dilectionis suae*, idest filii sui dilecti. Consequenter cum dicit *qui credit in filium, habet vitam aeternam*, ostendit fructum fidei: et primo ponit fidei praemium; secundo infidelitatis supplicium, ibi *qui autem incredulus est* et cetera. Sed praemium fidei est inaeestimabile, quia vita aeterna; et ideo dicit *qui credit in filium habet vitam aeternam*. Et hoc ex praemissis ostenditur. Si pater omnia dedit filio, scilicet quae habet, et ipse habet vitam aeternam: ergo et filio dedit ut sit vita aeterna. Infra V, 26: *sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio habere vitam in semetipso*: quod quidem competit Christo in quantum est verus et naturalis Dei filius. I Io. ult., v. 20: *ut sitis in vero filio eius Christo: hic est verus Deus, et vita aeterna*. Qui credit in eum habet illud in quod tendit, scilicet ipsum filium in quem credit; sed ipse est vita aeterna: ergo qui credit in eum, habet vitam aeternam. Infra X, 17: *oves meae vocem meam audiunt (...) et ego vitam aeternam do eis*. Supplicium autem infidelitatis est intolerabile et quantum ad poenam damni, et quantum ad poenam sensus. Quantum quidem ad poenam damni, quia privatur vita; unde dicit *qui autem incredulus est filio, non videbit vitam*. Non autem dicit non habebit sed *non videbit*: quia vita aeterna in visione verae vitae consistit. Infra XVII, 3: *haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum*: quam quidem visionem et cognitionem increduli non habebunt; Iob XX, v. 17: *non videat rivulos lactis* etc., idest dulcedinem vitae aeternae. Dicit autem *non videbit*, quia videre vitam ipsam, est proprium praemium fidei formatae. Quantum vero ad poenam sensus, quia graviter punitur; unde dicit *sed ira Dei manet super eum*. Ira enim in Scripturis pro afflictione qua Deus malos punit, accipitur; unde cum dicit *ira Dei patris manet super eum*, idem est ac si dicat: sentient poenam a Deo patre. Et licet pater *omne iudicium dederit filio*, ut dicitur infra V, 22 tamen Baptista refert hoc ad patrem, intendens per hoc Iudaeos reducere ad credendum filio. Et de isto iudicio dicitur Hebr. X, 31: *horrendum est incidere in manus Dei viventis*. Dicit autem *manet super eum*, quia ista poena numquam ab incredulis desistet; et quia omnes qui nascuntur in ista vita mortali, habent secum iram Dei, quam accepit primus Adam. Eph. II, 3: *eram natura*, idest per nativitatem, *filii irae*. Ab hac autem ira non liberamur nisi per fidem Christi; et ideo qui non credunt in Christum filium Dei, manet in eis ira Dei.

## Caput 4

### Lectio 1

[87444] Super Io., cap. 4 l. 1 Posita doctrina Christi de spirituali regeneratione, et quod Christus gratiam spiritualis regenerationis Iudaeis communicaverat, hic consequenter ostendit quomodo ipsa gratia etiam ad gentes derivata est per Christum. Salutaris autem gratia Christi derivata est dupliciter in gentibus: per doctrinam et per miracula. Marc. ult., 20: *illi autem profecti praedicaverunt ubique, ecce doctrina, domino cooperante, sequentibus signis*, ecce miracula. Primo ergo ostendit futuram gentium conversionem per doctrinam; secundo futuram gentium conversionem per miracula, ibi *post duos autem dies exiit inde*. Circa primum duo facit. Primo

praemittit quaedam praeambula ad doctrinam; secundo proponit doctrinam, et eius effectum, ibi *respondit Iesus, et dixit ei: si scires donum Dei* et cetera. Quantum ad primum tria praeambula praemittit. Primum ex parte ipsius docentis; secundum ex parte eius de quo doctrina erat, ibi *erat autem ibi fons Iacob*; tertium ex parte personae audientis, ibi *venit mulier de Samaria*, et cetera. Ex parte autem docentis, praeambulum est eius accessus ad locum doctrinae; et ideo dicit *ut ergo cognovit Iesus*, et cetera. Ubi tria facit. Primo innuit terminum a quo recedit, quia a Iudaea; secundo terminum ad quem accedit, in Galilaeam; tertio insinuat medium per quod transit, quia per Samariam. Quantum ad primum ponit primo causam recessus de loco in quo erat; secundo exponit quaedam dicta in causa assignata, ibi *quamquam Iesus non baptizaret* etc.; tertio describit recessum Christi a Iudaea, ibi *reliquit Iudaeam*, et cetera. Dicit ergo *ut cognovit Iesus quod audierunt Pharisei* etc., volens ostendere Evangelista, quod postquam Baptista repressit discipulorum suorum invidiam, Christus declinavit Pharisaeorum malitiam. Sed cum dicatur Eccli. XXIII, 29: *domino Deo nostro nota sunt omnia antequam fiant*; et Hebr. IV, 13: *omnia nuda et aperta sunt oculis eius*, quaerendum videtur quomodo Iesus dicitur aliquid de novo cognoscere. Ad quod dicendum est, quod Iesus virtute divinitatis suae ab aeterno cognovit omnia praeterita, praesentia et futura, ut praedictae auctoritates ostendunt; sed in quantum homo aliqua de novo cognovit, scientia experimentalis; et de hac dicitur hic *ut cognovit Iesus*, postquam fuit ei nuntiatum, *quia audierunt Pharisei* et cetera. Et hanc cognitionem Christus de novo accipere voluit dispensative, ad ostendendum veritatem humanae naturae, sicut et multa alia humanae naturae propria voluit facere et pati. Sed quid est hoc quod dicit *quia audierunt Pharisei, quod Christus plures discipulos facit et baptizat quam Ioannes*, cum ad eos non pertineat? Nam ipsi Ioannem persecuti sunt, nec ei credebant: quia, ut dicitur Matth. XXI, 26, cum dominus quaereret Baptismum Ioannis unde esset, dicebant intra se: *si dixerimus de caelo, dicit nobis: quare ergo non credidistis?* Non ergo crediderant Ioanni. Sed ad hoc est duplex responsio. Una: quod ipsi discipuli Ioannis, qui supra quaestionem concitaverant contra Christum, erant Pharisei, vel Phariseis confoederati, unde, Matth. IX, 11 et 14 dicitur quod Pharisei simul cum discipulis Ioannis proposuerunt quaestiones contra discipulos Christi. Et secundum hoc concludit Evangelista *ut ergo cognovit Iesus quia audierunt* etc.: id est postquam intellexit quaestionem et commotionem discipulorum Ioannis, qui erant Pharisei, vel Phariseis confoederati, super Baptismo suo et discipulorum eius, *reliquit Iudaeam*. Vel dicendum, quod Pharisei propter invidiam turbati sunt de praedicatione Ioannis, unde suaserunt Herodi ut caperet eum. Et hoc patet Matth. XVII, 12, ubi cum Christus loqueretur de Ioanne, dicit: *Elias iam venit, et fecerunt in eum quaecumque voluerunt*: et postea subdit: *sic et filius hominis passurus est ab eis*, ubi Glossa dicit quod Pharisei incitaverunt Herodem ad incarcerationem Ioannis et mortem. Videtur ergo probabile quod similiter moverentur contra Christum, ex hoc quod praedicabat. Et hoc est quod dicitur *audierunt*, scilicet ad persequendum *Pharisei* invidi et persecutores Christi *quia Iesus plures discipulos facit et baptizat quam Ioannes*. De isto auditu dicitur Iob XXVIII, v. 22: *perditio et mors dixerunt: auribus nostris audivimus facta eius*. Sed boni audiunt ad obediendum. Ps. CXXXI, 6: *ecce audivimus eum in Ephrata*: et postea sequitur: *adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius*. Audierunt, inquam, duo: scilicet quod plures discipulos faceret quam Ioannes, quod quidem iustum erat et rationabile, quia, ut dicitur supra III, 30, Christum oportet crescere, et Ioannem minui. Aliud quod baptizabat; et hoc merito, quia ipse mundat. Ps. I, v. 4: *lava me, domine, ab iniustitia mea*. Et alibi, Ps. VII, 7: *exurge, domine* (scilicet baptizando), *in praecepto quod mandasti* (scilicet de Baptismo), *et synagoga populorum* (per Baptismum congregatorum) *circumdabit te*. Consequenter cum dicit *quamquam Iesus non baptizaret* etc., exponit quod supra dixerat de Baptismo Christi *quod audierunt Pharisei* et cetera. Sed Augustinus dicit, hic apparere inconveniens: nam supra dixerat *et baptizat*, hic vero quasi corrigens id, utpote falsum, dicit *quamquam Iesus non baptizaret*. Et ad hoc est duplex responsio. Una Chrysostomi: quod hoc quod Evangelista dicit, verum est, quod Christus non baptizavit aliquem; illud autem quod supra dictum est, scilicet baptizat, intelligendum est secundum famam currentem ad Phariseos, quod Christus baptizaret, quod aliqui venientes ad ipsos Phariseos dicerent: vos invidetis Ioanni quod discipulos habebat et baptizabat; sed ecce quod hic, scilicet Iesus, plures discipulos facit quam Ioannes, et baptizat. Quare ergo sustinetis eum? Et ideo non dicit Evangelista ex se, quod baptizat, sed quod audierunt Pharisei. Et ideo falsum rumorem populi Evangelista corrigere volens, dicit: verum est quod audierunt Pharisei, quod Christus baptizat, sed est falsum; unde subdit *quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius*. Ideo autem, secundum Chrysostomum, Christus non baptizavit, quia in omni Baptismate, quo Ioannes et discipuli baptizaverunt per totum tempus ante Christi passionem, non dabatur spiritus sanctus; sed ad hoc erat ut assuescerent homines ad

Baptismum Christi, et congregarentur ad praedicationem, ut ipse dicit. Inconveniens autem esset quod Christus baptizaret, si non daretur in illo Baptismo spiritus sanctus, quod non dabatur ante Christi passionem: quia, ut dicitur infra VII, 39, *nondum erat spiritus datus, quia nondum Iesus erat glorificatus*. Sed, secundum Augustinum, dicendum est, et verius, quod discipuli baptizabant Baptismo Christi, aqua scilicet et spiritu, qui in ipso Baptismo dabatur: et etiam ipse Christus baptizabat, et non baptizabat. Baptizabat quidem quia ipse mundabat interius; sed non baptizabat, quia ipse non tingebat aqua exterius; nam discipuli praebebant ministerium per ablutionem corporis, Christus vero praebebat spiritum interius mundantem. Unde ipse proprie baptizabat. Supra I, 33: *supra quem videris spiritum descendantem, et manentem super eum, hic est qui baptizat*. Ad hoc ergo quod Chrysostomus dicit, quod nondum erat spiritus datus etc., dicendum, quod non erat datus visibilibus signis, sicut post resurrectionem Christi datus est discipulis; sed tamen datus est, et dabatur, per internam sanctificationem, credentibus. Per hoc autem quod Christus non semper baptizavit, dat nobis exemplum quod maiores Ecclesiarum praelati in his quae per alios fieri possunt, non occupentur, sed ea minoribus facienda relinquunt. I Cor. I, 17: *non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare*. Si autem quaeritur an discipuli Christi baptizati fuerint; dicendum, secundum Augustinum ad Stelentium, quod baptizati fuerunt Baptismo Ioannis, quia aliqui ex discipulis Christi fuerant discipuli Ioannis: sive quod magis credibile est Baptismo Christi; neque enim ministerio baptizandi defuisse creditur, ut haberet baptizatos servos, per quos ceteros baptizaret. Et hoc intelligendum est per hoc quod dicitur Io. XIII, 10: *qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet*. Et postea sequitur: *et ideo vos mundi estis, sed non omnes*. Consequenter Christi recessum ponit, dicens *reliquit Iudaeam*: et hoc triplici de causa. Una ut subtraheret se invidiae Pharisaeorum, qui ex his quae audierant de Christo, turbabantur, et persecutionem parabant; dans nobis exemplum, ut per mansuetudinem malis cedamus ad tempus. Eccli. VIII, v. 4: *nec strues ligna in ignem illius*. Alia de causa ut ostenderet non esse peccatum persecutores fugere. Matth. X, 23: *si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Tertia causa est, quia nondum venerat tempus suae passionis. Infra II, 4: *tempus meum nondum advenit* et cetera. Est autem et alia causa, propter mysterium: nam per huiusmodi recessum significavit quod discipuli propter persecutionem relicturi erant Iudaeos, et ituri ad gentes. Consequenter cum dicit *et abiit iterum in Galilaeam*, ostendit locum ad quem accessit. Dicit autem, *iterum*, quia supra II, v. 12 fecerat mentionem de quodam alio descensu Christi in Galilaeam, quo post miraculum nuptiarum descendit Capharnaum. Quia ergo alii tres Evangelistae non faciunt mentionem de illo descensu primo, ideo Evangelista, ut det intelligere quod alii Evangelistae omnia quae dixerunt usque ad istud capitulum, dimiserunt, et ex hoc loco ipse historiam eis contemporaneam texere incepit, dicit *iterum*, per Galilaeam enim, secundum unam interpretationem, intelligitur gentilitas, ad quam Christus a Iudaeis vadit: interpretatur enim Galilaea transmigratio. Secundum aliam interpretationem, per Galilaeam intelligitur caelestis gloria, nam Galilaea revelatio interpretatur. Consequenter cum dicit *oportebat autem eum transire per Samariam*, describit medium per quod transit: et primo in generali; secundo in speciali, ibi *venit ergo in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar*. Medium autem quod transit abiens in Galilaeam, est Samaria; et ideo dicit *oportebat eum transire per Samariam*. Dicit autem *oportebat*, ne videatur contrarius suae doctrinae: nam Matth. X, 5, praecepit discipulis, dicens: *in viam gentium ne abieritis*. Quia ergo Samaria terra gentium erat, ideo ostendit quod non ex proposito, sed ex necessitate illuc ivit. Dicit *oportebat*: et ratio huius necessitatis erat, quia Samaria erat sita media inter Iudaeam et Galilaeam. De ista Samaria sciendum est, quod Amri rex Israel, montem a quodam Somer emit, ut habetur III Reg. XVI, 23 ss., civitatemque quam in montis vertice construxerat, a vendentis nomine Samariam nuncupavit; hac deinde reges Israelitarum pro regia usi sunt, et tota regio ab hac civitate Samaria vocabatur. Unde hoc quod dicitur hic *oportebat eum transire per Samariam*, non est intelligendum per civitatem illam transitum esse facturum, sed per regionem. Et ideo speciale medium describens, subdit *venit ergo in civitatem Samariae, idest regionis Samariae, quae dicitur Sichar*. Sichar enim idem est quod Sichem, secundum aliud nomen: de qua civitate habetur Gen. XXXIII, 16 ss., quod Iacob iuxta eam tetendit tentoria sua, et propter raptum Dinae filiae suae a filio regis Sichem, duo filii Iacob indignati, occiderunt homines civitatis illius; et sic cessit in possessionem Iacob, et habitavit ibi fodiens in ea puteos. Postmodum vero circa mortem suam, dedit eam Ioseph filio suo, secundum quod legitur Gen. XLVIII, 22: *do tibi partem unam extra fratres tuos*. Et hoc est quod dicit *iuxta praedium, idest agrum, quod dedit Iacob filio suo*. Ideo autem haec omnia diligenter Evangelista narrat, ut ostendat quod omnia quae contigerunt circa patriarchas, fuerunt ducentia ad Christum; et quod Christus signatus est per eos, et ab eis secundum carnem descendit. Consequenter cum dicit *erat autem ibi fons Iacob*, ponit praeambulium doctrinae ex parte rei de qua

doctrina tradenda erat. Et hoc congruenter: nam doctrina futura erat de aqua et fonte spirituali, et ideo fit hic mentio de fonte materiali, ex quo sumitur occasio disputandi de fonte spirituali qui est Christus. Ps. XXXV, 10: *apud te est fons vitae*, scilicet spiritus sanctus, qui est spiritus vitae. Item fons est Baptismus, de quo dicitur Zach. XIII, 1: *erit fons patens domui Iacob in ablutionem peccatoris et menstruatae*. Circa hoc tria facit. Primo describit ipsum fontem; secundo sessionem Christi super eum; et tertio sessionis tempus designat. Fontem quidem describit cum dicit *erat autem ibi fons Iacob*. Sed contra. Inferius dicitur *puteus altus est*: non ergo erat fons. Sed dicendum, secundum Augustinum, quod fons erat, et puteus. Omnis enim puteus fons est, sed non convertitur, nam ubi aqua de terra scaturit, fons est: et si quidem aqua in superficie terrae scaturit, fons tantum dicitur; si vero in alto et in profundo scaturit, ita puteus vocatur ut nomen fontis non amittat. Dicitur autem fons Iacob, quia ipse puteum illum foderat in terra illa propter defectum aquae, ut dicitur Gen. XXXIV. Sessio autem Christi innuitur cum subdit *Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*. Ostendit infirmitatem, quamquam esset virtutis immensae, non propter defectum virtutis, sed ut ostenderet veritatem naturae assumptae. Nam, secundum Augustinum, Iesus fortis est, quia (supra I, 1) *in principio erat verbum*, sed infirmus est, quia *verbum caro factum est*. Christus ergo volens ostendere veritatem humanae naturae, permittebat eam agere et pati quae sunt propria homini: volens etiam ostendere in se veritatem divinae naturae, faciebat et operabatur propria Dei. Unde quando retrahebat influxum virtutis divinae a corpore, esuriebat et fatigabatur; quando vero ipsam virtutem divinam corpori exhibebat, sine cibo non esuriebat, et in laboribus non fatigabatur. Matth. IV, 2: *ieiunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et postea esuriit*. Ex hoc autem quod Iesus fatigatus est ex itinere, datur nobis exemplum non refugiendi laborem propter salutem aliorum. Ps. LXXXVII, 16: *pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea*. Similiter etiam datur exemplum paupertatis, quia *sedebat sic*, id est super nudam terram. Mystice autem sessio humilitatem passionis Christi significat. Ps. CXXXVIII, 2: *tu cognovisti sessionem meam* (id est passionem) *et resurrectionem meam*. Item significat auctoritatem docendi, quia loquitur tamquam potestatem habens: unde dicitur Matth. V, 1 s., quod *sedens docebat eos*. Tempus autem determinatur, cum subdit *hora autem erat quasi sexta*. Et ratio huius determinationis assignatur litteralis et mystica. Litteralis quidem, ut ostendat causam fatigationis: nam in calore, et sexta hora diei, homines magis fatigantur ex labore. Item ut ostendat causam sessionis: libenter enim homines in aestu et calore diei, iuxta aquas quiescunt. Mystica autem causa assignatur triplex. Una, quia Christus in sexta aetate saeculi in mundum venit, carnem assumens. Alia, quia sexto die homo factus est, et in sexto mense conceptus est Christus. Tertia, quia in sexta hora sol in alto existit, et non restat nisi ut declinet. Sol autem, quantum ad hoc pertinet, temporalem prosperitatem significat, secundum illud Iob XXXI, 26: *si vidi solem cum fulgeret* et cetera. Tunc ergo Christus venit quando prosperitas mundi in alto erat, id est, in cordibus hominum per amorem florebat; sed per eum amor a cordibus hominum declinare debebat. Consequenter cum dicit *venit mulier de Samaria*, ponitur praeambulum ex parte audientis: et circa hoc duo facit. Primo ponitur persona cui exhibetur doctrina; secundo innuitur praeparatio eius ad doctrinam, ibi *dixit ergo ei mulier illa Samaritana*. Persona autem, cui exhibetur doctrina, est mulier Samaritana; unde dicit *venit mulier de Samaria haurire aquam*. Mulier ista significat Ecclesiam gentium nondum iustificatam, quae idolatria detinebatur, sed tamen per Christum iustificandam. Venit autem ab alienigenis, scilicet a Samaritanis, qui alienigenae fuerant, licet vicinas terras incolerent: quia Ecclesia de gentibus, aliena a genere Iudaeorum, ventura erat ad Christum; Matth. VIII, 11: *multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham Isaac et Iacob in regno caelorum*. Haec autem mulier praeparatur ad doctrinam per Christum, cum dicit *da mihi bibere*. Et primo dat ei occasionem quaerendi; secundo Evangelista interponit quaerendi opportunitatem, ibi *discipuli autem eius abierant*. Occasio autem et praeparatio mulieris fuit petitio Christi; unde dicit *da mihi bibere*. Petit namque potum, et quia sitiebat aquam propter aestum diei, et quia sitiebat salutem hominis propter amorem eius; unde in cruce pendens dixit: sitio. Opportunitatem autem quaerendi a muliere habuit Christus, quia non erant ibi discipuli eius, a quibus quaereret aquam; et ideo dicit Evangelista *discipuli enim eius abierant in civitatem*. Ubi tria de Christo nota: scilicet eius humilitatem, in eo quod solus relinquebatur; dabat enim in hoc exemplum discipulis suis omnem superbiam conculcare. Sed quaereret fortasse aliquis, quae necessitas fuerat assuescere discipulos ad humilitatem, quia piscatores et humiles extiterant, et tabernaculorum factores. Sed advertere debent, qui talia dicunt, quod repente piscatores huiusmodi facti sunt reverentiores omnibus regibus, facundiores philosophis et rhetoribus, et familiares domini orbis terrarum: et tales sic repente promoti consueverunt superbire, utpote inexpertes ad tantum honorem. Secundo nota Christi parsimoniam: nam ita parum curabat de cibis quod nihil comestibile secum ferebat. Tertio etiam

nota, quod dimiserunt eum solum in cruce; Is. LXIII, 3: *torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum*. Praeparavit dominus mulierem ad recipiendum spiritualem doctrinam, dando ei occasionem quaerendi; hic consequenter ponitur quaestio; secundo assignatur ratio quaestionis, ibi *non enim coutuntur Iudaei Samaritanis*. Sciendum est autem, quod dominus petierat a muliere potum, intendens magis de spirituali quam de corporali potu; mulier vero, potum spiritualem nondum capiens, intendebat solum de corporali; et ideo respondet *quomodo tu, Iudaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier Samaritana?* Christus Iudaeus erat; quia et de Iuda promissus, Gen. XLIX, 10: *non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*, et de Iuda natus; Hebr. VII, 14: *manifestum est quod ex Iuda ortus sit dominus noster*. Cognoscebat autem mulier Christum esse Iudaeum ex habitu: nam, sicut dicitur Num. XV, 37 ss., dominus praecepit quod Iudaei portarent fimbrias hyacinthinas in quatuor angulis vestium suarum, ut per eas discernerentur ab aliis populis. Consequenter assignatur ratio quaestionis, sive ab Evangelista, secundum Glossam, sive a muliere, secundum Chrysostomum, cum dicit *non enim coutuntur Iudaei Samaritanis*. Sciendum est autem circa hoc quod sicut dicitur IV Reg. XVIII, propter peccata populi Israel, scilicet decem tribuum, qui colebant idola, ducti sunt in captivitatem a rege Assyriorum in Babylonem, et ne Samaria absque habitatoribus remaneret, fecit ibi gentes ex diversis locis ductas habitare. Et cum ibi essent, volens dominus ostendere quod non propter imbecillitatem suae virtutis, sed propter Iudaeorum malitiam tradidit eos, immisit ipsis gentibus leones, et saevas bestias, quae eos laedebant. Quae ubi nuntiata sunt regi Assyriorum, habito ex consilio, quod hoc ideo eis contingeret quia non servabant legitima Dei terrae, misit ad eos sacerdotem quemdam ex Iudaeis, traditurum eis Dei legem, secundum legem Moysi. Unde et isti licet non essent ex populo Iudaeorum, servabant tamen legem Moysi; sed cum Deo vero colebant idola, nec prophetis attendebant, et vocabant se Samaritanos a civitate Samariae quae erat sita in monte Somer: III Reg. c. XVI, 24. Revertentibus ergo Iudaeis ex captivitate in Ierusalem, semper infesti fuerunt et contrarii; et, sicut dicitur in Esdra, impediabant eos aedificare templum et civitatem. Et licet Iudaei vitarent omnes alias nationes, specialiter tamen vitabant istos, nec in aliquo coutebantur eis; et hoc est quod dicit *non enim coutuntur Iudaei Samaritanis*. Non dicit quod Samaritani non coutantur Iudaeis, quia libenter voluissent adiungi et couti Iudaeis; sed Iudaei eos repellebant, secundum illud Deut. VII, 2: *non inibis cum eis foedus* et cetera. Sed si non erat fas Iudaeis couti Samaritanis, quare Deus petebat a Samaritana potum? Ad quod, secundum quod dicit Chrysostomus, posset aliquis respondere, quod dominus sciebat eam non sibi tradituram potum, ideo petivit. Sed hoc non sufficit: quia petens quod non licet, a peccato non est immunis, quantum in se est, quin scandalizet, etsi non detur ei quod ipse petit. Et ideo dicendum est, quod, sicut dicitur Matth. XII, v. 8, *filius hominis est dominus etiam sabbati*. Unde tamquam dominus legis poterat uti et non uti lege et observantiis et legalibus, secundum quod sibi expediens videbatur. Et quia imminebat tempus quo gentes vocarentur ad fidem, ipsis gentibus coutebatur.

## Lectio 2

[87445] Super Io., cap. 4 l. 2 Consequenter cum dicit *respondit Iesus et dixit ei* etc., narrat Evangelista ipsam doctrinam spiritualem. Et primo ponitur ipsa doctrina; secundo effectus doctrinae, ibi *et continuo venerunt discipuli eius*. Circa primum duo facit. Primo ponit summarie totam doctrinam; secundo explicat eam per partes, ibi *dixit ei mulier: domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est*. Dixit ergo: tu miraris quod ego Iudaeus potum petii a te Samaritana; sed non debes mirari, quia ad hoc veni ut etiam gentibus potum darem. Et ideo dixit *si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo*. Et, ut incipiamus ab ultimo, requirendum est quid intelligatur per aquam. Et dicendum, quod per aquam intelligitur gratia spiritus sancti: quae quidem quandoque dicitur ignis, quandoque aqua, ut ostendatur quod nec hoc, nec illud dicitur secundum substantiae proprietatem, sed secundum similitudinem actionis. Nam ignis dicitur, quia elevat cor per fervorem et calorem, Rom. XII, 11: *spiritu ferventes* etc. et quia consumit peccata; Cant. VIII: *lampades eius, lampades ignis atque flammaram*. Aqua vero dicitur propter purgationem; Ez. XXXVI, 25: *effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Et propter refrigerationem ab aestibus tentationum; Eccli. c. III, 33: *ignem ardentem extinguit aqua*. Et propter satietatem contra sitim terrenorum, et quorumcumque temporalium; Is. LV, 1: *omnes sitientes, venite ad aquas*. Est autem duplex aqua: scilicet viva et non viva. Non viva quidem est quae non continuatur suo principio unde scaturit; sed collecta de pluvia, seu aliunde, in lacunas et cisternas a suo principio separata servatur. Viva autem aqua est quae

suo principio continuatur, et effluit. Secundum hoc ergo gratia spiritus sancti recte dicitur aqua viva, quia ita ipsa gratia spiritus sancti datur homini quod tamen ipse fons gratiae datur, scilicet spiritus sanctus. Immo per ipsum datur gratia; Rom. V, 5: *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Nam ipse spiritus sanctus est fons indeficiens, a quo omnia dona gratiarum effluunt; I Cor. XIII, 11: *haec omnia operatur unus atque idem spiritus* et cetera. Et inde est quod si aliquis donum spiritus sancti habeat, et non spiritum, aqua non continuatur suo principio, et ideo est mortua, et non viva; Iac. II, v. 20: *fides sine operibus mortua est*. Sic ergo patet quid per aquam intelligatur. Sed consequenter ostenditur, quod ad habendum aquam vivam, id est gratiam, in adultis per desiderium pervenitur, id est per petitionem; Ps. IX, 17: *desiderium pauperum exaudivit dominus*, quia absque petitione et desiderio non datur alicui gratia. Unde dicimus quod in iustificatione impii requiritur liberum arbitrium ad detestandum peccata et ad desiderandum gratiam, secundum illud Matth. VII, 7: *petite, et accipietis*. Intantum enim requiritur desiderium, quod etiam ipse filius ad petendum inducitur; Ps. II, 8: *postula a me, et dabo tibi*. Unde nec aliquis contradicens gratiae eam recipit, nisi prius reducatur ad desiderium gratiae, sicut patet in Paulo, qui antequam gratiam reciperet, reductus est ad desiderium gratiae, dicens, Act. IX, 6, *domine, quid me vis facere?* Et inde est quod signanter dicitur *tu forsitan petisses ab eo*. Et dicit *forsitan*, propter liberum arbitrium, quo homo aliquando desiderat et petit gratiam, aliquando non. Sed ad petendum gratiam incitatur desiderium hominis ex duobus, scilicet ex cognitione desiderandi boni, et ex cognitione datoris: et ideo duo cognoscenda proponit. Primo scilicet ipsum donum; unde dicit *si scires donum Dei*, quod est omne bonum desiderabile, quod est a spiritu sancto; Sap. c. VIII, 21: *scio quod non possum esse continens, nisi Deus det*. Et hoc donum Dei est et cetera. Secundo proponit ipsum datorem; unde dicit *et quis est qui dicit tibi* etc., scilicet, si scires eum qui dare potest, qui sum ego; infra XV, 26: *cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a patre (...) ille testimonium perhibebit de me*; Ps. LXVII, 19: *dedit dona hominibus*. Sic ergo haec doctrina est de tribus: scilicet de dono aquae vivae, de petitione ipsius doni et de datore eius. Et ideo cum dicit *dixit ei mulier* etc., de ipsa doctrina tractat explicite quantum ad haec tria: et primo quantum ad donum; secundo quantum ad petitionem, ibi dicit *ei mulier: domine, ut video, propheta es tu*; tertio quantum ad datorem, ibi dicit *ei mulier: scio quia Messias venit* et cetera. Circa primum duo facit. Primo explicat donum, ostendendo eius virtutem; secundo agit de perfectione ipsius doni, ibi dicit *ei mulier: domine, da mihi hanc aquam* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ponitur inquisitio mulieris; secundo responsio Christi, ibi *respondit Iesus, et dixit ei: omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum*. Circa primum sciendum est, quod mulier ista Samaritana, verba quae dominus spiritualiter intelligebat, carnaliter accipiebat, quia erat animalis. I Cor. II, 14: *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*. Et ideo verba quae dominus dicebat, quasi inconvenientia et impossibilia, argumento quodam utens, infringere conabatur, hoc modo: tu promittis mihi aquam vivam, aut ergo de isto puteo, aut de alio; sed non de isto, quia *nec in quo haurias habes, et puteus altus est*; de alio autem non videtur credibile quod dare possis, quia *non maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum*. Primo ergo prosequens primum, videamus hoc quod dicit *domine, neque in quo haurias habes*, id est hauritorio cares, quo aquam de puteo extrahere possis, et *puteus altus est*, scilicet ut absque hauritorio manu non possis attingere. Per altitudinem, seu profunditatem putei, intelligitur sacrae Scripturae profunditas, et sapientiae divinae; Eccle. VII, 25: *alta profunditas et quis*, etc.; hauritorium autem quo aqua sapientiae salutaris hauritur, est oratio; Iac. I, 5: *si quis indiget sapientia, postulet a Deo*. Secundum ostendit, cum dicit *numquid tu es maior patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum?* etc.; quasi dicat: numquid meliorem aquam habes ad dandum nobis quam Iacob? Dicit autem patrem suum Iacob, non quod Samaritani de generatione sint Iacob, ut ex supradictis apparet, sed quia legem Moysi habebant, et quia intraverunt terram semini Iacob repromissam. Commendat autem mulier ista puteum istum ex tribus. Primo ex auctoritate dantis; unde dicit *patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum*. Secundo ex suavitate aquae, et dicit, quod *ipse Iacob ex eo bibit, et filii eius*: nisi enim fuisset suavis, non ipsi bibissent, sed pecoribus eam tradidissent. Tertio ex ubertate, cum dicit *et pecora eius*: quia enim erat suavis, nisi fuisset uberrima, non dedissent eam pecoribus. Sic et sacra Scriptura magna est auctoritate, quia a spiritu sancto est data; delectabilis est suavitate, Ps. c. CXVIII, 103: *quam dulcia sunt faucibus meis eloquia tua*. Iterum fecunda est ubertate, quia non solum sapientibus, sed etiam insipientibus communicatur. Consequenter cum dicit *respondit Iesus* etc. ponitur responsio domini, ubi explicat virtutem suae doctrinae: et primo quantum ad hoc quod dixerat eam esse aquam; secundo quantum ad hoc quod dixerat eam esse aquam vivam, ibi *sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam*. Ostendit autem, quod doctrina sua sit optima aqua, ex hoc quod habet aquae effectum, scilicet quod auferat sitim multo amplius quam aqua ista corporalis;

ostendens se in hoc esse maiorem quam Iacob. Et ideo dicit *respondit Iesus, et dixit ei*, quasi dicat: tu dicis, quod Iacob dedit vobis puteum, sed ego dabo aquam meliorem, quia *omnis qui biberit ex hac aqua*, scilicet corporali vel carnalis cupiditatis et concupiscentiae, licet ad horam sedetur appetitus, tamen *sitiet iterum*, quia insatiabilis est delectationis appetitus; Prov. XXIII, 35: *quando evigilabo, et rursus vina reperiam?* Sed *qui biberit ex hac aqua*, scilicet spirituali, *quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum*; Is. penult., 13: *servi mei bibent, et vos sitietis*. Sed contra. Eccli. XXIV, 29, dicitur: *qui bibunt me, adhuc sitient*. Quomodo ergo non sitiet in aeternum qui biberit ex hac aqua, scilicet divina sapientia, cum ipsa sapientia dicat: *qui bibunt me, adhuc sitient?* Sed dicendum, quod utrumque verum est: quia qui bibit ex aqua quam Christus dat et sitit adhuc et non sitit; sed qui bibit ex aqua corporali, sitiet iterum: et hoc propter duo. Primo, quia aqua materialis et carnalis non est perpetua, nec causam perpetuam habet, sed deficientem: unde et effectus oportet quod cesset; Sap. V, 9: *transierunt haec omnia quasi umbra* et cetera. Aqua vero spiritualis causam perpetuam habet, scilicet spiritum sanctum, qui est fons vitae, numquam deficiens: et ideo qui ex ea bibit, non sitiet in aeternum; sicut qui haberet in ventre fontem aquae vivae, non sitiret unquam. Alia ratio est, quia differentia est inter rem spiritualem et temporalem. Licet enim utraque generet sitim, tamen aliter et aliter: quia res temporalis habita, causat quidem sitim non sui ipsius, sed alterius rei; spiritualis vero tollit sitim alterius rei, et causat sui ipsius sitim. Cuius ratio est, quia res temporalis antequam habeatur, aestimatur magni pretii et sufficiens; sed postquam habetur, quia nec tanta, nec sufficiens ad quietandum desiderium invenitur, ideo non satiat desiderium, quin ad aliud habendum moveatur. Res vero spiritualis non cognoscitur, nisi cum habeatur Apoc. II, 17: *nemo novit nisi qui accipit*. Et ideo non habita, non movet desiderium; sed cum habeatur et cognoscitur, tunc delectat affectum et movet desiderium, non quidem ad aliud habendum, sed quia imperfecte percipitur propter recipientis imperfectionem, movet ut ipsa perfecte habeatur. Et de hac siti dicitur in Ps. XLI, 2: *sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*. Sed haec sitis in mundo isto usquequaque non tollitur, quia bona spiritualia in vita ista percipere non possumus; et ideo qui biberit ex hac aqua, adhuc quidem sitiet eius perfectionem; sed non sitiet in aeternum, quasi ipsa aqua deficiat; quia, ut dicitur in Ps. XXXV, 9: *inebriabuntur ab ubertate domus tuae*. In vita autem gloriae, ubi beati perfecte bibunt aquam divinae gratiae, non sitient in aeternum; Matth. c. V, 6: *beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam*, scilicet in mundo isto, *quia saturabuntur* in vita gloriae. Consequenter cum dicit *sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam*, ostendit doctrinam suam esse aquam vivam ex motu ipsius aquae; unde dicit, quod est fons decurrens, Ps. XIV, 5: *fluminis impetus laetificat civitatem Dei*. Sed alius est cursus aquae materialis, scilicet deorsum, alius istius spiritualis, quia ducit sursum; et ideo dicit: dico, quod talis est aqua materialis quod non tollit sitim, sed aqua quam ego do, non solum sitim aufert, sed est viva quia est coniuncta fonti; unde dicit quod *fiet in eo fons*: fons, inquam perducens per bona opera ad vitam aeternam. Ideo dicit *aquae salientis*, idest salire facientis, *in vitam aeternam*, ubi non est sitis, infra c. VII, 38: *qui credit in me, flumina*, scilicet bonorum desideriorum, *de ventre eius fluent aquae vivae*; Ps. XXXV, 10: *apud te est fons vitae*. Consequenter cum dicit *dixit ad eum mulier*, agitur de petitione doni: et primo ponitur modus percipiendi ipsum donum; secundo convincitur mulier, ibi *dixit ei Iesus: bene dixisti* et cetera. Modus percipiendi, ut dictum est, est per orationem et petitionem: et ideo primo ponitur petitio mulieris; secundo responsio Christi, ibi *dixit ei Iesus, vade* et cetera. Quantum ad primum notandum, quod mulier ista in exordio collationis mutuae, Christum non vocavit dominum, sed simpliciter Iudaeum, dicens: *quomodo tu, Iudaeus cum sis, bibere a me poscis?* Hic vero statim cum audit eum fore sibi utilem, et aquam dare posse, dominum eum vocat; unde *dixit ad eum mulier: domine, da mihi hanc aquam*. Quia enim hoc carnaliter intelligebat, et duplici corporali necessitate tenebatur, scilicet sitis et laboris, veniendo ad puteum et portando, ideo aquam petens, haec duo allegat, dicens quo ad primum, *ut non sitiam*; et quo ad secundum, *neque veniam huc haurire*. Naturaliter enim homo laborem refugit; Ps. LXXII, 5: *in labore hominum non sunt*. *Dixit ei Iesus: vade*, et cetera. Hic ponitur responsio domini. Sed sciendum est, quod dominus respondebat spiritualiter, sed mulier intellexit carnaliter: et ideo potest hoc dupliciter exponi. Uno modo secundum Chrysostomum, qui dicit, quod dominus volebat dare aquam spiritualis doctrinae non sibi soli, sed specialiter viro suo; quia, ut dicitur I Cor. c. XI, 3, *caput mulieris vir*, et ideo voluit ut praecepta Dei ad mulierem per virum devenirent, I Cor. XIV, 35, dicitur quod *si mulier aliquid addiscere vult, domi virum interroget*. Et ideo dicit *vade, voca virum tuum, et veni huc*; et tunc cum eo et per eum dabo tibi. Alio modo, secundum Augustinum, exponitur mystice. Nam sicut de aqua dominus figurative loquebatur, ita de viro. Vir autem iste, secundum Augustinum, est intellectus: nam voluntas parit et concipit a vi apprehensiva movente eam: unde voluntas est sicut mulier; ratio vero movens voluntatem est vir eius. Quia ergo mulier, idest



voluntas, prompta erat ad recipiendum, sed non movebatur ab intellectu et ratione, ut specialiter hoc intelligeret sed adhuc sub sensu detinebatur, ideo dominus dixit ei *vade*, tu sensualis, *voca virum tuum*, idest, rationabilem intellectum advoca, quo spiritualiter et intelligibiliter intelligas quod modo carnaliter sapis; *et veni huc*, intelligendo ducta ratione. *Respondit mulier*, et cetera. Hic convincitur a Christo mulier. Et primo ponitur eius responsio; secundo contestatio qua convincitur a Christo, ibi *bene dixisti*. Circa primum sciendum est, quod mulier turpitudinem suam occultare volens, et Christum sicut purum hominem credens, licet verum responderit Christo, tamen fecte et occulte dedecus suum tacebat; quia, secundum quod dicitur Eccli. IX, 10: *mulier fornicaria quasi stercus in via conculcabitur*. Et ideo *respondit et dixit: virum non habeo*. Et verum erat: quia licet ante plures habuerit, scilicet quinque, nunc vero non legitimum habebat virum, sed cuidam adhaeserat; et ideo convincitur a domino. Unde dicit *dixit ei Iesus: bene dixisti, quia non habeo virum*, scilicet legitimum; *quinque enim viros habuisti*, ante ipsum, *et nunc quem habes*, idest hoc modo uteris ut viro, *non est tuus vir; hoc vere dixisti*: quia virum non habes. Ideo autem dixit ei dominus ea quae ab ea non didicerat, et occulta sibi videbantur, ut mulierem ad spiritualem intelligentiam reducat et credat, in Christo aliquid divinum esse. Mystice autem quinque viri sunt quinque libri Moysi, quia Samaritani, ut dictum est, eos recipiebant; et ideo dicit *quinque enim viros habuisti; et nunc quem habes*, idest quem audis, scilicet Christum, non est tuus vir, quia non credis. Sed, ut dicit Augustinus, haec expositio non est bona, quia mulier ista dimissis quinque viris, venit ad hunc quem habebat, sed isti qui veniunt ad Christum, non dimiserunt quinque libros Moysi. Et ideo aliter dicendum, quod *quinque viros habuisti*, idest quinque sensus, quibus usque modo utebaris; sed hunc quem habes, scilicet rationem errantem, qua spiritualiter dicta adhuc carnaliter intelligis, *non est tuus vir*, legitimus, sed adulter; et ideo tolle istum adulterum errorem, qui te corrumpit et *voca virum tuum*, idest intellectum, ut intelligas me. Hic agitur de petitione qua donum acquiritur, quae est oratio. Et primo ponitur quaestio mulieris de oratione; secundo responsio Christi, ibi *dixit ei Iesus: mulier, crede mihi*. Circa primum duo facit mulier. Primo confitetur idoneitatem Christi ad respondendum quaestioni; secundo quaestionem proponit, ibi *patres nostri in monte hoc adoraverunt*, et cetera. Mulier autem ista auditis quae Christus de occultis ei manifestaverat, quem usque modo purum hominem credidit, nunc prophetam confitetur, idoneum ad satisfaciendum de dubiis. Hoc est proprium prophetarum, ut absentia et incognita annuntient; I Reg. IX, 9: *qui olim dicebatur videns, nunc dicitur propheta*. Et ideo dicit *domine, ut video, propheta es tu*; quasi dicat: in hoc quod occulta mihi dicis, ostenderis propheta. In quo, secundum Augustinum, patet quod coepit ad eam venire vir, sed non plene venit: quia dominum prophetam putabat: licet enim propheta esset, Matth. XIII, 57: *non est propheta sine honore nisi in patria sua*: tamen erat plusquam propheta, quia prophetas ipse constituit; Sap. VII, 27: *in animas sanctas per nationes se transfert, amicos Dei et prophetas constituit*. Consequenter ponit quaestionem de oratione, dicens *patres nostri in monte hoc adoraverunt; et vos dicitis quia Ierosolymis est locus ubi adorare oportet*. In quo admiranda est mulieris diligentia, quia mulieres, utpote curiosae et infructuosae, et non solum infructuosae, sed et otiosae, I Tim. V, non de mundanis, non de futuris eum interrogabat, sed de his quae Dei sunt; secundum illud Matth. VI, 33: *primum quaerite regnum Dei*. Et movet primo quaestionem de his quae in terra illa homines movere consueverant, scilicet de loco orationis, de quo quaestio vertebatur inter Iudaeos et Samaritanos; et hoc est quod dicit *patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis* et cetera. Circa quod sciendum est, quod Samaritani (secundum legis mandata) Deum colentes, fecerunt templum, in quo eum adorarent, non euntes in Ierusalem propter Iudaeos eis infestos: quod quidem templum fecerunt in monte Garizim, Iudaei vero in monte Sion. Unde quaestio vertebatur inter eos quis istorum montium esset convenientior locus orationi; et utrique adducebant rationes pro parte sua: Samaritani quidem dicebant magis in monte Garizim esse adorandum, quia antiqui patres adoraverunt ibi dominum; et ideo dicit *patres nostri in monte hoc adoraverunt*. Sed quomodo dicit mulier *patres nostri*, cum Samaritani non essent ex semine Israel? Ad hoc est responsio, secundum Chrysostomum, quod aliqui dicunt Abraham in monte illo filium obtulisse; alii autem in monte Sion, ut habetur Gen. XXII. Vel potest dici, quod *patres nostri* intelligantur Iacob et filii eius, qui, ut habetur Gen. XXXIII, et dictum est supra, habitavit in Sichem, quae est sita iuxta montem Garizim, et forte ibi adoraverunt in monte dominum. Vel potest dici quod filii Israel adoraverunt in monte hoc, quando Moyses praecepit ut ascenderent in montem Garizim ad benedicendum servantibus mandata domini, ut dicitur Deut. VI. Et vocat istos patres suos, vel propter legem datam filiis Israel, quam servabant Samaritani, vel propter terram eorum quam inhabitabant, ut dictum est supra. Iudaei autem dicunt orandum esse in Ierusalem auctoritate domini qui praecepit Deut. XII, 13: *cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit dominus Deus tuus*: qui quidem orationis

locus primo fuit in Silo, postea vero auctoritate Salomonis et Nathan prophetae, arca Dei portata est de Silo in Ierusalem, et ibi factum est templum, secundum illud Ps. LXXVII, 60: *repulit tabernaculum Silo*. Et postea sequitur: *sed elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit*. Sic ergo Samaritani adducebant pro se auctoritatem patrum; Iudaei vero auctoritatem prophetarum, quos Samaritani non recipiebant. Hanc ergo quaestionem mulier proponit: nec est mirandum a quo docta fuerit, quia communiter contingit ut in terris in quibus diversa sunt dogmata, etiam simplices in eis sint instructi. Unde, quia Samaritani fuerant in continuo iurgio cum Iudaeis, ideo mulieres et simplices in materia ista edocti erant. Consequenter cum dicit *dixit ei Iesus etc.*, ponitur responsio Christi. Et primo distinguit trinam orationem; secundo comparat eas adinvicem, ibi *vos adoratis quod nescitis*. Circa primum reddit primo mulierem attentam, utpote grandia locuturus, dicens *crede mihi*, et fidem adhibe, quia ubique opus est fide. Hebr. XI, 6: *accedentem ad Deum oportet credere*; Is. VII, 9: *nisi credideritis, non intelligetis*. Secundo proponit trinam adorationem, quarum duae iam erant, alia vero expectabatur futura. Duarum autem quae erant, una erat Samaritanorum, qua orabant in monte Garizim; et hanc exprimit dicens *venit hora quando neque in monte hoc, scilicet Garizim, adorabitis*. Alia est Iudaeorum qua orabant in monte Sion, scilicet in Ierusalem; et hanc exprimit dicens *neque in Ierusalem*. Tertia est futura, quae expectatur, quae est alia ab istis; et hanc insinuat excipiendo utramque adorationem: nam si veniat hora quando adorabunt, non tamen in monte Garizim neque in Ierusalem, manifestum est quod erit tertia adoratio Christi, evacuans utrorumque adorationem. Nam si aliquis vellet duos populos in unum coniungere, oporteret in utroque removeri illud in quo abinvicem dissiderent, et aliquid eis commune in quo conveniant, concedere. Christus ergo, volens coniungere Iudaeos et gentiles, removit a Iudaeis caeremonias, et a gentibus idolatriam, quae duo erant sicut paries unus in quo uterque abinvicem dissidebant, et fecit ex utroque populo unum populum secundum illud Eph. c. II, 14: *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum*. Sic ergo cessavit caeremonialis cultus et idololatria gentium, et sic introductus est verus Dei cultus a Christo. Mystice autem, secundum Origenem, per tres adorationes intelliguntur divinae sapientiae tres participationes. Quidam namque participant eam obnubilantes tenebris erroris, et isti adorant in monte: quia omnis error ex superbia causatur; Ier. LI, 25: *ecce ego ad te mons pestifer*. Quidam vero participant ipsam divinam sapientiam sine errore, sed imperfecte, quia in speculo et aenigmate; et isti adorant in Ierusalem, quae significat praesentem Ecclesiam; Ps. CXLVI, 2: *aedificans Ierusalem dominus* et cetera. Beati vero et sancti participant illam sine errore perfecte, quia vident Deum sicuti est, ut dicitur I Io. III. Et ideo dicit *venit hora*, idest expectabitur, quando neque in erroribus, neque per speculum et in aenigmate participabitis divinam sapientiam, sed sicuti est. Consequenter cum dicit *vos adoratis quod nescitis*, comparat praedictas adorationes ad invicem: et primo comparat secundam ad primam; secundo tertiam ad primam et secundam, ibi *sed venit hora*. Circa primum tria facit. Primo ostendit defectum primae adorationis; secundo veritatem secundae; tertio rationem utriusque assignat. Quantum ad primum dicit *vos adoratis quod nescitis*. Sed videtur alicui quod dominus explicare debuisset veritatem quaestionis, et rationem mulieris exsolvere. Sed dominus de hoc non curat, quia utraque adoratio cessare debebat. Quantum autem ad hoc quod dicit *vos adoratis*, sciendum est, quod philosophus dicit, aliter est cognitio in rebus compositis, et aliter in simplicibus. Nam composita quidem possunt quantum ad aliquid cognosci, ita ut quantum ad aliquid in eis remaneant incognita: unde potest de his haberi falsa cognitio. Sicut si aliquis habens veram cognitionem de animali quantum ad eius substantiam, tamen potest errare circa cognitionem accidentis, utrum scilicet sit album vel nigrum; et differentiae, utrum scilicet sit alatum vel quadrupes. In simplicibus autem nullo modo potest esse falsa cognitio: quia aut perfecte cognoscuntur, in quantum scitur eorum quidditas; aut nullo modo cognoscuntur, si non possit ad eam attingi. Cum ergo Deus sit omnino simplex, non potest de eo haberi falsa cognitio per hoc quod aliquid de eo sciatur et aliquid nesciatur, sed per hoc quod non attingitur. Unde quicumque credit Deum esse aliquid quod non est, puta corpus, vel aliquid huiusmodi, non adorat Deum, quia nescit eum, sed aliquid aliud. Samaritani autem falsam opinionem habebant de Deo dupliciter. Primo, quia aestimabant eum esse corporeum, unde et credebant ipsum in uno loco corporeo tantum determinate ibidem adorari oportere. Deinde, quia non credebant eum esse super omnia, sed aequalem aliquibus creaturis: unde simul cum eo et idola adorabant, quasi sibi aequalia. Et ideo nesciebant eum, quia non attingebat ad veram cognitionem eius. Et ideo dicit dominus *vos adoratis quod nescitis*; idest, non adoratis Deum, quia nescitis ipsum, sed phantasiam vestram, qua aliquid apprehenditis ut Deum; Eph. IV, 17: *sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui* et cetera. Quantum vero ad secundum, scilicet quantum ad diversitatem adorationis Iudaeorum, dicit *nos adoramus quod scimus*. Et connumerat se Iudaeis, quia et Iudaeus erat secundum gentem, et etiam mulier opinabatur eum et prophetam et Iudaeum esse. *Nos adoramus quod*

*scimus*: quia Iudaei per legem et prophetas veram cognitionem seu aestimationem de Deo habebant, in hoc quod non credebant ipsum esse corporeum, nec in uno loco determinato esse, quasi eius maiestas a loco capi possit; III Reg. VIII, 27: *si enim caeli caelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec quam aedificavi?* Nec etiam idola colebant; et ideo in Ps. LXXV, v. 2 dicitur: *notus in Iudaea Deus*. Rationem autem huius assignat cum dicit *quia salus ex Iudaeis est*; quasi dicat: ideo vera notitia de Deo habebatur solum a Iudaeis, quia futurum erat quod salus ex Iudaeis proveniret; et sicut principium sanitatis debet esse sanum, ita principium salutis, quae habetur per Dei veram cognitionem et verum cultum, oportet veram cognitionem de Deo habere: et ideo, quia ex eis principium salutis et causa, scilicet Christus, provenire debebat, secundum illud Gen. c. XXII, 18: *in semine tuo benedicentur omnes gentes*, oportet Deum notum esse in Iudaea. Provenit autem ex Iudaeis salus tripliciter. Primo quantum ad doctrinam veritatis, quia omnes gentes erant in erroribus; Iudaei autem in veritate permanebant; Rom. c. III, 2: *quid amplius est Iudaeo? Quia tradita sunt eis eloquia Dei*. Secundo quantum ad spiritualia dicta: nam prophetia, et alia dona spiritus sancti, prius eis data fuerunt, et ex eis devenerunt ad alios; Rom. XI, 17: *tu, scilicet gentiles, cum esses oleaster, insertus es in illis, scilicet Iudaei*; Rom. XV, 27: *nam si spiritualium eorum, scilicet Iudaeorum, participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis*. Tertio quantum ad ipsum salutis auctorem, quia ex eis processit secundum carnem; Rom. c. IX, 5: *ex quibus Christus est secundum carnem*. Consequenter cum dicit *sed venit hora* etc. comparat aliam adorationem duabus primis: et primo ponit eminentiam eius ad alias; secundo praeeminentiae convenientiam, ibi *nam et pater tales quaerit*. Sed attendendum est circa primum, secundum Origenem, quod supra loquens de tertia adoratione, cum dixit *venit hora quando non in monte hoc neque in Ierosolymis adorabitis patrem*, non addidit dominus, *et nunc est*; hic vero de ipsa loquens, dicit *venit hora, et nunc est*: quia tunc locutus est de adoratione in patria, secundum quam perfectam Dei cognitionem participabimus, quae nondum viventibus in hac carne mortali venit; hic vero loquitur de ea quae est in vita ista, quae iam venit per Christum. Et ideo dicit *venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate*. Quod potest legi primo quidem, secundum Chrysostomum, ut per hoc totum ostendatur eminentia istius adorationis ad adorationem Iudaeorum, ut sit sensus: sicut adoratio Iudaeorum praeeminet adorationi Samaritanorum, ita adoratio Christianorum praeeminet ei quae est Iudaeorum; et hoc in duobus. Primo, quia illa est secundum carnales caeremonias, Hebr. IX, 10: *in iustitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis*, haec vero est secundum spiritum. Secundo vero, quia illa est secundum figuras: nam Deo illae victimae, secundum quod sunt res quaedam, non placebant; unde in Ps. XLIX, 13, dicitur: *numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Et alibi, Ps. I, 18: *sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis*, inquantum scilicet sunt res quaedam; sed delectabatur in eis inquantum erant figura verae victimae, et veri sacrificii; Hebr. X, 1: *umbram habet lex futurorum bonorum, non rerum ipsam imaginem* et cetera. Haec autem adoratio est in veritate, quia ipsa secundum se Deo placet. Supra I, 17: *gratia et veritas per Iesum Christum facta est*. Et ideo quantum ad primum dicit, quod *veri adoratores adorabunt in spiritu*, non in caeremoniis carnalibus; quantum ad secundum dicit *in veritate*, non in figura. Secundo potest legi quod dominus per haec duo quae dicit, scilicet *in spiritu et veritate*, vult ostendere differentiam adorationis, non tantum ad illam Iudaeorum, verum etiam ad eam quae erat Samaritanorum. Ad illam quidem Iudaeorum, per hoc quod dicitur *et veritate*: nam illa, ut dictum est, cum errore erat, quia adorabant quod nesciebant, ista vero est cum vera Dei cognitione. Tertio modo legitur ut per hoc quod dicit *in spiritu et veritate*, ostendatur conditio verae adorationis. Ad hoc enim quod adoratio vera sit, duo requiruntur. Unum quod sit spiritualis: unde dicit *in spiritu*, idest in fervore spiritus; I Cor. XIV, 15: *orabo spiritu, orabo et mente*; Eph. V, 19: *psallentes in cordibus vestris Deo*. Aliud, quod sit in veritate. Primo quidem fidei, quia nullus fervor spiritualis desiderii est ad merendum idoneus, nisi adsit veritas fidei; Iac. I, 6: *postulet autem in fide nihil haesitans*. Secundo vero *in veritate*, idest sine fictione et simulatione: contra quod dicitur Matth. VI, 5: *amant in angulis orare, ut videantur ab hominibus*. Sic ergo ad ipsam orationem requiritur fervor caritatis quantum ad primum, et veritas fidei quantum ad secundum, et rectitudo intentionis quantum ad tertium. Sed dicit *patrem*, quia adoratio legis non erat patris, sed domini. Nos adoramus ut filii per amorem, illi vero adorabant ut servi per timorem. Sic ergo hoc quod dicit *veri*, opponitur contra tria, secundum dictas expositiones. Primo contra falsum adorationis ritum Samaritanorum; Eph. IV, 25: *deponentes mendacium, loquimini veritatem*. Secundo contra vanum et transitorium quod erat in caeremoniis carnalibus; Ps. IV, 3: *ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Tertio contra figurale; supra I, 17: *gratia et veritas per Iesum Christum facta est*. Consequenter, cum dicit *nam et pater tales quaerit*, ostendit

convenientiam tertiae adorationis ex duobus. Primo ex voluntate et acceptione eius qui adoratur; secundo ex ipsius natura, ibi *spiritus est Deus*. Circa primum sciendum est quod ad hoc quod homo mereatur quod petit accipere, ea debet petere quae non sint contra voluntatem dantis, et eo modo quo acceptum est danti; et ideo cum oramus Deum, esse debemus quales Deus quaerit: Deus autem tales quaerit qui scilicet eum adorent in spiritu et veritate, et in fervore caritatis, et veritate fidei; Deut. X, 12: *et nunc, Israel, quid dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas dominum Deum tuum, et ambules in viis eius, et diligas eum, ac servias domino Deo tuo in toto corde tuo, ut bene sit tibi?* Mich. c. VI, 8: *indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo*. Hoc autem ostendit ex natura ipsius, dicens *spiritus est Deus*: nam, sicut dicitur Eccli. XIII, 19: *omne animal diligit sibi simile*, ergo Deus intantum diligit nos, in quantum ei assimilamur; sed non assimilamur ei secundum carnalia, quia est incorporeus, sed secundum spiritualia, quia *Deus spiritus est*; Eph. IV, 23: *renovamini spiritu mentis vestrae*. Hoc autem quod dicit *spiritus est Deus*, denotat in Deo incorporeitatem; Lc. ult., 39: *spiritus carnem et ossa non habet*. Item vivificationem, quia tota vita nostra est a Deo, ut a principio effectivo. Est etiam Deus veritas; infra XIV, 6: *ego sum via, veritas et vita*: et ideo in spiritu et veritate oportet adorare eum. Consequenter cum dicit *dixit ei mulier* etc. agitur hic de datore doni: quod respondet ei quod dominus dixerat *si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, petisses utique*. Et primo ponitur confessio mulieris; secundo doctrina Christi, ibi *ego sum qui loquor tecum*. Circa primum duo facit: primo enim profitetur mulier fidem Christi venturi; secundo perfectionem doctrinae eius, ibi *cum ergo venerit, ille annuntiabit nobis omnia*. Sciendum est ergo, quod mulier eorum quae dicta sunt altitudine fatigata, obstupuit, ea capere non valens. Dicit *scio quia Messias venit, qui dicitur Christus*; quasi dicat: ista verba non capio; sed veniet tempus quando veniet Messias, et tunc sciemus omnia ista: Messias enim Hebraice, unctus Latine, Graece Christus est. Sciebat autem mulier ista Messiam venturum, edocta per libros Moysi, ubi Christi adventus praenuntiatus est; Gen. penult., 10: *non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*. Sicut autem Augustinus dicit, haec est prima locutio mulieris in qua nominat Christum: ut det intelligere, quod post quinque sensus corporeos, iam inciperet redire ad virum legitimum. Hic autem Messias cum venerit, perfectam doctrinam proponet, cum dicit *cum ergo venerit, ille annuntiabit nobis*. Et hoc praedixerat Moyses; Deut. XVIII, 18: *prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem eis; et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quae praecepero illi*. Et quia iam advocaverat mulier ista virum suum, intellectum scilicet et rationem, ideo dominus aquam doctrinae spiritualis ei propinat, optime manifestando se ei. Et ideo dicitur *dixit ei Iesus: ego sum qui loquor tecum*, scilicet Christus; Sap. VI, 14: *praeoccupat eos qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat*; infra XIV, v. 21: *ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum*. Non autem Deus manifestavit se mulieri a principio: quia forte credidisset, et visum fuisset sibi ex vanitate loqui. Nunc autem paulatim in cognitione Christi eam reducens, opportune revelavit se ipsum; Prov. XXV, 11: *mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*. Et quidem interrogatur a Phariseis, utrum esset Christus, infra X, 24: *si tu es Christus, dic nobis palam*, et tamen eis non se manifeste revelavit, quia non ad discendum quaerebant, sed ad tentandum. Haec vero simplici mente loquebatur.

### Lectio 3

[87446] Super Io., cap. 4 l. 3 Posita doctrina de aqua spirituali, hic agit de effectu ipsius doctrinae, et primo proponit ipsum effectum; secundo ipsum effectum manifestat, ibi *interea rogabant eum discipuli eius*. Effectus autem huius doctrinae est fructus proveniens ex parte fidelium, et ideo primo ponitur fructus proveniens ex parte discipulorum admirantium; secundo fructus proveniens ex parte mulieris virtutem Christi annuntiantis ibi *reliquit ergo hydriam suam mulier*. Tria autem ponuntur quantum ad discipulos: scilicet eorum reditus ad Christum; unde dicit *et continuo venerunt discipuli eius*. Et, ut dicit Chrysostomus, satis opportune, postquam se Christus mulieri manifestavit, discipuli occurrerunt, ut ostendatur, omnia tempora, divina providentia dispensari; Sap. VI, 8: *unumquodque fecit Deus, quia pusillum et magnum; et aequaliter est ei cura de omnibus (...) et in omni providentia occurret illis*; Eccle. VIII, 6: *omni negotio tempus est et opportunitas*. Secundo ponitur eorum admiratio de Christo; unde dicit *et mirabantur, quia cum muliere loquebatur*. Mirabantur quidem bonum; sed non suspicabantur malum, ut Augustinus dicit. Mirabantur autem duo. Primo quidem superabundantem Christi mansuetudinem et humilitatem: quia dominus orbis terrarum dignatus est cum inope muliere loqui, et diu, dans

in hoc nobis exemplum humilitatis; Eccli. IV, 7: *congregationi pauperum affabilem te facito*. Secundo quia cum Samaritana et alienigena loquebatur, nescientes mysterium, quod mulier typum Ecclesiae gentium gereret, quam quaerebat qui venit *quaerere et salvum facere quod perierat*: Lc. XIX, 10. Tertio ponitur eorum reverentia ad Christum, quae ostenditur ex taciturnitate eorum. In hoc enim ostendimus reverentiam ad Deum quando facta eius discutere non audemus; Prov. XXV, 2: *gloria Dei est celare verbum, et gloria regum investigare sermonem*. Et ideo dicit, quod licet mirarentur, *nemo tamen dixit: quid quaeris, aut quid loqueris cum ea?* Eccli. XXXII, 9: *audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia*. Sed tamen sic eruditi erant discipuli ordinem servare, ex reverentia et timore filiali ad Christum, ut aliquando quidem confidenter eum interrogent de his quae ad eos pertinebant, scilicet quando Christus aliqua proponebat ad eos pertinentia, quae eorum capacitatem transcendebant; Eccli. XXXII, 10: *adolescens, vix loquere in causa tua*. Aliquando vero eum non interrogent, in his scilicet quae ad eos non pertinebant, sicut hic. Consequenter cum dicit *reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem*, ponitur fructus proveniens ex parte mulieris, officium apostolorum annuntiando assumptis: et ponuntur tria, quae colligi possunt ex dictis et factis eius: scilicet devotionis affectus; secundo praedicationis modus, ibi dicit *illis hominibus: venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecumque feci*; tertio praedicationis effectus, ibi *et exierunt de civitate, et veniebant ad eum*. Affectus autem mulieris apparet ex duobus. Primo ex hoc quod prae magnitudine devotionis, illud pro quo specialiter venerat ad fontem, quasi oblita, dereliquit aquam et hydriam: unde dicit, quod *reliquit mulier hydriam suam, et abiit in civitatem*, annuntiare scilicet magnalia de Christo, non curans de corporeo commodo propter utilitatem aliorum. In quo sequitur apostolorum exemplum, qui, ut dicitur Matth. IV, 20: *relictis retibus, secuti sunt dominum*. Per hydriam autem intelligitur cupiditas saeculi, per quam de profundo tenebrarum, cuius imaginem puteus gerit, idest de terrena conversatione, homines hauriunt voluptates. Qui ergo cupiditates saeculi propter Deum derelinquunt, hydriam derelinquunt; II Tim. II, 4: *nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus*. Secundo vero apparet ex multitudine eorum quibus annuntiat: quia non uni tantum, nec duobus vel tribus, sed toti civitati, unde *abiit in civitatem*: in quo significatur apostolorum officium, quibus committit dominus, Matth. ult., 19: *euntes docete omnes gentes*, infra c. XV, 16: *posui vos ut eatis, et fructum afferatis*. Praedicationis autem modus innuitur cum dicit *et dicit illis hominibus etc.*, ubi primo invitat ad Christi visionem cum dicit *venite, et videte hominem*. Audierat enim mulier ista a Christo, quod ego sum Christus; sed non statim dixit quod venirent ad Christum, seu crederent, ne daret occasionem blasphemandi; et ideo a principio dixit ea de Christo quae credibilia erant et in propatulo, scilicet quod esset homo; Phil. II, 7: *in similitudinem hominum factus*. Nec dixit credite, sed *venite, et videte*; quia manifeste noverat, quod si gustarent de illo fonte, eum videndo, eadem paterentur quae et ipsa; Ps. c. LXV, 16: *venite, et narrabo quanta fecit animae meae*. Nihilominus tamen in hoc veri praedicatoris imitatur exemplum, non ad se homines, sed ad Christum vocando; II Cor. IV, v. 5: *non enim praedicamus nosmetipsos, sed Christum*. Secundo ponit divinitatis Christi indicium, cum dicit *qui dixit mihi omnia quaecumque feci*, scilicet quot viros habuerat. Hoc enim est divinitatis officium et indicium quod occulta et secreta cordium manifestet. Et licet illa quae fecerat, ad confusionem suam pertinerent, nihilominus tamen non est verecundata referre: nam, ut Chrysostomus dicit, anima cum ignita fuerit igne divino, ad nihil eorum quae sunt in terra de reliquo respicit, neque ad gloriam, nec ad verecundiam; sed ad illam solam, quae detinet eam, flammam. Tertio autem concludit Christi maiestatem, dicens *numquid ipse est Christus?* Non est ausa asserendo ostendere quod esset Christus, ne videretur alios velle docere; et ipsi ex hoc irati exire ad eum nollent. Neque tamen totaliter hoc siluit; sed sub quaestione, quasi hoc eorum iudicio committens, proposuit dicens *numquid non ipse est Christus?* Hic enim facilior modus est suadendi. Per hanc autem mulierem, quae infimae conditionis est, signatur apostolorum praedicationis modus: quia, ut dicitur I Cor. c. I, 26: *non multi sapientes, non multi potentes secundum carnem (...), sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes*. Unde Prov. IX, 3, ipsi apostoli ancillae dicuntur: *misit, inquit sapientia divina, scilicet apostolos, filius Dei, ancillas suas, scilicet apostolos, vocare ad arcem*. Fructus autem praedicationis ponitur ibi *et exierunt de civitate ad quam iverat mulier, et veniebant ad ipsum, scilicet Christum*: in quo datur intelligi, quod si ad Christum ire volumus, oportet nos exire de civitate; idest, amorem carnalis cupiditatis deponere; Hebr. XIII, 13: *exeamus ad eum extra castra, improprium eius portantes*. Consequenter cum dicit *interea rogabant eum discipuli etc.*, manifestatur effectus spiritualis doctrinae: et primo per doctrinam Christi ad discipulos; secundo per effectum operis in alios, ibi *ex civitate autem illa multi crediderunt*. Circa primum duo facit. Primo ponitur occasio manifestationis huius fructus; secundo ponitur ipsa manifestatio *ille autem dixit eis: ego cibum habeo manducare quem vos nescitis*.

Occasio autem manifestationis sumitur ex instantia discipulorum ad hoc ut Christus manducaret; et ideo dicit *interea*, idest, inter mulieris verba et locutionem Christi cum ea, et inter tempus adventus Samaritanorum, *rogabant eum*, scilicet Christum, *discipuli eius, dicentes: Rabbi, manduca*; arbitantes hoc tempus fore aptum ad prandium, antequam multitudo eorum concurreret. Non enim coram aliquo advena sibi escas propinabant: unde dicitur Mc. VI, 31, quod tanta multitudo confluebat ad eum, quod non habebat tempus manducandi. Hunc autem fructum manifestat, data sibi occasione dicens *ille autem dixit eis etc.*: ubi primo ponit fructum figurata locutione; secundo innuitur tarditas discipulorum ad intelligendum, ibi *dicebant ergo discipuli eius*; tertio exponit dominus quae dixerat, ibi *dixit eis Iesus: meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me*. Fructus autem spiritualis doctrinae proponitur sub figura cibi et refectionis; et ideo dicit *ego cibum habeo manducare*. Et sciendum quod sicut refectio corporalis non est perfecta nisi cibo iungatur potus, et e converso; ita etiam ad spiritualem refectionem utrumque haberi debet; Eccli. XV, 3: *cibavit illum dominus pane vitae et intellectus*, ecce cibus, et *aqua sapientiae salutaris*, ecce potus, *potavit illum*. Ideo congrue post poculi negotium, quo Samaritana potata fuerat, conveniens erat et de cibo disceptare: et sicut per aquam intelligitur sapientia salutaris, ita per cibum intelligitur operatio bona. Cibus autem iste quem Christus manducare habebat, est salus hominum, quam quaerebat: ostendens per hoc quod dicit se cibum habere manducare, quantum desiderium habet salutis nostrae. Sicut enim nobis cum esurimus, concupiscibile est manducare, ita et ei salvare nos; Prov. VIII, 31: *deliciae meae sunt esse cum filiis hominum*. Et ideo dicit *cibum*, idest conversionem gentium, *habeo manducare quem vos nescitis*: quia non poterant adhuc praecognoscere conversionem gentium. Vel aliter, secundum Origenem, contingit sicut de cibo corporali, ita et de spirituali; non enim eadem quantitas omnibus sufficit, sed uni quidem maior quantitas necessaria est, alteri minor; et uni quidem sanum est quod alteri nocet. Eodem modo in spirituali refectio: non enim eadem qualitas, seu quantitas doctrinae spiritualis adhibenda est singulis, sed secundum dispositionis congruitatem et capacitatem hominum. Nam, secundum apostolum: *nuper geniti infantes rationabile lac appetunt*. Perfectorum autem est solidus cibus: unde Origenes dicit, quod ille qui est altioris doctrinae, et aliis in spiritualibus praeest, potest hoc verbum dicere infirmis et debilioris intellectus existentibus. Et sic apostolus loquitur, I Cor. III, 1: *tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam*. Et hoc multo amplius veridicus Iesus dicere potest *cibum habeo manducare*; infra XVI, 12: *multa habeo vobis dicere quae non potestis portare modo*. Tarditas autem intellectus discipulorum innuitur ex hoc quod ea quae dixit dominus de cibo spirituali, intelligebant de corporali: adhuc enim et ipsi sine intellectu erant, secundum illud Matth. XV, 16. *Et ideo dicebant discipuli ad invicem et cetera*. Non est ergo mirum, si mulier illa Samaritana spiritualem aquam non intelligebat; ecce enim quod discipuli Iudaei spiritualem non intelligunt escam. In hoc autem quod dicunt adinvicem *numquid aliquis attulit ei?* Consuetudinem Christi debemus attendere, quia cibus ab aliis oblatos solebat accipere: non quod bonis nostris indigeret, quia *bonorum nostrorum non indiget*, ut dicitur in Ps. XV, 2, nec esca hominum, quia dat escam omni carni. Sed quare quaerebat, et ab aliis accipiebat? Propter duo. Primo ut dantes et afferentes, meritum consequerentur; secundo, ut daret Christus exemplum, quod vacantes spiritualibus non erubescant paupertatem, nec grave putent ab aliis nutriri. Proprium est enim doctoribus alios habere procuratores ciborum, ut ipsi de nullo curantes, verbi ministrationem sollicite procurent, ut dicit Chrysostomus. Et hoc idem habetur in Glossa. I Tim. c. V, 17: *qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina*.

#### Lectio 4

[87447] Super Io., cap. 4 l. 4 Posita tarditate intellectus discipulorum circa figuratam locutionem, hic consequenter dominus explanat eam, et primo ponit explanationem figuratae locutionis; secundo adhibet similitudinem, ibi *nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, et messis venit?* Circa primum sciendum est, quod sicut Christus supra explanavit mulieri, quod figuraliter ei proposuit de aqua, sic et apostolis explanat quod figuraliter eis de cibo proposuit, sed aliter et aliter: nam apostolis tamquam capacioribus absque verborum involutione expositionem statim proponit; mulierem autem, utpote minus capacem, per multa verba ad veritatis cognitionem perducit. Hoc autem quod dicit *meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam eius opus*, satis rationabilem habet causam. Cum enim cibus corporalis sustentet hominem, et perficiat ipsum, ille est spiritualis cibus animae, et creaturae rationalis, quo sustentatur et perficitur. Hoc autem est ut coniungatur suo fini et ut sequatur regulam superiorem; quod David intelligens dicebat, Ps. LXXII, 27: *mihi autem adhaerere*

*Deo bonum est.* Et ideo Christus secundum quod homo, convenienter suum cibum esse dicit, ut Dei faciat voluntatem, et ut perficiat opus eius. Et haec quidem duo possunt intelligi ut unum: ita tamen quod secundum sit expositio primi. Vel possunt intelligi ut aliud et aliud. Si autem intelligantur ut unum, tunc est sensus: *meus cibus est*, idest, in hoc est firmitas et sustentatio mea, *ut faciam voluntatem eius qui misit me*, secundum illud Ps. XXXIX, 9: *facere voluntatem tuam, Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei*; infra VI, 38: *descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*. Sed quia facere voluntatem alicuius intelligitur dupliciter: uno modo ut faciat eum velle, alio modo ut opere compleat illud quod scit eum velle; ideo dominus exponens quid sit facere voluntatem eius qui misit eum, dicit hoc scilicet esse *ut perficiam opus eius*, idest, ut compleam opera quae scio eum velle; infra IX, 4: *me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est*. Si autem intelligatur ut aliud et aliud; sic sciendum est, quod Christus duo fecit in mundo isto. Primo docuit veritatem, invitando, et vocando ad fidem: et in hoc complevit voluntatem patris; infra VI, 40: *haec est voluntas patris qui misit me, ut omnis qui videt filium et credit in eum, habeat vitam aeternam*. Secundo consummavit ipsam veritatem, aperiendo per passionem suam in nobis ianuam vitae, dando potestatem perveniendi ad consummatam veritatem; infra XVII, 4: *opus consummavi quod dedisti ut faciam*. Sic ergo dicit *meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me*, vocando homines ad fidem, *ut perficiam opus eius*, perducendo eos ad perfectum. Vel, secundum Origenem, omnis homo qui bene operatur, ad duo debet dirigere suam intentionem, scilicet ad honorem Dei, et ad utilitatem proximi: quia, sicut dicitur I Tim. I, 5: *finis praecepti est caritas*: quae continet amorem Dei et proximi. Et sic quando aliquid facimus propter Deum, finis praecepti est Deus; quando vero propter utilitatem proximi, finis praecepti est proximus. Secundum hoc ergo dicit Christus *meus cibus est ut faciam voluntatem Dei*, idest ut intentionem meam dirigam et regulem in his quae sunt ad honorem Dei, *ut perficiam opus eius*, idest, ea faciam quae sunt ad utilitatem et perfectionem hominis. Sed contra, Dei perfecta sunt opera: non ergo convenienter dicitur opera perfici Dei. Respondeo dicendum, quod inter ceteras creaturas inferiores homo est speciale opus Dei, quia ad imaginem et similitudinem suam fecit illum Gen. I, 26. Et hoc opus in principio quidem perfectum fuit, quia Deus fecit hominem rectum, ut dicitur Eccl. VII, 30. Postmodum vero per peccatum hanc perfectionem amisit, et a rectitudine recessit. Et ideo ut hoc opus domini perfectum esset, reparari indigebat: quod quidem perfectum est per Christum, quia dicitur Rom. V, 19: *sicut enim per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituentur multi*. Sic Christus dicit *ut perficiam opus eius*, idest ut hominem ad perfectum deducam. Consequenter cum dicit *nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit?* etc. ponit similitudinem. Sed attende, quod Christus a muliere potum petivit, dicens: *da mihi bibere*, et ideo occasione huius petitionis introduxit similitudinem de aqua. Hic vero discipuli inducunt dominum ad manducandum: unde et occasione huius introducit dominus similitudinem de cibo spirituali, quia idem intelligitur per cibum et potum. Sic ergo sunt quidam a quibus Deus petit potum sicut a muliere; quidam vero Deo offerunt potum. Sed cibum nullus Deo offert nisi prius petierit ab eo Deus: tunc enim Deo cibum spirituale offerimus quando ab eo poscimus salutem nostram, cum scilicet petimus: *fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*. Salutem ex nobis ipsis consequi non possumus nisi praeveniti a gratia praeveniente, secundum illud Thren. ult., 21: *converte nos, domine, ad te, et convertemur*. Ipse ergo prius petit qui per praevenientem gratiam nos petere facit. In hac autem similitudine primo agit de messe; secundo de messoribus, ibi *et qui metit, mercedem accipit*. Circa primum duo facit. Primo ponit similitudinem de messe corporali; secundo de messe spirituali, ibi *ecce dico vobis: levate oculos vestros*, et cetera. Per hoc autem quod dicit *nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit?* Datur intelligi quod Christus statim post captionem Ioannis de Iudaea recessit, sicut dicitur Matth. IV, 12, et transivit per Samariam; et quod hoc fuit in hieme: et Ioannes similiter captus. Unde quia ibi tempestivius messes perficiuntur, quatuor menses erant ab illo tempore usque ad messem. Dicit ergo *nonne vos dicitis*, loquendo de messe corporali, *quod adhuc quatuor menses sunt*, qui extant futuri, *et messis venit?* Idest, tempus collectionis messium. Sed *ecce dico vobis*, de spirituali messe loquens, *levate oculos vestros, et videte regiones, quae albae sunt iam ad messem*. Ubi sciendum est, quod tempus messium dicitur tempus collectionis fructuum: et ideo omnis collectio fructuum comparatur tempori messium. Tempus autem collectionis fructuum duplex est. Nihil enim prohibet in temporalibus et in spiritualibus, quin illud quod est fructus respectu praecedentium, sit etiam semen respectu sequentium: nam bona opera sunt fructus spiritualis doctrinae, sicut fides, et huiusmodi; quae tamen sunt semina vitae aeternae, quia per ea ad vitam aeternam pervenitur. Eccli. XXIV, 23 dicit sapientia: *flores mei*, respectu fructus sequentis, *sunt fructus honoris et honestatis*, respectu praecedentium. Secundum

hoc ergo una est collectio messis spiritualis respectu fructuum aeternorum, scilicet congregatio fidelium in vitam aeternam: de qua dicitur Matth. XIII, 39: *messis est consummatio saeculi*. Et de ista non agitur hic. Alia est in praesenti. Et hoc potest intelligi dupliciter. Uno modo collectio fructuum, scilicet fidelium in Ecclesia congregandorum conversio; alio modo ipsa cognitio veritatis, qua aliquis fructum veritatis in anima sua congregat: et de utraque secundum diversas expositiones hic agitur. De prima, secundum Augustinum et Chrysostomum, hoc modo: *vos dicitis*, quoniam adhuc non est tempus corporalis messis; sed non sic est de messe spirituali, *immo ecce dico vobis: levate oculos vestros*, scilicet mentis per considerationem, vel oculos etiam corporis, *et videte regiones, quoniam albae sunt iam ad messem*: quia scilicet tota regio plena erat Samaritanis ad Christum exeuntibus. Hoc autem quod dicit *albae sunt*, metaphoricum est: cum enim segetes dealbatae sunt, signum est quod sunt praeparatae ad messem. Nihil aliud per hoc significare voluit quam quod homines ad salutem et susceptionem verbi parati erant ei. Unde dicit *videte regiones*, quia non solum Iudaei, sed etiam gentiles parati sunt ad fidem. Matth. c. IX, 37: *messis quidem multa, operarii autem pauci*. Et sicut messes dealbantur propter praesentiam solis aestivo tempore magis ferventis, ita et homines per adventum solis iustitiae, scilicet Christi, et praedicationem atque virtutem suam, praeparabantur ad salutem. Et de isto sole dicitur Mal. IV, 2: *vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae*. Et inde est quod tempus adventus eius dicitur tempus plenitudinis; Gal. IV, 4: *cum ergo venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*. De secunda autem collectione messis, idest veritatis in anima, exponit Origenes, qui dicit, quod tot fructus veritatis colligit in messe, quot quis veritates cognoscit. Et vult, quod totum hoc quod dicitur *nonne vos dicitis quoniam adhuc quatuor menses sunt et messis venit? Et ecce dico vobis: levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem*, intelligatur parabolice dictum. Et secundum hoc duo facit dominus in verbis istis. Primo ponit falsam opinionem quorundam; secundo excludit eam, ibi *ego dico vobis*. Opinio namque quorundam erat quod nulla veritas alicuius rei haberi possit ab homine et ex hoc derivata est haeresis Academicorum dicentium nihil pro certo sciri posse in vita ista; iuxta quod dicitur Eccle. VII, v. 24: *cuncta tentavi in sapientia. Dixi: sapiens efficiar. Illa autem recessit a me multo magis quam fuerat*. Hanc ergo opinionem tangit dominus, dicens *nonne vos dicitis, quoniam adhuc quatuor menses sunt, et messis venit?* Idest, tota vita praesens, in qua homo quatuor elementis deservit, finiri oportet ut post eam collectio veritatis habeatur in alia vita. Sed hanc opinionem consequenter excludit cum dicit: non est ita; sed *ecce dico vobis: levate oculos vestros*. Hoc enim in sacra Scriptura dici consuevit quandocumque aliquod subtile et altum considerandum praecipitur, Is. XL, 26: *levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit haec*. Nam oculi quando non sunt elevati a terrenis, vel a concupiscentia carnali, non sunt idonei ad cognitionem spiritualis fructus: nam quandoque deprimuntur ad terrena, retracti a consideratione divinatorum, secundum illud Ps. XVI, 11: *oculos suos statuerunt declinare in terram, quandoque excaecantur per concupiscentiam, Dan. XIII, 9: et declinaverunt oculos suos, ut non viderent caelum, neque recordarentur iudiciorum Dei*. Dicit ergo *levate oculos vestros, et videte regiones, quoniam albae sunt iam ad messem*, idest, ita dispositae, quod ex eis veritas sciri potest: nam per regiones specialiter intelliguntur omnia ex quibus veritas accipi potest. Et hae specialiter sunt Scripturae. Infra V, 39: *scrutamini Scripturas (...) quia ipsae testimonium perhibent de me*. Et hae regiones erant quidem in veteri testamento; sed non erant albae ad messem, quia homines non poterant ex eis spiritualem fructum accipere quousque Christus venit, qui eas dealbavit, aperiendo eorum intellectum; Lc. ult., 45: *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*. Item creaturae sunt messes, ex quibus colligitur fructus veritatis; ad Rom. I, 20: *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Sed tamen gentiles qui earum cognitioni insistebant, erroris potius quam veritatis fructus ex eis colligebant: quia, ut ibidem dicitur, *servierunt creaturae potius quam creatori*. Et ideo nondum albae erant; sed Christo veniente, albae factae sunt ad messem. Consequenter cum dicit *et qui metit, mercedem accipit*, agit de messoribus: et circa hoc primo ponit messorum praemium; secundo inducit proverbium, ibi *in hoc enim est verbum verum*; tertio exponit, idest adaptat ipsum, ibi *ego misi vos metere*. Quantum ad primum notandum est quod dominus exponens supra quod de aqua dixerat spirituali, proposuit conditionem, per quam aqua spiritualis differt a corporali: quia scilicet qui biberit ex aqua corporali sitiet iterum qui vero biberit ex aqua spirituali non sitiet in aeternum. Eodem modo etiam hic exponens quod dicit de messe, proponit quod dissimile est inter messem corporalem et spiritualem; unde tria proponit. Unum quidem secundum quod attenditur similitudo utriusque messis, scilicet quod qui metit tam in corporali messe quam in spirituali, mercedem accipit. Ille autem metit spiritualiter, qui congregat fideles in Ecclesia, vel qui colligit fructus veritatis in anima sua. Et uterque mercedem accipit, secundum illud I Cor. III, 8: *unusquisque propriam mercedem*



*accipiet secundum suum laborem.* Duo alia proponit, secundum quae attenditur dissimilitudo. Primo quidem, quia fructus messoris, qui metit messem corporalem, pertinet ad vitam corporalem; sed fructus eius qui metit messem spiritualem, pertinet ad vitam aeternam. Et ideo dicit *et congregat*, ille scilicet qui metit spiritualiter, *fructum in vitam aeternam*, scilicet fideles qui ad vitam aeternam pervenerint; Rom. VI, 22: *habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.* Vel ipsam cognitionem et expositionem veritatis per quam homo acquirit vitam aeternam. Eccli. XXIV, v. 31: *qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.* Secundo vero attenditur dissimilitudo: quia in messe corporali ad miseriam reputatur quod unus seminet et alius metat, unde qui seminat tristatur de hoc quod alius metit; sed in semine spirituali aliter est, quia *qui seminat simul gaudet, et qui metit.* Et quidem, secundum Chrysostomum et Augustinum, seminantes semen spirituale sunt patres veteris testamenti et prophetae: nam, ut dicitur Lc. VIII, 11, *semen est verbum Dei* quod Moyses et prophetae seminaverunt in Iudaea; sed apostoli messuerunt, quia ipsi quod intendebant, scilicet homines adducere ad Christum, efficere non potuerunt, quod tamen apostoli fecerunt. Et ideo utrique simul gaudent, scilicet apostoli et prophetae, in una mansione gloriae, de conversione fidelium; Is. LI, 3: *gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.* Et per hoc confutatur haeresis Manichaeorum damnantium patres veteris testamenti; cum tamen, ut hic dominus dicit, simul gaudebunt cum apostolis. Secundum Origenem vero, seminantes in qualibet facultate dicuntur illi qui quaelibet illius facultatis principia tradunt; metentes vero qui ex illis procedunt ulterius: et hoc multo magis in ista, quae est omnium scientiarum scientia. Prophetae seminantes sunt, quia multa de divinis tradiderunt; messores vero sunt apostoli, qui ea quae non manifestaverunt prophetae hominibus, praedicando et docendo revelaverunt. Eph. III, 5: *quod aliis generationibus non est agnitum (...) sicut nunc revelatum est sanctis apostolis eius.* Consequenter cum dicit *in hoc enim est verbum verum etc.*, inducitur proverbium; quasi dicat, quod *in hoc*, idest in isto facto, *verum est verbum*, idest impletur vulgare proverbium, quod erat apud Iudaeos, scilicet unus seminat et alius metit. Quod proverbium derivari videtur ex eo quod dicitur Lev. XXVI, 16: *seretis frustra segetem, quae ab hostibus devorabitur.* Ex quo consueverunt Iudaei, quando aliquis in re aliqua laborabat, et alius inde gaudebat, huiusmodi proverbium proferre. Hoc est ergo quod dominus dicit: in hoc quod prophetae seminaverunt et laboraverunt, et vos metitis et gaudetis, impletur proverbium. Vel aliter. *In hoc verbum verum est*, scilicet quod ego dico, *quod alius est qui seminat, et alius qui metit*; quia vos metitis fructus ex laboribus prophetarum. Sed prophetae quidem et apostoli alii sunt, non in fide: quia et illi et isti fidem habuerunt, Rom. c. III, 21: *nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata a lege et prophetis*, sunt tamen alii in conversatione: quia prophetae vivebant sub caeremoniis legalibus, a quibus Christiani et apostoli liberi sunt. Gal. c. IV, 3: *et cum essemus parvuli, sub elementis huius mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Et licet disparis temporis labores habuerint apostoli et prophetae, tamen gaudio pariter perfruentur, et mercedem accipient *in vitam aeternam: ut simul gaudeat qui seminat et qui metit.* Et hoc praefiguratum fuit in transfiguratione Christi, ubi omnes gloriam suam habuerunt, et patres veteris testamenti, scilicet Moyses et Elias, et patres novi testamenti, scilicet Petrus, Ioannes et Iacobus: dans per hoc intelligere, quod in illa futura gloria simul gaudent novi et veteris testamenti iusti. Consequenter cum dicit *ego misi vos metere quod non laborastis*, adaptat proverbium ad propositum, et primo dicit apostolos esse messores; secundo ostendit esse laboratores, ibi *alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.* Quantum ad primum dicit: dico quod *alius est qui metit*, quia vos estis messores, *alius est qui seminat*, quia *ego misi vos metere quod non laborastis.* Non autem dicit mittam sed *misi*, quia bis misit eos: semel ante passionem suam ad Iudaeos, cum dixit eis: *in viam gentium ne abieritis (...) sed ite potius ad oves quae perierunt domus Israel*, ut dicitur Matth. X, 5. Et quantum ad hanc missionem, missi fuerunt metere quod non laboraverunt, scilicet ipsos Iudaeos convertere, in quibus prophetae laboraverunt. Misit autem eos post resurrectionem ad gentes, dicens eis, Mc. ult., 15: *euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae.* In hac missione missi sunt de novo seminare; unde apostolus, Rom. XV, v. 20 et 21: *sic autem praedicaui Evangelium, ubi non nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem; sed sicut scriptum est: quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, et qui non audierunt, intelligent.* Et ideo dicit *misi*, habens respectum ad primam missionem. Sic ergo apostoli sunt messores, sed alii, scilicet prophetae, sunt seminatores. Unde dicit *alii laboraverunt*, seminando primordia doctrinae Christi, *et vos in labores eorum introitis*, ad colligendum fructus. Sap. III, 15: *bonorum laborum gloriosus est fructus.* Laboraverunt, inquam, prophetae, ut adducerent homines ad Christum. Infra V, 46: *si crederetis Moysi,*

*crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Sed non ipsi fructum messuerunt. Unde secundum hoc dicebat Is. c. XLIX, 4: *in vacuum laboravi, et sine causa: vane fortitudinem meam consumpsi.*

## Lectio 5

[87448] Super Io., cap. 4 l. 5 Supra dominus praenuntiavit apostolis fructum qui Samaritanis provenerat ex praedicatione mulieris; hic autem Evangelista agit de isto fructu, et primo ponitur fructus proveniens ex praedicatione mulieris; secundo insinuat augmentatio ipsius fructus facta per Christum, ibi *et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius*. Fructus autem ex praedicatione mulieris proveniens ostenditur quantum ad tria. Primo quantum ad fidem, quia, in Christum crediderunt; unde dicit *ex civitate autem illa, ad quam scilicet abierat mulier, multi homines crediderunt in eum Samaritanorum*, et hoc *propter verbum mulieris*, a qua Christus aquam petierat, *testimonium perhibentis*, hoc scilicet *quia dixit mihi omnia quaecumque feci*: quod quidem testimonium satis inducens erat ad credendum Christo. Cum enim quae Christus dixerat pertinerent ad defectuum suorum manifestationem, nisi ipsa commota fuisset ad credendum, talia non referret: et ideo statim ad auditum verborum suorum crediderunt. In quo significatur quod fides est ex auditu. Secundo ostenditur fructus quantum ad eorum accessum ad Christum: nam ex fide sequitur desiderium rei creditae. Et ideo postquam crediderunt, accedunt ad Christum, ut perficiantur per eum; unde dicit *cum venissent ad illum Samaritani*. Ps. XXXIII, 6: *accedite ad eum, et illuminamini*. Matth. XI, v. 28: *venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*. Tertio quantum ad desiderium: nam credenti non solum est necessarium venire ad Christum, sed quod habeat eum secum; unde dicit quod *rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies*. Manet autem dominus nobiscum per caritatem. Infra XIV, 23: *si quis diligit me, sermonem meum servabit*; et paulo post: *et mansionem apud eum faciemus*. Sed manet duos dies, quia duo sunt praecepta caritatis, scilicet dilectionis Dei et proximi, in quibus *lex pendet et prophetae*, ut dicitur Matth. c. XXII, 40. Tertia autem dies est dies gloriae: Oseae, VI, 3: *vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos*. Et in hac die non mansit ibi, quia Samaritani non erant adhuc capaces gloriae. Consequenter cum dicit *et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius*, ponit Evangelista quod fructus proveniens ex praedicatione mulieris, augmentatus est ex praesentia Christi; et hoc tripliciter. Primo ex multitudine credentium; secundo ex modo credendi; tertio ex veritate fidei. Ex multitudine credentium augmentatus est, quia propter mulierem multi crediderunt in eum; sed *multo plures crediderunt propter sermonem eius*, scilicet Christi. In quo signatur, quod licet multi crediderint per prophetas, tamen multo plures conversi sunt ad fidem veniente Christo, secundum illud Ps. VII, 8: *exurge, domine, in praecepto quod mandasti, et synagoga populorum circumdabit te*. Secundo augmentatus est fructus ex modo credendi; unde dicunt mulieri *quia iam non propter tuam loquelam credimus*. Sed notandum, quod tria sunt necessaria ad perfectionem fidei, quae hic per ordinem ponuntur. Primo ut sit recta; secundo ut sit prompta; tertio ut sit certa. Recta quidem est fides, cum veritati non propter aliquod aliud, sed ei propter seipsam obeditur; et quantum ad hoc dicit, quod *mulieri dicebant*, quod iam *credimus veritati, non propter tuam loquelam*, sed propter ipsam veritatem. Inducunt autem nos ad fidem Christi tria. Primo quidem ratio naturalis. Ad Rom. I, 20: *invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Secundo testimonia legis et prophetarum. Rom. III, v. 21: *nunc autem iustitia Dei sine lege manifestata est, testificata a lege et prophetis*. Tertio praedicatio apostolorum et aliorum. Rom. X, 14: *quomodo credent sine praedicante?* Sed quando per hoc homo manuductus credit, tunc potest dicere, quod propter nullum istorum credit: nec propter rationem naturalem, nec propter testimonia legis, nec propter praedicationem aliorum, sed propter ipsam veritatem tantum; Gen. XV, 6: *credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam*. Prompta quidem est fides, si cito credit: et hoc erat in istis, quia ad solum auditum conversi erant ad Deum; unde dicunt *ipsi enim audivimus, et tamen credimus ei, et scimus quia hic est vere salvator mundi*, absque hoc quod miracula videremus, sicut Iudaei viderunt. Et licet credere cito hominibus pertineat ad levitatem, secundum illud Eccli. c. XIX, 4: *qui facile credit, levis est corde*, tamen credere cito Deo, magis laus est, secundum illud Ps. XVII, 45: *in auditu auris obedivit mihi*. Debet fides esse certa, quia qui dubitat in fide, infidelis est; Iac. I, 6: *postulet autem in fide nihil haesitans*. Et ideo istorum fides certa erat, unde dicunt *et scimus*. Aliquando enim ipsum credere dicitur scire, sicut hic patet: quia scientia et fides conveniunt in certitudine. Nam sicut scientia est certa, ita et fides: immo multo magis, quia certitudo scientiae innititur rationi humanae, quae falli potest, certitudo

vero fidei innititur rationi divinae, cui contrariari non potest. Differunt tamen in modo: quia fides habet certitudinem ex lumine infuso divinitus, scientia vero ex lumine naturali. Nam sicut certitudo scientiae habetur per prima principia naturaliter cognita, ita et principia fidei cognoscuntur ex lumine infuso divinitus; Eph. II, 8: *gratia salvati estis per fidem; et hoc non ex vobis, Dei enim donum est*. Tertio augmentatus est fructus ex veritate credendi; et ideo dicit *quia hic est vere salvator mundi*: ubi confitentur Christum salvatorem singularem, verum et universalem. Singularem quidem, cum discretum eum ab aliis dicunt *hic est*, qui scilicet singulariter salvare venit. Is. XLV, 15: *vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator*. Actor. IV, v. 12: *non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri*. Verum autem, cum dicit *vere*: nam cum, secundum Dionysium, salus sit liberatio a malis et conservatio in bonis, est duplex salus: quaedam vera, quaedam non vera. Vera quidem salus, cum liberamur a veris malis, et conservamur in veris bonis. In veteri autem testamento licet missi fuerint aliqui salvatores, non tamen vere salvabant: quia liberabant a malis temporalibus, quae non sunt vera mala, nec vera bona, quia sunt transitoria. Sed Christus est vere salvator, qui liberat a veris malis, scilicet peccatis; Matth. I, 21: *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Et praeservat in veris bonis, idest spiritualibus. Universalem vero, quia non particularem, scilicet Iudaeorum tantum, sed *mundi*. Supra c. III, 17: *non enim misit Deus filium suum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*.

## Lectio 6

[87449] Super Io., cap. 4 l. 6 Posita conversione gentium per viam doctrinae hic ponitur ipsorum conversio per viam miraculi: unde et quoddam miraculum a Christo perpetratum Evangelista inducit, circa quod primo ponitur locus; secundo describitur miraculum, ibi *et erat quidam regulus etc.*; tertio ponitur miraculi effectus, ibi *cognovit ergo pater et cetera*. Circa primum duo facit. Primo designat generalem locum miraculi, scilicet patriam; secundo specialem, ibi *venit ergo iterum in Cana Galilaeae*. Circa primum duo facit. Primo designat generalem locum miraculi; secundo insinuat quomodo Christus fuit ibi receptus, ibi *cum ergo venisset in Galilaeam*. Circa primum duo facit. Primo designat locum generalem; secundo rationem assignat, ibi *ipse enim Iesus testimonium perhibuit*, et cetera. Dicit ergo primo: dico quod mansit Iesus apud Samaritanos per duos dies, *et post duos dies exiit inde*, id est de Samaria, *et abiit in Galilaeam*, ubi nutritus fuerat: per quod significatur quod in fine saeculi, confirmatis gentibus in fide et veritate, revertetur ad Iudaeos convertendos, secundum illud Rom. XI, 25: *donec omnis plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret*. Et rationem assignat, dicens *ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet*. Hic oritur dubitatio: una quidem de sententia litterae; alia vero de eius continuatione. De sententia quidem litterae dubitatur, quia non videtur verum esse quod hic dicitur, scilicet quod propheta in patria sua honorem non habet: nam aliqui prophetae honorati leguntur in terra sua. Sed, secundum Chrysostomum, respondetur ad hoc, quia dominus hic loquitur prout in pluribus accidit. Unde licet in aliquo singulari habeat instantiam, non tamen propter hoc debet reputari falsum, nam in naturalibus et in moralibus, regula eorum quae ut in pluribus verificatur, est vera; et si in aliquo particulari aliter sit, non reputatur falsa. Istud autem quod dominus dicit, in pluribus prophetarum verum erat, quia in veteri testamento vix invenitur aliquis prophetarum, qui a suis contribulibus persecutionem passus non fuerit, secundum illud Actor. VII, 52: *quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* Et Matth. XXIII, 37: *Ierusalem, Ierusalem quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt*. Hoc etiam verbum domini verificatur non solum in prophetis apud Iudaeos, sed etiam, ut Origenes dicit, in pluribus apud gentiles, quia a suis civibus sunt habiti contemptui, et ad mortem deducti: nam consueta conversatio cum hominibus, et nimia familiaritas, reverentiam minuit, et contemptum parit. Et ideo quos familiares magis habemus, minus revereri consuevimus, et quos familiares habere non possumus, magis reputamus. Cuius contrarium contingit de Deo: nam quanto aliquis Deo per amorem et contemplationem familiarior efficitur, tanto eum excellentiorem reputans, magis reveretur, et seipsum minorem reputat: Iob XLII, 5: *auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te: idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere*. Et huius ratio est, quia in homine, cum sit infirmae et fragilis naturae, quando cum alio diu conversatur, cognoscit in eo aliqua infirma, et ex hoc diminuitur reverentia eius ad eum. Sed cum Deus sit immense perfectus, quanto plus homo in cognitione eius proficit, tanto magis perfectionis eius excellentiam admiratur, et ex hoc eum magis reveretur. Sed numquid Christus propheta fuit? Videtur quod non, quia prophetia importat aenigmaticam cognitionem. Num. XII, 6: *si*

*quis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei.* Christus autem non habuit aenigmaticam cognitionem. Quod autem propheta fuerit, patet per illud quod dicitur Deut. XVIII, 15: *prophetam suscitabit dominus de fratribus tuis et de gente tua sicut me; ipsum audies*: quod exponitur de Christo. Respondeo dicendum, quod propheta duplex habet officium: scilicet visionis, I Reg. IX, 9: *qui nunc vocatur propheta, olim dicebatur videns*, item Annuntiationis, et quantum ad hoc Christus propheta fuit, quia veritatem de Deo annuntiavit; infra XVIII, 37: *ad hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*. Sed quantum ad primum, sciendum est, quod Christus fuit simul viator et comprehensor. Viator quidem, quantum ad humanae naturae passibilitatem, et ad omnia quae ad eam pertinent; comprehensor vero quantum ad unionem divinitatis, secundum quam Deo perfectissime fruebatur. Sed in visione prophetiae duo sunt. Scilicet lumen intellectuale mentis; et quantum ad hoc non habuit rationem prophetiae: quia non habuit lumen defectivum, sed comprehensoris. Item est ibi visio imaginaria; et quantum ad hoc habuit similitudinem cum prophetis, secundum quod viator fuit, et poterat diversa formare in imaginatione sua. De continuatione dubitatur: non enim videtur Evangelista recte continuare hoc quod dicit *post duos autem dies abiit Iesus in Galilaeam*, cum hoc quod dicitur: *ipse enim testimonium perhibuit* et cetera. Videtur enim quod non abiit in Galilaeam, quia *ipse Iesus testimonium perhibuit*. Si enim sine honore erat ibi, videtur ratio esse quod non iret illuc. Ad hoc, uno modo respondet Augustinus dicens, hoc Evangelistam dixisse respondendo quaestioni quae posset fieri: quare ibat illuc, cum in Galilaea diu moratus fuisset, et non fuerunt ad eum conversi Galilaei; et Samaritani in duobus diebus conversi sunt? Quasi dicat: licet conversi non fuerint nihilominus tamen ipse illuc abiit *quia ipse testimonium perhibuit, quod propheta in sua patria honorem non habet*. Alio modo respondet Chrysostomus sic: *post duos dies exiit inde, et abiit*, non in Capharnaum, quae erat patria sua propter continuam commorationem, Bethlehem autem propter originem, Nazareth vero propter educationem. Non ergo abiit in Capharnaum; unde Matth. XI, 23, hoc exprobrat eis, dicens: *et tu, Capharnaum, numquid usque in caelum exaltaberis? Usque in Infernum descendes*. Sed in Cana Galilaeae. Et rationem assignat hic, quia male se habebant ad eum. Et hoc est, quod dicit *ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quod propheta in sua patria honorem non habet*. Sed numquid Christus quaerebat gloriam ab hominibus? Videtur quod non, quia infra VIII, 50, dicit: *ego non quaero gloriam meam*. Respondeo dicendum, quod solus Deus est qui sine vitio gloriam suam quaerit. Homo autem ab hominibus quaerere non debet gloriam suam, sed gloriam Dei. Christus autem quaerebat in quantum Deus convenienter gloriam suam, et in quantum homo gloriam Dei in seipso. Consequenter cum dicit *cum ergo venisset in Galilaeam* etc., ostendit quod honorifice fuerit Christus a Galilaeis receptus magis quam ante, cum dicit *cum ergo venisset in Galilaeam Iesus, exceperunt eum Galilaei* honorifice. Et huius ratio est, quia *viderunt omnia quae fecerat Ierosolymis in die festo: et ipsi enim venerant ad diem festum*, secundum quod mandabatur in lege. Sed contra hoc est quia supra non legimus Christum aliquod miraculum Ierosolymis fecisse. Respondeo dicendum, secundum Origenem, quod Iudaei maximum miraculum reputaverunt hoc quod Christus cum tanta auctoritate expulit ementes et vendentes de templo. Vel dicendum, quod forte fecit ibi plura miracula quae non scripta sunt, secundum illud infra ult., 25: *multa quidem et alia signa fecit Iesus (...) quae non sunt scripta in libro hoc*. Mystice autem per hoc datur nobis exemplum, quod si volumus in nobis recipere Christum Iesum, oportet nos ascendere in Ierusalem in die festo; idest, captare quietem mentis, et videre singula quae peragit ibi Iesus. Is. XXXIII, 20: *respice Sion civitatem solemnitatis nostrae*; Ps. CXLII, 5: *meditatus sum in omnibus operibus tuis*. Attende autem, quod secundum quod homines inferiores erant in ordine dignitatis, meliores erant quo ad Deum. Iudaei autem digniores erant quam Galilaei; infra c. VII, 52: *scrutamini Scripturas, quia propheta a Galilaea non surrexit*. Galilaei vero digniores erant quam Samaritani; supra eodem: *non contumetur Iudaei Samaritanis*. Sed e converso Samaritani meliores erant quam Galilaei, quia plures ex eis crediderunt in Christum in duobus diebus et sine miraculo, quam de Galilaeis in multis diebus, et etiam cum miraculo vini: non enim crediderunt in eum nisi eius discipuli. Iudaei vero peiores erant ipsis Galilaeis; quia nullus ex eis crediderat, nisi forte Nicodemus. Consequenter dicit *venit ergo iterum in Cana Galilaeae*: quod, secundum Chrysostomum, ponitur ut conclusio praemissorum; quasi dicat: quia non honorabatur in Capharnaum, ideo noluit ire illuc, ubi dehonorabatur. Sed in Cana Galilaeae ire debebat: nam primo erat invitatus ad nuptias, modo autem venit iterum non invitatus. Ideo autem de duplici adventu in Cana mentionem facit, ut ostendat eorum duritiam: nam in primo miraculo, scilicet de vino, soli discipuli eius crediderunt in eum; in secundo vero solus regulus, et domus eius tota. Sed Samaritani ad solum verbum crediderunt. Mystice autem per duplicem adventum in Cana, signatur duplex effectus verbi Dei in mentem.

Primo enim laetificat: quia, ut dicitur Matth. XIII, 20: *cum gaudio suscipiunt verbum*. Et hoc signatur in miraculo vini, quod *laetificat cor hominis*, ut dicitur in Ps. CIII. Secundo sanat; Sap. XVI, 12: *neque herba, neque malagma sanavit eos, sed sermo tuus, domine, qui sanat omnia*. Et hoc significatur in cura infirmi. Item per hoc significatur duplex adventus filii Dei. Scilicet primus, qui fuit mansuetudinis ad laetificandum; Is. XII, 6: *exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel*. Unde et Angelus ad pastores ait, Lc. II, 10: *annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie salvator*. Et hoc signatur per vinum. Secundus adventus eius in mundum erit maiestatis, quando veniet tollere infirmitates et poenalitates nostras, et configurare nos corpori claritatis suae; et hoc signatur in cura infirmi.

## Lectio 7

[87450] Super Io., cap. 4 l. 7 Posito loco miraculi, consequenter agitur de ipso miraculo; et ponuntur tria, scilicet persona infirmans, persona interpellans et persona sanans. Persona infirmans est filius reguli, persona interpellans est pater eius, sed persona sanans est Christus. Circa personam infirmam primo ponitur eius conditio, quia *filius reguli*; secundo locus infirmitatis, quia *Capharnaum*; tertio conditio morbi, quia *febris*. Quantum ad primum dicit *erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur*. Dicitur autem regulus multipliciter. Uno modo qui praeest parvo regno; et hoc modo non accipitur hic: quia tunc temporis nullus erat rex in Iudaea; infra XIX, 15: *non habemus regem nisi Caesarem*. Alio modo, secundum Chrysostomum, aliquis de stirpe regia: nec hoc modo accipitur. Sed tertio modo regulus dicitur aliquis officialis regis; et isto modo accipitur hic regulus. Unde, secundum quod Chrysostomus dicit, quidam eumdem ipsum aestimant centurionem, de quo habetur Matth. VIII, 5. Sed hoc non est verum: nam quantum ad quatuor differunt. Primo quidem quantum ad genus infirmitatis: nam ille centurionis erat paralyticus, unde dicebat *puer meus iacet paralyticus in domo*. Filius autem reguli erat febricitans; unde dicit: *heri hora septima reliquit eum febris*. Secundo quantum ad personam infirmatam, quia ille erat servus: unde dicit *puer meus*, iste vero erat filius: unde dicit *cuius filius*. Tertio quantum ad petitionem: nam centurio Christum volentem ad domum suam ire, rogabat remanere, dicens: *domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus*. Regulus vero eum rogabat descendere in domum suam, dicens: *domine, descende prius quam moriatur*. Quarto quantum ad locum: quia illud fuit in Capharnaum; istud vero in Cana Galilaeae. Ergo iste regulus non est idem quod centurio; sed erat quidam de familia Herodis tetrarchae, sive nuntius, sive officialis imperatoris. Allegorice autem regulus iste, Abraham, vel aliquis ex patribus veteris testamenti dicitur, ex eo quod adhaeret magno regi per fidem, scilicet Christo; de quo dicitur in Ps. II, 6: *ego autem constitutus sum rex ab eo*. Huic autem Abraham adhaesit, secundum illud infra VIII, 56: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum*. Filius eius est populus Iudaeorum, infra VIII, 33: *semen Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam*, qui infirmatur pravis voluptatibus et dogmatibus, sed in Capharnaum, idest in abundantia, quae fuit Iudaeis causa recedendi a Deo; secundum illud Deut. XXXII, 15: *incrassatus est dilectus, et recalcitravit*; et sequitur: *dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo*. Moraliter vero in regno animae rex est ipsa ratio, secundum illud Prov. XX, 8: *rex qui sedet in solio suo*. Quare dicitur rex? Quia totum corpus hominis per eam regitur, et affectus hominis ab ea dirigitur et informatur, nec non et aliae vires animae eam sequuntur. Sed quandoque dicitur regulus, quando scilicet diminuitur in cognitione, qua obscurata, sequitur inordinatas passiones, et non resistit eis, secundum illud Eph. IV, 17: *ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum*. Et ideo filius eius, idest affectus, infirmatur, idest deviat a bono, et declinat ad malum. Si enim ratio fuisset rex, idest fortis, filius eius non infirmaretur; sed quia regulus est, ideo filius eius infirmatur. Et hoc Capharnaum; quia abundantia temporalium est causa spiritualis infirmitatis; Ez. XVI, 49: *haec fuit iniquitas sororis tuae Sodomae, abundantia, saturitas panis, et otium ipsius et filiarum eius*. Consequenter cum dicit *hic cum audisset* etc., ponitur persona interpellans, et primo ponitur motivum ad interpellandum; secundo ipsa interpellatio; et tertio necessitas interpellandi. Motivum ad interpellandum fuit adventus Christi; unde dicit *hic*, scilicet regulus, *cum audisset quod Iesus adveniret a Iudaea in Galilaeam, abiit ad eum*. Nam quamdiu adventus Christi differebatur, spes hominum invalidior erat de sanatione a peccatis; sed cum auditur adventus Christi appropinquare, spes sanitatis confortatur in nobis; et tunc imus ad eum: nam ad hoc ipse venit in mundum, ut peccatores salvos faceret; Lc. XIX, 10: *venit filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat*. Sed, sicut dicit Eccli. XVIII, 23, ante orationem animam parare debemus, quod fit occurrendo Deo per desiderium: et hoc

fecit iste; unde dicitur quod *abiit ad eum*. Amos c. IV, 12: *praeparare in occursum Dei tui Israel*. Petitiō autem fit de sanatione filii sui; unde dicit *rogabat eum ut descenderet*, scilicet per misericordiam; Is. LXIV, 1: *utinam dirumperes caelos, et descenderes; et sanaret filium eius*. Sic et nos debemus rogare ut sanemur a peccatis, secundum illud Ps. XL, v. 5: *sana animam meam, quia peccavi tibi*. Nam nullus per se potest ad statum iustitiae redire, nisi a Deo sanetur, secundum illud Iob VI, 13: *non est auxilium mihi ex me*. Sic et patres veteris testamenti rogabant pro populo Israel. Unde de uno eorum dicitur II Mac. ult. 14: *hic est fratrum amator, quia multum orat pro sancta civitate et pro populo Israel, Ieremias propheta Dei*. Sed necessitas interpellandi est *urgens, incipiebat enim mori*. Quando enim homo tentatur, incipit infirmari; sed quando tentatio praevallet ita ut inclinet ad consensum, est prope mortem, sed quando iam consentit, incipit mori. Cum ergo consummat peccatum, moritur, quia, ut dicitur Iac. I, 15: *peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem*. De qua dicitur in Ps. c. XXXIII, 22: *mors peccatorum pessima*, quia hic incipit, et in futuro absque fine terminatur. Consequenter cum dicit: *dixit ergo Iesus ad eum*, agitur de petitione sanitatis, quae fit per Christum, et primo ponitur reprehensio domini; secundo petitiō reguli; tertio impetratio petitionis. Reprehendit autem eum dominus de infidelitate; unde dicit ad eum *nisi signa et prodigia videritis, non creditis*. Sed hoc habet quaestionem. Primo quidem videtur inconveniēter dictum de regulo *nisi signa et prodigia videritis, non creditis*: nisi enim eum salvatorem credidisset, non petivisset ab eo sanitatem. Ad quod dicendum est, quod regulus iste adhuc non credebat perfecte: erat enim in eo duplex defectus fidei. Unus, quia licet crederet Christum esse verum hominem, non tamen credebat eum habere virtutem divinam; alias credidisset eum absentem posse sanare, cum Deus ubique sit praesens, secundum illud Ier. XXIII, 24: *caelum et terram ego impleo*. Et sic non rogasset eum quod descenderet in domum suam, sed quod mandaret tantum. Secundus defectus fuit, quia, secundum Chrysostomum, dubitabat utrum Christus sanare posset filium suum: nam si pro certo hoc credidisset, non expectasset adventum Christi ad terram suam, sed ipse potius ivisset in Iudaeam. Sed modo quasi desperatus de salute filii, nolens negligere quidquid circa hoc facere posset, abiit ad eum more parentum, qui desperantes de salute filiorum, etiam imperitos medicos consulunt. Secundo vero, quia non videtur reprehendendus de hoc quod signa quaerebat: nam fides per signa probatur. Et ad hoc dicendum est quod aliter trahuntur ad fidem Christi infideles; et aliter fideles. Infideles non possunt trahi nec adduci auctoritate sacrae Scripturae, quia ei non credunt; nec per rationem naturalem quia fides est supra rationem; et ideo ducendi sunt per miracula; I Cor. XIV, 22: *signa data sunt infidelibus, non fidelibus*. Fideles autem ducendi sunt et dirigendi in fidem auctoritate Scripturae, cui acquiescere tenentur. In hoc ergo regulus redarguitur: quia cum esset nutritus inter Iudaeos, et de lege instructus, non per Scripturae auctoritatem, sed per signa credere volebat. Et ideo dominus eum reprehendens dicit *nisi signa et prodigia*, idest miracula quae sunt aliquando signa, in quantum sunt demonstrativa dominicae veritatis: prodigia vero, vel quia certissime indicent, ut sic dicatur prodigium, quasi porrodictum; vel quia aliquid futurum protendit, ut sic dicatur prodigium, quasi procul ostendens aliquem effectum futurum. Consequenter ponitur instantia reguli: non enim ad reprehensionem domini desistit, sed cum instantia dicit ad eum *domine, descende priusquam moriatur filius meus*; Lc. XVIII, 1: *oportet semper orare, et non deficere*. Ostenditur in hoc profectus fidei eius quantum ad aliquid, quia scilicet vocat eum dominum: licet non totaliter in fide profecerit, adhuc enim corporalem praesentiam Christi ad salutem filii sui necessariam credens, rogabat eum ut descenderet. Sed quia oratio perseverans impetrat, ideo quod petit, conceditur ei a domino; unde dicit ei Iesus: *vade, filius tuus vivit*. Ubi primo ponitur Annuntiatio sanitatis per Christum, qui eam fecit; secundo ponuntur personae, quae eam factam viderunt, ibi *iam autem eo descendente* et cetera. Circa primum duo ponuntur: mandatum domini et obedientia reguli, ibi *credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus*. Circa primum dominus duo facit. Primo quidem praecipit; secundo vero annuntiat. Praecipit autem ut vadat: unde dicit *vade*; idest dispone te praeparando ad gratiam per motum liberi arbitrii in Deum; Is. XLV, 22: *convertimini ad me, et salvi eritis*. Et per motum liberi arbitrii in peccatum. Nam in iustificatione impii quatuor exiguntur, specialiter in adultis; scilicet infusio gratiae et remissio culpae, motus liberi arbitrii in Deum, qui est fides, et in peccatum, qui est contritio. Annuntiat autem salutem filii, quam petierat, dicens *filius tuus vivit*. Sed quaeritur cur Christus rogatus a regulo ut descenderet in domum suam, corporaliter ire recusat, ad servum vero centurionis corporaliter ire pollicetur? Huius autem duplex ratio assignatur. Una secundum Gregorium, ut in hoc superbiam nostram retundat, qui magnis hominibus nos ad serviendum offerimus, parvis autem servire recusamus: cum ipse, qui est dominus omnium, ad servum centurionis se iturum obtulit, ire vero ad filium reguli recusavit; Eccli. c. IV, 7: *congregationi pauperum affabilem te facito*. Alia ratio, secundum Chrysostomum, quia

centurio iam confirmatus erat in fide Christi, credens quod etiam absens salvare posset; et ideo ad fidem et devotionem eius ostendendam dominus ire promisit. Iste vero adhuc imperfectus erat, nondum noverat manifeste quod absens curare poterat: et ideo non accedit, ut eum imperfectionem suam cognoscere faciat. Obedientia reguli ponitur quantum ad duo. Primo quia annuntianti credidit; unde dicit *credidit homo sermoni quem dixit Iesus, scilicet, filius tuus vivit*. Secundo vero, quia mandato obedivit; unde dicit *et ibat*, proficiendo in fide, licet adhuc neque integre neque sane, ut Origenes dicit. In quo signatur, quod ex fide iustificari oportet; Rom. V, 1: *iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum nostrum Iesum Christum*. Oportet nos proficiendo ire: quia qui stat, exponit se periculo ut vitam gratiae conservare non possit; in via enim Dei non proficere, deficere est. Annuntiatio autem sanitatis facta per servos ponitur consequenter, cum dicit *iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei* et cetera. Et primo ponitur denuntiatio salutis; secundo fit inquisitio de tempore sanationis, ibi *interrogabat autem horam ab eis*. Dicit ergo *iam autem eo descendente*, a Cana Galilaeae in domum suam, *servi occurrerunt ei*: ex quo patet quod regulus iste dives erat, habens multos servos; *et annuntiaverunt, dicentes, quia filius tuus vivit*: et hoc ideo quia credebant Christum personaliter accedere, cuius praesentia iam curato filio superflua videbatur. Mystice autem servi reguli, scilicet rationis, sunt opera hominis, quia homo est dominus suorum actuum, et affectus sensitivae partis, quia obediunt rationi imperanti et dirigenti. Isti autem servi annuntiant quidem quod filius reguli, scilicet rationis, vivit, quando relucent in homine bona opera, et vires inferiores magis obediunt rationi, secundum illud Eccli. XIX, 27: *amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis annuntiant de illo*. Sed quia regulus neque integre neque sane adhuc credebat, adhuc volebat scire utrum casu an praecepto Christi filius curatus esset: et ideo tempus curationis inquit. Et hoc est quod dicitur *interrogabat ergo horam ab eis*, scilicet servis, *in qua melius habuerat*, scilicet filius suus; et invenit quod illa hora curatus fuit statim quando dominus dixit ei *vade, filius tuus vivit*. Nec mirum, quia ipse Christus est verbum, quo factum est caelum et terra, secundum Ps. CXLVIII, 5: *ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt*; Eccli. X, 5: *facile est in conspectu domini* et cetera. Et ideo *dixerunt ei*, scilicet servi, *quod heri hora septima reliquit eum febris*. Mystice autem per horam septimam, in qua puer a febre dimittitur, significantur septem dona spiritus sancti, per quem fit remissio peccatorum, secundum illud Io. XX, c. 22: *accipite spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Per quem etiam vita spiritualis causatur in anima; infra VI, 64: *spiritus est qui vivificat*. Etiam per horam septimam signatur tempus quieti conveniens, nam dominus septimo die requievit ab omni opere quod patrarat: in quo significatur quod vita spiritualis hominis in quiete spirituali consistit, secundum illud Is. c. XXX, 15: *si quieveritis, salvi eritis*. De malis dicit Is. LVII, 20: *cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest*. Consequenter cum dicit *cognovit ergo pater* etc., ponitur effectus miraculi: et primo ponitur miraculi fructus; secundo ipsum miraculum altero miraculo continuatur, ibi *hoc iterum secundum signum fecit Iesus*. Dixit ergo *cognovit ergo pater*, comparans horam nuntiantium servorum, horae Christi praenuntiantis quia *illa hora erat in qua dixit ei Iesus: vade: filius tuus vivit*. Ex hoc conversus est ad Christum, cognoscens miraculum eius virtute factum: *credidit ipse, et domus eius tota*, scilicet servi et ministri, quia secundum conditionem dominorum, sive bonam sive malam, servi disponuntur, secundum illud Eccli. X, 2: *secundum iudicem populi, sic et ministri eius*; Gen. XVIII, v. 19: *scio enim quod praecepturus sit filiis suis*. Patet autem ex hoc quod fides istius semper profecit: nam a principio quando interpellavit pro filio infirmo, debilis erat; postea plus firmitatis habere coepit, quando vocavit eum dominum; deinde quando credidit homo sermoni, et ibat, magis perfecta erat; tamen non integre, quia adhuc dubitavit. Hic, cognita manifeste Dei virtute in Christo, perficitur in eius fide, quia, ut dicitur Prov. IV, v. 18: *iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem*. Continuatur autem miraculum istud praecedenti miraculo, cum dicitur *hoc iterum secundum signum fecit Iesus*: quod potest dupliciter intelligi. Uno modo quod in isto eodem adventu de Iudaea in Galilaeam fecerit dominus duo miracula, quorum primo non scripto, istud ponitur secundum. Alio modo quod Iesus duo signa fecit in Galilaea diversis temporibus. Unum scilicet de vino, et istud secundum quod fecit circa filium reguli, veniens iterum a Iudaea in Galilaeam. Ostenditur autem per hoc quod Galilaei peiores erant Samaritanis, qui nullum signum a domino expectantes, verbo tantum eius crediderunt multi ex eis; sed ad istud miraculum non credidit Christo nisi regulus et domus eius tota: nam Iudaei propter eorum duritiam paulatim convertebantur ad fidem, secundum illud Mich. VII, 1: *factus sum sicut qui colligit in autumnno racemos vindemiae; non est botrus ad comedendum; praecoquas ficus desideravit anima mea*.

© 2006 *Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem*  
*Iura omnia asservantur*  
OCLC nr. [49644264](#)



CORPUS THOMISTICUM  
Sancti Thomae de Aquino  
Super Evangelium S. Ioannis lectura  
caput V

Textum Taurini 1952 editum  
ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas  
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

Caput 5

Lectio 1

[87451] Super Io., cap. 5 l. 1 Supra dominus egit de regeneratione spirituali; hic agit consequenter de beneficiis quae regeneratis spiritualiter conferuntur a Deo. Sed his qui carnaliter generantur tria conferuntur a parentibus carnalibus: scilicet vita, nutrimentum et doctrina sive disciplina; et haec tria a Christo etiam regenerati spiritualiter percipiunt. Primo quidem spiritualem vitam; secundo vero spirituale nutrimentum; tertio spiritualem doctrinam. Secundum hoc ergo de tribus hic agitur. Primo de collatione spiritualis vitae; secundo de collatione spiritualis cibi; et hoc infra VI, ibi *post haec abiit Iesus* etc.; tertio de spirituali doctrina, infra VII *post haec ambulabat Iesus*. Circa primum tria facit. Primo proponit signum visibile, in quo manifestatur virtus Christi factiva et reparativa vitae, secundum consuetudinem huius Evangelii, in quo semper doctrinae Christi adiungitur aliquod visibile factum, pertinens ad illud de quo est doctrina, ut sic ex visibilibus invisibilia innotescant. Secundo ponitur occasio doctrinae proponendae, ibi *erat autem sabbatum* et cetera. Tertio ponitur ipsa doctrina, ibi *respondit itaque Iesus: amen, amen dico vobis* et cetera. Circa primum tria facit. Primo describitur locus miraculi perpetrati; secundo infirmitas, ibi *erat autem ibi homo* etc.; tertio restitutio sanitatis, ibi *dixit ei Iesus: surge, tolle grabatum tuum, et ambula*. Locus autem miraculi describitur dupliciter, scilicet generalis et specialis. Generalis locus est Ierosolyma; et ideo dicit: *post haec*, idest post miraculum in Galilaea factum, *erat dies festus Iudaeorum*; scilicet Pentecostes, secundum Chrysostomum: nam supra fit mentio de festo Paschae, quando ierat in Ierusalem. Nunc ergo in sequenti festo Pentecostes, *ascendit Iesus Ierosolymam*, iterato: nam, sicut legitur Ex. XXIII, 17, mandatum erat a domino, ut omne masculinum generis Iudaeorum tribus vicibus in anno, scilicet in die festo Paschae, Pentecostes, Scenopegiae, in templo praesentaretur. Et in istis festis dominus in Ierusalem ascendit propter duo: scilicet ne videretur legi fore contrarius, sicut ipse dixerat, Matth. c. V, 17: *non veni legem solvere, sed adimplere*: et ut multitudinem populi illuc concurrentis in diebus festis ad Deum per signa et doctrinam trahat, secundum illud Ps. CVIII, v. 30: *in medio multorum laudabo eum*: et alibi *annuntiabo iustitiam tuam in Ecclesia magna*. Unde et ipse dicit, infra XVIII, 20: *ego palam locutus sum mundo*. Locus autem specialis miraculi fuit probatica piscina; et ideo dicit: *est Ierosolymis probatica piscina* etc., quae quidem describitur ex quatuor, scilicet ex nomine, ex dispositione, ex inhabitatione, et ex virtute. Ex nomine quidem cum dicit *probatica piscina*: probaton enim Graece ovis dicitur. Probatica ergo piscina, quasi oviaria, vel pecuaria dicitur, ex eo quod sacerdotes cadavera bestiarum, et praecipue ovium, quae ut plurimum in sacrificiis offerebantur, ibi abluebant: et ideo Hebraice cognominabatur *Bethsaida*, idest domus ovium. Erat enim prope templum ex aquis pluvialibus collecta. Mystice autem, secundum Chrysostomum, haec piscina Baptismum praefigurabat: nam dominus volens gratiam baptismalem in diversis praefigurare, primo quidem dedit aquam

expurgantem corporis sordes, quae erant ex tactu immundorum secundum legem, de qua habetur Num. XIX. Secundo dedit virtutem huic piscinae quae repraesentat expressius quam aqua illa virtutem Baptismi, non solum ab immunditiis carnis sanando, sed etiam ab infirmitatibus corporis salvando: nam quanto figurae fuerunt propinquiores veritati, tanto expressiores erant. Signabat ergo virtutem Baptismi: quia sicut aqua illa per hoc quod lavabat corpora, habebat virtutem ex Angelo, non natura propria, infirmitatem sanandi, ita aqua Baptismi habet virtutem sanandi et abluendi animam a peccatis; Apoc. I, 5: *dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris*. Et inde est quod passio Christi per sacrificia veteris legis praefigurata, in Baptismo repraesentatur; Rom. VI, 3: *quicumque baptizati estis in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati estis* et cetera. Secundum Augustinum vero, aqua illius piscinae significabat statum populi Iudaeorum, secundum illud Apoc. XVII, 15: *aquae multae, populi multi*. Nam populus gentium non erat inclusus sub limite divinae legis, sed unusquisque ambulabat secundum vanitatem cordis sui, secundum illud Eph. IV, 17. Populus vero Iudaeorum conclusus erat sub cultu unius Dei, secundum illud Gal. III, 23: *conclusi in eam fidem quae revelanda erat*. Et ideo iste populus significabatur per aquam in piscina conclusam. Et dicitur *probatica*, quia ipsi erant speciales oves Dei, secundum illud Ps. XCIV, 7: *nos autem populus eius, et oves pascuae eius*. Ex dispositione autem describitur, quia erat *quinque porticus habens*, scilicet per circuitum, ut multi sacerdotes absque impedimento commode starent ad lavandum cadavera bestiarum. Per hos quinque porticus mystice significantur, secundum Chrysostomum, quinque vulnera corporis Christi, de quibus dicitur infra XX, 27: *mitte manum tuam in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis*. Secundum Augustinum vero, quinque libri Moysi. Ex inhabitatione autem describitur, quia *in his*, scilicet porticibus, *iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum* et cetera. Cuius litteralis ratio est propter concursum omnium infirmorum ad virtutem aquae: quae quia continue non sanabat, nec multos simul, oportebat quod multi illic expectantes morarentur. Per hoc autem mystice significatur, secundum Augustinum, quod lex non poterat peccata sanare, secundum illud Hebr. X, 4: *impossibile est per sanguinem hircorum aut taurorum peccata purgari*. Sed ostendebat ea tantum, secundum illud Rom. III, 20: *per legem enim cognitio peccati*. Et ideo iacebant in ea infirmi diversis infirmitatibus, curari non valentes. Quae quidem describuntur quantum ad quatuor. Primo quidem quantum ad situm, quia iacebant prostrati, scilicet per peccata inhaerendo terrenis: qui enim iacet, ex toto inhaeret terrae; Matth. IX, 36: *misertus est eorum, quia erant vexati et iacentes, quasi oves non habentes pastorem*. Iusti autem non iacent, sed recti ad caelestia stant; Ps. XIX, 9: *ipsi*, scilicet peccatores, *obligati sunt, et ceciderunt; nos autem*, scilicet iusti *surreximus, et erecti sumus*. Secundo quantum ad numerum quia multi, unde dicit: *multitudo magna*; Eccle. I, 15: *perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus*. Et Matth. VII, 13: *lata est via quae ducit ad perditionem, et multi incedunt per eam*. Tertio quantum ad dispositionem seu habitum infirmorum. Et ponit quatuor quae homo per peccatum incurrit. Primo enim homo ex hoc quod subiicitur passionibus peccatorum ei praedominantibus, efficitur languidus: et quantum ad hoc dicit *languentium*. Unde et a Tullio passiones animae, puta irae et concupiscentiae, et huiusmodi, quaedam aegritudines animae dicuntur. Unde Ps. VI, 3, dicebat: *miserere mei, domine quoniam infirmus sum*. Secundo vero ex dominio passionum et victoria in homine excaecatur ratio per consensum: et quantum ad hoc dicit *caecorum*, scilicet per peccata, secundum illud Sap. II, v. 21: *excaecavit eos malitia eorum*; Ps. LVII, v. 9: *supercecidit ignis*, scilicet irae et concupiscentiae, *et non viderunt solem*. Tertio, homo languens et caecus efficitur instabilis in suis operibus, et est quasi claudus; unde dicitur Prov. XI, 18: *impius facit opus instabile*. Et quantum ad hoc dicit *claudorum*; III Reg. XVIII, 21: *usquequo claudicatis in duas partes?* Quarto homo sic languidus, caecus intellectu, claudus in effectu, efficitur aridus in affectu, in quantum exsiccat in eo omnis pinguedo devotionis, quam petebat Psalmus LXII, 6, dicens: *sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea*. Et quantum ad hoc dicit *aridorum*; Ps. XXI, 16: *aruit tamquam testa virtus mea*. Sed sunt aliqui sic affecti languore peccati, qui non expectant aquae motum, in peccatis suis requiescentes, secundum illud Sap. XIV, 22: *in magno viventes inscientiae bello, tot et tanta mala pacem appellant*. De quibus dicitur Prov. II, 14: *laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis*. Cuius ratio est, quia non abhorrent peccata; nec peccant ex ignorantia, seu infirmitate, sed ex certa malitia. Isti autem, utpote non ex malitia peccantes, non quiescebant in peccatis sed per desiderium expectabant aquae motum. Unde dicit *et expectantium*; Iob XIV, 14: *cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea*. Sic et illi qui erant in veteri testamento expectabant Christum, secundum illud Gen., penult., 18: *salutare tuum expectabo, domine*. Ex virtute vero describitur piscina, quia sanat ab omni infirmitate corporali, virtute Angeli descendente; et ideo dicit *Angelus autem domini secundum tempus descendebat in piscinam*. Et quidem virtus piscinae in aliquo

concordat cum Baptismo, et in aliquo differt. Concordat quidem in duobus. Primo quidem in occultatione virtutis: nam virtus aquae huius piscinae non erat ex natura sua, alias semper sanasset, sed ex aliqua virtute occulta, scilicet ex Angelo; unde dicitur, quod *Angelus domini secundum tempus descendebat in piscinam*. Et similiter aqua Baptismi, ex eo quod aqua non habet virtutem purgativam animarum, sed ex occulta virtute spiritus sancti, secundum illud supra III, 5: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Secundo concordat in effectu, quia sicut aqua Baptismi sanat, ita et ista piscina sanabat: et ideo dicit, quod *qui prior descendisset, sanus fiebat*. Ideo autem virtutem sanandi corpora aquae istius piscinae Deus contulit, ut homines abluendo, per salutem corporalem assuescerent quaerere spiritualem. Differt autem quantum ad tria. Primo quantum ad id cuius virtute hoc fiebat: quia aqua piscinae conferebat sanitatem virtute Angeli; aqua vero Baptismi virtute increata, non solum spiritus sancti, sed etiam Trinitatis. Unde etiam Matth. III, 16 s. super dominum baptizatum tota Trinitas affuit: pater in voce, filius in persona, spiritus sanctus in columbae specie. Et inde est quod in nostro Baptismo fit invocatio Trinitatis. Secundo differt quantum ad efficaciam: quia aqua piscinae non habuit virtutem sanativam continue, sed *secundum tempus*, idest determinato tempore; aqua vero Baptismi continuam abluendi virtutem habet, secundum illud Zach. XIII, 1: *erit fons patens domui Iacob, et habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatae*. Tertio quantum ad multitudinem sanandorum: quia ad motum aquae illius piscinae, sanabatur tantum unus; sed ad motum aquae Baptismi sanantur omnes. Nec mirum, quia virtus illius aquae, cum sit creata, finita est, et finitum habet effectum; in hac vero aqua virtus est infinita ad infinitas animas, si essent, abluendas; Ez. XXXVI, 25: *effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Secundum vero Augustinum, per Angelum istum intelligitur Christus, secundum illud Is. IX, 6, secundum aliam litteram: *vocabitur magni consilii Angelus*. Sicut ille Angelus secundum tempus descendebat in piscinam, ita et Christus secundum determinatum tempus a patre descendit in mundum; Is. XIV, v. 1: *prope est ut veniat tempus eius, et dies eius non elongabuntur*; Gal. IV, 4: *at ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*. Item sicut ille Angelus non videbatur nisi motu aquae, ita etiam Christus secundum divinitatem non cognoscebatur: quia *si cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixissent*: I Cor. II, 8. Nam Is. XLV, 15, dicitur: *vere tu es Deus absconditus*. Et ideo videbatur aqua turbata sed a quo turbaretur non videbatur, quia infirmitatem Christi videntes, divinitatem eius non cognoscebant. Et sicut ille qui descendebat in piscinam sanus fiebat; ita et qui humiliter credit in Deum, eius passione sanatur; Rom. III, 24: *iustificati per fidem per redemptionem quae est in Christo, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*. Sanabatur autem unus tantum, quia nullus sanari potest nisi in ecclesiastica unitate; Eph. IV, 5: *unus Deus, una fides, unum Baptisma*. Vae ergo illis qui oderunt unitatem, et partes sibi faciunt in hominibus. Consequenter cum dicit, *erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos in infirmitate habens*, ponit infirmitatem, et primo ponitur diuturna infirmitas; secundo ostenditur causa diuturnae infirmitatis, ibi *hunc cum vidisset ergo Iesus* et cetera. Infirmitas diuturna erat, quia *homo erat habens triginta octo annos in infirmitate sua*. Quod satis pulchre introducit: homo qui curari non poterat a piscina, curandus tamen a Christo; quia quos lex sanare non poterat, Christus perfecte sanat, secundum illud Rom. VIII, 3: *nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, mittens Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis*. Eccli. XXXVI, 6: *innova signa, et immuta mirabilia*. Congruit autem iste numerus infirmitati, ad languorem pertinens magis quam ad sanitatem: nam, secundum Augustinum, quadragenarius numerus consecratur ad designandam perfectionem iustitiae, quae in observatione legis consistit. Lex autem in decem praeceptis data est, et praedicanda erat in quatuor partibus mundi, vel implenda per quatuor Evangelia, secundum illud Rom. X, v. 4: *finis legis Christus*. Quia ergo denarius per quatuor multiplicatus pervenit ad quadragenarium, recte perfecta iustitia designatur: subtractis ergo duobus a quadragenario numero efficiuntur triginta octo. Haec autem duo sunt duo praecepta caritatis, quibus impletur omnis perfecta iustitia. Et ideo homo iste languebat, quia de quadraginta, duo minus habebat, idest imperfectam iustitiam: quia, ut dicitur Matth. XXII, 40: *in his duobus pendent lex et prophetae*. Consequenter cum dicit *hunc cum vidisset Iesus*, exquiritur causa diuturnae infirmitatis. Et primo ponitur interrogatio domini; secundo responsio languidi, ibi *respondit ei languidus*. Dixit ergo: *hunc*, scilicet hominem, *cum vidisset Iesus iacentem*, non solum oculo corporis, sed etiam miserationis, qualiter videri petebat David dicens: *respice in me, domine, et miserere mei. Et cognovisset quia multum tempus haberet, in infirmitate*; quod est contra cor Christi, et infirmi, secundum illud Eccli. X, v. 11: *languor prolixior gravat medicum. Dixit ei: vis sanus fieri?* Non quasi ignorans, nam satis constare poterat quod sanus fieri volebat, sed

ut excitet desiderium infirmi, et ut ostendat patientiam, qui tot annis expectavit eripi ab aegritudine, non desistens, et ex hoc cognoscatur dignior ad sanandum; Ps. XXX, 25: *viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Deo*. Excitat autem desiderium: quia stabilius tenetur quod cum desiderio percipitur et facilius acquiritur nobis; Matth. VII: *pulsate, per desiderium, et aperietur vobis*. Sed notandum, quod dominus a ceteris fidem requirit; Matth. IX, 28: *creditis quod possum hoc facere vobis?* Sed in isto nihil tale facit: quia illi quidem audierant aliqua de miraculis Iesu, iste autem nondum: et ideo fidem ab eo non requirit, nisi post factum miraculum. Responsio languidi ponitur cum dicit: *domine, hominem non habeo*. Et duo insinuat, quae causa erant diuturnae infirmitatis: scilicet paupertatem et debilitatem. Quia enim pauper erat, non poterat habere hominem qui mitteret eum in piscinam; unde dicit *domine, hominem non habeo* et cetera. Et forte, secundum Chrysostomum, opinabatur sibi Christum utilem fore ad mittendum eum in aquam. Quia vero debilis erat, et festinanter ire non poterat, praeveniebatur ab alio; unde dicit *dum venio enim ego, alius ante me descendit*. Et sic poterat dicere cum Iob VI, 13: *ecce non est auxilium mihi in me*. Per hoc significatur quod non erat aliquis homo purus qui humanum genus salvare posset, quia omnes peccaverunt, et egerunt gratia Dei, quousque veniret Christus Deus et homo, per quem sanaretur. Consequenter cum dicit *surge, tolle grabatum tuum*, ponitur restitutio sanitatis, seu perpetratio miraculi. Et primo ponitur mandatum domini; secundo obedientia hominis, ibi *et statim sanus factus est homo* et cetera. Praecipit autem dominus naturae, et voluntati hominis; haec enim duo sub potestate eius sunt. Naturae praecipit, cum dicit *surge*: non enim hoc voluntati praecipitur, quia hoc non erat in eius potestate, sed naturae, quam dominus praecipiendo immutavit, dando ei virtutem qua surgere posset. Voluntati vero duo praecipit, scilicet *tolle grabatum tuum, et ambula*. Et quidem, quantum ad litteram, haec duo praecepit, ut ostendat perfectam sanitatem homini restitutam. In omnibus enim miraculis, secundum optimum illius naturae, dominus perfectum opus fecit; Deut. XXXII, 4, dicitur: *Dei perfecta sunt opera*. Iste autem in duobus defecerat: scilicet in viribus propriis, se sustinere non valens, unde dominus eum iacentem invenit; et in subsidio aliorum, unde dicebat *hominem non habeo*. Ut ergo perfecta sanitas innotesceret, ei qui se sustinere non valebat, praecipit ut lectum suum tollat; et ei qui ambulare non poterat, praecipit ut ambulet. Nihilominus tamen haec tria in iustificatione dominus praecipit. Primo quod surgat recedendo a peccato; Eph. V, 14: *surge qui dormis, et exurge a mortuis*. Secundo praecipitur *tolle grabatum*, satisfaciendo de commissis. Per grabatum enim, in quo homo requiescit, significatur peccatum. Tollit ergo homo grabatum suum, quando fert onus poenitentiae sibi pro peccato impositum; Mich. c. VII, 9: *iram domini portabo, quoniam peccavi ei*. Tertio ut ambulet proficiendo in bono, secundum illud Ps. LXXXIII, 8: *ibunt de virtute in virtutem*. Secundum Augustinum, duo deficiebant isti languido, scilicet praecepta geminae caritatis: et ideo voluntati, quae caritate perficitur, duo mandat, scilicet tollere grabatum, et ambulare. Primum pertinet ad dilectionem proximi, quae prior est ordine faciendi; secundum ad dilectionem Dei, quae prior est ordine praecipendi. Dicit ergo quantum ad primum *tolle grabatum tuum*, quasi dicat: quando infirmus es, proximus tuus sustinet te, et patienter fovet ut grabatus infirmum; Rom. XV, 1: *debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis ipsis placere*. Quando ergo sanus factus es, *tolle grabatum tuum*, idest, sustine et supporta proximum tuum, qui te infirmum portabat; Gal. VI, 2: *alter alterius onera portate*. Quantum vero ad secundum, dicit *ambula*, appropinquando ad Deum. Unde in Ps. LXXXIII, v. 8, dicitur: *ibunt de virtute in virtutem*; et sequitur: *videbitur Deus deorum in Sion*; infra XII, 35: *ambulate dum lucem habetis*. Consequenter cum dicit *et statim sanus factus est homo ille*, ponitur obedientia: et primo vere quia *statim factus est homo sanus*. Nec mirum, quia ipse est verbum per quod caelum et terra facta sunt; Ps. CXLVIII, 5: *dixit, et facta sunt*. Et alibi: *verbo domini caeli firmati sunt*. Secundo voluntas: et primo, quia *sustulit grabatum suum*; secundo, quia *ambulabat*; Ex. XXIV, 7: *omnia quaecumque praecepit dominus faciemus, et erimus obedientes*.

## Lectio 2

[87452] Super Io., cap. 5 l. 2 Posito miraculo visibili, per quod ostenditur virtus Christi ad reparandam vitam spiritualem, hic ponitur occasio doctrinae Christi; quae quidem occasio sumitur ex persecutione Iudaeorum contra Christum mota. Cuius quidem persecutionis duplex causa fuit ex parte Iudaeorum invidentium Christo. Prima quidem operatio pietatis; secunda vero doctrina veritatis, ibi *Iesus autem respondit eis: pater meus usque modo operatur* et cetera. Circa primum tria facit. Primo praemittitur occasio persecutionis; secundo ponitur calumnia illata contra curatum, ibi *dicebant ergo Iudaei illi qui sanatus fuerat* etc.; tertio ponitur calumnia illata

contra Christum, ibi *interrogaverunt eum: quis est ille homo?* et cetera. Occasio autem persecutionis inductae contra Christum sumitur ex eo quod in sabbato curavit; et ideo dicit Evangelista *erat autem sabbatum in die illo*, quando miraculum fecit Iesus, quando grabatum tollere iussit. Assignatur autem triplex ratio quare dominus in sabbato operari incepit. Una ab Ambrosio super Lucam, Christus enim ad hoc venit, ut opus creationis, scilicet hominem, deformatum repararet. Inde autem incipere debebat, ubi actor in creationis opus consummatum creaverat: hoc autem fuit in die sabbati, ut dicitur Gen. I; et ideo, ut Christus ostenderet se reparatorem totius creaturae, incepit in sabbato. Alia ratio est, quia dies sabbati celebratur a Iudaeis in memoriam primae creationis. Christus autem venit, ut quasi novam creaturam faceret, secundum illud Gal. ult., 15: *in Christo Iesu neque circumcisio, neque praepitium aliquid valet; sed nova creatura*, per gratiam, quae fit per spiritum sanctum, secundum illud Ps. CIII, 30: *emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae*. Volens ergo Christus ostendere, per eum recreationem fieri, in sabbato operatur; Iac. I, 18: *ut simus initium aliquod creaturae*. Tertia ratio est, ut ostenderet se facturum quod lex facere non poterat; Rom. VIII, 3: *nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati*. Et infra *ut iustificatio legis impleretur in nobis*. Iudaei autem nihil operabantur in sabbato, in figura quod quaedam quae erant sabbati, consummanda erant, quae per legem fieri non poterant. Et hoc patet in quatuor, quae Deus erga diem sabbati ordinavit. Nam diem sabbati sanctificavit, diem sabbati benedixit, in eo opera sua consummavit, et in eo requievit. Quae quidem lex facere non potuit, nam sanctificare non poterat. Unde Ps. XI, 1, dicebat: *salvum me fac, domine, quoniam defecit sanctus*. Neque etiam benedicere; quinimmo *qui sunt ex operibus legis, sub maledicto sunt*, ut dicitur Gal. III, 10. Nec consummare et perficere: quia *neminem ad perfectum adduxit lex*: Hebr. VII, 19. Nec etiam perfectam quietem praestare: quia, ut dicitur Hebr. IV, 8: *nam si eis Iesus requiem praestitisset, numquam de alia loqueretur*. Haec ergo quae lex facere non potuit, Christus fecit: ipsum enim populum sanctificavit per passionem. Heb. XIII, 12: *Iesus ut per suum sanguinem sanctificaret populum, extra portam passus est*. Ipse benedixit per gratiae infusionem; Ephes. I, 3: *benedictus Deus pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo*. Ipse consummavit per perfectae iustitiae instructionem; Matth. V, v. 48: *estote perfecti, sicut et pater caelestis perfectus est*. Ipse introduxit in veram requiem; Hebr. IV, 3: *nos qui credimus, ingrediemur in requiem, quemadmodum dixit: sicut iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*. Ipsi ergo competit in die sabbati operari, qui, quae ad sabbatum pertinent, perficere potest, a quibus lex impotens quiescebat. Consequenter ponit calumniam illatam contra curatum, cum dicit: *dicebant ergo Iudaei illi qui sanatus fuerat et cetera*. Et primo ponitur calumniae contra curatum illatio; secundo subditur curati excusatio, ibi *respondit eis: qui me sanum fecit* et cetera. Calumniam autem inferunt contra istum de hoc quod in sabbato grabatum portat, sed non de curatione; unde dicunt *sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum*. Cuius ratio multiplex potest assignari. Una, quia Iudaei frequenter Christo de curatione in die sabbati calumniam inferentes, confutati erant a Christo, per hoc quod ipsi etiam iumenta de puteo in die sabbati eruebant et salvabant, ut habetur Lc. XIV, 15. Et ideo de curatione tamquam de re utili et necessaria tacent; de portatione vero lecti, quae non necessaria videbatur, calumniantur; quasi dicant: si sanitas non erat differenda, quid erat necessarium lectum portare, seu portari praecipere? Alia ratio est, quia dominus dixerat, contra eos concludens, quod licet sabbato benefacere. Et ideo, quia curari non est benefacere sed bene pati, curatum potius quam curantem calumniantur. Tertia ratio est, quia hoc in lege videtur prohibitum esse Iudaeis, ne aliquid in die sabbati operentur; specialiter tamen portatio onerum in die sabbati prohibetur. Ier. XVII, 21: *ne portetis onera in die sabbati*. Et ideo specialiter calumniati sunt portationem in die sabbati, utpote dicto prophetae contrariam. Sed hoc tamen mandatum prophetae mysticum est: nam per onera non portanda intendebat eos inducere ut in die sabbati requiescerent ab oneribus peccatorum; de quibus dicitur in Ps. XXXVII, 5: *iniquitates meae sicut onus grave gravatae sunt super me*. Unde, quia iam erat tempus solvendi figuras occultas, mandat Christus isti grabatum tollere, idest proximum in infirmitate sustentare, secundum illud Gal. VI, 2: *alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*. Consequenter ponitur excusatio curati, cum subditur *respondit eis: qui me sanum fecit, ille mihi dixit*. Et quidem prudenter se excusat: numquam enim adeo bene probatur doctrina esse divinitus, sicut per ostensionem miraculorum, quae non nisi divinitus fieri possunt. Mc. ult., 20: *illi autem profecti praedicaverunt ubique, domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis*. Et ideo iste, auctorem sanitatis suae calumniantibus, obiiciebat dicens *qui me sanum fecit, ille mihi dixit*; quasi dicat: vos dicitis prohibitum esse ne onus portetur in sabbato, et hoc auctoritate divina; sed mihi eadem auctoritate est impositum ut tollam grabatum:

nam ille, qui me *salvum fecit*, et per sanitatem restitutam se divinam virtutem habere ostendit, *mihi dixit: tolle grabatum tuum, et ambula*. Et ideo mandatis eius qui tantae est virtutis, et qui mihi tale beneficium contulit, merito teneor obedire. Ps. CXVIII, 93: *in aeternum non obliviscar iustificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me*. Consequenter dicit *interrogaverunt ergo eum*. Quia curatum hominem calumniari non poterant, Christi curationem calumniari nituntur: per hunc enim se excusaverat homo ille. Et quia eum determinate quis esset, non indicaverat, maligne interrogabant ab eo qui esset. Et ideo circa hoc primo agitur de Christi inquisitione; secundo de eius inventione, ibi *postea invenit eum Iesus*; tertio de eius persecutione, ibi *propterea persequabantur Iudaei Iesum*. Circa primum tria ponuntur: scilicet Iudaeorum inquisitio, curati ignorantia et ignorantiae causa. Quantum ad primum dicitur: *interrogabant ergo eum Iudaei*, scilicet non bona intentione, ut proficiant, sed maligno animo, ut persequantur et perdant. Infra VIII, 21: *quaeritis me, et in peccato vestro moriemini*. Et hanc eorum malitiam eorum verba manifestant. Cum enim dominus et sanari languidum, et grabatum tolli iusserit, primum divinae virtutis ostensivum et irrefragabile signum subticent; aliud quod contra legem videtur, replicant, dicentes *quis est ille homo qui dixit tibi: tolle grabatum tuum et ambula?* Eccli. XI, 33: *bona in mala pervertens, insidiatur, et in electis imponit*, scilicet imponere nititur *maculam*. Quantum ad secundum dicit *qui autem sanus factus fuerat, nesciebat qui esset*. Sanus iste significat fideles per gratiam Christi sanatos. Ephes. II, 8: *gratia salvati estis*. Qui quidem nesciunt Christum quis est, sed effectum tantum eius cognoscunt. II Cor. c. V, 6: *quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem*. Sed tunc cognoscemus Christum quis est, *quando videbimus eum sicuti est*: I Io. III, 2. Huius autem ignorantiae causam assignat quantum ad tria, cum dicit *Iesus autem declinavit a turba constituta in loco*. Quod quidem causam habet litteralem et mysticam. Litteralem quidem quantum ad duo. Primo ut daret nobis exemplum occultandi opera nostra bona et non quaerendi in eis hominum favorem, secundum illud Matth. VI, 1: *attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus*. Secundo ut declinemus et fugiamus oculos invidorum ab omnibus operibus nostris, ne ex hoc eorum invidia crescat; Eccli. VIII, 14: *ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo*. Mysticam vero quantum ad duo. Primo, ut det intelligere quod Christus non de facili invenitur in hominum multitudine et in turbine curarum temporalium, sed in spirituali secreto. Osee II, 14: *ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor eius*. Nam *verba sapientium audiuntur in silentio*, ut dicitur Eccli. IX, 17. Secundo, ut insinuet quod Christus debebat declinare a Iudaeis ad gentes; Is. VIII, 17: *abscondit faciem suam parumper a Iacob*, idest subtraxit veritatis suae notitiam a populo Iudaeorum. Consequenter agitur de inventione Christi, cum dicit *postea invenit eum Iesus in templo*. Et primo dicit quod invenitur; secundo insinuat quod inventus docet; tertio quod post doctrinam manifestatur. Quantum ad inventionem duo ponit, scilicet modum inveniendi, et locum. Modus quidem est mirabilis, quia non invenitur nisi inveniat, unde dicit *postea*, scilicet quae dicta sunt, *invenit eum Iesus*: nam homo sua virtute Christum invenire non potest, nisi ei se Christus praesentet. Unde etiam Ps. CXVIII, 176 dicebat: *require servum tuum*. Sap. VI, 14: *praeoccupat eos qui se concupiscunt*. Locus autem in quo invenitur Christus est venerabilis, quia *in templo*, secundum illud Ps. X, 5: *dominus in templo sancto suo*. Nam et mater eius in templo eum invenit, Lc. II, 46 et hoc quia in his quae patris sui sunt, oportebat eum esse. In quo datur nobis intelligi quod curatus iste non ad vanitatem, sed ad religionis studium conversus, templum frequentans, in ipso Christum cognoscit: quia si ad conditoris cognitionem venire volumus, fugienda est turba pravorum affectuum, et declinanda sunt malorum conventicula, et fugiendum est ad templum cordis nostri, quod Deus invisere et habitare dignatur. Consequenter inventus docet; unde *et dixit illi: ecce sanus factus es, iam noli peccare*. Ubi primo commemorat impensum beneficium; secundo proponit sanum consilium; tertio ostendit imminens periculum. Sed beneficium est admirabile, quia subita restitutio sanitatis. Unde dicitur *ecce iam sanus factus es*. Et ideo semper oportet in memoria teneri, secundum illud Is. LXIII, v. 7: *miserationum domini recordabor*. Consilium vero utile, quia *iam amplius noli peccare*; Eccli. XXI, 1: *fili, peccasti, ne adicias iterum*. Quare dominus isti paralytico et aliis quibusdam ab eo curatis mentionem facit de peccatis, et non aliis? Ideo scilicet ut ostendat per hoc, infirmitates aliquibus, ex peccatis prioribus provenire, secundum illud I Cor. XI, v. 30: *ideo multi imbecilles et infirmi, et dormiunt multi*. Per quod etiam se esse Deum ostendit, peccata et occulta cordium manifestans. Prov. XV, 11: *Infernus et perditio coram illo: quanto magis corda filiorum hominum?* Istis ergo solis mentionem de peccatis facit et non aliis ab eo curatis, quia non omnes infirmitates propter peccata priora proveniunt; sed quaedam ex naturali dispositione, quaedam propter probationem, sicut in Iob. Vel de istis tantum mentionem fecit, quia magis praeparati erant ad correctionem. Prov. c. IX, 8: *noli arguere derisorem, ne oderit te: argue sapientem, et diliget te*. Vel in istis, omnibus aliis hoc

mandavit. Periculum autem imminens erat terribile, unde dicit *ne deterius tibi aliquid contingat*. Quod quidem dupliciter intelligi potest, secundum duo quae in isto praecesserunt. Primo enim punitus fuit per prolixum morbum; secundo consecutus fuit magnum beneficium. Et ideo ad utrumque referri potest quod dicitur. Ad primum quidem: quia cum aliquis pro peccato punitur et ex ipsa poena a peccato non retrahitur, iustum est ut gravius puniatur. Et ideo dicit *noli amplius peccare*, quia si peccaveris *deterius tibi continget*. Ier. c. II, 30: *frustra percussi filios vestros: disciplinam non receperunt*. Ad secundum vero: quia qui post beneficia recepta ad peccata prolabitur, gravioris supplicii reus efficitur propter ingratitude, secundum illud II Pet. II, 20: *melius erat eis viam veritatis non agnoscere, quam post agnitionem retrorsum converti*. Similiter etiam quia postquam homo ad peccatum semel redierit, facilius peccat; secundum illud Mt. XII, v. 45: *fiunt novissima hominis illius peiora prioribus*. Ier. II, 20: *a saeculo fregisti iugum, rupisti vinculum, dixisti: non serviam*. Consequenter ponitur inventi manifestatio, cum subditur *abiit ille homo et annuntiavit* et cetera. Et secundum quosdam posset intelligi, ut Chrysostomus dicit, quod ex malitia manifestasset eum; sed hoc non videtur probabile, scilicet quod post tantum beneficium ita ingratus esset. *Nuntiavit ergo Iudaeis, quia Iesus esset qui fecit eum sanum*, ut manifestaret Christi virtutem ad sanandum. Ps. LXV, 16: *venite, et narrabo (...) quanta fecit dominus animae meae*. Et hoc patet, quia illi interrogaverunt eum, quis iusserit grabatum tollere. Iste autem annuntiavit eis quod *Iesus fecit eum sanum*. Consequenter cum dicit *propterea persequebantur Iudaei Iesum*, ponitur persecutio contra Christum, quae est propter quoddam opus pietatis in sabbato exhibitum; unde dicit *propterea persequebantur Iudaei Iesum*, quia haec faciebat in sabbato. Ps. CXVIII, 161: *principes persecuti sunt me gratis*. Consequenter cum dicit *Iesus autem respondit eis* etc., ponitur secunda causa persecutionis, quae sumitur ex doctrina. Et primo ponitur doctrina veritatis; secundo persecutio Iudaicae pravitate, ibi *propterea ergo magis quaerebant eum Iudaei interficere*. Doctrinam autem veritatis proponit dominus, excusando se de solutione sabbati. Sed notandum est, quod dominus de huius solutione aliquando quidem excusavit se, aliquando discipulos suos. Et discipulos quidem, quia homines puri erant, excusavit per similitudinem hominum, scilicet per exemplum sacerdotum, qui operabantur in templo in die sabbati, et sabbatum non solvebant. Et David, qui sub Achimelech sacerdote in die sabbati a facie Saulis fugiens, panes propositionis accepit de templo, ut habetur I Reg. XXI, v. 1 ss. Se vero, quia homo erat et Deus, aliquando per similitudinem hominum excusavit a solutione sabbati. Lc. XIV, 5: *quis vestrum, si ceciderit bos aut asinus suus in puteum, non continuo extrahet eum in die sabbati?* Aliquando vero, et praecipue in hoc loco, excusat se per similitudinem Dei, dicens *pater meus usque modo operatur, et ego operor*; quasi dicat: nolite putare quod in sabbato ita requieverit pater meus, ut ex illo non operetur; sed sicut ipse et nunc sine labore operatur, ita et ego operor. In quo excludit falsum intellectum Iudaeorum, qui volentes conformari Deo, nihil in die sabbati operantur, ac si Deus ipso die omnino destiterit operari. Et quidem licet in sabbato requieverit a novis creaturis condendis, nihilominus tamen semper et continue usque modo operatur, creaturas in esse conservando. Unde et signanter verbo requietionis Moyses est usus post opera Dei, a quibus condendis requievit, ut signaret spiritualem requiem, quam Deus exemplo quietis suae fidelibus postea qui bona fecerint opera, arcana significatione pollicebatur. Unde dici potest, illud mandatum in umbra futuri fuisse praeceptum. Signanter autem dicit *usque nunc operatur*; non autem operatus est, ut designet continuationem divini operis. Nam possent imaginari Deum esse causam mundi, sicut artifex est causa domus, quantum ad fieri tantum: ut sicut domus manet, etiam cessante operatione artificis, ita et mundus subsistere posset, influxu divino cessante. Sed, secundum Augustinum, Deus ita est causa omnium creaturarum quod sit etiam causa subsistendi; quia si eius potentia ad momentum cessaret, simul et illarum cessarent species omnes, quas natura continet: sicut si dicerem, quod aer tamdiu illuminatur quamdiu lumen solis manet in ipso. Cuius quidem ratio est, quia ea quae causam habent, quantum ad fieri solum, cessante causa subsistere possunt; ea vero quae non solum fieri, sed etiam subsistentiae causam habent, continua conservatione causae indigent. Excludit etiam per hoc quod dicit *pater meus usque modo operatur*, opinionem quorundam dicentium, quod Deus mediantibus secundis causis res producit; quod est contra illud Is. XXVI, 12: *omnia opera nostra operatus es in nobis, domine*. Sicut ergo *pater meus*, in principio instituendo naturam, *usque modo operatur*, eadem operatione ipsam continendo et conservando, *et ego operor*, quia sum patris verbum, per quod omnia operatur; Gen. I, 3: *dixit Deus: fiat lux*. Unde sicut primam institutionem rerum per verbum operatus est, ita et ipsarum conservationem. Et sic si ipse *usque modo operatur, et ego operor*, quia sum verbum patris, per quod omnia fiunt et conservantur. Consequenter cum dicit *propterea ergo magis quaerebant eum Iudaei interficere*, ponitur persecutio ex doctrina

proveniens: quia propter ipsam doctrinam *Iudaei magis*, idest avidiori animo, ferventiori zelo, *quaerebant eum interficere*. Duo enim crimina in lege morte punita fuerunt: scilicet crimen solutionis sabbati, unde ille qui collegit ligna in sabbato lapidatus est, Num. XV, 32, et crimen blasphemiae, unde dicitur Lev. XXIV, 14: *educ blasphemum extra castra (...) et lapidet eum omnis multitudo filiorum Israel*. Blasphemiam autem isti reputabant quod homo diceret se esse Deum; infra X, 33: *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia homo cum sis, facis te ipsum Deum*. Et haec duo crimina imponebant Christo: unum scilicet quia solvebat sabbatum, aliud quia dicebat se aequalem Deo. Unde dicit, quod ideo *quaerebant eum occidere, quia non solum solvebat sabbatum, sed etiam patrem suum dicebat Deum*. Sed quia etiam alii iusti Deum patrem suum dicunt: Ier. III, 19: *patrem vocabis me*, ideo non solum dicunt quod *patrem suum dicebat Deum*, sed addunt quod pertinet ad blasphemiam *aequalem se faciens Deo, quod ex hoc colligunt quod dixit: pater meus operatur, et ego operor*. Deum patrem suum dicit, ut det intelligere quod pater eius est per naturam, aliorum autem per adoptionem: secundum quem modum loquitur infra XX, 17: *vado ad patrem meum*, scilicet per naturam, *et patrem vestrum*, scilicet per gratiam. Item ad similitudinem eius se operari dicit, solvens per hoc calumniam Iudaeorum de solutione sabbati: quae non esset conveniens excusatio, nisi aequalis auctoritatis esset in operando cum Deo. Et ideo dicunt quod facit se aequalem Deo. Et quidem magna est Arianorum caecitas, qui in verbis domini non possunt intelligere quod Iudaei intelligunt, dicentes Christum Deo patre minorem esse. Sed Ariani dicunt, quod Christus non fecit se aequalem Deo, sed Iudaei hoc suspicabantur. Sed per ea quae dicta sunt in ipso textu, aliter etiam manifestum est. Nam Evangelista dicit quod Iudaei persequerentur Christum, quia solvebat sabbatum, et quia dicebat patrem suum Deum, et quia faciebat se aequalem Deo. Aut ergo Christus est mendax, aut est aequalis Deo. Sed si est aequalis Deo, ergo Christus Deus est per naturam. Dicit autem Evangelista *se aequalem faciens Deo*, non quod ipse aequalem se Deo faceret, quia per aeternam generationem aequalis erat Deo; sed secundum intentionem Iudaeorum loquens, qui non credentes Christum esse filium Dei per naturam, intellexerunt ex verbis eius quod se diceret Dei filium, quasi volens se aequalem Deo facere, cum tamen hoc eum esse non crederent; infra c. X, 33: *tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*; idest, dicis te esse Deum: quod interpretatur ac si tu ipse facias te ipsum Deum.

### Lectio 3

[87453] Super Io., cap. 5 l. 3 Hic tradit doctrinam de potestate vivificativa. Et primo ponitur ipsa doctrina; secundo confirmatio eius, ibi *si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*. Circa primum duo facit. Primo proponit doctrinam eius de potestate vivificativa in communi; secundo in speciali, ibi *et maiora his demonstrabit ei opera*. Circa primum tria facit. Primo insinuat potestatis suae originem; secundo ipsius potestatis magnitudinem, ibi *quaecumque enim ille fecerit, haec et filius similiter facit*. Tertio assignat utriusque rationem, ibi *pater enim diligit filium*. Considerandum autem circa primum, quod Ariani ex his verbis quae hic dominus dicit *non potest filius a se facere quidquam* etc., errorem suum confirmare nituntur, scilicet quod filius minor sit patre, quia, secundum quod Evangelista dixit, Iudaei persequerentur Christum, quia faciebat se aequalem Deo. Quod videns dominus, Iudaeos ex hoc moveri, volens hoc excludere, ut Ariani dicunt, talia verba subiunxit, ut se aequalem patri non esse monstraret, dicens: *amen, amen dico vobis, non potest filius a se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem*; quasi dicat: non intelligatis me per hoc quod dixi *pater meus operatur, et ego operor*, sic operari quasi ego sim ei aequalis, quia nihil possum facere a meipso. Quia ergo *filius non potest facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem*, utique minor est patre, ut ipsi dicunt. Sed hic intellectus falsus est et erroneus: quia si filius non esset aequalis patri, tunc non esset filius idem cum patre, quod est contra illud, infra X, 30: *ego et pater unum sumus*. Nam aequalitas attenditur secundum magnitudinem, quae in divinis est ipsa essentia. Unde si esset patri inaequalis, differret ab eo secundum essentiam. Ad verum autem huius intellectum, sciendum est, quod in his quae in filio minorationem importare videntur, posset dici ab aliquibus haec de Christo dicta esse secundum naturam assumptam, sicut dicitur infra XIV, v. 28: *pater maior me est*. Unde secundum hoc vellent dicere, quod hoc quod dominus dicit *non potest filius a se facere quidquam*, intelligendum est de filio secundum naturam assumptam. Quod quidem stare non potest, quia secundum hoc oporteret dicere quod omnia quae filius Dei fecit in natura assumpta, pater ante eum fecisset; puta quod siccis pedibus super mare ambulasset, sicut Christus ambulavit, alias non diceretur *nisi quod viderit patrem facientem*. Sed si dicatur, quod quaecumque Christus in carne fecit, etiam Deus pater



fecit, in quantum in eo pater operatur, secundum illud, infra XIV, 10: *pater autem in me manens ipse facit opera*; ut sit sensus: *non potest filius a se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem*, in seipso, scilicet filio. Sed nec hoc stare potest, quia secundum hoc ea quae sequuntur, non possent ei adaptari, scilicet *quaecumque ille fecerit, haec et filius similiter facit*. Numquam enim secundum naturam assumptam filius creavit mundum, sicut pater creavit. Non ergo ad naturam assumptam referendum est quod dicitur. Secundum Augustinum autem, alius modus est intelligendi ea quae videntur in filio minorationem importare, licet non importent: ut scilicet referantur ad originem filii a patre. Quia licet filius sit aequalis patri per omnia, tamen hoc ipsum habet a patre per aeternam generationem; sed pater a nullo habet, cum sit ingenitus. Unde secundum hoc continuatur sic. Quid scandalizati estis, quia patrem meum dixi Deum, et quia aequalem me feci Deo? *Amen, amen dico vobis, non potest filius a seipso facere quidquam*; quasi dicat: ita sum aequalis patri, ut ab illo sim, non ille a me; et quidquid ego habeo ut faciam, est mihi a patre. Secundum hunc ergo modum in his verbis fit mentio de potestate filii, per hoc verbum *potest*, et de eius operatione per hoc verbum *facere*. Et ideo utrumque potest hic intelligi: ut scilicet ostendatur primo derivatio potestatis filii a patre; secundo vero ut ostendatur conformitas operationis filii ad operationem patris. Quantum ad primum, exponit Hilarius hoc modo. Supra dominus dixit se esse aequalem patri. Sed aliqui haeretici propter auctoritates Scripturae, quae dicunt unitatem et aequalitatem filii ad patrem, attribuunt filio quod sit ingenitus, sicut Sabelliani, dicentes filium esse idem cum patre in persona. Ne ergo hoc intelligas, dicit: *non potest filius a se facere quidquam*, nam potentia filii idem est quod natura eius. Ab eo ergo filius habet posse a quo habet esse; esse autem habet a patre, infra XVI, 28: *exivi a patre, et veni in mundum*: a quo etiam habet naturam, quia Deus est de Deo, ergo ab eo habet posse. Sic ergo hoc quod dicit: *non potest filius facere quidquam, nisi quod patrem viderit facientem*, tantum valet ac si dicatur: filius, sicut non habet esse nisi a patre, ita nec posse facere aliquid nisi a patre. In naturalibus enim ab eodem aliquid accipit posse operari a quo recipit esse, sicut ignis ab eo recipit quod possit ascendere sursum a quo recipit formam et esse. Nec tamen per hoc quod dicit *non potest filius a se facere quidquam*, importatur inaequalitas: quia hoc pertinet ad relationem; quaestio autem aequalitatis et inaequalitatis pertinet ad quantitatem. Per hoc autem quod dicit *nisi quod viderit patrem facientem*, posset alicui falsus intellectus subintrare, ut crederet filium hoc modo facere, quia vidit patrem facientem; scilicet, quod pater primo fecit, hoc viso, filius postea inceperit facere; ad modum duorum fabricorum, magistri scilicet et discipuli, qui arcam facit secundum modum quem viderit magistrum facere. Quod quidem non est verum de verbo; nam supra dicitur: *omnia per ipsum facta sunt*. Ergo pater non fecit aliquid, ita quod filius videret fieri, et addiceret. Sed hoc dictum est ut designetur communicatio paternitatis filio per generationem, quae convenienter designatur hoc verbo *viderit*, quia per visum et auditum in nos ab alio scientia transfunditur. Nam per visum quidem scientiam a rebus accipimus, per auditum vero a sermonibus. Filius autem non est aliud quam sapientia, secundum illud Eccli. XXIV, 5: *ego ex ore altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam*. Et sic derivatio filii a patre nihil aliud est quam derivatio divinae sapientiae. Quia ergo visio designat derivationem cognitionis et sapientiae ab alio, recte per visionem generatio filii a patre designatur, ut sic nihil aliud sit filium videre patrem facientem, quam procedere intelligibili processione a patre operante. Potest autem et de huiusmodi, secundum Hilarium, alia ratio assignari; scilicet, ut per hoc quod dicit *viderit*, excludatur omnis imperfectio a generatione filii vel verbi; nam in generatione materiali illud quod generatur, paulatim per incrementa temporum ab imperfecto ad perfectum perducitur: non enim iam perfectum est aliquid quando generari incipit. Sed hoc in generatione aeterna locum non habet, cum sit generatio perfecti a perfecto. Et ideo dicit *nisi quod viderit filius patrem facientem*. Cum enim videre sit actus perfecti, manifestum est quod filius statim perfectus genitus est, tamquam statim videns, et non per incrementa temporum ad perfectum perducitur. Quantum vero ad secundum exponit Chrysostomus, scilicet ad ostendendum conformitatem patris ad filium, quantum ad operationem, hoc modo. Dico quod licet mihi operari in sabbato, quia et pater meus continue operatur, cui non possum operari contrarium; et hoc quia *non potest filius a se facere quidquam* et cetera. Tunc enim quis aliquid a se facit, cum in faciendo non se conformat alteri. Quicumque autem est ab alio, si discordat ab eo, peccat; infra VII, 18: *qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit*. Quicumque ergo existens ab alio, a semetipso operatur, peccat; filius autem est a patre: ergo si operatur a semetipso, peccat; quod est impossibile. Per hoc ergo quod dicit dominus, *filius non potest a se facere quidquam* etc., nihil aliud insinuat, quam quod filius non potest peccare. Quasi dicat: iniuste persequimini me de solutione sabbati, quia non possum peccare, quia non operor contraria patri meo. Utramque autem expositionem, scilicet Hilarii et Chrysostomi, facit Augustinus, licet in diversis locis. Consequenter cum dicit *quaecumque enim ille fecerit, haec et filius similiter*

*facit*, ponitur magnitudo potestatis Christi et excludit in his tria circa potestatem suam: scilicet particularitatem, diversitatem et imperfectionem. Particularitatem: quia, cum sint diversa agentia in mundo, et agens primum universale virtutem habeat super omnia agentia, alia vero agentia, quae sunt ab ipso, tanto particularis virtutis sint, quanto sunt inferiora in ordine causalitatis, posset ex hoc aliquis credere, quod cum filius non sit a se, habeat potestatem particularem respectu aliquorum existentium, et non universalem respectu omnium, sicut habet pater. Et ideo hoc excludens dicit *quaecumque enim ille*, idest pater, *fecerit*, idest ad omnia ad quae se extendit potestas patris, extendit se etiam potestas filii. Supra I, 3: *omnia per ipsum facta sunt*. Diversitatem vero, quia aliquando unum, ab alio existens, potest quidem facere quaecumque ille a quo est facit, nihilominus tamen illa quae facit, non sunt eadem cum illis quae ille a quo est facit. Sicut si unus ignis existens ab alio, potest facere quaecumque alius facit, puta comburere, sed tamen alia comburit iste, alia ille, licet eadem sit combustio utriusque secundum speciem. Ne ergo intelligas sic operationem filii diversam esse ab operatione patris, dicit *haec*, idest non diversa, sed eadem. Imperfectionem vero, quia quandoque contingit aliquod unum et idem ex duobus agentibus fieri, sed ab uno quidem sicut a principali et perfecto, ab alio vero sicut ab instrumento et imperfecto; sed non similiter, quia aliter agit principale agens, et aliter instrumentum, quia instrumentum imperfecte agit, utpote in virtute alterius. Ne ergo sic intelligas filium facere quaecumque facit pater, addit *similiter*, idest, potestate qua pater facit, facit et filius; quia eadem virtus et eadem perfectio est in patre et filio; Prov. VIII, 30: *cum eo eram cuncta componens*. Consequenter cum dicit *pater enim diligit filium*, assignat rationem utriusque, scilicet originis et magnitudinis potestatis filii; quae quidem ratio assignatur ex dilectione patris, qui diligit filium; unde dicit: *pater enim diligit filium*. Sed ad sciendum quomodo dilectio patris ad filium sit ratio originis, seu communicationis potestatis filii, attendendum est, quod dupliciter aliquid diligitur. Cum enim bonum solum sit amabile, aliquod bonum potest se dupliciter ad amorem habere, scilicet vel ut causa amoris, vel ut ab amore causatum. In nobis autem bonum causat amorem; nam causa amoris nostri ad aliquem est bonitas eius. Non enim ideo bonus est, quia nos eum diligimus; sed ideo diligimus eum, quia bonus est: unde in nobis amor causatur a bono. Sed in Deo aliter est, quia ipse amor Dei est causa bonitatis in rebus dilectis: quia enim Deus diligit nos, ideo boni sumus, nam amare nihil est aliud quam velle bonum alicui. Cum ergo voluntas Dei sit causa rerum, quia *omnia quaecumque voluit, dominus, fecit*, ut dicit Ps. CXIII, 3, manifestum est quod amor Dei, causa est bonitatis in rebus. Unde Dionysius dicit, VI cap. de divinis nominibus, quod divinus amor non permisit eum sine germine esse. Ergo si consideremus originem filii, videamus utrum amor quo pater diligit filium, sit principium originis vel procedat ab ea. Amor autem in divinis dupliciter accipitur; scilicet essentialiter, secundum quod pater diligit et filius et spiritus sanctus; et notionaliter, seu personaliter, secundum quod spiritus sanctus procedit ut amor. Sed neutro horum modorum amor dictus, potest esse principium originis filii. Nam secundum quod accipitur essentialiter, sic importat actum voluntatis. Si ergo esset principium originis filii, sequeretur quod pater genuisset filium voluntate, non natura: quod est erroneum. Similiter etiam nec amor notionaliter sumptus, qua pertinet ad spiritum sanctum, quia tunc sequeretur quod spiritus sanctus esset principium filii: quod est erroneum; immo nullus haereticus hoc dixit. Licet enim amor notionaliter sumptus sit principium omnium donorum quae nobis donantur a Deo, non tamen est principium filii, sed potius ipse a patre filioque procedit. Sic ergo dicendum, quod ratio ista non sumitur ex dilectione ut ex principio, sed ut ex signo. Cum enim similitudo sit causa dilectionis (omne enim animal diligit simile sibi): ubi invenitur perfecta similitudo Dei, ibi invenitur etiam perfecta dilectio Dei. Perfecta autem similitudo patris in filio est secundum illud Coloss. I, 15: *qui est imago invisibilis Dei*; Hebr. I, 3: *qui cum sit splendor, gloria et figura substantiae eius*. Perfecte ergo filius a patre diligitur: et ideo quia perfecte diligit eum, signum est quod pater omnia ostenderit ei et communicaverit ei suam potestatem et naturam. Et de huius dilectione dicitur supra II, 35: *pater diligit filium, et omnia dedit in manu eius*. Et Matth. III, 17: *hic est filius meus dilectus*. Circa hoc autem quod sequitur *et omnia demonstrat ei quae ipse facit*, sciendum est, quod dupliciter potest aliquis alicui sua opera demonstrare. Vel quantum ad visum, sicut artifex ea quae facit demonstrat discipulo; vel quantum ad auditum, sicut quando verbo instruit eum. Quocumque ergo istorum modorum accipiatur *demonstrat*, sequi potest duplex inconveniens: quod tamen non est in ista demonstratione, qua pater demonstrat filio. Si enim pater dicatur demonstrare filio quantum ad visum, primo quidem sequitur in istis inferioribus quod prius operetur aliquid quod alteri demonstrat; deinde quod seorsum ab eo cui demonstrat. Sed pater non demonstrat filio ea quae prius facit, quia ipse filius dicit Prov. VIII, 22: *dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret*. Neque etiam ea quae seorsum a filio facit: quia pater omnia operatur per filium; supra I, 3: *omnia per ipsum facta sunt*. Si autem

accipiatur demonstratio quantum ad auditum, duo videntur sequi: nam qui verbo docet, primo demonstrat ignoranti; deinde verbum est inter demonstrantem et cui fit demonstratio. Sed neutro modo pater demonstrat filio: non enim sicut ignoranti, cum filius sit sapientia patris, I Cor. I, 24: *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*; nec aliquo alio verbo medio, quia ipse filius est verbum patris, supra I: *verbum erat apud Deum*. Dicitur ergo pater omnia quae facit demonstrare filio, inquantum communicat ei notitiam omnium suorum operum: sic enim magister dicitur demonstrare discipulo, inquantum dat ei notitiam eorum quae facit. Unde, secundum Augustinum, demonstrare patrem filio, nihil aliud est quam patrem generare filium. Et filium videre quae pater facit, nihil aliud est quam filium esse et naturam a patre recipere. Potest tamen dici demonstratio illa similis visuali, inquantum ipse filius est splendor visionis paternae, ut dicitur Hebr. I, 3: nam pater videns se et intelligens, concipit filium, qui est conceptus huius visionis. Potest etiam esse similis ei quae fit per auditum, inquantum filius procedit a patre ut verbum. Ut si dicatur quod *pater omnia demonstrat filio*, inquantum producit ipsum ut splendorem, et conceptum suae sapientiae, et verbum. Hoc ergo quod dicit *demonstrat*, refertur ad illud quod supra dixit: *non potest filius a se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem*. Hoc vero quod dicit *omnia*, refertur ad illud quod dixit: *quaecumque enim ille fecerit, haec similiter et filius facit*.

#### Lectio 4

[87454] Super Io., cap. 5 l. 4 Ostensa potestate filii in communi, hic consequenter ostendit eam in speciali, et primo dominus manifestat suam potestatem vivificativam; secundo manifestat quaedam praedicta, quae videbantur obscura, ibi *sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit filio vitam habere in semetipso*. Circa primum duo facit. Primo ostendit filium habere potestatem vivificativam; secundo docet modum percipiendi vitam a filio, ibi *amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit et cetera*. Circa primum tria facit. Primo proponit potestatem vivificativam filii; secundo dicti rationem assignat, ibi *neque enim pater iudicat quemquam*; tertio ostendit effectum exinde provenientem, ibi *ut omnes honorificent filium et cetera*. Et circa primum duo facit. Primo proponit potestatem vivificativam in communi; secundo exprimit eam, ibi *sicut enim pater et cetera*. Quantum ad primum dicit *maiora his demonstrabit*; quasi dicat: miramini et turbamini de potestate filii in sanatione languidi; sed adhuc pater *maiora his demonstrabit opera*, scilicet in suscitatione mortuorum, *ut vos miremini*. Sed ex his verbis insurgit dubitatio quantum ad duo: primo quidem quantum ad hoc quod dicit *demonstrabit*: nam hoc quod supra dictum est, quod pater omnia demonstrat filio, refertur ad aeternam generationem: quomodo ergo hic dicit *demonstrabit*, cum filius sit ei coaeternus, et in aeternitate non sit accipere futurum? Secundo vero quantum ad hoc quod dicit *ut vos miremini*. Si enim ideo demonstraturus est ut Iudaei mirentur, tunc filio demonstraturus est simul et istis, alias non mirarentur, nisi viderent; cum tamen filius ab aeterno omnia viderit apud patrem. Et ideo dicendum est, quod hoc exponitur tripliciter. Uno modo, secundum Augustinum, ut referatur haec demonstratio fienda discipulis. Consuetus enim modus loquendi est Christi, ut aliquando attribuat sibi fieri quod fit membris suis, secundum illud Matth. XXV, v. 40: *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Et tunc est sensus: vos vidistis filium magna facientem in curatione languidi, et miramini; sed adhuc *maiora his pater demonstrabit ei*, in membris, scilicet discipulis; infra XIV, 12: *et maiora horum faciet*. Dicit ergo *ut vos miremini*: quia ex miraculis discipulorum Iudaei intantum mirati sunt quod maxima multitudo eorum conversa est ad fidem, sicut habetur Act. I. Alio modo, secundum Augustinum, sic, ut scilicet referatur ad Christum secundum naturam assumptam. In Christo enim est et natura divina et natura humana; et secundum utramque habet a patre potestatem vivificativam; sed aliter et aliter, quia secundum divinitatem habet potestatem vivificandi animas, sed secundum naturam assumptam vivificat corpora unde Augustinus: verbum vivificat animas, sed verbum caro factum vivificat corpora. Nam resurrectio Christi, et mysteria quae Christus implevit in carne, sunt causa futurae resurrectionis corporum; Eph. II, 5: *convivificavit nos in Christo*; I Cor. XV, 12: *si autem Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Sed primum habet ab aeterno, et hoc ostendit cum supra dixit: *et omnia demonstrat ei quae ipse facit*; quae quidem omnia demonstrat carni; sed alia ex tempore, et quantum ad hoc dicit: *et maiora his demonstrabit ei*, idest demonstratur potestas eius in hoc quod maiora faciet, suscitando mortuos: quosdam quidem hic, sicut Lazarum, puellam et unicum matris; omnes tandem in die iudicii. Tertio modo ut referatur ad Christum secundum naturam divinam, secundum illum modum quo in Scriptura dici

consuetum est, tunc aliquid fieri quando innotescit; sicut illud Matth. ult., 18: *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*. Cum enim Christus ab aeterno habuerit potestatem plenissimam, quia *quaecumque pater facit, similiter et filius facit*, dicit tamen, post resurrectionem domini potestatem datam esse: non quia tunc tantum eam recepit, sed quia per resurrectionis gloriam tunc maxime innotuit. Secundum hoc ergo dicit sibi potestatem dari, secundum quod eam exequitur in opere, ut dicatur: *et maiora demonstrabit ei opera*; idest, sibi data per executionem ostendet: et hoc vobis mirantibus, quando scilicet qui vobis videtur ut homo tantum, apparebit virtutis divinae et Deus. Est autem verbum demonstrationis accipiendum ut verbum visionis, secundum quod supra expositum est. Consequenter cum dicit *sicut enim pater suscitavit mortuos (...) sic et filius*, explicat in speciali potestatem vivificativam filii, ostendens quae sunt illa maiora quae pater filio demonstrabit. Ubi sciendum est quod divina virtus in veteri testamento ex hoc praecipue commendatur quod Deus est auctor vitae; I Reg. II, 6: *dominus mortificat, et vivificat*. Et Deut. c. XXXII, 39: *ego occidam, et ego vivere faciam*. Quam quidem virtutem sicut habet pater, sic habet et filius, et ideo dicit *sicut pater suscitavit mortuos et vivificat, sic et filius quos vult vivificat*; quasi dicat: haec sunt maiora quae pater filio demonstrabit, scilicet ut mortuos vivificet. Plane maiora sunt ista valde: quia plus est ut resurgat mortuus, quam ut convalescat aegrotus. Sic ergo *filius quos vult vivificat*, et primam vitam viventibus dando, et mortuos suscitando. Nec tamen putemus alios a patre suscitari et alios a filio, sed eosdem quos pater suscitavit et vivificat, filius suscitavit et vivificat: quia pater, sicut omnia operatur per filium, qui est virtus eius, ita et omnes vivificat per filium, qui est vita, ut dicit infra XIV, 6: *ego sum via, veritas et vita*. Non tamen per filium suscitavit et vivificat mortuos sicut per instrumentum, quia secundum hoc filius non esset constitutus in suae potestatis arbitrio. Et ideo ut hoc excludat, dicit: *filius quos vult vivificat*; idest, in suae potestatis arbitrio est vivificare quod vult. Nam non aliud vult filius quam pater: sicut enim est illis una substantia, sic est illis una voluntas; unde Matth.: c. XX, 15, dicit: *an non licet mihi quod volo facere?* Consequenter cum dicit *neque enim pater iudicat quemquam*, assignat rationem dicti, manifestans suam potestatem. Sed attendendum est, quod ex hoc loco usque ad finem sunt duae expositiones: una est Augustini, alia Hilarii et Chrysostomi. Secundum Augustinum quidem exponitur sic. Dixerat dominus supra, quod sicut pater suscitavit mortuos ita et filius. Sed ne intelligeres illam mortuorum resuscitationem tantum qua aliquos ad hanc vitam resuscitavit ad miraculi ostensionem et non illam qua resuscitavit ad vitam aeternam, ideo ducit eos ad altiorem considerationem alterius, scilicet resurrectionis quae erit in futuro iudicio. Unde et specialiter de iudicio mentionem facit, dicens *neque enim pater iudicat quemquam*. Potest et aliter, secundum eundem, sub eodem sensu continuari, ut secundum hoc quod dixit *sicut pater suscitavit mortuos, sic et filius* etc., referatur ad resurrectionem animarum, quam facit filius in quantum est verbum; hoc vero quod dicit *neque enim pater iudicat quemquam*, referatur ad resurrectionem corporum, quam facit in quantum verbum caro factum est. Resurrectio enim animarum fit per personam patris et filii; unde et simul nominat patrem et filium, dicens *sicut pater suscitavit (...) sic et filius*. Resurrectio vero corporum per dispensationem humanitatis patri non coaeternam: et ideo soli filio iudicium attribuit. Sed attende mirabilem varietatem verborum: nam primo proponitur nobis pater operans et filius vacans, scilicet cum dicitur: *non potest filius a se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem*; hic vero e converso proponitur filius operans, et pater vacans: *neque enim pater iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit filio* et cetera. In quo datur intelligi, quod alio modo loquitur hic et alio modo ibi. Nam ibi loquitur de operatione quae est patris et filii, unde dicit quod *a se non facit quidquam, nisi quod viderit patrem facientem*; hic vero loquitur de operatione qua filius secundum quod homo iudicat et non pater: unde dicit quod *omne iudicium dedit filio*. Nam pater in iudicio non apparebit; quia secundum iustitiam Deus in propria natura iudicandis omnibus apparere non potest: quia cum visio divina sit beatitudo nostra, si mali Deum in propria natura viderent, iam essent beati. Apparebit ergo solus filius, qui solus habet naturam assumptam. Ipse ergo solus iudicat, qui solus omnibus apparebit; sed tamen auctoritate patris; Act. X, 42: *hic est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum*. Et in Ps. LXXI, 1: *Deus, iudicium tuum regi da*. Consequenter cum dicit *ut omnes honorificent filium*, ponit effectum qui provenit ex potestate filii, et primo ponit fructum consequentiae; secundo excludit contradictionem, ibi *qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum*. Dicit ergo: ideo pater omne iudicium dedit filio, secundum humanam naturam, quia in incarnatione se filius exinanivit formam servi accipiens, in qua inhonoratus est ab hominibus, secundum illud infra VIII, 49: *ego honorifico patrem meum, et vos inhonorastis me*. Ideo ergo in ipsa natura assumpta datum est ei iudicium, *ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Tunc enim videbunt filium hominis venientem cum potestate magna et maiestate*: Lc. XXI, 27. Et Apoc. VII, 11: *ceciderunt in facies suas, et adoraverunt, dicentes:*

*benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro.* Sed posset aliquis dicere: volo honorificare patrem, et non curare de filio. Sed hoc non potest esse, quia *qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum.* Aliud enim est honorare Deum ratione qua Deus est, aliud honorare patrem. Nam bene potest aliquis honorare Deum in quantum creator, omnipotens et incommutabilis, absque hoc quod honoret et filium. Sed honorare Deum ut patrem nullus potest quin honorificet filium: nam pater dici non potest si filium non habet. Sed si inhonoras filium dividendo eius virtutem, inhonoras et patrem: ibi enim tollis virtutem patri, ubi minorem das filio. Vel aliter, secundum eundem: Christo debetur duplex honor: scilicet secundum divinitatem, secundum quam debetur ei honor aequalis patri; et quantum ad hoc dicit *ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem*: alius debetur ei secundum humanitatem, sed non aequalis patri; et de isto dicit *qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum.* Unde ibi signanter dicitur *sicut*; hic autem non dicit *sicut*, sed simpliciter dicit filium esse honorandum; Lc. X, 16: *qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Secundum autem Hilarium et Chrysostomum, exponitur magis ad litteram, quamvis parum mutetur, hoc modo. Dominus supra dicit: *filius quos vult vivificat.* Quicumque aliquid facit pro libero voluntatis arbitrio, agit ex proprio iudicio. Supra vero dictum est quod *omnia quaecumque facit pater haec et filius similiter facit.* Ergo filius de omnibus habet liberum voluntatis arbitrium, quia ex proprio iudicio procedit. Et ideo statim facit mentionem de iudicio, dicens *neque pater iudicat quemquam*, seorsum scilicet a filio. Et hoc modo loquendi usus est dominus infra XII, 47: *ego non iudico vos, scilicet solum, sed sermo quem locutus sum, ille iudicabit vos in novissimo. Sed omne iudicium dedit filio*, sicut et dedit ei omnia. Sicut enim dedit ei vitam, et genuit eum viventem, ita dedit ei omne iudicium, idest genuit eum iudicem; infra ibid., 30: *sicut audio iudico*; idest, sicut habeo esse a patre, ita et iudicium. Ratio huius est, quia filius nihil aliud est, ut dictum est supra, quam conceptus paternae sapientiae; unusquisque autem per conceptum suae sapientiae iudicat: unde sicut pater omnia per filium facit, ita et omnia per ipsum iudicat. Et fructus huius est *ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem*; idest, exhibeant ei cultum patriae, sicut patri. Cetera vero non mutantur. Sed attendenda est, secundum Hilarium, mirabilis connexio verborum, ut errores contra aeternam generationem confutentur. Duae namque haereses contra ipsam generationem aeternam exortae fuerunt. Una Arianicis filium minorem patre; quod est contra aequalitatem et unitatem. Alia Sabellii dicentis non esse distinctionem personarum in divinis; quod est contra originem. Et ideo ubicumque facit mentionem de unitate et aequalitate, statim addit et distinctionem personarum secundum originem, et e converso. Unde, quia innuit originem personarum, dicens: *non potest filius a seipso facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem*, ne crederes inaequalitatem, statim subiungit: *quaecumque enim ille fecerit, haec et filius similiter facit.* Et, e converso, cum innuit aequalitatem, dicens: *sicut pater suscitavit mortuos et vivificat, ita et filius quos vult vivificat*, ne discredas originem et filium genitum, subiungit: *neque enim pater iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit filio.* Eodem modo cum insinuat aequalitatem personarum, dicens *ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem*, statim subiungit de missione, in qua demonstratur origo, dicens *qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum*, non per separationem a seipso. Missionem audi, infra VIII, 29: *qui misit me, mecum est, et non reliquit me solum.* Supra ostendit dominus se habere virtutem vivificativam; hic ostendit modum quo aliquis ab ipso vitam participare potest, et primo ponit modum, quomodo aliquis per ipsum vitam participet; secundo huiusmodi adimpletionem praenuntiat, ibi *amen, amen dico vobis, quia venit hora.* Circa primum considerandum est, quod sunt quatuor gradus vitae. Unus quidem invenitur in plantis, quae nutriuntur, augentur et generantur et generant; alius in animalibus, quae tantum sentiunt; alius vero in his quae moventur, quae sunt animalia perfecta; ulterius vero est aliud genus vitae in his quae intelligunt. Tot ergo existentibus gradibus vitae, impossibile est vel vitam quae est in plantis, vel eam quae est in sensu, aut eam quae est ex motu, esse primam vitam. Nam prima vita debet esse per se vita, non participata. Nulla autem vita potest esse talis nisi sola vita intellectualis, aliae autem tres communes sunt corporali et spirituali creaturae; corpus autem quod vivit, non est ipsa vita; sed vitam participans: et ideo vita intellectualis est prima vita, quae est vita spiritualis, quae immediate percipitur a primo vitae principio, unde dicitur vita sapientiae. Et propter hoc in Scripturis vita attribuitur sapientiae. Prov. VIII, 35: *qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a domino.* Sic ergo vitam a Christo, qui est Dei sapientia, participamus, in quantum anima nostra ab ipso sapientiam percipit. Haec autem vita intellectualis perficitur in vera cognitione divinae sapientiae, quae est vita aeterna. Infra XVII, 3: *haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.* Sed ad nullam sapientiam potest homo pervenire nisi per fidem: unde in scientiis nullus ad sapientiam

pervenit, nisi prius fidem adhibeat dictis a magistro. Si ergo nos volumus ad illam vitam sapientiae pervenire, oportet nos per fidem credere ea quae ab illa nobis proponuntur. Ad Hebr. XI, 6: *oportet accedentem ad Deum credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit*. Is. XXVIII, 16, secundum aliam litteram: *nisi credideritis, non intelligetis*. Et ideo dominus congrue modum perveniendi ad vitam ostendit esse per fidem, dicens *qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam*. Et primo ponit meritum fidei; secundo subdit praemium eius, *ibi habet vitam aeternam*. Circa meritum fidei primo ponit illud per quod fides introducit; secundo illud cui fides innititur. Introducitur quidem fides per verbum hominis; Rom. X, 17: *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Innititur autem fides non verbo hominis sed ipsi Deo; Gen. c. XV, 6: *credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam*; Eccli. II, 8: *qui timetis Deum, credite illi*. Sic nos introducit per verbum hominis ad credendum, non ipsi homini qui loquitur, sed Deo cuius verba loquitur; I Thess. II, 13: *cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non sicut verbum hominum, sed, sicut vere est, verbum Dei*. Et haec duo dominus ponit. Primo illud per quod fides introducit; unde dicit *qui verbum meum audit*, quod introducit ad fidem. Secundo illud cui innititur, cum dicit *et credit ei qui misit me*, non mihi, sed illi in cuius virtute loquor. Quae quidem verba possunt competere Christo secundum quod homo in quantum per verbum eius humanum homines conversi sunt ad fidem; et secundum quod Deus, in quantum Christus est verbum Dei. Cum enim Christus sit verbum Dei, manifestum est quod audientes Christum audiebant verbum Dei et per consequens credebant Deo. Et hoc est quod dicit: *qui audit verbum meum*, idest me verbum Dei, *et credit ei*, idest patri cuius sum verbum. Praemium autem fidei ponit cum subdit *habet vitam aeternam*. Et ponit tria quae nos habebimus in gloria, sed ordine retrogrado. Primo enim consequemur resurrectionem ex mortuis; secundo liberationem a futuro iudicio; tertio vitam aeternam: quia, ut dicitur Matth. XXV, 46 post iudicium ibunt iusti in vitam aeternam. Et haec tria ponit ad fidei praemium pertinere: et primo tertium tamquam magis desideratum. Unde dicit *qui credit*, scilicet per fidem, *habet vitam aeternam*, quae consistit in plena Dei visione. Et dignum est ut qui credit propter Deum his quae non videt, perducatur ad plenam eorum visionem; infra c. XX, 31: *haec scripta sunt ut credatis (...) et ut credentes vitam habeatis in nomine eius*. Secundo ponit secundum, cum dicit *et in iudicium non veniet*. Sed contra hoc est quod apostolus dicit II Cor. V, 10: *omnes nos astare oportet ante tribunal Christi*, etiam ipsos apostolos: ergo qui credit, in iudicium veniet. Sed dicendum, quod duplex est iudicium. Scilicet condemnationis, et in isto non venient qui fide formata in Deum credunt: de quo dicebat Ps. CXLII, 2: *non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; supra III, 18: *qui credit non iudicatur*. Est etiam iudicium discretionis vel discussionis, et ad istud oportet nos omnes ante tribunal Christi exhibere, ut dicit apostolus; et de isto dicitur in Ps. XLII: *iudica me, Deus, et discerne causam meam*. Tertio ponit praemium, cum dicit *sed transit a morte in vitam, vel transiet*, secundum aliam litteram. Quod quidem potest exponi dupliciter. Primo ut referatur ad resurrectionem animae et sic planus est sensus quasi dicat: non solum per fidem adipiscitur vitam aeternam et liberatur a iudicio, sed etiam remissionem peccatorum consequitur. Unde dicit *sed transit* de infidelitate ad fidem, de iniustitia ad iustitiam; I Io. III, 14: *nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam*. Secundo ut referatur ad resurrectionem corporum; et tunc est expositivum huius quod dicit *habet vitam aeternam*. Posset enim ex hoc aliquis credere quod qui credit in Deum, numquam moreretur, sed viveret in aeternum; quod esse non potest, quia omnes homines solvere oportet debitum primae praevaricationis, secundum illud Ps. LXXXVIII, 49: *quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?* Et ideo non est intelligendum, eum qui credit sic habere vitam aeternam, quasi numquam moriturus; sed quia de hac vita transiet per mortem in vitam, idest per mortem corporis reparabitur in vitam aeternam. Vel *transiet* quantum ad causam: quia quando homo credit, iam habet meritum gloriosae resurrectionis; Is. XXVI, 19: *vivent mortui tui, interfecti tui resurgent*. Et tunc soluti a morte veteris hominis suscipiemus vitam novi hominis, scilicet Christi. *Amen, amen dico vobis* et cetera. Quia possent aliqui dubitare utrum aliqui de morte ad vitam transirent, ideo dominus praenuntiat huiusmodi adimpletionem dicens: dico quod *transiet de morte in vitam*, et hoc iam ante impletur. Et hoc est quod dicit: *amen, amen dico vobis, quia venit hora, non fatali necessitate subiecta, sed a Deo praeordinata*; I Io. II, 18: *novissima hora est*. Et ne credatur distare subiungit *et nunc est* (Rom. XIII, 11: *hora est iam nos de somno surgere*), hora scilicet nunc est, *quando mortui audient vocem filii Dei, et qui audierint vivent*. Quod potest dupliciter exponi. Uno modo ut referatur ad resurrectionem corporis et dicatur *venit hora, et nunc est* etc., quasi dicat: verum est quod omnes finaliter resurgent, sed etiam nunc est hora, quando aliqui, quos resuscitaturus erat dominus, *audient vocem eius*. Sic audivit Lazarus quando dictum est ei, *veni foras*, ut dicitur

infra XI, 43; sic audivit filia archisynagogi, ut dicitur Matth. IX, 18 et filius viduae, ut habetur Lc. VII, 12. Et ideo, dicit signanter *et nunc est*, quia per me iam incipiunt mortui resuscitari. Alio modo, secundum Augustinum, ut hoc quod dicit *nunc est*, referatur ad resurrectionem animae. Nam, sicut dictum est supra, duplex est resurrectio: scilicet corporum, quae erit; et hoc nondum est sed erit in iudicio futuro; alia est animarum, de morte infidelitatis ad vitam fidei, et iniustitiae ad iustitiam; et hoc iam *nunc est*. Et ideo dicit *venit hora, et nunc est, quando mortui*, scilicet infideles et peccatores, *audient vocem filii Dei, et qui audierint vivent*, secundum veram fidem. Sed duo mirabilia in his verbis implicari videntur. Unum, cum dicit mortuos audire; aliud cum subdit, eos per auditum reviviscere, quasi prior sit auditus quam vita, cum tamen auditus sit quidam actus vitae. Sed si hoc referamus ad resurrectionem, verum est quod mortui audient, idest obedient voci filii Dei. Vox enim expressiva est interioris conceptus. Tota autem natura ad nutum obedit voluntati divinae; Rom. IV, 17: *vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt*. Secundum hoc ergo ligna, lapides et omnia, non solum ossa arida, sed et cineres corporum mortuorum *audient vocem filii Dei*, in quantum ad nutum ei obedient. Et hoc non convenit Christo in quantum est filius hominis sed in quantum est filius Dei, quia verbo Dei omnia obediunt. Et ideo signanter dicit *filius Dei*; Matth. VIII, 27: *qualis est hic, quia mare et venti obediunt ei?* Si vero referatur ad resurrectionem animarum, rationem habet quod dicitur: nam vox filii Dei, qua interius per inspirationem vel exterius per praedicationem suam et aliorum, corda fidelium movet, habet vim vivificativam, infra VI, 64: *verba quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, et sic vivificat mortuos, dum iustificat impios. Et quia auditus est via ad vitam vel naturae per obedientiam, ad reparationem scilicet naturae, vel auditus fidei ad reparationem vitae et iustitiae, ideo dicit *et qui audierint*, per obedientiam quantum ad resurrectionem corporum, vel per fidem quantum ad resurrectionem animarum, *vivent*, in corpore in aeterna vita et in iustitia in vita gratiae et cetera.

## Lectio 5

[87455] Super Io., cap. 5 l. 5 Supra ostendit dominus se habere potestatem vivificativam et iudiciariam, et explicavit utramque per effectum, hic manifestat quomodo utraque potestas sibi competat, et primo ostendit hoc de potestate vivificativa; secundo de potestate iudiciaria, ibi *et potestatem dedit ei iudicium facere*. Dicit ergo primo: dico quod *sicut pater suscitavit mortuos* ita et ego, *et qui audit verbum meum, habet vitam aeternam*: et hoc ideo habeo, quia *sicut pater habet vitam in semetipso, sic et filio dedit habere vitam in semetipso*. Circa quod sciendum est, quod aliqui vivunt, sed non habent vitam in semetipsis sicut Paulus Gal. II, 20: *quod autem nunc vivo, in fide filii Dei vivo*. Et iterum: *vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus*. Vivebat ergo, sed non in semetipso, sed in alio per quem vivebat; sicut et corpus vivit, sed non habet vitam in semetipso, sed in anima per quam vivit. Illud ergo in semetipso vitam habet, quod habet vitam essentialem non participatam, idest quod ipsum est vita. In quolibet autem genere rerum, quod est per essentiam, est causa eorum quae sunt per participationem, sicut ignis est causa omnium ignitorum. Quod ergo est per essentiam vita, est causa et principium omnis vitae in viventibus. Et ideo ad hoc quod aliquod sit principium vitae requiritur quod sit per essentiam vita. Et ideo congrue manifestat dominus se totius vitae principium, dicens se habere vitam in semetipso, idest per essentiam, cum dicit *sicut pater habet vitam in semetipso*, idest sicut est vivens per essentiam, ita et filius. Ideo sicut pater est causa vitae, ita filius suus. Ostendit autem aequalitatem filii ad patrem, cum dicit *sicut pater habet vitam in semetipso*; et distinctionem, cum dicit *dedit filio*. Sunt enim aequales in vita pater et filius; sed distinguuntur, quia pater dat, filius accipit. Nec est intelligendum, quod filius a patre dante accipiat vitam, quasi praeexistat eam non habens, sicut in istis inferioribus materia prima existens accipit formam, et subiectum subiicitur accidenti: quia nihil in filio praeexistens est acceptioni vitae. Nam, sicut Hilarius dicit, filius nihil habet nisi natum, idest quod per nativitatem accepit. Et cum sit ipsa vita, ideo intelligendum est *dedit filio vitam*, idest, produxit filium vitam. Sicut si dicatur: mens dat verbo vitam, non quasi verbum praeexistat et postea vitam recipiat, sed quia produxit verbum in eadem vita qua ipsa vivit. Destruuntur autem per haec verba tres errores, secundum Hilarium. Primo Arianorum, qui dicentes filium minorem patre, coacti sunt per hoc quod supra dictum est *quaecumque pater fecerit, haec et filius facit*, dicere, quod filius sit aequalis patri in virtute; sed tamen adhuc negant eum esse aequalem sibi in natura. Sed ecce quod etiam in hoc confutantur, per hoc quod dicitur *sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio vitam habere in semetipso*. Nam cum vita pertineat ad naturam, si filius habet vitam in semetipso sicut et pater, manifestum est quod tenet in se originis suae indivisibilem et aequalem cum patre naturam. Secundus error eorum, quantum ad hoc quod negabant filii

coaeternitatem ad patrem, dicentes, filium ex tempore incepisse: quod destruitur in quantum dicit *filius vitam habet in semetipso*. Nam in omnibus viventibus quorum generatio est in tempore, semper est invenire aliquid quod aliquando fuit non vivens; sed in filio quidquid est, est ipsa vita et ideo sic accepit ipsam vitam, quod vitam habet in semetipso, ut semper fuerit vivens. Tertio per hoc quod dicit *dedit*, destruitur error Sabellii negantis distinctionem personarum. Si enim pater vitam dedit filio, manifestum est quod alius est pater qui dedit, et alius filius qui accepit. Consequenter cum dicit *et potestatem dedit ei iudicium facere*, manifestat se habere iudiciariam potestatem, et primo manifestat suam potestatem iudiciariam; secundo rationem dictorum assignat, ibi *non possum ego a me facere quidquam*. Circa primum duo facit. Primo ponit potestatis iudiciariae originem; secundo ostendit iudicii aequitatem, ibi *et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae*. Circa primum notandum est, quod hoc quod dicit *potestatem dedit ei*, potest legi dupliciter. Uno modo secundum Chrysostomum, alio modo secundum Augustinum. Si autem legatur secundum Chrysostomum, tunc haec pars dividitur in duas. Primo proponit iudiciariae potestatis derivationem; secundo excludit dubitationem, ibi *quia filius hominis est*. Sciendum est autem, quod haec littera sic punctatur secundum Chrysostomum: *potestatem dedit ei iudicium facere*, postea resumitur *quia filius hominis est, nolite mirari hoc*. Et huius punctationis ratio est, quia Paulus Samosatenus, quidam antiquus haereticus, qui sicut et Photinus dicebat Christum purum hominem esse, et initium sumpsisse ex virgine, punctabat sic: *potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*, et postea resumitur: *nolite mirari hoc, quia venit hora* etc., quasi intelligens per hoc quod ideo necesse fuit dari potestatem iudiciariam Christo, *quia filius hominis est*, idest purus homo, cui ex se non convenit iudicare homines. Et ideo oportet quod si iudicat alios, sibi detur potestas iudicandi. Sed hoc, secundum Chrysostomum, non potest stare, quia nullam convenientiam habet quod dicitur. Si enim ideo suscepit potestatem iudiciariam, quia homo est, tunc pari ratione, cum cuilibet homini conveniat iudiciaria potestas per humanam naturam, non plus competet Christo quam aliis hominibus. Non ergo sic legendum est; sed dicendum, quod quia est ineffabilis Dei filius, propterea et iudex est. Et hoc est quod dicit: non solum dedit ei pater quod vivificat; sed etiam *potestatem dedit ei*, per aeternam generationem, *iudicium facere*, sicut per eam dedit ei vitam habere in semetipso; Act. X, 42: *hic est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum*. Dubitationem excludit cum dicit *nolite mirari hoc*: et primo movet eam; secundo excludit, ibi, *quia venit hora* et cetera. Dubitatio autem oriebatur in cordibus Iudaeorum, quia aestimantes Christum nihil plus esse quam purum hominem, ea vero, quae dicebantur de eo, erant supra hominem, et etiam supra Angelum, mirabantur cum audirent. Et ideo dicit *nolite mirari hoc*, scilicet quod dixi, quod filius vivificat mortuos et habet iudiciariam potestatem, propter hoc *quia filius hominis est*. Et de hoc mirabantur, quia purum hominem aestimantes, videbant in eo facta divina; Matth. VIII, 27: *mirabantur omnes dicentes: qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* Et subdit causam quare non mirentur, quia scilicet ipse idem qui est filius hominis, est filius Dei. Et licet, secundum Chrysostomum, non exprimat ista propositio, scilicet quod idem est filius hominis qui est filius Dei, ponit tamen dominus illud ex quo propositio illa de necessitate sequitur: sicut videmus, quod syllogizantes in doctrinis frequenter non proponunt intentum principaliter, sed illud ex quo de necessitate sequitur. Et ideo dominus non dicit quod ipse est filius Dei, sed quod filius hominis talis est quod ad vocem eius suscitantur omnes mortui: ex quo necessario sequitur quod sit filius Dei, nam suscitare mortuos est opus proprium Dei. Et ideo dicit *nolite mirari, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei*. Sed non dicit et nunc est, ut supra dixit; neque quia ista hora nunc non est. Similiter hic dicit *omnes*, quod non dixerat supra: quia in prima resurrectione aliquos tantum resuscitavit, scilicet Lazarum, filium viduae, et puellam; sed tunc in futura resurrectione, quae erit tempore iudicii, *omnes audient vocem filii Dei*, et resurgent; Ezech. c. XXXVII, 12: *aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris*. Secundum autem Augustinus, loquitur sic punctando: *potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*, et postea subditur *nolite mirari hoc*. Et secundum hoc dividitur in duas partes. In prima enim tangitur collatio iudiciariae potestatis facta filio hominis; secundo manifestatur per maioris potestatis collationem, ibi *nolite mirari hoc*. Circa primum sciendum est, secundum Augustinum, quod supra locutus est de resurrectione animarum, quae fit per filium Dei; hic vero loquitur de resurrectione corporum, quae fit per filium hominis. Et quia universalis resurrectio corporum futura est tempore iudicii, ideo hic praemittit de iudicio, dicens: *potestatem dedit ei*, scilicet Christo, *iudicium facere*, et hoc quia *filius hominis est*, idest secundum humanam naturam. Unde et post resurrectionem dicit, Matth. ult., c. 18: *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*. Est autem data iudiciaria potestas Christo secundum quod homo, propter tria. Primo ut ab omnibus videretur: necesse est enim iudicem a



iudicandis videri. Iudicabuntur autem boni et mali, et boni quidem Christum videbunt secundum divinitatem et humanitatem; mali autem eum secundum divinitatem videre non poterunt, quia haec visio est beatitudo sanctorum, nec videtur nisi a mundis corde, ut dicitur Matth. V, 8: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et ideo ut videatur in iudicio non solum a bonis, sed etiam a malis, iudicabit in forma humana; Apoc. I, 7: *videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt*. Secundo, quia per humilitatem passionis promeruit gloriam exaltationis. Unde sicut ille qui mortuus est, resurrexit, ita forma illa iudicabit quae iudicata est, et sedebit iudex in iudicio hominum qui stetit sub iudice homine; damnabit vere reos qui factus est falso reus, ut dicit Augustinus libro de verbis domini. Iob XXXVI, c. 17: *causa tua quasi impii iudicata est; sed iudicium causamque recipies*. Tertio ad insinuandum iudicis clementiam. Quod homo iudicetur a Deo, videtur valde terribile: *horrendum est enim incidere in manus Dei viventis*, ut dicitur Hebr. X, 31; sed quod homo iudicem habeat hominem, confidentiam praebet: et ideo ut iudicis experiaris clementiam, hominem habebis iudicem; Hebr. IV, 15: *non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris*. Sic ergo *dedit potestatem Christo, iudicium facere, quia filius hominis est*. Sed hoc quidem *nolite mirari*, quia maiorem potestatem contulit ei, scilicet resuscitandi mortuos; unde dicit: *quia venit hora, scilicet novissima, quae erit in fine mundi*; Ez. VII, 7: *venit tempus, prope est dies occisionis; in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei*. Supra autem non dixit *omnes*, quia ibi loquebatur de resurrectione spirituali, secundum quam non omnes in primo adventu resurrexerunt; quia II Thess. III, 2, dicitur: *non enim omnium est fides*. Hic vero loquitur de resurrectione corporum secundum quam omnes resurgemus, I Cor. XV, 20 ss. sed addit *qui in monumentis sunt*, quod supra non dixerat: quia animae non sunt in monumentis, sed corpora, quorum tunc resurrectio erit. *Omnes ergo qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei*. Vox ista erit sensibile signum filii Dei, ad quam omnes suscitabuntur; I Thess. IV, 15: *dominus veniet in iussu Archangeli, et in tuba Dei*. Et simile habetur I Cor. XV, 52, Matth. XXV, 6: *media nocte clamor factus est*. Quae quidem vox habebit virtutem ex divinitate Christi; Ps. LXVII, 34: *dabit voci suae vocem virtutis*. Quia ergo Augustinus dicit, quod resurrectio corporum fit per verbum carnem factum, resurrectio animarum per verbum, ut dictum est supra; ideo quaerendum est quomodo hoc intelligatur. Aut enim subintelligitur de causa prima, aut de causa meritoria. Si quidem de causa prima, constat quod divinitas Christi est causa corporalis et spiritualis resurrectionis, idest corporum et animarum, secundum illud Deut. XXXII, 39: *ego occidam, et ego vivere faciam*. Si vero de causa meritoria, tunc humanitas Christi est causa utriusque resurrectionis: quia per mysteria quae in carne Christi completa sunt, reparamur non solum quantum ad corpora ad vitam incorruptibilem, sed etiam quantum ad animas ad vitam spiritualem; Rom. IV, 25: *traditus est propter nostras iniquitates, et resurrexit propter iustificationem nostram*. Non ergo videtur verum quod dicit Augustinus. Sed dicendum, quod Augustinus loquitur de causa exemplari et de causa qua illud quod vivificatur, conformatur vivificatori: nam omne illud quod per aliud vivit, conformatur ei per quod vivit. Resurrectio autem animarum non est per hoc quod animae conformantur humanitati Christi, sed verbo, quia vita animae est per solum verbum; et ideo dicit animarum resurrectionem fieri per verbum. Resurrectio vero corporum erit per hoc quod corpora nostra conformabuntur corpori Christi per vitam gloriae, videlicet per claritatem corporum; secundum illud Phil. III, v. 21: *reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae*. Et secundum hoc dicit resurrectionem corporum fieri per verbum carnem factum. Consequenter cum dicit *et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae*, ostendit aequalitatem iudicii, quia boni praemiabuntur, unde dicit *procedent qui bona fecerunt, in resurrectione vitae*, idest ad hoc quod vivant in aeterna gloria, mali autem damnabuntur; unde dicit *qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii*, idest, resurgent in condemnationem; Matth. XXV, 46: *ibunt hi in supplicium aeternum, scilicet mali, iusti autem in vitam aeternam*; Dan. XII, 2: *multi ex his qui in terrae pulvere dormierant, resurgent: quidam quidem ad vitam, alii autem ad opprobrium sempiternum, ut videant semper*. Et nota, quod supra loquens de resurrectione animarum, dicit: *qui audierint vivent*, hic vero dicit quod *procedent*; et hoc propter malos, qui vadunt in condemnationem: nam vita eorum non est dicenda vita, sed potius mors aeterna. Similiter etiam supra fecit mentionem de fide tantum, dicens: *qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam, et in iudicium non venit*; hic ne credas solam fidem sine operibus ad salutem sufficere, facit mentionem de omnibus operibus, dicens *qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitae*; quasi dicat: non qui credit tantum, sed qui cum fide bona operatur, *procedit in resurrectionem vitae*; Iac. II, 26: *fides sine operibus mortua est*. Consequenter cum dicit *non possum ego a me ipso facere quidquam*, assignat rationem praemissorum. Duo autem praemiserat, scilicet originem potestatis, et aequitatem iudicii; et ideo utriusque causam assignat. Primo de

primo. Secundo de secundo, ibi *et iudicium meum iustum est*. Sciendum est autem circa primum, quod hoc quod dicit *non possum ego a meipso facere quidquam*, potest dupliciter legi, etiam secundum Augustinum. Primo ut referatur ad filium hominis hoc modo: tu dicis quod habes potestatem resuscitandi mortuos, quia filius hominis es, sed numquid hoc est tibi in quantum tu es filius hominis? Non, quia *non possum ego a meipso facere quidquam; sed sicut audio, iudico*. Non dicit, sicut video, secundum quod supra dixerat: *filius non potest a se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem*, sed dicit *sicut audio*: nam audire idem est in hoc loco quod obedire. Obedire autem pertinet ad illum cui fit imperium. Imperare autem pertinet ad superiorem. Et ideo, quia Christus in quantum homo minor est patre, dicit *sicut audio*; idest, secundum quod inspiratur a Deo in anima mea. De ipso auditu dicit Ps. LXXXIV, 9: *audiam quid loquatur in me dominus Deus*. Supra autem, quia loquebatur de se secundum quod est verbum Dei, dixit *viderit*. Consequenter cum dicit *et iudicium meum iustum est*, manifestat aequitatem iudicii. Dixerat enim: *et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae*, sed posset aliquis dicere: numquid faciet gratiam aliquibus minus puniendo, et plus remunerando? Ideo respondet quod non, dicens: quia *iudicium meum verum est*. Cuius ratio est *quia non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*. In domino enim Iesu Christo sunt duae voluntates. Una divina quam habet eandem cum patre; alia humana, quae est sibi propria, sicut est proprium eius esse hominem. Voluntas humana fertur in bonum proprium; sed in Christo per rectitudinem rationis regebatur et regulabatur, ut semper in omnibus voluntati divinae conformaretur; et ideo dicit: non quaero implere *voluntatem meam* propriam, quae, quantum in se est, inclinatur ad bonum proprium, sed *voluntatem eius qui misit me*, patris; Ps. XXXIX, 9: *ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui*; Matth. XXVI, 39: *non quod ego volo, sed quod tu vis*. Et si quidem diligenter attenditur, dominus veram rationem assignat iusti iudicii, dicens *quia non quaero voluntatem meam*: non enim iudicium alicuius est iniustum, quando procedit ab eo secundum regulam legis; voluntas autem divina regula est, et lex voluntatis creatae: et ideo voluntas creata, et ratio quae regulatur secundum regulam divinae voluntatis, iusta est, et iudicium eius iustum. Secundo vero exponitur ut referatur ad filium Dei, et manet eadem divisio quae prius posita est. Dixit ergo Christus in quantum verbum manifestans originem suae potestatis: *non possum ego a me facere quidquam*, eo modo sicut supra dixit: *non potest filius a se facere quidquam*; nam suum facere, et suum posse, est suum esse; esse autem est ei ab alio, scilicet a patre: et ideo, sicut non est a se, ita a se non potest facere quidquam; infra VIII, 28: *a meipso facio nihil*. Hoc autem quod dicit *sed sicut audio, iudico*, eodem modo exponendum est sicut illud supra *nisi quod viderit patrem facientem*. Nos enim scientiam, seu cognitionem aliquam accipimus per visum et per auditum (isti enim duo sensus maxime serviunt disciplinae), sed quia in nobis alius est visus, alius auditus; ideo aliter accipimus scientiam per visum, quia inveniendo; aliter per auditum, quia addiscendo. In filio vero Dei idem est auditus et visus; et ideo sive dicatur *audit*, sive *vidit*, idem significat secundum acceptionem scientiae. Et quia iudicium in qualibet natura intellectuali ex scientia procedit, signanter dicit *sicut audio, iudico*; idest, sicut cognitionem simul cum esse a patre accepi, sic iudico; infra XV, 15: *omnia quae audivi a patre meo, nota feci vobis*. Manifestans vero iudicii aequitatem, dicit *et iudicium meum verum est*. Cuius ratio est, *quia non quaero voluntatem meam*. Sed numquid non est eadem voluntas patris et filii? Sed dicendum, quod eadem quidem voluntas est utriusque, sed tamen pater non habet voluntatem ab alio, filius vero habet ab alio, scilicet a patre. Sic ergo filius implet voluntatem suam ut alterius, idest ab alio habens; pater vero ut suam, idest non habens ab alio: et ideo dicit *non quaero voluntatem meam*, quae sit mihi originaliter a me ipso, sed quae est mihi ab alio, scilicet a patre.

## Lectio 6

[87456] Super Io., cap. 5 l. 6 Posita doctrina circa potestatem filii vivificativam, hic consequenter confirmat eam, et primo confirmat quae de excellentia potestatis suae dixerat, per multiplex testimonium; secundo redarguit eorum tarditatem ad credendum, ibi *claritatem ab hominibus non accipio* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ponit necessitatem inducendi testimonium; secundo inducit ipsa testimonia, ibi *alius est qui testimonium perhibet de me*. Necessitas testimonii inducendi erat ex parte Iudaeorum qui ei non credebant; et propter hoc dicit *si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*. Sed admirationis praebet materiam quod dicitur. Nam sicut dominus de se, infra XIV, v. 6 dicit, ipse est veritas: quomodo ergo testimonium eius non est verum? Si veritas est, cui credetur si veritati non creditur? Et ideo dicendum, secundum Chrysostomum, quod dominus hic de se loquitur secundum aliorum opinionem, ut sit sensus: *si ego testimonium perhibeo de*

*meipso, testimonium meum non est verum*, quantum ad vestram reputationem, qui non accipitis illud quod de me dico, nisi per aliud testimonium confirmetur; infra VIII, 13: *tu de teipso testimonium dicis: testimonium tuum non est verum*. Consequenter cum dicit *alius est qui testimonium perhibet de me*, inducit testimonia, et primo testimonium humanum; secundo testimonium divinum, ibi *ego autem habeo testimonium maius Ioanne*. Circa primum duo facit. Primo inducit testimonium Ioannis; secundo rationem testimonii assignat, ibi *ego autem non ab homine testimonium accipio*. Circa primum duo facit. Primo inducit testimonium; secundo commendat eius testimonium, ibi *scio quia verum est testimonium eius*. Testem inducit dicens *alius est qui testimonium perhibet de me*. Iste alius, secundum Chrysostomum, est Ioannes Baptista, de quo dicitur supra I, 6: *fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes: hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine*. Testificationem autem commendat cum dicit *et scio quia verum est testimonium eius*. Et hoc a duobus. Primo a veritate; secundo ab auctoritate: quia fuit ab eis requisitum, ibi *vos misistis ad Ioannem*. A veritate quidem commendat eius testimonium, dicens *et scio*, idest pro certo experior, *quia verum est testimonium eius*, scilicet Ioannis, *quod perhibet de me*. Sic enim pater eius Zacharias prophetavit de eo, Lc. I, 76: *praeibis enim ante faciem domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius*. Constat autem quod testimonium mendax non est saluiferum, sed mortiferum: quia mendacium est causa mortis; Sap. 2, 11: *os quod mentitur occidit animam*. Si ergo testimonium Ioannis est ad dandam scientiam salutis plebi eius, verum est testimonium eius. Sed secundum Glossam aliter: *si testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*. Supra Christus locutus est de se secundum quod Deus, hic vero loquitur secundum quod homo. Et est sensus: *si ego*, homo scilicet, *testimonium de me perhibeo*, scilicet absque Deo, idest quod Deus pater non perhibeat; tunc sequitur quod *testimonium meum non est verum*: nam verbum humanum nisi a Deo fulciatur, nihil veritatis habet, secundum illud Rom. c. III, 4: *est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*. Unde si intelligamus Christum ut hominem a deitate separatum et ei non conformem, et in essentia eius mendacium invenitur et in verbis; infra VIII, v. 14: *si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum testimonium meum; infra: quia solus non sum; sed ego, et qui misit me pater*. Et ideo quia non erat solus, sed cum patre, verum est testimonium eius. Unde ut ostendat testimonium eius veritatem non habere ex eius humanitate secundum se, sed in quantum est coniuncta divinitati et verbo Dei, dicit *sed alius est qui testimonium perhibet de me*: non Ioannes, sed pater, secundum istam expositionem: quia si testimonium Christi hominis de se non est verum et efficax, multo minus esset efficax testimonium Ioannis. Non ergo certificatur testimonio Ioannis, sed testimonio patris: unde iste alius qui testimonium perhibet, intelligitur pater. *Et scio quia verum est testimonium eius*, nam ipse veritas est; I Io. I, v. 5: *Deus lux est, idest veritas, et tenebrae, mendacii, in eo non sunt ullae*. Sed prima expositio, quae Chrysostomi est, magis est litteralis. Commendat etiam testimonium Ioannis ab auctoritate, quia fuit requisitum a Iudaeis, cum dicit *vos misistis ad Ioannem*; quasi diceret: *scio quia verum est testimonium eius nec vos debetis illud repudiare, quia propter magnam auctoritatem qua erat apud vos Ioannes requisivistis ab eo testimonium de me; quod non fecissetis, si eum dignum fide non opinaremini*. Supra I, 19: *miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et Levitas ad Ioannem*. Et Ioannes tunc *testimonium perhibuit*, non sibi, sed veritati, idest mihi. Sicut amicus veritatis veritati Christo testimonium perhibuit; supra I, 20: *confessus est, et non negavit: confessus est, quia non sum ego Christus*. Consequenter cum dicit *ego autem non ab homine testimonium accipio*, assignat rationem testimonii Ioannis inducti, et primo excludit rationem opinatam; secundo asserit veram, ibi *sed hoc dico ut vos salvi sitis*. Ratio autem inducti testimonii posset ab aliquo credi esse certificatio de Christo, propter eius insufficientiam; et ideo hanc excludit dicens *ego autem non ab homine testimonium accipio*. Ubi sciendum est, quod in scientiis aliquando probatur aliquid per minus notum secundum se, sed magis notum quoad nos; aliquando per aliquid magis notum secundum se et simpliciter. Sicut in hoc loco debebat quidem probari quod Christus esset Deus: et licet veritas Christi esset magis nota secundum se et simpliciter, nihilominus tamen probatur testimonio Ioannis, quod quantum ad Iudaeos magis notum erat. Et ideo Christus secundum se testimonio Ioannis non indigebat, et hoc est quod dicit *testimonium ab homine non accipio*. Sed contra hoc videtur, quia Is. c. XLIII, 10: *vos testes mei, dicit dominus; Act. I, 8: eritis mihi testes in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae*. Quomodo ergo dicit hic *testimonium ab homine non accipio*? Sed dicendum, quod hoc dupliciter potest intelligi. Uno modo ut sit sensus *non accipio ab homine testimonium*, quasi sim illo tantum contentus; sed habeo maius testimonium, scilicet divinum; I Cor. IV, 3: *mihi autem pro minimo est ut a vobis iudicer*; Jer. XVII, 16: *diem hominis, idest claritatem humanam, non desideravit: tu scis*. Alio modo *testimonium ab homine non accipio*, in quantum scilicet testificans est homo, sed in quantum est

illustratus a Deo ad testificandum; supra I, 6: *fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes*; I Thess. II, 6: *non quaerentes ab hominibus gloriam*; infra VIII, v. 50: *ego gloriam meam non quaero*. Sic ergo accipio testimonium Ioannis, non in quantum fuit homo, sed in quantum missus et illustratus a Deo ad testificandum. Tertio modo, et melius, *ego testimonium non accipio ab homine*, idest, testimonio humano; quantum ex me est, auctoritatem non accipio ab aliquo, sed a Deo, qui demonstrat me clarum. Consequenter cum dicit *sed haec dico ut vos salvi sitis*, asserit rationem veram, quae erat ipsorum salus: et primo ponit rationem; secundo exponit eam. Ratio vero inducti testimonii erat, ut Iudaei credentes Christo, testimonio Ioannis salvarentur; et ideo dicit: *non accipio testimonium Ioannis propter me, sed haec dico ut salvi sitis*; I Tim. II, 4: *vult omnes homines salvos fieri*; et ibid. I, 15: *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*. Et exponit quod dicit *salvi sitis*: quia scilicet induco testimonium a vobis acceptatum. Et ideo cum dicit *ille erat lucerna ardens et lucens*, ponit Ioannis acceptationem: et primo ponit quod Ioannes fuit testis secundum se acceptus; secundo quomodo fuit acceptatus apud eos, ibi *vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius*. Quod autem Ioannes fuerit secundum se acceptus testis, ostendit per tria quae eum perficiebant. Primum pertinet ad conditionem naturae et hoc cum dicit *ille erat lucerna*; secundum pertinet ad perfectionem affectus, quia *ardens*; tertium ad perfectionem intellectus, quia *lucens*. Erat ergo in natura perfectus, quia *lucerna*, idest, illustratus gratia, et illustratus luce verbi Dei. Differt enim lucerna a luce: nam lux est quae per seipsam lucet; lucerna vero quae non per se lucet, sed per participationem lucet. Lux autem vera Christus est, ut dicitur supra I, 9: *erat lux vera quae illuminat omnem hominem*. Ioannes autem lux non erat, ut ibidem dicitur, sed lucerna, quia illustratus erat, *ut testimonium perhiberet de lumine*, ducendo ad Christum: de qua lucerna dicitur in Ps. CXXXI, 17: *paravi lucernam Christo meo*. Sed erat in eo affectus ardens et fervens, unde dicit *ardens*. Nam aliqui sunt lucernae solum quantum ad officium, sed quantum ad affectum sunt extinctae: nam sicut lucerna lucere non potest nisi igne accendatur, ita lucerna spiritualis non lucet nisi prius ardeat et inflammetur igne caritatis. Et ideo ardor praemittitur illustrationi, quia per ardorem caritatis datur cognitio veritatis; infra XIV, 23: *si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum: et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*; infra XV, 15: *vos autem dixi amicos, quia omnia quae audivi a patre meo, nota feci vobis*. Eccli. II, 20: *qui timetis Deum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra*. Nam ignis duo habet: scilicet quod ardet et splendet. Ardor autem ignis significat dilectionem propter tria. Primo quidem, quia ignis inter omnia corpora est magis activus: sic et ardor caritatis, intantum quod nihil eius impetum ferre potest, secundum illud II Cor. V, v. 14: *caritas Christi urget nos*. Secundo, quia sicut ignis per hoc quod est maxime sensitivus, facit multum aestuare, ita et caritas aestum causat quousque homo consequatur intentum; Cant. ult., 6: *lampades eius lampades ignis atque flammularum*. Tertio sicut ignis est sursum ductivus, ita et caritas, intantum quod coniungit nos Deo; I Io. IV, 16: *qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*. Erat etiam intellectus *lucens*. Primo quidem per veritatis cognitionem interius; Is. c. LVIII, 11: *implebit splendoribus idest, splendere faciet*. Secundo per praedicationem exterius; Philii II, 15: *inter quos lucetis tamquam luminaria in mundo, verbum vitae continentes*. Tertio per bonorum operum manifestationem; Matth. V, 16: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*. Quia ergo sic Ioannes acceptabilis erat secundum se, quia erat lucerna non extincta, sed ardens, non tenebrosa, sed lucens; dignus est quod et apud vos acceptaretur. Quod quidem ita fuit, quia *vos voluistis exultare ad horam in luce eius*. Et congrue exultationem luci adiungit: quia in illo homo exultat in quo maxime delectatur; nihil autem est in rebus corporalibus delectabilius luce, secundum illud Eccle. XI, 7: *delectabile est oculis videre solem*. Dicit autem *voluistis exultare*, quiescendo et ponendo in eo finem, credendo eum Christum; sed tamen *ad horam*, quia in hoc fuistis instabiles: nam videntes Ioannem homines ad alium, non ad se, ducere, aversi estis ab eo. Unde dicitur Matth. XXI, 32 quod Iudaei non crediderunt in Ioannem. Sunt enim de illis de quibus dicitur Matth. XIII, quia ad tempus credunt. Consequenter cum dicit *ego autem habeo testimonium maius Ioanne*, ponit testimonium divinum, et primo inducit eius magnitudinem; secundo prosequitur de ipso, ibi *opera quae dedit mihi pater ut perficiam ea* et cetera. Dicit ergo primo: dico quod ego quantum est ex me, non accipio ab homine testimonium, sed propter vos; nam *ego habeo testimonium maius Ioanne*, scilicet Dei, quod est maius testimonium quam Ioannis; I Io. ult., 9: *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est*. Maius, inquam, propter maiorem auctoritatem, maiorem cognitionem, et infallibiliorem veritatem: nam Deus mentiri non potest. *Non est Deus ut homo, ut mentiatur*: Num. XXIII, 19. Testimonium autem prosequitur cum dicit *opera enim quae dedit mihi pater ut perficiam ea* et cetera. Tripliciter autem testificatus est Deus de Christo: scilicet per opera, per seipsum et per Scripturas, et ideo primo ponit modum testificandi quantum ad opera miraculorum;

secundo modum testificandi per seipsum, ibi *et qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit*; tertio per Scripturas, ibi *scrutamini Scripturas* et cetera. Dicit ergo primo: *habeo aliud testimonium maius Ioanne*; et hoc quantum ad opera, quia *opera miraculorum quae dedit mihi pater ut perficiam ea*. Sciendum est enim, quod naturale est homini virtutem et naturas rerum ex earum actionibus cognoscere: et ideo convenienter dominus per opera quae ipse facit, dicit se posse cognosci qualis sit. Cum ergo ipse propria virtute divina faceret, credendum erat in eo esse virtutem divinam; infra XV, 24: *si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*, scilicet infidelitatis. Et ideo ad sui cognitionem per opera sua ducit, dicens *opera quae dedit mihi*, in verbo, *pater*, per aeternam generationem dando mihi virtutem sibi aequalem. Vel *dedit mihi*, in conceptione, dando ut sim una persona Dei et hominis, *ut perficiam ea* idest, ut propria virtute faciam: quod dicit ad differentiam aliorum qui miracula faciunt non propria virtute, sed impetrando a Deo. Unde Petrus dicebat Act. III, 6: *in nomine Iesu Christi Nazareni surge*. Et ideo ipsi non perficiunt, sed Deus; Christus vero propria virtute ea perficiebat; infra XI, 43: *Lazare, veni foras*. Et ideo *opera quae ego facio, testimonium perhibent de me*; infra X, 38. *Si mihi non creditis, saltem operibus credite*. Quod autem opera miraculorum sint testimonia Dei, dicitur Mc. ult., 20: *domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis*. Consequenter cum dicit *et qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me*, ponit secundum modum testificandi per ipsum Deum, et primo ponit ipsum modum; secundo ostendit eos huiusmodi non esse capaces, ibi *neque vocem eius unquam audistis* et cetera. Dicit ergo: non solum opera quae dedit mihi pater, testimonium perhibent de me, sed ipse *qui misit me, pater, testimonium perhibuit de me*, in Iordane, quando fuit baptizatus, ut habetur Matth. IV, 5, et in monte, quando transfiguratus est, ut dicitur Matth. XVII, 5. Utrobique enim vox patris audita est: *hic est filius meus dilectus*. Et ideo credendum est ei, sicut vero et naturali filio Dei; I Io. ult., 9: *hoc testimonium Dei, quod maius est, quia testificatus est de filio suo*. Et sic, qui non credit eum esse filium Dei, non credit Dei testimonio. Sed posset aliquis dicere, quod Deus etiam aliis testimonium perhibuit per seipsum, sicut Moysi in monte, cum quo locutus est, cunctis audientibus; testimonium vero numquam audivimus, et ideo dicit dominus, quod *neque vocem eius unquam audistis* et cetera. Sed contra Deut. IV, 33, dicitur: *si factum est aliquando res huiusmodi, ut audiret populus vocem domini Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vidisti*. Quid est ergo quod nunc dicit Christus *neque vocem eius unquam audistis*? Respondeo, secundum Chrysostomum, quod dominus eos in philosophica consideratione constituens, vult ostendere, quod Deus testificatur alicui dupliciter, scilicet sensibiliter et intelligibiliter. Sensibiliter quidem, sicut per vocem sensibilem tantum; et hoc modo testificatus fuit Moysi in monte Sinai; Deut. IV, 12: *vocem eius audistis, et formam penitus non vidistis*. Item per sensibilem speciem, sicut apparuit Abrahae Gen. XXVI, et Is. VI, 1: *vidi dominum sedentem supra solium excelsum et elevatum*. Sed tamen in istis visionibus nec vox corporalis nec figura Dei est sicut cuiusdam animalis, sed effective, inquantum a Deo formatur: nam cum Deus sit spiritus, neque vocem sensibilem de se emittit, nec figurari potest. Intelligibiliter autem testificatur inspirando in cordibus aliquorum quod credere debeant et tenere; Ps. LXXXIV, 9: *audiam quid loquatur in me dominus Deus*; Osee II, v. 4: *ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor eius*. Primo ergo testificationis capaces fuistis: nec mirum, quia non fuerunt Dei nisi effective, ut dictum est, voces illae et species. Sed non intelligibilis illius vocis. *Neque vocem eius unquam audistis* etc., idest participes eius non fuistis; infra VI, 45: *omnis qui audit a patre et didicit, venit ad me*. Sed vos non venitis ad me; ergo *non audistis vocem eius, nec vidistis speciem eius*; idest non habuistis istud testimonium intelligibile, et ideo subdit *et verbum eius non habetis in vobis manens*; idest, non habetis verbum interius inspiratum. Et haec ratio est, *quia quem misit ille*, idest pater, *huic vos non creditis*. Verbum enim Dei ducit ad Christum: nam ipse Christus est naturale Dei verbum. Omne autem verbum a Deo inspiratum, est quaedam participata similitudo illius. Cum ergo omnis similitudo participata ducat in suum principium, manifestum est quod omne verbum inspiratum a Deo ducit ad Christum. Et ideo, quia vos non ducimini ad me, non *habetis verbum Dei, inspiratum, in vobis manens*; infra: *qui non credit in filium Dei, non habet vitam in se manentem*. Et dicit *manens*, quia cum nullus sit quin aliquam veritatem habeat a Deo, illi tantum habent veritatem, et verbum in ipsis manens, quibus intantum cognitio proficit ut perducantur ad veri et naturalis verbi cognitionem. Vel per hoc quod dicit *neque vocem eius unquam audistis*, ostenditur triplex modus quo a Deo aliquid revelatur alicui. Quia vel per vocem sensibilem, et sic testificatus est Christo in Iordane et in monte, ut dictum est II Petri I, 16: *speculatores facti illius magnitudinis, voce lapsa de caelo a magnifica gloria*. Et hanc Iudaei non audierunt. Vel per visionem suae essentiae; et hanc revelat beatis. Et hanc speciem ipsi non viderunt, quia II Cor. V, 6: *quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a domino* et cetera. Vel per interius verbum

inspirando; et hoc etiam ipsi non habebant. Consequenter cum dicit *scrutamini Scripturas*, ponit tertium modum quo Deus testificatus est Christo per Scripturas, et primo inducit Scripturarum testimonium; secundo ostendit eos fructu huius testimonii non esse capaces, ibi *et non vultis venire ad me* et cetera. Dicit ergo *scrutamini Scripturas*, quasi dicat: vos non habetis verbum Dei in cordibus vestris, sed in Scripturis; et ideo oportet vos illud alibi quaerere. Et ideo *scrutamini Scripturas*; scilicet veteris testamenti. Nam fides Christi in veteri testamento continebatur, sed non in superficie, quia in profundo obumbrata figura latebat; II Cor. III, 15: *usque in hodiernum diem ipsum velamen habentes*. Et ideo signanter dicit *scrutamini*, quasi in profundum quaeratis; Prov. II, 4: *si quaesieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem domini, et scientiam Dei invenies*; Ps. CXVIII, 69: *da mihi intellectum, et scrutabor mandata tua*. Ratio autem scrutinii ex vestra opinione sumitur *quia putatis in eis*, scilicet Scripturis, *vitam aeternam habere*, ex hoc quod dicitur Ez. XVIII, 19: *qui fecerit iudicia mea, vita vivet*. Sed estis decepti; quia licet praecepta veteris legis vitalia sint, non tamen vitam habent in seipsis; sed intantum dicuntur vitalia in quantum ducunt ad me Christum; cum tamen vos utamini eis tamquam in se vitam habentibus: quod decepit vos. Nam *illae*, scilicet Scripturae, *sunt quae testimonium perhibent de me*; id est, intantum vitalia sunt in quantum ad meam cognitionem ducunt. Vel apertis prophetiis, sicut Is. VII, 14: *ecce virgo concipiet*, et iterum Deut. XVIII, v. 15: *prophetam suscitabit vobis dominus Deus* et cetera. Unde dicitur Actor. X, 43: *huic omnes prophetae testimonium perhibent*. Vel operationibus prophetarum mysticis: unde dicitur Osee XII, 10: *in manibus prophetarum assimilatus sum*. Vel in sacramentis et figuris; sicut est immolatio agni, et alia figuralia sacramenta legis; Hebr. X, 1: *umbram habens lex futurorum bonorum* et cetera. Et ideo, quia Scripturae veteris testamenti multipliciter testimonium perhibent de Christo, dicit apostolus, Rom. I, 2: *quod ante promiserat per prophetas in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Sed fructum quem in Scripturis putatis habere, scilicet vitam aeternam, consequi non poteritis, quia testimoniis Scripturae de me non credentes, *non vultis venire ad me*; id est, non vultis credere mihi, in quem est fructus illarum Scripturarum, ut in me *vitam habeatis*, quam ego do credentibus in me; infra X, 28: *ego vitam aeternam do eis*; Eccli. IV, 12: *sapientia filiis suis vitam inspirat*; Prov. VIII, 35: *qui me invenerit inveniet vitam, et hauriet salutem a domino*.

## Lectio 7

[87457] Super Io., cap. 5 l. 7 Postquam Deus excellentiam suae potestatis confirmavit testimoniis hominum, Dei et Scripturarum, hic consequenter eorum tarditatem ad credendum redarguit. Duplici autem occasione Iudaei persequiebantur Christum: propter solutionem sabbati, in quo videbatur contrarius legi; et quia dicebat se Dei filium, in quo videbatur contrarius Deo. Unde propter reverentiam quam habebant ad Deum, et propter zelum quem habebant ad legem Moysi, persequiebantur. Et ideo dominus intendit ostendere quod non propter hoc eum persequiebantur, sed propter contrarium. Unde primo ostendit irreverentiam ipsorum ad Deum esse causam incredulitatis ipsorum; secundo quod irreverentia, quam habebant ad Moysen, fuit causa incredulitatis ipsorum, ibi *nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud patrem*. Circa primum duo facit. Primo ponit irreverentiam ipsorum ad Deum; secundo ostendit quod hoc sit causa incredulitatis ipsorum, ibi *quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Circa primum duo facit. Primo proponit eorum indevotionem ad Deum; secundo manifestat eam per signum, ibi *ego veni in nomine patris mei*. Circa primum duo facit. Primo excludit intentionem opinatam, quae ex verbis praemissis accipi posset; secundo asserit veram, ibi *sed cognovi vos* et cetera. Intentio opinata est, quod quia dominus supra commemoraverat tot testimonia de seipso, scilicet Ioannis, Dei, et operum suorum, et Scripturarum, posset opinari a Iudaeis quod hoc fecerit quasi quaerens humanam gloriam. Contra hoc dicit *claritatem ab hominibus non accipio*; id est, laudem humanam non quaero. Non enim veni ut exemplum darem quaerendi gloriam hominum; I Thess. II, 6: *neque quaerentes ab hominibus gloriam: Deus testis est*. Vel *claritatem ab hominibus non accipio*, id est, claritate humana non indigeo, quia ab aeterno claritatem habeo apud patrem; infra XVII, 5: *clarifica me pater, claritate quam habui antequam mundus fieret*. Non enim veni clarificari ab hominibus, sed potius eos clarificare, cum a me omnis claritas procedat. Sap. c. VIII, 10: *habebo per hanc sapientiam claritatem*. Dicitur autem Deus clarificari et gloriari ab hominibus, secundum illud Eccli. XLIII, v. 32: *glorificantes Deum quantumcumque potestis, praevaleret adhuc*, non ut ipse propter hoc gloriosior fiat, sed in quantum gloriosus apparet in nobis. Non est ergo haec causa propositorum testimoniorum, sed alia est: quia *cognovi*, id est cognoscere feci, *quia non habetis dilectionem Dei in vobis*, quam

habere vos fingitis, unde non propter Dei amorem me persequimini. Nam tunc propter Deum me persequeremini, si Deus et Scriptura non mihi testimonium perhiberent; sed ipse Deus mihi testatur et per opera, et per Scripturas, et per seipsum, ut dictum est; et ideo si Deum amaretis, oporteret ut sicut me abiicitis, ita ad me veniretis. Non ergo diligitis Deum. Vel aliter *sed cognovi vos*, quasi dicat: non induxi huiusmodi testimonia, indigens vestra clarificatione; sed scio, et condoleo vobis errantibus, qui non diligitis Deum, et volo vos reducere ad viam veritatis; infra XV, 24: *nunc autem et viderunt, et oderunt et me et patrem*; Ps. LXXIII, 23: *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*. Sed sciendum, quod Deus in seipso a nullo potest haberi odio, nec secundum omnes effectus suos, cum omne bonum, quod est in rebus, sit a Deo, et impossibile sit quod aliquis habeat odium omnis boni, quin ad minus esse et vivere diligit. Sed tamen aliquem effectum Dei odio aliquis habet, inquantum suo appetitui contrariatur, ut poenam, vel aliquid huiusmodi. Et secundum hoc dicitur habere Deum odio. Signum autem quod dilectionem Dei non habent, ponit cum dicit *ego veni in nomine patris mei, et non accepistis me*, et primo ponit unum signum de praesenti; secundo aliud de futuro, ibi *si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Signum de praesenti sumitur ex eius adventu; et ideo dicit *ego veni in nomine patris mei*, quasi diceret: manifeste apparet quod dico, nam si aliquis diligit dominum suum, manifestum est quod honorat et recipit eum qui venit ex parte sua, et honorem eius quaerit; sed *ego veni in nomine patris mei*, manifestando nomen eius mundo; infra XVII, 6: *pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi, et vos non accepistis me*, ergo non diligitis eum. Dicitur autem filius manifestare patrem suum hominibus, quia licet pater inquantum Deus, notus esset, secundum illud Ps. LXXV, v. 1: *notus in Iudaea Deus*, tamen inquantum est naturalis pater filii, non erat notus ante adventum Christi: et ideo Salomon quaerebat, Prov. XXX, 4: *quod nomen eius, et quod nomen filii eius nosti?* Signum de futuro sumitur ex adventu Antichristi. Possent autem Iudaei dicere: licet tu venias in nomine eius, ideo tamen non te recepimus, quia nullum volumus recipere nisi ipsum Deum patrem. Sed contra hoc dicit dominus, quod hoc non potest esse, quia vos recipietis alium, qui non veniet in nomine patris, sed in nomine sui ipsius; et, quod plus est veniet *in nomine*, non patris, sed *suo*: quia non quaeret gloriam patris, sed suam propriam; nec patri attribuet quae faciet, sed sibi, II Thess. II, 4: *qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur aut quod colitur Deus. Et illum accipietis*, unde ibidem subditur: *mittet Deus illis operationem erroris, ut credant mendacio*. Et hoc ideo, quia doctrinam veritatis non receperunt, ut salvi fierent; unde dicit Glossa: quia Iudaei noluerunt accipere Christum, poena peccati huius congrue erit ut recipiant Antichristum: ut qui noluerunt credere veritati, credant mendacio. Sed secundum Augustinum, potest hoc intelligi de haereticis et falsis doctoribus, qui doctrinam ex corde suo proferunt, et non ex ore Dei; qui nomen suum laudant, et nomen Dei contemnunt: de quibus dicitur I Io. II, 18: *audistis quia Antichristus venit; et nunc Antichristi multi facti sunt*. Manifestum est ergo quod persecutio qua me persequimini, non est ex dilectione Dei, sed ex odio et livore ad eum procedit: et ex hoc eorum incredulitas causabatur. Et ideo concludit *quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Idest gloriam humanam, et eam *quae a solo Deo est, non quaeritis?* Quae est vera gloria. Ideo autem credere non poterant in Christum, quia cum superba mens eorum gloriam et laudem appeteret, se super alios efferri reputabant in gloriam, et dedecus in Christum credere qui abiectus videbatur et pauper; et ideo ei credere non poterant. Sed ille in eum credere potest qui cor habens humile, solius Dei gloriam quaerit, et ei placere appetit. Et ideo, sicut infra XII, 42, dicitur: *multi ex principibus crediderunt in eum; sed propter Phariseos non confitebantur, ut de synagoga non eiicerentur*. Ex quo apparet quod multum periculosa est inanis gloria. Unde dicit Tullius: cavenda est homini gloria, quae aufert omnem libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Et ideo dicit Glossa: magnum vitium est iactantia et humanae laudis ambitio, quae de se vult aestimari quae de se non habet. Consequenter cum dicit *nolite putare quia ego accusaturus sum vos*, ostendit quod non habent zelum ad Moysen, et primo ostendit quomodo Moyses erat eis contrarius; secundo rationem contrarietatis assignat, ibi *si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi*. Circa primum duo facit. Primo removet opinatum zelum; secundo asserit verum, ibi *est qui accusat vos Moyses*. Quantum ad primum dicit *nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud patrem*. Cuius quidem dicti est triplex ratio. Una, quod filius Dei non venit in mundum ut condemnet mundum, sed ut salvet; et ideo dicit *nolite putare* quod venerim ad condemnandum, sed ad liberandum; supra III, v. 17: *non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum*, idest ut condemnet mundum, *sed ut salvetur mundus per ipsum*. Et ideo sanguis Christi non clamat accusationem, sed remissionem, Hebr. XII, v. 24: *habemus sanguinem Christi melius clamantem quam Abel*, qui clamat accusando; Rom. VIII, 33: *quis accusabit adversus electos Dei? Christus est qui iustificat, quis est qui*

*condemnet? Secundo modo nolite putare quod ego accusaturus sum vos apud patrem, quia non ero accusator, sed iudex. Supra eodem: pater omne iudicium dedit filio. Tertio modo nolite putare quod ego, tantum scilicet, accusaturus sum vos apud patrem de hoc quod facitis mihi; sed etiam Moyses accusabit vos de hoc quod non creditis ei in his quae de me dixit. Et ideo subdit est qui accusat vos Moyses, in quo speratis, quia creditis per praecepta eius salvari. Accusat autem eos Moyses dupliciter. Materialiter, quia ex hoc quod praetergressi sunt mandata eius, sunt accusandi; Rom. II, 12: quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur. Item accusat eos, quia Moyses et alii sancti potestatem habebunt in iudicio; Ps. XLIX, 6: gladii ancipites in manibus eorum et cetera. Rationem contrarietatis ponit dicens si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, ut patet Deut. XVIII, 15: prophetam suscitabit Deus de gente tua et de fratribus tuis sicut me: ipsum audies, et in omnibus sacrificiis, quae erant figura Christi. Et dicit forsitan, ad designandum voluntatem liberi arbitrii: non quod in Deo sit aliquod dubium. Consequenter cum dicit si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis creditis? Ponit signum huius contrarietatis sumptum a maiori, negando per comparisonem ad duo. Primo personae ad personam: licet enim Christus simpliciter maior esset Moyse, tamen in reputatione Iudaeorum Moyses erat maior, et ideo dicit si non creditis Moysi, nec mihi creditis. Secundo per comparisonem ad modum tradendi: quia Moyses praecepta dedit in scriptis, quae possunt diutius meditari, nec tradi oblivioni de facili; et ideo magis obligant ad credendum. Christus vero tradidit verbis; et quantum ad hoc dicit si non creditis litteris illius, quarum libros apud vos habetis, quomodo creditis verbis meis?*

© 2006 Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem  
Iura omnia asservantur  
OCLC nr. [49644264](#)



CORPUS THOMISTICUM  
Sancti Thomae de Aquino  
Super Evangelium S. Ioannis lectura  
caput VI

Textum Taurini 1952 editum  
ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas  
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

Caput 6

Lectio 1

[87458] Super Io., cap. 6 l. 1 Posita doctrina de vita spirituali qua Christus regeneratos vivificat, consequenter Evangelista agit de spirituali nutrimento quo Christus vivificatos sustentat, et primo ponit visibile miraculum, quod fecit Christus exhibendo nutrimentum corporale; secundo agit de nutrimento spirituali, ibi *respondit eis Iesus, et dixit: amen, amen dico vobis, quaeritis me, non quia et cetera*. Circa primum duo facit. Primo ponit miraculum visibile de nutrimento corporali; secundo ostendit effectum miraculi, ibi *illi ergo homines cum vidissent et cetera*. Circa miraculum duo ponit: scilicet eius circumstantias, et eius patrationem, ibi *et cum sublevasset oculos Iesus*. Circa primum tria facit. Primo describit multitudinem quam pavit; secundo determinat locum ubi pavit, ibi *subiit ergo in montem Iesus*; tertio tempus quando pavit, ibi *erat autem proximum Pascha et cetera*. Circa primum tria facit. Primo determinat locum quo multitudo eum sequitur; secundo turbam sequentem; tertio causam sequelae assignat. Quo autem turba dominum sequeretur, insinuat Evangelista cum dicit *post haec abiit Iesus trans mare Galilaeae*; idest, post mystica verba quae dominus de sua potestate dixerat. Mare autem istud Galilaeae frequenter in Scriptura et in diversis locis nominatur. Quia autem istud mare non est salsum, sed est quaedam congregatio aquarum ex influxu Iordanis, ideo a Luca dicitur stagnum, ut habetur Lc. V, 1; quia vero secundum proprietatem Hebraici idiomatis, omnes congregationes aquarum vocantur maria, secundum illud Gen. I, 10: *congregationesque aquarum appellavit maria*, ideo dicitur mare. Sed Genesareth cognominatur a natura loci: nam multum fluctuat ex reverberatione ventorum, qui ex ipsis aquae resolutionibus generantur: unde Genesareth in Graeco, idem est quod auram generans. Denominatur etiam Galilaeae a Galilaea provincia, in qua est. Tiberiadis vero a civitate sic dicta, quae erat ex una parte ipsius maris, ex opposito habens civitatem Capharnaum ex alia parte, quae prius vocabatur Zenereth, sed postea ab Herode tetrarcha instaurata in honorem Tiberii Caesaris, Tiberias appellata fuit. Ratio autem litteralis quare Iesus abiit trans mare, assignatur a Chrysostomo, ut Christus cederet furori et turbationi Iudaeorum, quam conceperant contra Christum propter ea quae de se supra dixerat. Unde, ut ipse dicit, sicut iacula cum in durum aliquod incidunt gravius feriunt, quae autem non habuerint aliquod obvians, dissolvuntur cito immissa, et quiescunt; ita et cum audacibus hominibus impetuose et resistendo incesserimus, saeviunt magis; si autem eis cesserimus, facile mollimus eorum insaniam. Propterea Christus furorem Iudaeorum ex praemissis sermonibus natum, secedendo trans mare, mitigavit; dans nobis in hoc exemplum simile faciendi. Eccli. VIII, 14: *ne stes contra faciem contumeliosi*. Mystice autem per mare, praesens saeculum turbidum designatur; Ps. CIII, v. 25: *hoc mare magnum et spatiosum manibus*. Hoc mare transiit dominus quando mare mortalitatis et poenalitatis assumpsit nascendo, calcavit moriendo et transiens resurgendo, in gloriam resurrectionis pervenit. De isto transitu dicitur infra XIII, 1: *sciens Iesus quia venit hora*

*eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem.* Eum transeuntem secutae sunt, credendo et imitando, turbae multae, ex utroque populo collectae; Is. LX, 5: *tunc mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris*; Ps. VII, 7: *exsurge, domine in praecepto quod mandasti, et synagoga populorum circumdabit te.* Describitur ergo turba sequens copiosa, quia *sequebatur eum multitudo magna.* Causa autem propter quam sequebatur, est operatio miraculorum; unde dicit *quia videbant signa quae faciebat super his qui infirmabantur.* Sciendum est, quod quidam sequebantur eum propter doctrinam eius, qui scilicet melius erant dispositi; alii vero imperfectiores sequebantur eum propter admirationem signorum visibilium, grossioris mentis existentes. *Signa enim,* ut dicitur I Cor. XIV, 22, *non sunt data fidelibus, sed infidelibus.* Aliqui etiam propter devotionem et fidem eum sequebantur, scilicet illi quos corpore sanaverat: sic enim a domino sanabantur in corpore ut etiam perfecte sanarentur in anima; Deut. XXXII, 4: *Dei perfecta sunt opera.* Et hoc patet, quia paralytico (supra VIII, 11), signanter dixit: *vade, et amplius noli peccare;* et Matth. IX, 2: *fili, remittuntur tibi peccata;* quae magis ad sanitatem animae pertinent quam corporis. Notandum autem quod cum Evangelista non fecerit mentionem, nisi de tribus miraculis, scilicet de nuptiis, de filio reguli, et paralytico, hic tamen indeterminate dicit *signa quae faciebat,* ut det intelligere, quia Christus multa alia signa fecit, ut dicitur infra ult., 25, de quibus in hoc libro mentionem non facit. Intendebat enim specialiter ad manifestandum Christi doctrinam. Consequenter determinat locum miraculi, qui est mons; unde dicit *subiit ergo in montem,* idest latenter ascendit *Iesus, et ibi sedebat cum discipulis suis.* Et quidem mons satis est congruus locus refectio: per montem enim signatur perfectio iustitiae, secundum illud Ps. XXXV, 7: *iustitia tua sicut montes Dei.* Quia ergo haec terrena non satiant, immo *qui biberit ex aqua hac sitiet iterum,* ut dicitur supra II, 13, spiritualia vero satiat; ideo dominus ad altiora cum discipulis ascendit, ut ostendat in spiritualibus satietatem et perfectionem iustitiae inveniri: de quo monte dicitur in Ps. LXVII, 16: *mons Dei, mons pinguis.* Unde et ibi doctoris exercebat officium, sedens cum discipulis suis: ipse enim est qui docet omnem hominem scientiam. Consequenter describitur tempus, cum dicit *erat autem proximum Pascha,* quod quidem tempus congruit refectio. Pascha enim interpretatur transitus: Ex. XII, 11: *est enim phase, idest transitus domini,* ut det intelligere quod quisquis pane divini verbi et corpore et sanguine domini desiderat refici, debet transire de vitiis ad virtutes. I Cor. V, v. 7: *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.* Eccli. XXIV, 26, dicit divina sapientia: *transite ad me, omnes, qui concupiscitis me.* Hoc autem est secundum Pascha, de quo Evangelista mentionem facit: ad quod quidem, iuxta legis praeceptum, quod habetur Ex. XXIII, 17, dominus non ascendit in Ierusalem. Cuius ratio est, quia Christus Deus erat et homo: et in quantum homo suberat quidem legi; in quantum Deus supra legem erat. Ut ergo se hominem ostenderet, servabat aliquando legem; ut vero Deum, legem solvebat. Unde et per hoc quod non ivit, dedit intelligere quod paulatim et in brevi legalia cessarent. Consequenter agit de patratione miraculi, cum dicit *cum sublevasset ergo oculos Iesus, et vidisset etc.,* et primo ostenditur necessitas patrandi miraculi; secundo subditur ipsa patratio, ibi dicit *ergo Iesus: facite homines discumbere* et cetera. Necessitas autem miraculi fiendi sumitur ex interrogatione domini, et responsione discipulorum, et ideo primo ponitur domini interrogatio; secundo discipulorum responsio, ibi *respondit ei Philippus* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ponitur interrogandi occasio; secundo subditur Christi interrogatio; et tertio aperitur interrogantis intentio. Occasio autem interrogandi fuit visio multitudinis ad Christum venientis. Et ideo dicit *cum sublevasset oculos Iesus,* existens in monte cum discipulis quasi perfectioribus, *et vidisset* et cetera. In quo duo circa dominum sunt consideranda. Unum, ut discamus Christi maturitatem oculos non erigentis huc atque illuc, sed pudice sedentis et attente cum discipulis suis: contra quod dicitur Prov. XXX, 13: *generatio cuius sublimes sunt oculi, et palpebrae eius in alta surrectae;* et Eccli. XIX, 26: *ex visu cognoscitur vir.* Secundum, ut discamus, quod neque otiose sedebat cum discipulis suis; sed attente eos docens, et ad seipsum corda eorum convertens, discipulos quos docebat intuebatur; Lc. c. VI, 20: *et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat* et cetera. Et ideo dicitur *cum sublevasset oculos Iesus* et cetera. Mystice autem oculi domini sunt dona spiritualia, quae cum electis suis misericorditer concedit, tunc in eos oculos suos sublevat, idest respectum pietatis impendit. Hoc petebat Ps. LXXXV, 16, dicens: *respice in me, domine, et miserere mei.* Interrogatio vero est de refectioe multitudinis; unde dicit *ad Philippum: unde ememus panes, ut manducent hi?* Unum supponit, et aliud quaerit. Supponit quidem penuriam, quia non habebant unde tantae multitudini cibum praeberent; quaerit autem modum inveniendi, cum dicit *unde ememus panes, ut manducent hi?* Ubi notandum, quod omnis doctor necesse habet spiritualiter pascere turbam ad se venientem. Et quia nullus homo habet ex se unde pascat eam, ideo oportet quod aliunde emat labore, studio, assiduitate orationum; Is. LV, 1: *qui non habetis argentum, properate, et emite*

*absque ulla commutatione vinum et lac.* Et iterum: *quare appenditis argentum vestrum*, idest eloquentiam, *et non in panibus*, idest, non in vera sapientia, quae reficit (Eccli. XV, 5: *cibavit illum pane vitae et intellectus, et laborem vestrum non in saturitate*) addiscendo ea quae non satiant, sed magis evacuant? Intentio autem interrogantis aperitur cum dicit *hoc autem dicebat tentans eum* et cetera. Ubi Evangelista unam dubitationem excludens, ducit in aliam. Potuisset enim dubitari quod dominus Philippum quasi ignorans interrogasset; sed hoc excludit dicens *ipse enim sciebat quid esset facturus*. Sed cum tentare videatur etiam ignorantis esse, cum idem sit quod experimentum sumere, videtur quod Evangelista in aliam dubitationem inducat cum dicit *tentans eum*. Sed dicendum, quod diversimode aliquis tentat aliquem, ut experimentum de eo sumat: aliter enim tentat homo, quia ut addiscat; aliter Diabolus, quia ut decipiat; I Petr. V, v. 8: *adversarius vester Diabolus tamquam leorugiens, circuit quaerens quem devoret*. Deus vero et Christus tentat quidem non ut addiscat, quia ipse est qui scrutatur corda et renes; non ut decipiat, *quia ipse neminem tentat*, ut dicitur Iac. I, 13; sed tentat ut aliis experimentum de tentato tribuat. Sic tentavit Deus Abraham; Gen. XXII, 1: *tentavit Deus Abraham* etc., et sequitur: *nunc cognovi quod timeas dominum*: idest, cognoscere feci quod timeas dominum. Ita ex hoc Philippum tentat ut insinuaret aliis suam responsionem, inducens per hoc eos in certissimam futuri signi cognitionem. Consequenter ponitur responsio discipulorum, cum dicit *respondit ei Philippus*, et primo responsio Philippi; secundo responsio Andreae, ibi *dicit ei unus ex discipulis eius* et cetera. Sciendum est autem circa primum, quod Philippus inter alios magis tardus et rudis erat, et ideo inter alios frequentius dominum interrogabat; infra XIV, 8: *domine, ostende nobis patrem, et sufficit nobis*. Sed in interrogatione istorum duorum, quantum ad litteram pertinet, Andreas melius dispositus erat quam Philippus, quia nullam intentionem et dispositionem habere videtur ad miraculum fiendum. Et ideo illum modum inducit quo omnes homines illos pascere possent, scilicet per pecuniam, dicens *ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis*: quos nos non habemus, et ideo non possumus eis dare ad manducandum. In quo Christi paupertas insinuatur, qui nec ducentos denarios habebat. Andreas vero videtur habere respectum ad miraculum fiendum. Fortassis enim in memoria habebat signum quod Eliseus de panibus hordeaceis fecerat, quando pavit de viginti panibus centum viros, ut legitur IV Reg. IV, 42 ss., et ideo dicit *est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos*. Sed tamen opinatus est quod Christus non esset facturus maius miraculum quam Eliseus. Aestimabat enim quod de paucioribus panibus pauciora, et de pluribus plura miraculose fierent (quamvis ei qui subiecta materia non indiget, similiter facile sit de pluribus et de paucioribus pascere turbas), et ideo subdit *sed haec quid sunt inter tantos?* Quasi dicat: si etiam multiplicentur sicut Eliseus multiplicavit, non sufficit. Mystice refectio spiritualis per sapientiam significatur. Una autem sapientia est quam docuit Christus, qui est vera sapientia; I Cor. I, 24: *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*. Sed ante adventum Christi duplex doctrina erat. Una humana quam habebant philosophi, alia legis scriptae. De prima ergo mentionem facit Philippus et ideo utitur nomine emptionis, dicens *ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis*. Nam sapientia humana per acquisitionem habetur. Centenarius numerus perfectionem importat. Unde ducenti duplicem perfectionem insinuant necessarium huic sapientiae; nam ad eius perfectionem duplici via pervenitur: scilicet per experimentum et per contemplationem. Dicit ergo *ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis*, quia quidquid humana ratio potest experiri et cogitare de veritate, non sufficit ad perfectam satietatem sapientiae; Ier. IX, 23: *non gloriatur sapiens in sapientia sua, et non gloriatur fortis in fortitudine sua, et non gloriatur dives in divitiis suis; sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scire et nosse me*. Nam nullius philosophi tanta fuit sapientia ut per eam homines ab errore revocari possent, quin potius multos ad errorem inducunt. De secunda vero mentionem facit Andreas; et ideo noluit quod alii panes emerentur, sed de habitis turba reficeretur, scilicet de his quae lex continebat; unde melius dispositus erat quam Philippus; et ideo dicit *est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos*. Puer iste potest dici Moyses propter imperfectionem status legis: Hebr. VII, 19: *neminem ad perfectum adduxit lex*: vel populus Iudaeorum, qui sub elementis mundi serviebat, ut dicitur Gal. IV, 3. Puer ergo iste quinque panes habet, idest doctrinam legis: vel quia in quinque libris Moysi contenta est, supra I, 17: *lex per Moysen data est*: vel quia data est hominibus vacantibus sensibilibus, quae per quinque sensus exprimuntur: qui sunt hordeacei: quia lex ipsa data erat ut in ea vitale alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur: hordei enim medulla, tenacissima palea tegitur: vel quia populus Iudaeorum nondum expoliatus erat carnali desiderio, sed tamquam palea cordi eius inhaerebat: nam in veteri testamento exterius duritiam experiebantur, propter caeremoniales observantias; Actor. XV, 10: *hoc est onus quod nec nos, nec patres nostri portare potuerunt*. Et ipsi Iudaei corporalibus dediti, spiritualem sensum legis non capiebant; II ad Cor. III, 15: *velamen positum est supra corda*

*ipsorum*. Per pisces autem duos qui saporem suavem pani dabant, intelligitur doctrina Psalmorum et prophetarum: et sic vetus lex non solum habebat panes, scilicet libros quinque Moysi; sed etiam duos pisces, scilicet prophetas et Psalmos. Unde Scriptura veteris testamenti per haec tria dividitur, Lc. ult., 44: *quae scripta sunt in lege et prophetis et Psalmis de me*. Vel per duos pisces, secundum Augustinum, duae personae significantur: scilicet regia et sacerdotalis, quibus populus ille regebatur; quae tamen duae personae Christum praefigurabant, qui fuit verus rex et sacerdos. *Sed haec quid sunt inter tantos?* Quia per ea non potuit humanum genus ad cognitionem veritatis perfecte duci: licet enim Deus in Iudaea notus esset, gentes tamen eum ignorabant. Consequenter cum dicitur *dixit ergo Iesus*, agitur de patratione miraculi, et primo ponitur hominum dispositio; secundo eorum refectio, ibi *accepit ergo Iesus panes* etc.; tertio fragmentorum collectio, ibi *ut autem impleti sunt* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ponitur mandatum de dispositione turbarum; secundo opportunitas dispositionis; et tertio numerus dispositorum. Mandatum autem fuit domini ad discipulos, ut disponerent turbam ad comedendum; unde dicit Iesus *facite homines discumbere*, idest sedere ad comedendum. Nam, sicut dictum est supra II, antiquitus homines lectis accumbentes prandebant, unde inolevit consuetudo, ut qui sedent ad manducandum, dicantur discumbere. Per quod mystice significatur quies, quae necessaria est ad perfectionem sapientiae; Eccli. XXXVIII, 25: *qui minoratur actu, perficiet sapientiam*. Quae dispositio fit per discipulos, quia per eos ad nos cognitio veritatis derivata est; Ps. LXXI, 3: *suscipiant montes pacem populo*. Opportunitas autem dispositionis captatur ex loco *erat autem foenum multum in loco*, quod, ad litteram, commodum est discumbentibus. Mystice autem per foenum caro significatur, Is. XL, 6: *omnis caro foenum*, et secundum hoc potest ad duo referri. Competit doctrinae veteris testamenti, quae dabatur quiescenti in carnalibus, et populo carnaliter sapienti; Is. I, 19: *si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis*; Deut. XXXIII, 28: *oculus Iacob in terra frumenti, vini et olei*. Vel competit percipienti veram sapientiam, ad quam veniri non potest nisi calcatis carnalibus; Rom. XII, 2: *nolite conformari huic saeculo*. Numerus autem erat magnus; unde dicit *discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia*. Viros tantum Evangelista enumerat, legalem consuetudinem sequens, in qua Moyses a viginti annis et supra, populum numeravit, nulla mentione de mulieribus facta, ut dicitur Num. I. Quod ideo Evangelista fecit, quia isti soli sunt capaces doctrinae perfectae; I Cor. II, 6: *sapientiam loquimur inter perfectos*; Hebr. V, 14: *perfectorum est solidus cibus*. Consequenter cum dicit *accepit ergo Iesus panes*, agit de refectione, et primo insinuat reficientis affectus; secundo materia refectionis; et tertio perfecta satietyas. In affectu autem Iesu reficientis primo quidem attenditur humilitas; secundo vero gratiarum actio. Humilitas quidem, quia accepit panes, et distribuit. Et quidem Christus facturus miraculum poterat panibus ex nihilo creatis pascere turbas. Sed dispensatione panes praexistentes multiplicavit ad refectionem turbarum. Primo quidem ut ostenderet sensibilia a Diabolo non esse, sicut Manichaei errantes dicunt. Nam si hoc verum esset, dominus non uteretur rebus sensibilibus ad opus divinae laudis, et praecipue cum *ipse venerit, ut dissolvat opera Diaboli*, ut dicitur I Io. III, 8. Secundo ut ostendat falsum esse quod ipsi dicunt, scilicet doctrinam veteris testamenti non esse a Deo, sed a Diabolo. Ut ergo ostenderet non esse doctrinam aliam novi testamenti quam quae praefigurabatur et continebatur in doctrina veteris testamenti, praexistentes panes multiplicavit, innuens quod ipse est qui legem perfecit et implevit; Matth. V, 17: *non veni solvere legem*. Gratiarum autem actio, quia gratias egit, ut ostendat se ab alio habere, scilicet a patre, quidquid habet: in quo ostendit nobis exemplum simile faciendi. Specialiter tamen gratias egit, ut det nobis exemplum, cum comestionem incipimus, gratias debere agere Deo; I Tim. IV, 4: *nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*; Ps. XXI, 27: *edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt dominum*. Item ut ostendat quod non propter se orabat, sed propter turbam, quae praesens erat, et oportebat ei suadere quod a Deo venerat. Et ideo cum coram multis miraculum facit, orat, ut ostendat se Deo non esse contrarium, sed secundum voluntatem eius operari. Dicitur tamen in Marco, quod Christus per apostolos distribuit panes turbis. Sed hic dicitur quod ipse distribuit, quia ipse videtur fecisse quod per alios fecit. Sed utrumque, secundum mysterium, verum est, quia ipse solus interius reficit, et alii exterius et ut ministri reficiunt. Materia autem refectionis fuit panis et piscis, de quibus satis dictum est supra. Satietyas vero refectionis perfecta fuit, quia *quantum volebant*. Solus enim Christus est qui pascit animam inanem, et animam esurientem replet bonis; Ps. XVI, 15: *satiabor cum apparuerit gloria tua*. Alii vero, quasi ex mensura habentes gratiam, miracula faciunt; Christus vero absoluta virtute, cum multa superabundantia omnia operabatur: unde dicitur quod *impleti sunt*. Consequenter cum dicit *ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis* etc., agitur de fragmentorum collectione, et primo ponitur mandatum domini; secundo executio discipulorum, ibi *collegerunt* et cetera. Dicit ergo *ut autem impleti sunt, dixit discipulis*

*suis: colligite quae superaverunt fragmenta.* Quod quidem dominus non ad superfluum ostentationem fecit; sed ut ostenderet factum miraculum non esse phantasticum, per hoc quod collectae reliquiae diu servatae sunt, et alii in cibum fuerunt. Voluit etiam per hoc, miraculum illud firmiter discipulorum cordibus inhaerere, quibus et fragmenta portanda praecepit; quoniam eos maxime erudire volebat qui orbis terrarum debebant esse magistri. Sed discipuli fideliter exequentur; unde sequitur *collegerunt ergo* et cetera. Ubi notandum est, quod non quantaecumque reliquiae supersunt, neque ad casum, sed secundum certitudinem: quia neque plus neque minus, sed quantum voluit fecit superfluum esse. Cuius signum est quod cophinus cuiuslibet apostoli plenus fuit. Cophinus autem vas est rusticano officio deputatum. Duodecim ergo cophini significant duodecim apostolos et eorum imitatores, qui licet in praesenti sint contemptibiles, spiritualium tamen sacramentorum divitiis sunt interius referti: qui duodecim esse dicuntur, quia fides sanctae Trinitatis per eos praedicanda erat in quatuor partibus mundi.

## Lectio 2

[87459] Super Io., cap. 6 l. 2 Posito signo visibili de nutrimento corporali, hic ponitur effectus signi in turbis triplex. Primo quantum ad fidei confessionem; secundo quantum ad intentatam honoris exhibitionem, ibi *Iesus ergo cum cognovisset* etc.; tertio quantum ad diligentem inquisitionem, ibi *ut autem sero factum est* et cetera. Sciendum est circa primum, quod quasi ex ore Iudaeorum dictum est in Ps. LXXIII, 9: *signa nostra non vidimus, iam non est propheta.* Erat autem olim consuetudo ut prophetae multa signa facerent, unde, deficientibus signis, videbatur prophetia cessasse. Cum vero signa vident, redditam sibi prophetiam confitentur. Unde iam tantum de viso miraculo profecerant, quod dominum prophetam dicebant. Dicitur ergo *illi homines*, qui satiati fuerant ex quinque panibus, *cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant, quia hic est vere propheta.* Sed tamen nondum ad perfectam fidem pervenerant, quia eum prophetam credebant qui etiam est dominus prophetarum. Nec tamen ex toto falluntur, quia etiam ipse dominus se prophetam nominat. Sciendum est autem, quod propheta dicitur videns. I Reg. IX, 9: *qui nunc dicitur propheta, olim vocabatur videns.* Visio autem ad vim cognoscitivam pertinet. In Christo autem fuit triplex cognitio. Scilicet sensitiva: et secundum hanc habuit aliquam similitudinem cum prophetis, inquantum in imaginatione Christi formari poterant aliquae species sensibiles, quibus futura vel occulta praesentarentur, praecipue propter passibilitatem, quae sibi conveniebat propter statum viatoris. Item cognitio intellectiva: et quantum ad hanc non habet similitudinem cum prophetis; sed etiam est supra Angelos, quia erat comprehensor excellentius quam aliqua creatura. Item cognitio divina: et quantum ad hanc fuit prophetarum et Angelorum inspirator, cum omnis cognitio causetur per participationem verbi divini. Videntur tamen in Christo excellentiam prophetiae cognoscere in hoc quod dicunt *vere propheta.* Licet enim multi prophetae inter Iudaeos fuerint, unus tamen expectabatur, in eis praecipuus, secundum illud Deut. XVIII, v. 15: *prophetam suscitant vobis dominus:* et de hoc loquuntur; unde signanter dicit *qui venturus est in mundum.* Deinde cum dicit *Iesus ergo cum cognovisset*, etc., ponitur secundus effectus quantum ad intentatam honoris exhibitionem, quam tamen Christus refugit. Et ideo primo ponitur conatus plebis; secundo fuga Christi. Conatus quidem, cum dicitur *ut raperent eum, et facerent eum regem.* Illud enim rapi dicitur quod praeter voluntatem et opportunitatem accipitur. Verum autem erat quod dispositio Dei patris ab aeterno fuerat de regno Christi manifestando, sed manifestatio haec nondum opportuna erat secundum tempus; nam venerat tunc, sed non regnare, quomodo regnans est in eo quod dicimus Matth. VI, 10: *adveniat regnum tuum*, ubi regnabit etiam secundum illud quod homo factus est. Et ideo huic manifestationi aliud tempus est ordinatum, quando scilicet erit aperta claritas sanctorum eius, post iudicium ab eo factum. De ista manifestatione quaerebant discipuli, Act. I, 6: *domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Credentes ergo turbae eum regnaturum venisse, volebant eum facere regem. Cuius ratio est, quia homines frequenter talem in dominum volunt qui eos in temporalibus pascit. Unde quia Christus paverat eos, eum regem facere voluerunt; Is. III, 6: *vestimentum tibi est: esto princeps noster.* Unde Chrysostomus dicit: vide quanta est gulae virtus. Non eis ultra cura est sabbati transgressionis, nec ultra zelant pro Deo, sed omnia remota sunt, ventre repleto: sed et propheta iam erat apud eos, et regem eum inthronizare volebant. Fuga autem Christi ponitur, cum dicit *fugit iterum in montem ipse solus.* Ubi datur intelligi, quod dominus videns turbas, de monte descenderat, et circa inferiora loca paverat turbas: nisi enim de monte descendisset, non diceretur iterum fugere in montem. Sed cum ipse sit vere rex, quare fugit? Ad quod triplex ratio assignatur. Una, quia derogasset dignitati eius, si regnum ab homine recepisset, qui

sic rex erat ut eius participatione reges omnes essent; Prov. VIII, 15: *per me reges regnant*. Alia ratio, quia praeiudicasset suae doctrinae, si claritatem aut robur ab hominibus accepisset. Sic enim operabatur et docebat ut totum virtuti divinae ascriberetur, et non favori humano; supra V, 41: *claritatem ab hominibus non accipio*. Tertia ratio est, ut erudiret nos mundanas dignitates contemnere; infra XIII, 15: *exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*; Eccli. VII, 4: *noli quaerere ab homine ducatum*. Sic ergo gloriam mundi recusavit, ut tamen poenam sponte subiret, secundum illud Hebr. XII, 2: *proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*. Sed huic videtur contrarium quod dicitur Mt. XIV, 23, scilicet quod *ascendit solus in montem orare*. Sed, secundum Augustinum, haec non sunt contraria, quia causa fugiendi coniuncta est causae orandi. Tunc enim docet nos dominus magnam causam esse orandi, cum imminet causa fugiendi. Mystice autem tunc ascendit in montem quando turbae refectae paratae erant ei subiici, quia tunc ascendit in caelum quando populi parati erant se veritati fidei subiicere, secundum illud Ps. VII, 8: *synagoga populorum circumdabit te; et propter hanc in altum regredere*; idest, ut circumdet te synagoga populorum, regredere in altum. Sed dictum est *fugit*, ut signaret quod non potuit intelligi altitudo eius: quod enim non intelligimus, dicimus a nobis fugere. Hic agitur de tertio effectu, scilicet de diligenti inquisitione, et primo quantum ad discipulos; secundo vero quantum ad turbas, ibi *altera autem die* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ponit studium discipulorum; secundo explicat, ibi *et tenebrae iam factae erant* et cetera. Circa primum duo facit. Primo describit descensum discipulorum ad mare; secundo transitum maris, ibi *et cum ascendissent navim*, et cetera. Sciendum ergo circa primum, quod Christus ascendit montem nescientibus discipulis, unde expectaverunt usque ad vesperam, eum venturum esse putantes ad se. Facta autem vespera, non ultra sustinent eum non inquirere: tantus eos detinebat amor. Et ideo dicit *ut autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare, requirentes eum*. Mystice autem per sero, dominica passio, seu ascensio designatur: quamdiu enim Christus praesentia corporali cum discipulis fuit, nulla eos deprimebat turbatio, amaritudo nulla vexabat; Mt. IX, 15: *non possunt filii sponsi lugere quamdiu sponsus est cum illis*. Sed Christo recedente ab eis, descendunt ad mare, idest ad turbationes saeculi; Ps. CIII, 25: *hoc mare magnum*. Sed quia amor quo igniti erant, non sinebat eos diutius domini praesentia carere, ideo subdit eorum transitum, cum dicit *et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum*. Consequenter cum dicit *et tenebrae iam factae erant* etc., explicat quod summam posuerat, et primo de perventione ad mare; secundo de transitu, ibi *mare autem, vento magno flante, exurgebat*. Quantum ad primum dicit *tenebrae iam factae erant, et non venerat ad eos Iesus*: quod non sine causa Evangelista exprimit, ut per hoc ferventem eorum ostendat amorem. Non enim vespera nec nox eos detinuit. Mystice autem tenebrae, caritatis defectum designant; lux enim caritas est, secundum illud I Io. II, 10: *qui diligit fratrem suum, in lumine est*. Tenebrae ergo in nobis sunt quando non venit ad nos Iesus lux vera, ut dicitur supra I, in cuius praesentia omnes tenebrae propulsantur. Subtraxit autem Christus se tamdiu discipulis, primo quidem ut sentirent quid esset eius absentia; quod quidem experti sunt in tempestate maris. Ier. II, 19: *scito, et vide quia malum et amarum est dereliquisse te dominum*. Secundo ut diligentius quaerent; Cant. V, 17: *quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? (...). Et quaeremus eum tecum*. Quantum ad transitum dicit *mare autem, vento magno flante, exurgebat*. Et primo ponitur maris tempestas; secundo Christi apparitio et tempus apparitionis, ibi *et cum remigassent* etc.; tertio apparitionis effectus, ibi *et timuerunt* et cetera. Tempestas autem in mari causabatur a flatu exorti venti; et ideo dicit *mare autem, vento magno flante, exurgebat*, in altum. Per ventum illum figuratur tentatio et persecutio quae futura est Ecclesiae propter defectum caritatis. Nam, sicut Augustinus dicit, unde caritas refrigescit, inde fluctus augentur, et turbatur navis. Nec tamen venti illi et tempestas et fluctus et tenebrae id agebant ut vel navis non promoveretur, vel soluta frangeretur, quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, Mt. XXIV, 13; et ibid. c. VII, 27: *flaverunt venti, et irruerunt flumina et non cecidit domus*. Apparitio autem Christi non fuit statim a principio tempestatis, sed post aliquod spatium; et ideo dicit *cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Iesum*. Et hoc ideo ut daretur intelligi, quia dominus patitur nos ad tempus tribulari, ut virtus nostra probetur; finaliter tamen in necessitate non deserit, sed nobis proximus fit; I Cor. X, 13: *fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Secundum Augustinum viginti quinque stadia, quae remigant, sunt quinque libri Moysi. Nam huiusmodi numerus est quadratus, de hoc numero quinque consurgens in multiplicatione sui in seipsum: quinquies enim quinque sunt viginti quinque; numerus autem multiplicatus retinet significationem suae radice: unde sicut per quinque signatur vetus lex, ita per viginti quinque signatur perfectio novi testamenti. Per triginta autem signatur perfectio novi testamenti, quae

deerat legi: nam si ipsa quinque multiplicentur per sex, qui est numerus perfectus, consurgit numerus terdenarius. Ad eos ergo qui remigant vigintiquinque aut triginta stadia, idest qui implent legem, vel perfectionem evangelicam, venit Iesus, calcans omnes tumores mundi, altitudines saeculi praesentis. Ps. LXXXVIII, 10: *tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas*. Et tunc videbimus Christum proximum navi, quia divinum auxilium approximat. Ps. CXLIV, 18: *prope est dominus omnibus timentibus eum*. Apparet ergo quod qui recte Christum quaerunt, eum habent praesentem. Isti autem ferventissime Christum desiderabant: quod patet ex temporis tenebrositate, ex maris tempestate et ex distantia portus, quibus non obstantibus ad eum ire conabantur. Et ideo Christus adfuit eis. Effectus autem apparitionis ponitur cum dicit *et timuerunt*. Ille autem dixit eis: *ego sum, nolite timere*, et primo ponitur effectus interior; secundo exterior, ibi *et statim navis fuit ad terram*. Effectus autem interior fuit timor; et ideo ponitur discipulorum timor conceptus ex subita Christi apparitione, cum dicit *et timuerunt*, bono timore, quia causatum ex humilitate; Rom. XI, 20: *noli altum sapere, sed time*. Vel malo timore, quia, ut dicitur Mt. c. XIV, 26, *aestimabant eum phantasma esse*. Ps. XIII, 5: *trepidaverunt timore ubi non erat timor*. Quoniam timor praecipue carnalibus competit, qui spiritualia expavescent. Secundo ponitur Christi confortatio contra duplex periculum. Scilicet contra periculum fidei in intellectu, et quantum ad hoc dicit *ego sum*, quasi dubitationem omnem repellens; Lc. ult., 39: *videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum*. Secundo contra periculum timoris in affectu; et quantum ad hoc dicit *nolite timere*; Jer. I, 8: *ne timeas a facie eorum*; Ps. XXVI, 1: *dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* Tertio ponitur discipulorum assecutio, quia *voluerunt eum accipere in navim*: quo significatur quod quando timor servilis excluditur a cordibus nostris, tunc recipimus Christum, amando et contemplando. Apoc. III, 20: *ego sto ad ostium et pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo*. Effectus autem exterior fuit quantum ad duo. Primo, quia sedata est tempestas; secundo, quia statim navis fuit ad terram, cum multum ab ea distaret: non enim fallacem, sed tranquillam praebuit eis navigationem; et volens maius miraculum operari, navem non ascendit. Sic ergo triplex hic concurrens miraculum: scilicet ambulatio supra mare, subita tempestatis cessatio, et distantis navis ad portum deductio: ut discamus, quod fideles in quibus est Christus, tumorem mundi premunt, fluctus tribulationum calcant, et velociter ad terram viventium transeunt, secundum illud Ps. c. CXLII, 10: *spiritus tuus bonus deducet me in terram*. Sed hic est multiplex quaestio. Una est circa litteram, in qua videtur Matthaei contrarium dicere: nam, Mt. XIV, 22, dicitur quod discipuli venerunt ad mare de mandato domini; hic autem, quod descenderunt quaerentes eum. Alia quaestio est, quod Matthaeus ibidem dicit, quod discipuli mare transfretantes venerunt in terram Genesareth; hic autem dicitur, quod venerunt Capharnaum. Tertia quaestio est, quod Matthaeus dicit quod Christus intravit navem; hic autem, quod non. Sed de his tribus breviter expediens se Chrysostomus dicit, istud non fuisse idem miraculum cum illo Matthaei. Nam, ut ipse dicit, Christus frequenter huiusmodi miraculum fecit ambulans supra mare, non tamen coram turbis, sed coram discipulis suis, ne turbae crederent eum non verum corpus habere. Secundum Augustinum autem dicitur, et verius, idem miraculum fuisse quod hic Ioannes narrat, et ibi Matthaeus. Et ideo ad primam quaestionem respondens dicit, quod non refert quod dicit Matthaeus eos praecepto Christi ad mare descendisse. Potuit enim esse quod dominus hoc eis mandasset, et ipsi descenderint credentes Christum cum eis navigaturum: unde expectarent eum usque ad noctem. Et quia Christus non venit, tunc ipsi transierunt mare. Ad secundam quaestionem est duplex responsio. Una est, quia Capharnaum et Genesareth ex eodem littore sunt, et vicinae. Et forte discipuli pervenerunt trans mare in confinio utriusque, ideo Matthaeus nominat unam, et Ioannes aliam. Vel potest dici, quod Matthaeus non dicit quod statim venerunt in Genesareth, et ideo forte primo venerunt Capharnaum, et postea in Genesareth et cetera.

### Lectio 3

[87460] Super Io., cap. 6 l. 3 Postquam Evangelista posuit quomodo discipuli inquisierunt Christum hic consequenter agit de turbis eum quaerentibus, et primo ponitur motivum ad inquirendum; secundo inquirendi opportunitas, ibi *aliae vero supervenerunt naves* etc.; tertio ponitur ipsa inquisitio, ibi *cum ergo vidisset turba* et cetera. Movit autem ad inquirendum Christum turbas miraculum praecedens, scilicet quod absque vehiculo mare transierit. Quod quidem innotuit eis, eo quod de sero non erat in littore, quod erat iuxta locum ubi fecerat miraculum de panibus, ubi una navis tantum erat, quae quidem navis cum discipulis ad aliam partem transfretavit absque Christo. Unde cum de mane non invenissent Christum ex eadem parte ex qua fuerat praecedenti die, sed

iam erat ex alia parte, nec habuisset aliquam aliam navem in qua transiret, suspicati sunt quod supra mare ambulans transivisset. Et hoc est quod dicit *altera die*, ab ea qua fecerat miraculum de panibus, *turba quae stabat trans mare*, ubi miraculum fecerat *vidit quod navicula alia non erat ibi nisi una*, quia in praecedenti die non fuerat nisi illa tantum, et *vidit quia non introisset cum discipulis suis Iesus in navim* et cetera. Per hanc unam navem significatur Ecclesia, quae est una, unitate fidei et sacramentorum; Ephes. IV, 5: *una fides, unum Baptisma*. Per hoc autem quod Iesus non est cum discipulis, significatur corporalis separatio Christi ab eis in ascensione; Mc. ult., 19: *dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in caelum*. Opportunitas autem inquirendi datur ex adventu aliarum navium ab alia parte maris, cum quibus poterant transire ad quaerendum Christum; et ideo dicit *aliae vero naves supervenerunt*, ex alia parte, scilicet *a Tiberiade, iuxta locum ubi manducaverunt panes* et cetera. Per istas alias naves quae supervenerunt, significantur conventicula haereticorum et eorum qui quae sua sunt, quaerunt, et non quae Iesu Christi; infra: *quaeritis me, quia manducastis ex panibus meis*; et quae sunt separatae vel fide quantum ad haereticos, vel caritate carentes quantum ad carnales, qui non sunt proprie in Ecclesia, sed tamen sunt iuxta eam, in quantum simulatam fidem praetendunt, et speciem sanctitatis habent; secundum illud II Tim. III, 5: *habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*. Et II Cor. XI, 14: *non est mirum si ministri Satanae transformant se*. Sed inquisitio fuit studiosa; unde dicit *cum ergo vidisset turba* etc., et primo ostendit quomodo inquitur turba Christum; secundo quomodo inventum interrogat. Dicit ergo primo, quod *cum vidisset turba quod Iesus non erat ibi, nec discipuli eius, ascenderunt in naviculas*, quae venerant a Tiberiade, *quaerentes eum*: quod est laudabile; Is. LV, 6: *quaerite dominum dum inveniri potest*; et Ps. LXVIII, 33: *quaerite dominum, et vivet anima vestra*. Sed inventum interrogant, unde dixit *et cum turbae invenissent eum*, scilicet Christum, *trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?* Sed haec quaestio dupliciter potest intelligi. Uno modo ut quaerant tantum de tempore; et tunc, secundum Chrysostomum exprobranda est eorum ruditas, quia post tantum miraculum non quaerunt de modo transeundi, qualiter scilicet sine navi transisset; sed tantum de tempore transitus. Vel potest dici, quod per hoc quod dicunt *quando*, non solum quaerunt de tempore, sed etiam de aliis circumstantiis quae concurrerunt ad transitum miraculosum. Sed attende, quod supra post refectorem volebant eum facere regem; nunc vero eum praesentem habent, nec eum regem facere volunt. Cuius ratio est, quia ipsi volebant eum facere regem concitati a passione laetitiae causatae a refectore. Passiones autem huiusmodi cito transeunt, et ideo ea quae secundum ipsas passiones disponuntur, transitoria sunt: quae vero ratione disponuntur, magis permanent; Eccli. XXVII, 12: *homo sapiens in sapientia sua permanet sicut sol; stultus autem ut luna mutatur*; Prov. XI, 18: *impius facit opus instabile*. Consequenter cum dicit *respondit eis Iesus* etc., agit dominus de cibo spirituali; et primo proponit veritatem de spirituali; secundo contradictionem excludit, ibi *murmurabant ergo Iudaei de illo*. Circa primum tria facit. Primo proponit veritatem spiritualis cibi; secundo insinuat eius originem, ibi *dixerunt ergo ei: quod ergo tu facis signum?* etc.; tertio docet modum capiendi ipsum cibum, ibi *dixerunt ergo ad eum: domine, semper da nobis panem hunc*. Circa primum duo facit. Primo ostendit cibum spiritualem, et eius virtutem; secundo manifestat eum quis sit, ibi *dixerunt ergo ad eum: quid faciemus ut operemur opera Dei?* Circa primum duo facit. Primo arguit perversam eorum cupiditatem; secundo hortatur ad veritatem, ibi *operamini* et cetera. Dicit ergo *amen, amen dico vobis*, licet ostendatis vos quasi devotos, tamen *quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis*; quasi dicat: propter carnem me quaeritis, non propter spiritum, quia scilicet ut iterum pascamini. Et, sicut Augustinus dicit, locum istorum tenent qui quaerunt Iesum, non propter seipsum, sed ut aliqua commoda saecularia consequantur; sicut sunt illi qui negotia habentes, ad praelatos et clericos accedunt, non propter Christum, sed ut eorum intercessione promoveantur apud magnates; sicut sunt illi qui ad Ecclesias confugiunt, non propter Iesum, sed quia a potentioribus premuntur; sicut etiam sunt illi qui ad sacros ordines ad dominum appropinquant, non eisdem merita virtutum, sed subsidia vitae praesentis inquirent, scilicet divitias et honores, ut Gregorius dicit XXIII Moral. Et hoc patet: nam facere signa, virtutis divinae est; sed manducare panem multiplicatum, est temporale. Quia ergo non veniunt ad Christum propter virtutem quam in eo vident, sed propter hoc quod ex panibus manducant, non Christo serviunt, sed suo ventri, ut dicitur Phil. III et Ps. XLVIII, v. 19: *confitebitur tibi cum benefeceris ei*. Ad veritatem eos reducit proponendo eis spiritualem cibum, dicens *operamini non cibum qui perit, sed qui manet in vitam aeternam*, et primo proponit eius virtutem; secundo eius auctoritatem, ibi *quem filius hominis dedit vobis*. Virtus illius cibi consideratur in hoc quod non perit. Unde sciendum est circa hoc, quod corporalia sunt quaedam similitudines spiritualium, utpote ab eis causata et derivata, et ideo imitantur ipsa



spiritualia aliquo modo. Unde sicut corpus sustentatur cibo, ita illud quo sustentatur spiritus, dicitur eius cibus, quidquid sit illud. Illud autem quo sustentatur corpus, cum transeat in corporis naturam, corruptibile est; sed cibus quo sustentatur spiritus, est incorruptibilis, quia non mutatur in ipsum spiritum, sed potius e converso spiritus in cibum. Unde dictum est, Augustini: cibus sum grandium: cresce, et manducabis me. Nec tu me mutabis in te, ut cibum carnis tuae, sed mutaberis in me: ut dicitur Lib. confessionum. Et ideo dicit dominus *operamini*; idest, operando quaerite, seu operibus mereamini non cibum qui perit, scilicet corporalem; I Cor. c. VI, 13: *esca ventri, et venter escis, Deus autem et hunc et hanc destruet* quia non semper erit usus ciborum; *sed* illum cibum *operamini*, scilicet spiritualem, *qui manet in vitam aeternam*; qui quidem cibus est ipse Deus, in quantum est veritas contemplanda, et bonitas amanda, quibus reficitur spiritus; Prov. c. IX, 5: *comedite panem meum*; Eccli. XV, v. 3: *cibavit illum pane vitae et intellectus*. Item ipsa obedientia divinorum mandatorum; supra IV, 34: *meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me*. Item ipse etiam Christus. Infra eodem: *ego sum panis vitae*; item: *caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Et hoc in quantum est coniuncta verbo Dei, quod est cibus quo Angeli vivunt. Similem autem differentiam assignavit supra c. IV, 13, de potu corporali et potu spirituali, cum dixit: *qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum*, quam hic assignat inter cibum corporalem et spiritualem. Cuius ratio est, quia corporalia sunt corruptibilia, spiritualia vero, et maxime Deus, sunt aeterna. Sed sciendum est, secundum Augustinum in libro de operibus monachorum, quod ex hoc verbo, scilicet *operamini non cibum qui perit*, quidam monachi erroris causam sumpserunt, dicentes, spirituales viros non debere aliquid corporaliter operari. Sed hic intellectus est falsus, quia Paulus, qui maxime spiritualis fuit, propriis manibus laboravit, ut habetur Ephes. IV, 28, ubi ipse dicit: *qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret manibus suis*. Ergo est verus intellectus, ut opus nostrum, idest principale studium et intentionem nostram dirigamus ad quaerendum cibum qui ducit ad vitam aeternam, scilicet bona spiritualia. Ad temporalia autem non debemus principaliter attendere, sed accessorie, idest solum ea procurare ratione corporis corruptibilis, quod sustentari oportet quamdiu in hac vita vivimus. Unde contra hoc signanter dicit apostolus, II Thess. III, 10: *qui non laborat non manducet*; quasi diceret: qui dicunt quod nihil corporale est operandum, quia comestio est quid corporale, tales non debent comedere. Consequenter cum dicit *quem filius hominis dabit vobis*, ponit spiritualis cibi datorem: et primo ponit auctorem huius cibi; secundo manifestat unde habeat auctoritatem cibandi. Auctor autem et dator cibi spiritualis est Christus; et ideo dicit *quem*, scilicet cibum qui non perit, *filius hominis dabit vobis*. Si dixisset filius Dei, non fuisset visum mirum; sed hoc quod filius hominis dat eum, magis elevat ad attentionem. Spiritualiter tamen ideo filius hominis dat, quia natura humana infirma per peccatum fastidiebat spiritualem cibum, nec poterat ipsum in sua spiritualitate sumere: unde oportuit quod filius Dei carnem sumeret, et per eam nos reficeret; Ps. XXII, 5: *parasti in conspectu meo mensam*. Unde autem habeat auctoritatem dandi, subdit cum dicit *hunc enim pater signavit Deus*; quasi dicat: quod filius hominis dabit, hoc non habet nisi in quantum singularitate et eminentia plenitudinis gratiae praecellit omnes filios hominum; unde dicit *hunc*, scilicet filium hominis, *pater signavit*: idest, signanter distinxit a ceteris; Ps. XLIV, 8: *unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis*. Vel, secundum Hilarium *signavit*, idest sigillavit. Quando autem sigillum in cera imprimitur, cera retinet totam figuram sigilli, sicut et filius totam figuram patris accepit. Est autem duplex receptio quam filius recepit a patre. Una aeterna; et de hac non intelligitur quod hic dicitur *signavit*, quia in sigillatione aliud est natura recipiens, et aliud imprimens. Sed hoc intelligitur de mysterio incarnationis, quia in natura humana Deus pater impressit verbum, qui *est splendor et figura substantiae eius*: ut dicitur Hebr. I, 3. Vel secundum Chrysostomum *signavit*, idest, ad hoc specialiter eum Deus pater instruit ut daret vitam aeternam mundo; infra X, 10: *ego veni ut vitam habeant* et cetera. Sic enim quando aliquis eligitur ad aliquod magnum officium peragendum, dicitur signari ad illud officium; Lc. X, 1: *post haec designavit dominus et alios septuaginta discipulos* et cetera. Vel *signavit*, idest manifestavit per vocem in Baptismo, et per opera, ut dictum est supra, V. Consequenter cum dicit *dixerunt ergo ad eum: quid faciemus ut operemur opera Dei?* Manifestat quid sit cibus spiritualis, et primo ponitur quaestio Iudaeorum; secundo subditur responsio Iesu Christi, ibi *respondit Iesus* et cetera. Circa primum sciendum est, quod Iudaei instructi ex lege, credebant nihil aeternum esse nisi Deum. Unde, cum dixisset quod cibus spiritualis permaneat in vitam aeternam, intellexerunt cibum illum esse aliquid divinum. Et ideo quaerentes, non de cibo, sed de opere Dei mentionem faciunt, cum dicunt *quid faciemus ut operemur opera Dei?* In quo non longe erant a veritate, cum nihil aliud sit cibus spiritualis quam operari opera Dei; Lc. c. XVIII, 18: *quid faciendo vitam aeternam possidebo?* Responsio domini ponitur, cum dicit *hoc est opus Dei ut credatis in illum*

et cetera. Ubi considerandum est, quod apostolus, Rom. IV, distinguit fidem ab operibus, dicens, quod Abraham non est iustificatus ex operibus, sed ex fide. Quid est ergo quod hic dominus dicit, ipsam fidem, seu credere, esse opus Dei? Sed ad hoc est duplex responsio. Una, quod apostolus non distinguit fidem ab operibus simpliciter, sed ab exterioribus. Sunt enim quaedam opera exteriora, quae exercentur corporalibus membris, quae quia magis nota sunt, secundum communem usum opera dicuntur; alia vero sunt interiora, quae exercentur in ipsa anima, quae non sunt nota nisi sapientibus, et quae convertuntur ad cor. Alio modo dicitur, quod ipsum credere potest computari inter opera exteriora, non quod fides sit ipsa opera, sed eorum principium; unde et signanter dicit *ut credatis in illum*. Differt enim dicere credere Deum, sic enim designo obiectum; et credere Deo, quia sic designo testem; et credere in Deum, quia sic designo finem: ut sic Deus possit haberi ut obiectum fidei, ut testis, et ut finis; sed aliter et aliter. Quia obiectum fidei potest esse creatura, credo enim caelum esse creatum; similiter et creatura potest esse testis fidei, credo enim Paulo, seu cuicumque sanctorum; sed fidei finis non potest esse nisi Deus: nam mens nostra solum in Deum fertur sicut in finem. Finis autem cum habeat rationem boni, est obiectum amoris; et ideo credere in Deum ut in finem, est proprium fidei formatae per caritatem: quae quidem fides sic formata, est principium omnium bonorum operum; et intantum ipsum credere dicitur opus Dei. Sed si fides est opus Dei, quomodo homines faciunt opera Dei? Sed hoc solvitur per Is. XXVI, 12, cum dicit: *omnia opera nostra operatus est in nobis*. Nam hoc idem quod credimus, et quidquid operamur boni, est in nobis a Deo; Phil. II, v. 13: *ipse est qui operatur in nobis et velle, et perficere*. Et ideo signanter dicit, credere esse opus Dei, ut ostendat fidem esse donum Dei, ut dicitur Eph. II, 8. Consequenter cum dicit *dixerunt ergo ei: quod ergo tu facis signum?* Agitur de origine cibi, et primo ponitur quaestio Iudaeorum; secundo responsio Christi, ibi *amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de caelo*. Circa primum tria faciunt. Primo petunt signum; secundo determinant ipsum; tertio inducunt Scripturae testimonium. Signum autem petunt proponendo quaestionem; unde *dixerunt illi: quod tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi?* Haec autem quaestio aliter inducitur ab Augustino, et aliter a Chrysostomo. Chrysostomus enim dicit, quod dominus invitaverat eos ad fidem. Argumenta autem ad fidem inducentia sunt miracula; I Cor. XIV, 22: *signa data sunt infidelibus*. Et ideo ad hoc quaerunt signum quo credant: mos enim est Iudaeis signa petere; I Cor. I, 22: *quoniam Iudaei signa quaerunt*. Unde dicit *quod ergo signum tu facis?* Sed hoc ridiculosum videtur, quod propter hoc quaerant aliqua miracula, quia statim fecerat aliqua multiplicando panes, et ambulando supra mare, quae in praesentia extiterant, quibus credere possent. Sed hoc ideo dicunt, ut provocent dominum, et inducant ut semper eos pasceret. Quod patet, quia nullam mentionem faciunt de alio signo, nisi de eo quod factum est in eorum parentibus per Moysen quadraginta annis, ut quasi per hoc petant quod semper eos pascat; unde dicunt *patres nostri manducaverunt manna in deserto*. Nec dicunt: Deus pavit patres nostros manna, ne videantur velle aequare eum Deo. Similiter non dicunt, Moyses pavit eos, ne videantur Moysen praeferre Christo, quasi in hoc eum allicere volentes, ut continue eos pascat. De cibo illo dicitur Ex. XVI, et in Ps. c. LXXVII, 25: *panem Angelorum manducavit homo*. Augustinus autem dicit, quod dominus dixit se daturum eis cibum qui permanet in vitam aeternam; unde quasi videtur se Moysi praeferre. Iudaei autem Moysen reputabant maiorem Christo; unde dicebant, infra c. IX, 29: *nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit*. Unde requirebant quod Christus faceret aliqua maiora quam Moyses fecerit; et ideo reducunt in memoriam ea quae Moyses fecit, dicentes: *patres nostri manducaverunt manna in deserto*; quasi diceret: hoc quod dicis de te, maius est quam illud quod fecit Moyses: quia promittis cibum qui non perit; sed manna quod dabat Moyses si servabatur in alium diem, vermibus scaturiebat. Si ergo vis ut credamus tibi, facias aliquid maius Moysae: nam quod fecisti non est maius, quia satiasti quinque millia hominum, sed quinque panibus hordeaceis, et semel tantum; ille vero totum populum satiavit manna de caelo annis quadraginta, et hoc in deserto, sicut scriptum est in Ps. LXXVII, 24: *panem de caelo dedit eis manducare*.

#### Lectio 4

[87461] Super Io., cap. 6 l. 4 Posita Iudaeorum interrogatione, hic ponitur responsio Christi. Et primo ostendit originem cibi spiritualis; secundo probat eam, ibi *panis enim verus est qui de caelo descendit*. Circa primum sciendum est, quod Iudaei duo proposuerant Christo circa originem cibi corporalis, quem patres eorum habuerunt; scilicet datorem, qui fuit Moyses, et locum, quia de caelo; et ideo dominus circa originem cibi spiritualis haec duo removens, ponit alium esse datorem cibi spiritualis, et alium locum. Unde dicit, removendo

praedicta, *amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de caelo*. Alius est qui dat, quia pater meus, non panem corporalem, sed panem verum de caelo. Sed contra. Numquid non vere panis fuit quem habuerunt patres in deserto? Respondeo. Si accipiatur verum secundum quod dividitur contra falsum, sic panis ille verus fuit, non enim falsum erat miraculum de manna; si autem accipiatur verum, prout veritas dividitur contra figuram, sic panis ille non fuit verus, sed figura panis spiritualis, scilicet domini nostri Iesu Christi, quem ipsum manna significabat, ut dicit apostolus, I Cor. c. X, 3: *omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt*. Item contra hoc quod dicit *non dedit vobis panem de caelo*, est quod dicitur in Ps. LXXVII, 24: *panem caeli dedit eis*. Respondeo. Caelum accipitur tripliciter. Quandoque pro aere; Mt. XIII, 4: *volucres caeli comederunt illud*; et in Ps. XVII, 14: *intonuit de caelo dominus*. Quandoque pro caelo sidereo, secundum illud Ps. CXIII, 16: *caelum caeli domino*; et Mt. XXIV, 29: *stellae cadent de caelo*. Quandoque vero pro ipsis spiritualibus bonis; Mt. V, 12: *gaudete et exultate, quia merces vestra multa est in caelo*. Manna ergo de caelo fuit non sidereo seu spirituali, sed aereo. Vel dicitur de caelo in quantum erat figura veri panis caelestis domini nostri Iesu Christi. Consequenter cum dicit *panis enim verus est qui de caelo descendit, et dat vitam mundo*, probat quod sit de caelo et per effectum eius. Verum enim caelum est spiritualis naturae, cui per se convenit vita, et ideo per se vivificat; infra: *spiritus est qui vivificat*. Ipse autem Deus est auctor vitae. Ex hoc ergo cognoscitur quod panis iste spiritualis est de caelo, cum faciat proprium effectum, si dat vitam. Nam panis ille corporalis vitam non dabat, quia omnes qui manna manducaverunt, mortui sunt; iste autem dat vitam, et ideo dicitur *panis verus est*, et non figuralis, *qui de caelo descendit*. Et hoc patet, quia *dat vitam mundo*. Nam Christus, qui est verus panis, quos vult vivificat; infra X, 10: *ego veni ut vitam habeant* et cetera. Ipse etiam de caelo descendit; supra III, 13: *nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo, filius hominis qui est in caelo*. Sic ergo Christus verus panis, vitam dat mundo ratione suae divinitatis, et descendit de caelo ratione humanae naturae. Nam, ut supra III dictum est, descendisse de caelo dicitur assumendo humanam naturam; Phil. II, 7: *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*. *Dixerunt ergo*, et cetera. Hic agitur de adeptione cibi spiritualis, et primo ponitur petitio ipsius cibi; secundo ponitur expositio, ibi *dixit autem eis Iesus: ego sum panis vitae*, ubi ostendit modum adeptionis. Sciendum est autem circa primum, quod Iudaei verba domini carnaliter intelligebant; et ideo quia in desiderio carnalium erant, cibum carnalem petunt a Christo; unde dixerunt ad eum *domine, semper da nobis hunc panem*, qui reficiat hoc modo. Et Samaritana verbum de aqua spirituali carnaliter intelligebat, et indigentia carere volens dixit: *domine, da mihi hanc aquam*. Et licet isti verba domini carnaliter de cibo intelligant, et carnaliter petant; tamen eorum petitio spiritualiter intellecta, nobis competit; Mt. VI, 11: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: quia non possumus sine hoc pane vivere. Consequenter cum dicit *dixit autem eis Iesus: ego sum panis vitae*, ostendit modum adeptionis, ostendens primo quid sit iste panis; secundo quomodo acquiratur, ibi *omne quod dat mihi pater, ad me veniet*. Circa primum tria facit. Primo ponit expositionem panis praedicti; secundo expositionis rationem assignat, ibi *qui venit ad me, non esuriet*; tertio exponendi necessitatem manifestat, ibi *sed dixi vobis* et cetera. Dixit ergo eis Iesus *ego sum panis vitae*: nam, sicut supra dictum est, verbum sapientiae est specialis cibus mentis, quia eo mens sustentatur; Eccli. XV, 3: *cibavit illum pane vitae et intellectus*. Dicitur autem panis sapientiae esse panis vitae, ad differentiam panis corporalis, qui est panis mortis, qui non competit nisi ad restaurandum defectum mortalitatis, unde et solum in hac vita mortali necessarius est. Sed panis sapientiae divinae est per se vivificativus, nec habet mortem contrariam. Item panis corporalis non dat vitam, sed tantum praeexistentem sustentat ad tempus; sed panis spiritualis ita vivificat quod dat vitam, nam anima incipit vivere per hoc quod adhaeret verbo Dei; Ps. XXXV, 10: *apud te est fons vitae*. Quia ergo omne verbum sapientiae derivatur a verbo Dei unigenito, Eccli. I, 5: *fons sapientiae unigenitus Dei, residens in excelso*, ideo ipsum Dei verbum principaliter dicitur panis vitae; et ideo Christus dicit *ego sum panis vitae*. Et quia caro Christi ipsi verbo Dei unita est, habet etiam quod sit vivificativa, unde et corpus, sacramentaliter sumptum, vivificativum est: nam per mysteria quae Christus in carne sua complevit, dat vitam mundo; et sic caro Christi, propter domini verbum, panis est, non consuetae vitae, sed illius quae morte non reseratur. Et ideo caro Christi dicitur panis; Gen. penult., 20: *Aser, pinguis panis eius*. Significatur etiam per manna, I Cor. X, 1 ss. Manna interpretatur quid est hoc? Quia Iudaei illud videntes admirabantur, dicentes unus ad alium quid est hoc? Sed nihil est admirabilius quam filius Dei homo factus, ita ut cuilibet contingat quaerere quid est hoc? Idest, quomodo filius Dei, filius hominis est; quomodo ex duabus naturis fit una persona Christi? Is. IX, 6: *vocabitur nomen eius admirabilis*. Est etiam mirabile quomodo Christus sit sub sacramento. Consequenter cum dicit *qui venit ad me, non esuriet*, assignat rationem expositionis, et hoc ex effectu istius panis. Panis enim corporalis

comestus non in perpetuum famem aufert, cum corrumpatur et deficiat; et ideo exigitur ad nutrimentum; panis autem spiritualis dans per se vitam, numquam corrumpitur; et ideo homo semel comedens, numquam esurit. Et ideo dicit *qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet in aeternum*. Hoc autem quod dicit, scilicet *qui venit et qui credit, non esuriet nec sitiet*, non differunt, secundum Augustinum, quia idem est venire ad eum, et credere in eum: quia ad Deum venimus non passibus corporis, sed mentis, quorum primus est fides. Idem est etiam comedere et bibere: utroque enim significatur aeterna satietas, ubi nulla est egestas. Mt. V, 6: *beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*: ut sit idem cibus sustentans, et potus refrigerans. Causa autem quare temporalia non auferunt sitim in perpetuum, una quidem est, quia non simul sumuntur, sed paulatim, et quasi cum motu, et ideo semper restat aliquid sumendum; et propter hoc, sicut consurgit delectatio et satietas ex iam sumpto, ita et desiderium restat ex sumendo. Alia vero est, quia corrumpuntur, unde remanet memoria ex corrupto, et generatur iterato desiderium eorum. Spiritualia vero et simul sumuntur, et non corrumpuntur nec deficiunt; et ideo eorum satietas manet in perpetuum. Apoc. VII, 16: *non esurient neque sitient*. Ps. XV, 10: *adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua*, idest in spiritualibus bonis, *usque in finem*. Consequenter cum dicit *sed dixi vobis* etc., ponitur exponendi necessitas. Posset enim aliquis dicere: nos quaesivimus panem; sed tu non respondes: dabo vobis illum vel non dabo; sed potius dicis: *ego sum panis vitae*; et ideo non videtur bona responsio tua. Sed quod bona sit, ostendit dominus dicens *dixi vobis quia et vidistis me, et non credidistis*: quod idem est ac si aliquis haberet panem coram se, ignorans illum et dicatur ei: ecce panis coram te est. Et ideo dicit *dixi vobis (ego sum panis vivus) et vidistis me, et non credidistis*; idest, desideratis panem, et habetis illum coram vobis; et tamen non sumitis, quia non creditis. In quo eorum incredulitatem impropere eis; infra XV, 24: *sed viderunt, et oderunt me et patrem meum*. Consequenter cum dicit *omne quod dat mihi pater, ad me veniet*, ostendit quomodo acquiratur, et primo ponit modum acquirendi; secundo fidem perventionis, ibi *et eum qui venit ad me, non eiiciam foras*; tertio manifestat quod dicit, ibi *quia descendi de caelo* et cetera. Sciendum est circa primum, quod ipsum credere nostrum est nobis ex dono Dei. Eph. II, 8: *gratia salvati estis, et non ex vobis, Dei enim donum est*; Phil. I, 29: *vobis datum est ut non solum in illum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini*. Dicitur autem quandoque Deus pater dare filio homines credentes, sicut hic *omne quod dat mihi pater, ad me veniet*. Quandoque filius dat patri, sicut illud I Cor. XV, 24: *cum tradiderit regnum Deo et patri*. Ex quo intelligimus quod sicut pater dans non adimit sibi regnum, ita nec filius. Pater autem filio dat, in quantum facit hominem verbo suo adhaerere. I Cor. I, v. 9: *per quem, scilicet patrem, vocati estis in societatem filii eius*. Filius vero tradit patri, in quantum verbum est manifestativum ipsius patris. Infra XVII, 6: *pater, manifestavi nomen tuum hominibus*. Sic ergo dicit *omne quod dat mihi pater, ad me veniet*; idest, qui in me credunt, quos pater mihi facit adhaerere ex dono suo. Sed diceret forte aliquis, quod non necessarium est quod aliquis dono Dei utatur: multi enim recipiunt donum Dei, qui non utuntur eo. Quomodo ergo dicit *omne quod dat mihi pater, ad me veniet*? Ad quod dicendum est, quod in datione ista non solum intelligitur habitus, qui est fides et huiusmodi, sed etiam interior instinctus ad credendum. Quidquid autem facit ad salutem, totum est ex dono Dei. Sed restat quaestio: quia si omne quod dat pater Christo, ad eum vadit, ut ipse dicit, illi soli ad Deum vadunt quos pater dat ei; non ergo debet imputari illis qui non vadunt, cum non dentur ei. Ad quod dicendum, quod non imputatur eis, si absque auxilio Dei ad fidem venire non possunt, sed hoc ei imputatur qui non venit, quia impedimentum praestat quod non veniat, avertens se a salute, cuius via quantum in se est, omnibus est aperta. Finis autem perventionis ponitur cum dicit *et eum qui venit ad me non eiiciam foras*. Posset enim aliquis dicere: veniemus ad te; sed tu non recipies nos. Et ideo dicit, hoc excludens, *eum qui venit ad me*, passibus fidei et bonis operationibus, *non eiiciam foras*, in quo dat intelligere, esse se intus: illud est enim intus unde exitur foras. Attendamus ergo quid sit istud intrinsecum, et quomodo inde eiiciantur. Sciendum quidem igitur est, quod omnia visibilia cum dicantur esse quasi quaedam exteriora respectu spiritualium, quanto aliquid est magis spirituale, tanto magis est intrinsecum. Ergo duplex est intrinsecum. Unum est profundissimum, scilicet gaudium vitae aeternae, quod, secundum Augustinum, est magis penetrabile et dulce secretum sine taedio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum et dolorum; de quo dicitur Matth. XXV, 21: *intra in gaudium domini tui*. Et Ps. XXX, 21: *abscondes eos in abscondito faciei tuae*; idest, in plena visione tuae essentiae. Et ab hoc intrinseco nullus eiicietur. Apoc. III, 12: *qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei vivi, et foras non egredietur amplius*, quia ut dicitur Matth. c. XXV, 46, *ibunt iusti in vitam aeternam*. Aliud intrinsecum est rectitudo conscientiae, quae est spirituale gaudium; et de hoc dicitur Sap. VIII, 16: *intrans in domum meam, conquiescam*. Et Cant. I, 1,

3: *introduxit me rex in cellaria sua*. Et de isto aliqui eiiciuntur. Et ideo quod dominus dicit *non eiiciam foras*, potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut illi dicantur ad ipsum venire qui sunt dati ei a patre per aeternam praedestinationem; et de illis dicit *eum qui venit ad me*, praedestinatus a patre, *non eiiciam foras*; Rom. XI, v. 2: *non repulit Deus plebem suam quam elegit*. Alio modo, quia illi qui egrediuntur, non tamquam a Christo eiecti egrediantur, sed causa eiectionis sit ex parte ipsorum, qui per infidelitatem et peccata, a secreto rectae conscientiae recedunt. Et sic dicitur *non eiiciam ego foras*, sed ipsi se eiiciunt; Ier. XXIII, 33: *vos estis onus, proiiciam vos, dicit dominus*. Et hoc modo eiectus est foras qui ad nuptias intraverat non habens vestem nuptialem, ut dicitur Matth. XXII, 11 ss. Rationem autem praemissorum assignat, cum dicit *quia descendi de caelo* etc., et primo ponit propositum de implenda voluntate patris; secundo manifestat quae sit voluntas patris, ibi *haec est voluntas eius qui misit me patris*; tertio ostendit finalem voluntatis impletionem, ibi *et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Circa primum sciendum est, quod littera ista potest legi dupliciter. Uno modo secundum Augustinum, alio modo secundum Chrysostomum. Secundum Augustinum quidem sic: *eum qui venit ad me, non eiiciam foras*, et hoc ideo, quia ille venit ad me qui meam humilitatem imitatur. Matth. XI, 28, cum diceret dominus: *venite ad me, omnes, qui laboratis*, consequenter subdit: *discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. Vera autem filii Dei mititas in hoc est, quia voluntatem suam supposuit voluntati patris. Et ideo dicit *non eiiciam, quia descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*. Propterea anima a Deo exiit, quia superba erat; et ideo necesse est humilitate regredi veniendo ad Christum per imitationem suae humilitatis, quae in hoc est quod non facit voluntatem suam solum, sed Dei patris. Sciendum est autem, quod in Christo fuit duplex voluntas. Una secundum humanam naturam, quae est sibi propria, et natura, et voluntate patris; alia secundum naturam divinam, quae est eadem cum voluntate patris. Voluntatem ergo suam, scilicet humanam, ordinavit sub voluntate divina, quia obedientiam suam sub effectu paternae voluntatis ostendit ipse, volens voluntatem patris explorare. Ps. XXXIX, 9: *ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui*. Hanc voluntatem fieri in nobis petimus cum dicimus, Matth. VI, 10: *fiat voluntas tua*. Illi ergo non eiiciuntur foras, qui non faciunt voluntatem suam, sed voluntatem Dei. Nam Diabolus volens facere voluntatem suam, quod est superbiae, eiectus est de caelo, et primus homo de Paradiso. Secundum Chrysostomum vero sic. Ideo non eiicio foras eum qui venit ad me, quia ad hoc veni, ut impleam voluntatem patris de salute hominum. Si ergo pro salute hominum incarnatus sum, quomodo debeo eos eiicere? Et hoc est quod dicit: ideo non eiicio, *quia descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam*, scilicet humanam, ut proprium mihi acquiram; *sed voluntatem eius qui misit me*, patris, *qui vult omnes homines salvos fieri*, ut dicitur I Tim. II, 4. Et ideo, quantum est ex me, nullum eiicio. Rom. V, 10: *si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius, multo magis, reconciliati, salvi erimus in vita ipsius*. Quae autem sit voluntas patris, exponit primo, cum dicit *haec est enim voluntas eius qui misit me patris* etc.; secundo rationem assignat, ibi *haec est enim voluntas patris mei* et cetera. Dixit ergo: non eiiciam foras eos qui ad me veniunt, quia carnem assumpsi ut faciam voluntatem patris. *Voluntas autem eius qui misit me patris, haec est*, scilicet *ut non eiiciam foras*; et ideo non eiiciam. I Thess. c. IV, 3: *haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra*. Et ideo dicit *ut omne quod dedit mihi, pater non perdam ex eo*; idest, ut nihil perdam, quousque perveniat ad resurrectionem futuram, in qua aliqui perdentur, non tamen de illis qui dati sunt ei per aeternam praedestinationem, sed impii; Ps. I, 6: *iter impiorum peribit*. Illi vero qui usque tunc conservantur, non perdentur. Per hoc autem quod dicit *non perdam*, non est intelligendum quod indigeat eorum, aut quod detrimentum sit ei, si pereunt. Sed dicit hoc propter affectum suum ad salutem illorum, et bonum illorum, quod reputat suum. Sed contra est quod dicitur infra c. XVII, 12: *nemo ex eis*, scilicet quos dedisti mihi, *perit, nisi filius perditionis*. Ergo aliqui eorum qui dati sunt ei per aeternam praedestinationem, perduntur. Non est ergo verum hoc quod dicit *non perdam ex eo*. Sed dicendum est, quod ex illis qui dati sunt ei per praesentem iustitiam perduntur; non autem de illis qui dati sunt per aeternam praedestinationem. Rationem autem divinae voluntatis ponit cum dicit *haec est autem voluntas patris mei* et cetera. Ratio quare pater vult quod non perdam ex eo quod dedit mihi, est quia voluntas patris est vivificare spiritualiter homines, quia ipse est fons vitae. Et quia aeternus est, quantum est de se, voluntatis eius est, ut omnis qui venit ad me habeat vitam aeternam. Et hoc est quod dicit *haec est voluntas patris qui misit me, ut omnis qui videt filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam*. Sed attendendum est quod supra V, 24, dixit: *qui videt filium, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam*, hic vero dicit *qui credit in eum*: ut det intelligere eandem divinitatem patris et filii, cuius visio per essentiam est ultimus finis noster, et obiectum fidei. Quod vero dicit *videt*, non intelligitur de visione per essentiam, quam praecedat fides, sed de visione corporali Christi, quae

inducit ad fidem. Et ideo signanter dicit *qui videt filium, et credit in eum*; supra V, 24: *qui credit in eum (...) non iudicatur, sed transiet a morte in vitam*; infra XX, 31: *haec autem scripta sunt, ut credatis quoniam Iesus Christus est filius Dei, ut credentes vitam habeatis in nomine eius*. Haec autem patris voluntas similiter implebitur, et ideo subdit, *et ego resuscitabo eum in novissimo die*: quia ita vult ut non solum in anima, sed etiam in corpore habeat vitam aeternam (Dan. XII, 2: *de his qui in pulvere dormiunt evigilabunt alii in vitam aeternam, alii vero in opprobrium sempiternum*) sicut et Christus resurrexit; Rom. c. VI, 9: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur et cetera*.

## Lectio 5

[87462] Super Io., cap. 6 l. 5 Posita doctrina Christi, hic excluditur contradictio praedictae doctrinae, et primo quantum ad turbas murmurantes; secundo quantum ad discipulos dubitantes, ibi *multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt* et cetera. Circa primum duo facit. Primo exprimit murmur turbarum de origine spiritualis cibi; secundo mitigat eorum litigium de cibi spiritualis manducatione, ibi *litigabant ergo Iudaei*. Circa primum duo facit. Primo ponitur murmur turbarum; secundo repressio murmuris, ibi *respondit ergo Iesus, et dixit eis*. Circa primum duo facit. Primo ponitur occasio murmuris; secundo ponuntur murmurantium verba, ibi *nonne iste est filius Ioseph?* Concludit ergo ex praemissis verbis Christi, quod quidam de quodam dictorum verborum murmurabant, quia scilicet dixerat: *ego sum panis vivus, qui de caelo descendi*; quem quidem spiritualem panem non capiebant nec desiderabant. Et ideo murmurabant, quia in spiritualibus mentem fundatam non habebant, et huius rei antiquam consuetudinem habebant, secundum illud Ps. CV, 25: *murmuraverunt in tabernaculis*; et I Cor. X, 10: *neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt*. Ideo autem, ut Chrysostomus dicit, usque huc non murmurabant, quia semper sperabant se consecuturos corporalem escam: qua spe subtracta, statim murmurare incipiunt, licet aliam causam praetendant. Non autem manifeste contradicunt propter reverentiam quam adhuc habebant ad ipsum, ex memoria praecedentis miraculi. Verba autem murmurantium ponit cum dicit *nonne hic est filius Ioseph?* Quia enim carnales erant, carnalem Christi generationem solam considerabant, ex qua impediabantur ne cognoscerent spiritualem et aeternam; et ideo de sola carnali loquuntur, secundum illud supra III, 31: *qui de terra est, de terra loquitur*, et spiritualem non capiunt; unde subdunt *quomodo ergo dicit hic, quia de caelo descendi?* Vocant autem eum filium Ioseph propter reputationem: quia nutritus eius erat, secundum illud Lc. III, 23: *ut putabatur filius Ioseph*. Murmurationis autem repressio ponitur cum dicit *respondit ergo Iesus, et dixit eis*, et primo reprimit ipsorum murmur; secundo satisfacit dubitationi, ibi *amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam aeternam*. Circa primum duo facit. Primo cohibet eorum murmur; secundo assignat causam murmuris eorum, ibi *nemo potest venire ad me* et cetera. Cognoscens ergo Iesus eorum murmur, respondit; et comprimens ipsum murmur eorum, dixit eis *nolite murmurare* et cetera. Hoc namque est salubre documentum: qui enim murmurat, ostendit mentem suam in Deo non esse firmatam, et ideo dicitur Sap. c. I, 11: *custodite vos a murmuratione, quia nihil prodest*. Causa autem murmuris est infidelitas eorum; et ideo hanc ostendit dicens *nemo potest venire ad me* etc., ubi primo ostendit necessariam esse patris attractionem ad hoc ut veniatur ad Christum; secundo ostendit modum attrahendi, ibi *est scriptum in prophetis* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ponit humanae facultatis defectum; secundo divini auxilii subsidium; tertio auxilii finem, seu fructum. Est ergo humana facultas deficiens ad veniendum ad Christum per fidem; et ideo dicit *nemo potest venire ad me*. Secundo divinum auxilium est efficax ad subveniendum, unde subdit *nisi pater, qui misit me, traxerit eum*. Sed finis, seu fructus est optimus; unde sequitur *et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Dicit ergo primo: non est mirum si murmuratis, quia nondum estis tracti a patre ad me. Nam *nemo potest ad me venire*, in me credendo, *nisi pater, qui misit me, traxerit eum*. Sed hic est triplex quaestio. Prima est de hoc quod dicit *nisi pater traxerit eum*. Cum enim ad Christum veniamus credendo, sicut supra eodem dictum est, venire ad Christum est credere in eum; credere autem nullus potest nisi volens. Cum ergo tractio importet violentiam quamdam, ergo qui tractus venit ad Christum, cogitur. Respondeo dicendum, quod hoc quod hic dicitur de hac tractione patris, non importat coactionem, cum non omne trahens faciat violentiam. Sic ergo multipliciter pater trahit ad filium, secundum multiplicem modum trahendi absque violentia in hominibus. Nam aliquis homo trahit aliquem persuadendo ratione; et hoc modo pater trahit homines ad filium, demonstrando eum esse filium suum; et hoc dupliciter: vel per internam revelationem; Matth. XVI, 17: *beatus es, Simon Bariona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, scilicet Christum esse filium Dei vivi, sed pater meus*; vel per

miraculorum operationem, quam habet a patre; supra V, 36: *opera quae dedit mihi pater, ipsa testimonium perhibent de me*. Item aliquis trahit alium alliciendo; Prov. VII, 21: *blanditiis labiorum suorum protraxit eum*. Et hoc modo illi qui attendunt ad Iesum propter auctoritatem paternae maiestatis, trahuntur a patre. Quicumque enim credit in Christum propter hoc quod credit eum filium Dei, hunc pater trahit ad filium, idest paterna maiestas. Hoc modo non trahitur Arius qui Christum non verum Dei filium, nec de substantia patris genitum credebat. Non sic tractus est Photinus, Christum purum hominem dogmatizans. Sic ergo trahuntur a patre, sua maiestate allecti; sed trahuntur etiam a filio, admirabili delectatione et amore veritatis, quae est ipse filius Dei. Si enim, ut dicit Augustinus, *trahit sua quemque voluptas*, quanto fortius debet homo trahi ad Christum, si delectatur veritate, beatitudine, iustitia, sempiterna vita, quod totum est Christus? Ab isto ergo si trahendi sumus, trahamur per dilectionem veritatis; secundum illud Ps. XXXVI, 4: *delectare in domino, et dabit tibi petitiones cordis tui*. Hinc sponsa dicebat, Cant. I, 3: *trahe me post te; curremus in odorem unguentorum tuorum*. Sed quia non solum revelatio exterior, vel obiectum, virtutem attrahendi habet, sed etiam interior instinctus impellens et movens ad credendum, ideo trahit multos pater ad filium per instinctum divinae operationis moventis interius cor hominis ad credendum; Phil. II, 13: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*; Oseae XI, 4: *in funiculis Adam traham eos in vinculis caritatis*; Prov. c. XXI, 1: *cor regis in manu domini: quocumque voluerit inclinabit illud*. Secunda quaestio est: quia cum dicatur quod filius trahit ad patrem, Matth. c. XI, 27: *nemo novit patrem nisi filius, et cui voluerit filius revelare*; et infra XVII, 6: *pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi*: quomodo hic dicitur, quod pater trahit ad filium? Sed dicendum, quod ad hoc potest dupliciter responderi: nam de Christo possumus loqui aut secundum quod est homo aut secundum quod est Deus. Secundum autem quod homo, Christus est via; infra XIV, 6: *ego sum via*: et secundum quod est Christus, ducit ad patrem, sicut via ad terminum seu finem. Pater vero trahit ad Christum hominem in quantum dat nobis suam virtutem, ut credamus in Christum; Eph. II, 8: *gratia salvati estis, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est*. In quantum est Christus, est verbum Dei, et manifestativum patris. Sic filius trahit ad patrem. Pater autem trahit ad filium in quantum manifestat ipsum. Tertia quaestio est de hoc quod dicit, quod nemo venire potest nisi tractus a patre: quia secundum hoc, si nullus veniat ad Christum, non imputatur ei, sed ei qui non trahit eos. Respondeo dicendum, quod vere nullus venire potest nisi tractus a patre: nam sicut grave per naturam non potest per se sursum ferri nisi trahatur ab alio, ita cor humanum ex se ad inferiora tendens, non potest sursum elevari nisi tractus. Si vero non elevatur, non est defectus ex parte trahentis, qui quantum in se est, nulli deficit; sed est propter impedimentum eius qui non trahitur. Aliter autem, quantum ad hoc pertinet, possumus loqui de hominibus in statu naturae integrae, et aliter in statu naturae corruptae; nam in natura integra non erat aliquod impedimentum prohibens ab hac tractione, unde tunc omnes homines huius tractionis poterant esse participes. Sed in natura corrupta omnes per impedimentum peccati aequaliter prohibentur ab hac tractione; et ideo omnes indigent trahi. Deus autem omnibus ad trahendum manum porrigit quantum in se est, et, quod plus est, non solum attrahit manum recipientis, sed etiam aversos a se convertit, secundum illud Thren. ult., 21: *converte nos, domine, et convertemur*: et in Ps. LXXXIV, 7, secundum aliam litteram: *Deus, tu convertens vivificabis nos*. Ex quo ergo Deus paratus est dare omnibus gratiam, et ad se trahere, non imputatur ei, si aliquis non accipiat, sed ei qui non accipit. Quare autem non omnes aversos trahit, sed aliquos, licet sint omnes aequaliter aversi: ratio quidem in generali potest assignari, ut scilicet in illis qui non trahuntur, appareat et refulgeat ordo divinae iustitiae; in illis autem qui trahuntur, immensitas divinae misericordiae. Quare autem in speciali trahat hunc, et illum non trahat, non est ratio aliqua, nisi beneplacitum voluntatis divinae. Unde dicit Augustinus: quem trahat et quem non trahat, quare illum trahat et illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Sed accipe, et intellige: nondum traheris, ora ut traharis. Hoc etiam ostendi potest per exemplum. Nam assignari potest ratio quare artifex ponit aliquos lapides inferius, et aliquos superius, et aliquos ex lateribus, ex dispositione domus, cuius complementum hoc exigit. Sed quare hos lapides hic ponat et hos ibi, dependet a sua simplici voluntate. Et inde est quod prima ratio dispositionis refertur ad voluntatem artificis. Sic ergo Deus ad complementum universi quosdam quidem trahit, ut in eis appareat sua misericordia; quosdam vero non trahit, ut ostendatur in eis sua iustitia. Sed hos trahit, illos non trahit secundum suum beneplacitum voluntatis. Similiter etiam quare in Ecclesia aliquos fecit apostolos, alios confessores, alios martyres, ratio est propter Ecclesiae decorem et complementum. Sed quare Petrum fecit apostolum, Stephanum martyrem et Nicolaum confessorem, non est alia ratio nisi voluntas sua. Sic ergo patet humanae facultatis defectus, et auxilii divini subsidium. Sequitur auxilii finis et fructus, cum dicit *et ego resuscitabo eum in novissimo die*, etiam in quantum homo: nam per ea quae Christus in

carne sua gessit, consequimur resurrectionis fructum; I Cor. XV, 21: *sicut per hominem mors, ita et per hominem resurrectio mortuorum*. Ego, ergo, secundum quod homo, *resuscitabo eum*, non solum ad vitam naturae, sed etiam ad vitam gloriae, et hoc *in novissimo die*. Tenet enim fides Catholica, quod status mundi innovabitur; Apoc. XXI, 1: *vidi caelum novum et terram novam*. Et inter alia quae ad hanc innovationem concurrent, credimus caeli motum cessare, et per consequens tempus; Apoc. X, 5: *et Angelus quem vidi stantem super mare et super terram, levavit manum suam ad caelum*. Et infra: *quia tempus non erit amplius*. Quia ergo cessante tempore in resurrectione, cessabit etiam nox et dies, secundum illud Zac. XIV, 7: *erit dies una, quae nota est domino, non dies neque nox*; ideo dicit *resuscitabo eum in novissimo die*. Quare autem usque tunc caeli motus duret, et tempus, non minus vel amplius, sciendum est, quia illud quod est propter aliud, diversimode disponitur secundum diversam dispositionem eius propter quod est. Omnia autem corporalia propter hominem facta sunt; et ideo secundum diversam dispositionem hominis diversimode ea disponi oportet. Quia ergo in hominibus quando resurgent, inchoabitur status incorruptionis, secundum illud I Cor. XV, 54: *mortale hoc induet incorruptionem*, ideo cessabit tunc etiam corruptio in rebus; unde cessabit motus caeli, qui est causa generationis et corruptionis in rebus corporalibus; Rom. VIII, 21: *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem filiorum Dei*. Sic ergo patet quod ad fidem necessaria est nobis attractio patris. Consequenter cum dicit *est scriptum in prophetis* etc., determinat modum attrahendi, et primo ponit attrahendi modum; secundo attractionis efficaciam, ibi *omnis qui audivit a patre, et didicit, venit ad me*; tertio excludit opinatum modum attractionis, ibi *non quia patrem vidit quisquam*. Modus autem attrahendi est congruus, quia trahit revelando et docendo; et hoc est quod dicit *scriptum est in prophetis: erunt omnes docibiles Dei* et cetera. Beda dicit hoc esse scriptum in Ioele; sed non videtur expresse ibi esse, licet aliquid consonum dicitur; et Ioele. II, 22: *filiis Sion, exultate in domino Deo vestro, quia dabit vobis doctorem iustitiae*. Ideo autem, secundum Bedam, dicit *in prophetis*, ut det intelligere quod sensus iste potest colligi ex diversis dictis prophetarum. Sed expressius videtur hoc dici Is. LIV, 13: *ponam filios tuos universos doctos a domino*. Dicitur etiam Ier. III, 15: *dabo vobis pastores iuxta cor meum, qui pascent vos scientia et doctrina*. Hoc autem quod dicit *erunt omnes*, potest tripliciter intelligi. Uno modo ut *omnes* supponat pro omnibus hominibus mundi; alio modo ut supponat pro omnibus qui sunt in Ecclesia Christi; tertio modo pro omnibus qui erunt in regno caelorum. Si autem dicatur primo modo, videtur non esse verum; nam statim subdit *omnis qui audivit a patre et didicit, venit ad me*. Si ergo omnes de mundo erunt docibiles, ergo omnes venient ad Christum. Sed hoc est falsum, quia non omnium est fides. Sed ad hoc tripliciter respondetur. Nam, secundum Chrysostomum, primo modo dicendum, hoc dictum esse de pluribus *erunt*, inquit, *omnes*, idest plurimi; secundum quem modum dicitur Matth. VIII, 11: *multi venient ab oriente et occidente*, et cetera. Secundo, quod *omnes*, quantum est ex Deo, *erunt docibiles*; sed quod aliqui non doceantur, est ex parte eorum. Sol enim quantum est de se, omnes illuminat; potest autem ab aliquibus non videri, si claudant oculos, vel si sint caeci. Et hoc modo dicit apostolus, I Tim. II, 4: *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*. Tertio modo, secundum Augustinum, quod haec est accommodata distributio, ut dicatur *omnes erunt docibiles Dei*; idest omnes qui docentur, a Deo docentur, sicut loquimur de aliquo litterarum magistro. Dicimus enim, si est in civitate: solus iste docet omnes pueros de civitate, quia nullus docetur in ea nisi ab illo. Et hoc modo dicitur supra I, 9: *erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Si autem exponatur de illis qui sunt in Ecclesia congregati, dicitur *erunt omnes*, scilicet qui sunt in Ecclesia, *docibiles Deo*; nam Is. LIV, 13, dicitur: *ponam universos filios doctos a domino* in quo quidem ostenditur sublimitas fidei Christianae, quae non inhaeret doctrinae humanae, sed doctrinae Dei. Doctrina enim veteris testamenti data fuit per prophetas; sed doctrina novi testamenti est per ipsum filium Dei; Hebr. I, 1: *multifarie multisque modis*, idest in veteri testamento, *Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio*; et ibid. II, 3: *quae cum initium accepisset enarrari per dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est*. Sic ergo omnes qui sunt in Ecclesia, sunt docti non ab apostolis, non a prophetis, sed ab ipso Deo. Et, secundum Augustinum, hoc ipsum quod ab homine docemur, est ex Deo, qui docet interius; Matth. c. XXIII, 10: *unus est magister vester Christus*. Nam intelligentia, quae necessaria est praecipue ad doctrinam, est nobis a Deo. Si autem exponatur de his qui sunt in regno caelorum etc., tunc *omnes erunt docibiles Deo*, quia eius essentiam immediate videbunt; I Io. III, 2: *videbimus eum sicuti est*. Attractio autem patris efficacissima est: quia *omnis qui audivit a patre, et didicit, venit ad me*. Ubi duo ponit: unum scilicet quod pertinet ad donum Dei, cum dicit *audivit*, scilicet Deo revelante; aliud quod pertinet ad liberum arbitrium, cum dicit *et didicit*, scilicet per assensum; et ista duo necessaria sunt in omni doctrina fidei. *Omnis qui*



*audivit a patre, docente et manifestante, et didicit, praebendo assensum, venit ad me; venit, inquam, tripliciter: per cognitionem veritatis, per amoris affectum et per operis imitationem. Et in quolibet oportet quod audiat et discat. Nam qui venit per cognitionem veritatis, oportet eum audire, Deo inspirante, secundum illud Ps. LXXXIV, 9: audiam quid loquatur in me dominus Deus, et addiscere per affectum, ut dictum est. Qui vero venit per amorem et desiderium, ut dicitur infra VII, 37: si quis sitit, veniat ad me, et bibat, et hunc oportet audire verbum patris, et capere illud, ad hoc ut addiscat, et afficiatur. Ille enim discit verbum qui capit illud secundum rationem dicentis; verbum autem Dei patris est spirans amorem: qui ergo capit illud cum fervore amoris, discit; Sap. VII, 27: in animas sanctas se transfert, prophetas et amicos Dei constituit. Per operis autem imitationem itur ad Christum, secundum illud Matth. XI, 28: venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Et hoc etiam modo quicumque discit, venit ad Christum: nam sicut conclusio se habet in scibilibus, ita et operatio in operabilibus. In scientiis autem quicumque perfecte discit, venit ad conclusionem: ergo in operabilibus qui perfecte verba discit, venit ad rectam operationem; Is. 1, 5: dominus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico. Sed quia aliqui possent opinari quod omnes homines visibiliter a patre audirent et addicerent, ideo ut hoc dominus excludat, subdit non quia patrem vidit quisquam, idest, aliquis homo vivens in hac vita non vidit patrem in sua essentia, secundum illud Ex. XXXIII, 20: non videbit me homo, et vivet, nisi is, scilicet filius, qui est a Deo, hic vidit patrem, suum per essentiam. Vel quisquam non vidit patrem, visione comprehensionis, qua visione nec homo nec Angelus eum vidit unquam, nec videre potest, nisi is qui est ex Deo, idest filius; Matth. XI, v. 27: nemo novit patrem nisi filius. Cuius quidem ratio est, quia cum omnis visio sive cognitio fiat per aliquam similitudinem, secundum modum similitudinis, quem habent creaturae ad Deum, secundum hoc habent cognitionem ipsius. Unde et philosophi dicunt, quod intelligentiae cognoscunt primam causam, secundum hanc quam habent similitudinem eius. Omnis autem creatura participat quidem aliquam similitudinem Dei, sed in infinitum distantem a similitudine suae naturae et ideo nulla creatura potest ipsum cognoscere perfecte et totaliter, prout est in sua natura. Filius autem, quia perfecte totam naturam patris accepit per aeternam generationem, ideo totaliter videt et comprehendit. Sed attendendum ad congruum ordinem loquendi. Nam supra cum loqueretur de cognitione aliorum, usus est verbo auditus; hic vero cum loquitur de cognitione filii, utitur verbo visionis: nam cognitio quae est per visum, est immediata et aperta; ea vero quae est per auditum, fit mediante eo qui vidit. Sic et nos cognitionem quam habemus de patre, accepimus a filio, qui vidit: ut sic nullus patrem cognoscat nisi per Christum, qui eum manifestat, et nullus ad filium veniat, nisi a patre manifestante audierit.*

## Lectio 6

[87463] Super Io., cap. 6 l. 6 Represso Iudaeorum murmure, consequenter dominus satisfacit dubitationi quae orta erat in cordibus Iudaeorum de verbo quod dixerat, scilicet *ego sum panis, qui de caelo descendi*, ubi intendit probare hoc verum esse de se: et argumentatur sic. Ille panis descendit de caelo qui dat vitam mundo; sed ego sum panis dans vitam mundo: ergo ego sum panis qui de caelo descendi et cetera. Circa hoc tria facit. Primo ponit quasi minorem suae rationis, scilicet *ego sum panis vitae*; secundo ponit maiorem, scilicet quod panis qui de caelo descendit, debet dare vitam, ibi *patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt*; tertio ponit conclusionem, ibi *ego sum panis vivus*. Circa primum duo facit. Primo manifestat suum propositum; secundo intentum quasi probatum inducit, ibi *ego sum panis vitae*. Propositum suum est ostendere quod sit panis vitae. Panis autem vivificat in quantum sumitur. Constat autem quod qui credit in Christum, sumit eum intra seipsum, secundum illud Eph. III, 17: *habitare Christum per fidem in cordibus nostris*. Si ergo ille qui credit in Christum habet vitam, manifestum est quod manducando hunc panem vivificatur: ergo iste panis est panis vitae. Et hoc est quod dicit *amen, amen dico vobis, qui credit in me, fide scilicet formata, quae non solum perficit intellectum, sed etiam affectum (non enim tenditur in rem creditam nisi ametur) habet vitam aeternam*. Christus autem est in nobis dupliciter: scilicet in intellectu per fidem, in quantum fides est; et in affectu per caritatem, quae informat fidem: I Io. IV, 16: *qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*. Qui ergo credit sic in Christum ut in eum tendat, habet ipsum in affectu et in intellectu: et si addamus, quod Christus est vita aeterna, ut dicitur I Io. ult., c. 20: *ut simus in vero filio eius Iesu Christo: hic est verus Deus et vita aeterna*; et supra I, 4: *in ipso vita erat*, possumus inferre, quod quicumque credit in Christum, habet vitam aeternam. Habet, inquam, in causa et in spe, quandoque habiturus in re. Manifestato proposito, inducit intentum, cum dicit *ego*

*sum panis vitae* idest dans vitam, ut evidenter sequitur ex praemissis. De isto pane Gen. penult., v. 20: *Aser, pinguis panis eius, praebebit delicias*, scilicet vitae aeternae, *regibus*. Consequenter cum dicit *patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt*, ponit maiorem: scilicet quod dare vitam sit effectus panis de caelo descendens. Et primo praemittit manifestationem propositi; secundo ponit intentum, ibi *hic est panis de caelo descendens*. Propositum autem suum manifestat per contrarium. Dictum est enim supra, quod Moyses non dedit Iudaeis panem de caelo nisi aereo; omnis autem panis qui non est de vero caelo, non potest vitam sufficientem dare: ergo hoc est proprium panis caelestis quod det vitam. Et ideo panis Moysi, unde vos superbitis, non dat vitam: et hoc probat cum dicit *patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt*. Ubi primo exprobrat eorum vitium, cum dicit *patres vestri* etc., quorum scilicet estis filii non solum secundum carnis originem, sed etiam secundum operum imitationem, quia estis murmuratores, sicut et ipsi *murmuraverunt in tabernaculis suis*, ut dicitur in Ps. CV, v. 25: et ideo dicebat eis, Matth. XXIII, 32: *implete mensuram patrum vestrorum*. Unde sicut Augustinus dicit, de nulla re magis Deum offendisse populus dictus est, quam contra Deum murmurando. Secundo insinuat breve temporis spatium, cum dicit *in deserto*: non enim longum tempus fuit quo manna eis datum fuit, neque simul cum eis venit in terram promissionis, sed tantum in deserto, ut dicitur Iosue V, 12. Iste autem panis in perpetuum conservat et reficit. Tertio manifestat cibi defectum, quia non conservabat vitam indeficientem; unde dicit *et mortui sunt*. Nam, sicut habetur Iosue V, omnes qui murmuraverunt, praeter Iosue et Caleb, mortui sunt in deserto. Unde, et haec fuit causa secundae circumcissionis, scilicet quod omnis populus qui egressus est ex Aegypto mortui sunt in deserto, ut ibidem dicitur. Sed quaeritur de qua morte Deus hic loquitur. Nam si loquitur de morte corporali, nulla differentia erit inter panem illum qui fuit in deserto, et panem nostrum qui de caelo descendit: quia, etiam Christiani qui sumunt istum, corporaliter moriuntur. Si vero loquitur de morte spirituali, manifestum est quod hic et ibi quidam spiritualiter moriuntur, et quidam non. Nam Moyses, et multi qui Deo placuerunt, mortui non sunt, licet alii mortui sint. Similiter et qui istum panem indigne sumunt, moriuntur spiritualiter; I Cor. c. XI, 29: *qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit*. Ad quod dicendum est, quod cibus ille cum cibo nostro spirituali convenit. Conveniunt quidem quantum ad hoc quod uterque idem significat: nam et ille et iste Christum signat, propter quod dicitur idem cibus; I Cor. X, 3: *omnes eandem escam manducaverunt*. Eandem dicit, quia utraque est figura spiritualis escae. Sed differunt, quia ille figurabat tantum, sed panis iste continet quod figurat, scilicet ipsum Christum. Dicendum ergo, quod uterque ciborum istorum potest dupliciter sumi: vel quantum ad signum tantum, idest quod sumatur ut cibus tantum, non intellecto significato; et per hoc non tollitur mors spiritualis, seu corporalis. Vel quod sumatur quantum ad utrumque, idest quod ita sumatur cibus visibilis ut intelligatur cibus spiritualis, et spiritualiter gustetur, ut spiritualiter satiet: et hoc modo illi qui spiritualiter manducaverunt manna, mortui non sunt spiritualiter. Sed et qui Eucharistiam spiritualiter manducant, et absque peccato spiritualiter vivunt nunc, et corporaliter vivent in aeternum. Habet ergo plus cibus noster cibo illorum, quia in se continet quod figurat. Manifestato ergo proposito, inducit intentum; unde dicit *hic est panis de caelo descendens*. Et secundum Glossam *hic* dicit demonstrando seipsum. Sed hic non est intellectus domini, quia cum statim subdat *ego sum panis vivus qui de caelo descendi*, esset verborum inculcatio. Dicendum est ergo, quod dominus hoc intendit, ut scilicet dicat illum panem de caelo descendere qui hoc potest facere, scilicet dare vitam; sed ego sum talis: ergo ego sum panis de caelo descendens. Ideo autem de caelo descendens dat vitam indeficientem, quia omnis cibus nutrit secundum proprietatem suae naturae; caelestia autem incorruptibilia sunt: et ideo quia cibus ille caelestis est, non corrumpitur, quod quamdiu manet vivificat. Qui ergo manducaverit ex ipso, non morietur. Sicut si aliquis cibus corporalis numquam corrumperetur, dans nutrimentum, semper vivificaret. Et ideo panis iste significatus est per lignum vitae quod erat in medio Paradisi, quodammodo dans vitam in perpetuum, secundum illud Gen. III, 22: *nunc ergo ne forte mittat manum suam, etumat de ligno vitae, et comedat, et vivat in aeternum*. Si ergo iste sit effectus huius panis, ut scilicet qui manducat ex eo non moriatur; et ego sum talis: ergo et cetera. *Ego sum panis vivus* et cetera. Circa hoc ergo duo facit. Primo loquitur de seipso communiter; secundo specialiter, ibi *et panis quem ego dabo, caro mea est*. Circa primum duo facit. Primo concludit originem sui ipsius. Secundo ostendit eius virtutem, ibi *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum*. Dixit ergo *ego sum panis vivus*, et ideo possum vitam dare. Panis enim corporalis non in perpetuum vivificat, quia non habet in se vitam; sed vivificat alteratus et conversus in nutrimentum virtute viventis. *Qui de caelo descendi*: hoc expositum est supra c. III, quomodo scilicet descenderit. Et per hoc excluduntur haereses dicentium Christum purum hominem, quia secundum hoc non descendisset de caelo. Virtus autem eius est dare

vitam aeternam; et ideo dicit *si quis manducaverit ex hoc pane*, spiritualiter scilicet, *vivet*, non tantum in praesenti per fidem et iustitiam, sed *in aeternum*; infra LI, 26: *omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum*. Consequenter loquitur de corpore, cum dicit *et panis quem ego dabo, caro mea est*. Dixerat enim, quod erat panis vivus, et ne intelligatur quod hoc ei esset in quantum est verbum, vel secundum animam tantum; ideo ostendit quod etiam caro sua vivificativa est: est enim organum divinitatis suae; unde, cum instrumentum agat virtute agentis, sicut divinitas Christi vivificativa est, ita ut Damascenus dicit et caro virtute verbi adiuncti vivificat: unde Christus tactu suo sanabat infirmos. Sic ergo quod dixit supra, *ego sum panis vivus*, pertinet ad virtutem verbi; hic vero quod subdit pertinet ad communionem sui corporis, scilicet ad Eucharistiae sacramentum. Ubi possumus quatuor considerare circa ipsum sacramentum: scilicet speciem, instituentis auctoritatem, sacramenti veritatem, et eius utilitatem. Species quidem sacramenti: *hic est panis*; Prov. IX, 5: *venite, et comedite panem meum*. Cuius ratio est, quia hoc est sacramentum corporis Christi; corpus autem Christi est Ecclesia, quae consurgit in unitatem corporis ex multis fidelibus: unde istud est sacramentum unitatis Ecclesiae; Rom. XII, 5: *omnes unum corpus sumus*. Quia ergo panis ex diversis granis conficitur, ideo est conveniens species sacramenti huius; ideo dicit *et panis quem ego dabo, caro mea est*. Auctor huius sacramenti Christus est: nam licet sacerdos consecret, tamen ipse Christus dat virtutem sacramento, quia etiam ipse sacerdos consecrat in persona Christi. Unde in aliis sacramentis utitur sacerdos verbis suis, seu Ecclesiae, sed in isto utitur verbis Christi: quia sicut Christus corpus suum propria voluntate dedit in mortem, ita sua virtute dat se in cibum; Matth. XXVI, 26: *accipiens panem, benedixit, ac fregit deditque discipulis suis, et ait: accipite et comedite: hoc est corpus meum*. Et ideo dicit *quem ego dabo*: et dicit *dabo*, quia nondum institutum erat hoc sacramentum. Veritas autem huius sacramenti insinuat cum dicit *caro mea est*. Non dicit autem carnem meam significat sed *caro mea est*; quia secundum rei veritatem hoc quod sumitur, vere est corpus Christi; Iob c. XXXI, 31: *si non dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus eius ut saturemur?* Sed cum in isto sacramento contineatur totus Christus, quare dixit tantum *caro mea est*? Ad quod respondendo, sciendum est, quod in illo mystico sacramento totus Christus continetur secundum veritatem, sed corpus est ibi ex vi conversionis, divinitas vero et anima per naturalem concomitantiam. Dato enim per impossibile, quod divinitas separaretur a corpore Christi, iam non esset in sacramento divinitas. Similiter etiam si in triduo mortis suae aliquis consecrasset, non fuisset ibi anima Christi, sed tale corpus quale erat in cruce, seu in sepulcro. Ideo autem potius dicit *caro*, quia cum hoc sacramentum sit dominicae passionis rememorativum, secundum illud I Cor. XI, 26: *quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis*, passio autem Christi fuit ex infirmitate, secundum illud II Cor. ult., v. 4: *mortuus est ex infirmitate* etc.: ut ergo insinuetur infirmitas ex qua mortuus est, potius dicit *caro mea est*: nam hoc nomen infirmitatem significat. Utilitas autem huius sacramenti magna est, et universalis. Magna quidem, quia efficit in nobis nunc vitam spiritualem, tandem aeternam, ut dictum est. Nam, ut ex supradictis apparet, cum hoc sacramentum sit dominicae passionis, continet in se Christum passum: unde quidquid est effectus dominicae passionis, totum etiam est effectus huius sacramenti. Nihil enim aliud est hoc sacramentum quam applicatio dominicae passionis ad nos. Non enim decebat Christum secundum praesentiam suam semper esse nobiscum; et ideo voluit hoc supplere per hoc sacramentum. Unde manifestum est quod destructio mortis, quam Christus moriendo destruxit, et reparatio vitae, quam resurgendo effecit, est effectus huius sacramenti. Universalis autem, quia vita quam confert, non solum est vita unius hominis, sed quantum in se est, totius mundi: ad quam sufficiens est mors Christi; I Io. II, 2: *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, et non pro nostris tantum, sed etiam totius mundi*. Notandum autem est, quod aliter est in isto sacramento, et aliter in aliis: nam alia sacramenta habent singulares effectus, sicut in Baptismo solus baptizatus suscipit gratiam; sed in immolatione huius sacramenti est universalis effectus, quia non solum sacerdos effectum consequitur, sed etiam illi pro quibus orat, et Ecclesia tota, tam vivorum, quam mortuorum. Cuius ratio est, quia continetur in ipso ipsa causa universalis omnium sacramentorum, scilicet Christus. Nec tamen si laicus sumat hoc sacramentum, prodest aliis quantum est ex opere operato, in quantum consideratur ut perceptio, quamvis ex intentione operantis et percipientis, possit communicari omnibus ad quos dirigit suam intentionem. Ex quo patet quod laici sumentes Eucharistiam pro his qui sunt in Purgatorio, errant.

## Lectio 7

[87464] Super Io., cap. 6 l. 7 Supra repressit dominus murmur Iudaeorum, quod ortum habuit de origine cibi

spiritualis; hic reprimit eorum litigium, quod erat inter eos de sumptione huius cibi, et primo ponit eorum litigium; secundo dominus comprimit illud, ibi *dixit ergo eis Iesus* etc.; tertio Evangelista designat locum, ibi *haec dixit in synagoga, docens in Capharnaum*. Circa primum sciendum est, quod Evangelista Iudaeorum litigium inducit per modum conclusionis, cum dicit *litigabant ergo Iudaei* et cetera. Et quidem satis congrue: nam, secundum Augustinum, dominus locutus fuerat eis de cibo unitatis, quo qui reficiuntur, efficiuntur unanimes, secundum illud Ps. LXVII, v. 4: *iusti epulentur, et exultent in conspectu Dei, et laetentur in laetitia*, et sequitur, secundum aliam litteram: *qui habitare facit unanimes in domo*. Quia igitur Iudaei cibum concordiae non sumpserant, ideo ad invicem litigabant; Is. LVIII, 4: *ecce ad lites et contentiones ieiunatis*. Ex hoc autem quod litigabant cum aliis, se esse carnales ostendebant; I Cor. III, 3: *cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis?* Et ideo haec verba domini carnaliter intelligebant; scilicet quod caro Christi manducaretur sicut cibus carnalis; unde dicunt *quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum?* Quasi dicant: hoc est impossibile, sicut et patres eorum locuti sunt contra dominum, Num. c. XXI, 5: *anima nostra nauseat super cibo isto levissimo*. Sed hoc eorum litigium comprimitur a domino; unde *dixit ergo eis Iesus* et cetera. Ubi primo ponit virtutem sumptionis huius cibi; secundo manifestat eam, ibi *qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*. Circa primum tria facit. Primo ponit carnis manducandae necessitatem; secundo eius utilitatem, ibi *qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*; tertio subdit eius veritatem, ibi *caro enim mea vere est cibus*. *Dixit ergo Iesus amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quasi dicat: vos reputatis impossibile et incongruum quod carnem meam manducetis; sed non solum non est impossibile, sed etiam est valde necessarium, intantum quod *nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis*, idest non poteritis habere, *in vobis vitam*, scilicet spiritualem. Nam sicut cibus corporalis ita est necessarius ad vitam corporalem, quod sine eo esse non possit Thren. I, v. 11: *dederunt pretiosa quaeque pro cibo*; et in Ps. CIII, 15: *panis cor hominis confirmet*: ita cibus spiritualis necessarius est ad vitam spiritualem, adeo quod sine ipso vita spiritualis sustentari non possit; Deut. VIII, 3: *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei*. Notandum autem, quod haec sententia potest referri vel ad spiritualem manducationem, vel ad sacramentalem. Sed si referatur ad spiritualem, nullam dubitationem habet sententia. Ille enim spiritualiter carnem Christi manducat et sanguinem bibit qui particeps fit ecclesiasticae unitatis, quae fit per caritatem; Rom. XII, 5: *omnes unum corpus estis in Christo*. Qui ergo non sic manducat, est extra Ecclesiam, et per consequens extra caritatem; ideo non habet vitam in semetipso; I Io. III, 14: *qui non diligit, manet in morte*. Si vero referatur ad sacramentalem, dubium habet quod dicitur; nam supra III, 5, dicitur: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum caelorum*. Sed sicut proposita fuit illa sententia, ita est ista: *nisi manducaveritis carnem filii hominis* et cetera. Cum ergo Baptismus sit sacramentum necessitatis, videtur etiam quod Eucharistia. Sed hoc quidem Graeci concedunt, unde et pueris baptizatis dant Eucharistiam: et in hoc habent pro eis ritum Dionysii, qui dicit, quod perceptio cuiuslibet sacramenti debet consummari in communionem Eucharistiae, quae est consummatio omnium sacramentorum. Sed hoc verum est in adultis, non autem in pueris: cum in sumente Eucharistiam exigatur actualis reverentia et devotio, quam illi qui non habent usum liberi arbitrii, sicut sunt pueri et amentes, habere non possunt; et ideo nullo modo eis est danda. Dicendum ergo, quod sacramentum Baptismatis est necessarium quantum ad omnes, ut realiter accipiatur, quia sine eo nullus regeneratur ad vitam: et ideo oportet quod ipsum habeatur in re vel in voto, quantum ad praeoccupatos; nam si contemptus in aliquo Baptismus aquae excludat, neque Baptismus flaminis nec sanguinis prodest ei ad vitam aeternam. Sacramentum vero Eucharistiae est necessitatis quantum ad adultos tantum, ita quod recipiatur in re vel in voto secundum Ecclesiae instituta. Sed secundum hoc etiam dubitatur: quia per haec verba domini, non solum manducatio corporis, sed etiam sumptio sanguinis est de necessitate salutis, praesertim cum perfecta refectio cibi non sit sine potu. Cum ergo consuetudo aliquarum Ecclesiarum sit quod solus sacerdos communicet de sanguine, alii vero communicant corpori tantum, videtur huic sententiae contrariari. Respondeo dicendum, quod, secundum antiquae Ecclesiae consuetudinem, omnes sicut communicabant corpori, ita communicabant et sanguini; quod etiam adhuc in quibusdam Ecclesiis servatur, ubi etiam ministri altaris continue et corpori et sanguini communicant. Sed propter periculum effusionis, in aliquibus Ecclesiis servatur ut solus sacerdos communicet sanguini, reliqui vero corpori. Nec tamen est contra sententiam domini, quia qui communicat corpori, communicat etiam sanguini, cum sub utraque specie totus Christus contineatur, etiam quantum ad corpus et sanguinem. Sed sub speciebus panis continetur corpus Christi ex vi conversionis, sanguis

vero ex naturali concomitantia: sub speciebus vero vini continetur sanguis Christi ex vi conversionis, corpus vero ex concomitantia naturali. Sic ergo apparet necessitas sumendi hunc cibum spiritualem. Utilitas eius ostenditur cum dicit *qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*, et primo quantum ad spiritum seu animam; secundo quantum ad corpus, ibi *et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Est ergo utilitas huius manducationis magna, quia dat vitam aeternam; unde dicit *qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*. Nam cibus iste spiritualis est similis quidem corporali in hoc quod sine ipso vita spiritualis esse non potest, sicut nec sine corporali cibo vita corporalis, ut dictum est supra. Sed amplius habet ab eo, quia causat indeficientem vitam in sumente, quam cibus corporalis non efficit: non enim qui eum sumpserit, vivet; potest enim fieri, ut Augustinus dicit, ut senio vel morbo, et aliquo casu plurimi qui eum sumpserunt, moriantur. Qui vero hunc cibum et potum corporis et sanguinis domini sumpserit, *habet vitam aeternam*: et ideo comparatur ligno vitae; Prov. III, 8: *lignum vitae est his qui apprehenderint eam*; unde dicitur panis vitae; Eccli. XV, 3: *cibavit illum pane vitae et intellectus*. Et ideo dicit *vitam aeternam*: et hoc, quia qui manducat hunc panem, habet in se Christum, *qui est verus Deus, et vita aeterna*: ut dicitur I Io. ult., 20. Sed ille habet vitam aeternam, qui manducat et bibit, ut dicitur, non solum sacramentaliter, sed etiam spiritualiter. Ille vero sacramentaliter manducat et bibit, qui sumit ipsum sacramentum; spiritualiter vero, qui pertingit ad rem sacramenti; quae est duplex: una contenta et signata, quae est Christus integer, qui continetur sub speciebus panis et vini; alia res est signata et non contenta, et hoc est corpus Christi mysticum, quod est in praedestinatis, vocatis et iustificatis. Sic ergo spiritualiter manducat carnem et bibit sanguinem per comparisonem ad Christum contentum et signatum, qui coniungitur ei per fidem et caritatem, ita quod transformatur in ipsum, et efficitur eius membrum: non enim cibus iste convertitur in eum qui sumit, sed manducantem convertit in se, secundum Augustinum, cum dicit: cibus sum grandium: cresce, et manducabis me; nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. Et ideo est cibus hominem divinum facere valens, et divinitate inebrians. Item per comparisonem ad corpus mysticum signatum tantum, si fiat particeps unitatis ecclesiasticae. Qui ergo sic manducat, *habet vitam aeternam*. Et de primo per comparisonem ad Christum iam satis patet. Similiter per comparisonem ad corpus mysticum de necessitate habebit vitam aeternam, si perseveret. Nam unitas Ecclesiae fit per spiritum sanctum, Eph. IV, 4: *unus spiritus et unum corpus, qui est pignus hereditatis aeternae*, ut dicitur Eph. c. I, 14. Est ergo magna utilitas huius cibi, quia dat vitam aeternam animae; sed etiam magna est, quia dat vitam aeternam etiam corpori. Et ideo subdit *et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Sicut enim dictum est, ille qui spiritualiter manducat et bibit, fit particeps spiritus sancti, per quem unimur Christo unione fidei et caritatis, et per quem efficimur membra Ecclesiae. Resurrectionem autem facit mereri spiritus sanctus; Rom. IV, 24: *qui suscitavit Iesum Christum dominum nostrum a mortuis, resuscitabit et mortalia corpora nostra propter inhabitantem spiritum eius in nobis*. Et ideo dicit dominus, quod eum qui manducat et bibit, resuscitabit ad gloriam, non ad condemnationem: quia haec resuscitatio non prodesset. Et quidem satis congrue huiusmodi effectus sacramento Eucharistiae attribuitur, quia, ut dicit Augustinus, et dictum est supra, verbum resuscitat animas, sed verbum caro factum vivificat corpora. In hoc autem sacramento non solum est verbum, secundum suam divinitatem, sed etiam secundum veritatem carnis: et ideo non est solum causa resurrectionis animarum, sed etiam corporum; I Cor. XV, 21: *per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum*. Patet ergo utilitas huius manducationis. Veritas autem eius ostenditur cum dicit *caro enim mea vere est cibus*. Posset enim aliquis credere, quod ea quae de carne dicta sunt et sanguine aenigma et parabola esset; et ideo hoc dominus excludens, dicit *caro mea vere est cibus*; quasi dicat: non intelligatis quod figuraliter loquar; sed secundum veritatem caro mea continetur in cibo fidelium, et sanguis meus vere continetur in sacramento altaris; Matth. XXVI, 26: *hoc est corpus meum (...) et hic est sanguis meus novi testamenti*. Vel aliter, secundum Chrysostomum, quia cibus et potus sumitur ad refectionem hominis. In homine autem sunt duae partes; principalis quae est anima, et secundaria quae est corpus. Illud autem quod est homo, est per animam, non per corpus: illud ergo est vere cibus hominis, qui est cibus animae; et hoc est quod dominus dicit *caro enim mea vere est cibus*: quia non solum est cibus corporis, sed etiam animae. Similiter et sanguis. Ps. XXII, 2: *super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit*. Quasi diceret: haec reffectio specialiter ad animam ordinatur. Vel aliter, secundum Augustinum. Illud vere dicitur esse aliquid quod facit effectum eius; effectus autem cibi est ut satiet: quod ergo vere facit satietatem, vere est cibus et potus. Hoc autem facit caro et sanguis Christi, qui ducit ad statum gloriae, ubi non est esuries neque sitis: Apoc. VII, 16: *non esurient nec sitient amplius*; et ideo dicit *caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Qui manducat, et cetera. Hic

probat dominus cibi spiritualis virtutem supra positam, scilicet quod det vitam aeternam: et utitur tali argumento. Quicumque manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, coniungitur mihi; sed qui coniungitur mihi, habet vitam aeternam: ergo qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. Secundum hoc ergo tria facit. Primo ponit maiorem; secundo minorem, et probat eam, ibi *sicut misit me vivens pater, et ego vivo propter patrem*; tertio infert conclusionem, ibi *hic est panis qui de caelo descendit*. Sciendum est ergo quantum ad primum, quod si hoc quod dicit *qui manducat carnem meam* etc., referatur ad carnem et sanguinem mystice; nulla dubitatio est in verbo. Nam, sicut dictum est, ille manducat spiritualiter per comparisonem ad rem signatam tantum, qui corpori mystico incorporatur per unionem fidei et caritatis: caritas autem facit Deum esse in homine, et e converso; I Io. IV, 16: *qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*. Et hoc est quod facit spiritus sanctus; unde ibid. 13: *in hoc cognoscimus quoniam in Deo manemus, et Deus in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis*. Si vero referatur ad sumptionem sacramentalem; tunc quicumque manducat carnem et bibit sanguinem, manet in Deo: quia, sicut dicit Augustinus, est quidam modus manducandi illam carnem et bibendi illum sanguinem, quo qui manducat et bibit, in Christo manet, et Christus in eo. Sed hic est ille qui non sacramentaliter tantum, sed revera corpus Christi manducat, et sanguinem bibit. Est et alius modus quo qui manducant, non manent in Christo, nec Christus in eis; hoc est qui in corde ficto ad illud accedunt: nullum enim effectum habet sacramentum in ficto. Fictus enim est, cum non respondet interius quod signatur exterius. In sacramento autem Eucharistiae exterius quidem signatur quod Christus incorporetur in eo qui percipit illud, et ipse in Christo. Qui ergo non habet in corde desiderium huius unionis, nec conatur ad removendum omne impedimentum ad hoc, est fictus. Et ideo Christus in eo non manet, nec ipse in Christo. Hic ponit minorem: scilicet quod qui coniungitur Christo, habet vitam; et inducit hoc in manifestatione cuiusdam similitudinis, quae talis est. Filius propter unitatem quam habet ad patrem recipit vitam a patre: ergo qui unitur Christo, recipit vitam a Christo; et hoc est quod dicit *sicut misit me vivens pater, et ego vivo propter patrem*. Quae quidem verba possunt dupliciter exponi de Christo, scilicet secundum humanam naturam, et secundum divinam. Si enim exponantur de Christo filio Dei, tunc *ly sicut* importat similitudinem Christi ad creaturam quantum ad aliquid, sed non quantum ad omnia, sed quantum ad hoc quod est esse ab alio. Nam hoc est commune Christo filio Dei, et creaturae, quod sunt ab alio: sed quantum ad alium est dissimile. Quia filius habet aliquid proprium, quia scilicet sic est a patre quod tamen recipit totam plenitudinem divinae naturae, intantum quod quidquid est naturale patri, sit etiam naturale filio. Creatura vero accipit aliquam perfectionem et naturam particularem; supra V, 26: *sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio vitam habere in semetipso*. Et hoc ostendit, quia non ait: *sicut manduco patrem, et ego vivo propter patrem*, cum loquatur de processione sua a patre, sicut dixit *qui manducat me, et ipse vivet propter me*, cum loquitur de participatione corporis et sanguinis eius, qua nos efficimur meliores: nam manducatio quamdam participationem dicit. Sed Christus dicit se vivere propter patrem, non quidem manducatum, sed generantem, sine aequalitatis detrimento. Si vero exponatur de Christo homine, sic quantum ad aliquid *ly sicut* importat similitudinem inter Christum hominem et nos: in hoc scilicet quod sicut Christus homo accipit spiritualem vitam per unionem ad Deum, ita et nos accipimus spiritualem vitam in communione sacramenti. Sed tamen est dissimile: quia Christus homo accepit vitam per unionem verbi, cui in persona unitur; sed nos unimur Christo per sacramentum fidei. Et ideo duo dicit *misit me* et *pater*. Si ergo referatur ad filium Dei, tunc dicit *vivo ego propter patrem*: quia ipse pater vivens est. Si vero referatur ad filium hominis; tunc dicit *vivo ego propter patrem*, quia *misit me*: idest, fecit me incarnari: missio enim filii Dei est eius incarnatio; Gal. IV, 4: *misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Per hoc ergo, secundum Hilarium, excluditur error Aarii; nam si nos propter Christum vivimus, quia aliquid de natura sua habemus, ut ipse dicit: *qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*; ergo et Christus vivit propter patrem, quia habet in se naturam patris: non autem partem, quia simplex est et indivisibilis, ergo habet totam naturam patris. Propter patrem ergo vivit filius, dum nativitas non alienam ei intulit diversamque naturam. Consequenter cum dicit *hic est panis, qui de caelo descendit*, ponit duas conclusiones: nam de duobus litigabant, scilicet de origine spiritualis cibi, et de eius virtute. Prima ergo conclusio est de origine; secunda est de virtute; et hanc principaliter intendit, ibi *qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*. Sciendum est circa primum, quod Iudaei turbati fuerant, quia dixerat: *ego sum panis vivus qui de caelo descendit*, et ideo contra eos hoc iterum concludit ex hoc quod dicit *vivo propter patrem*, cum dicit *hic est panis*. Nam descendere de caelo, est de caelo originem habere; sed filius habet originem de caelo, quia vivit propter patrem: ergo Christus est qui de caelo descendit. Et ideo dicit *hic est panis qui de caelo*, idest de vita paterna, *descendit*, et hoc quantum ad divinitatem;

vel *descendit* etiam quantum ad corpus: inquantum scilicet virtus formativa eius, quae fuit spiritus sanctus, de caelo fuit, ut virtus caelestis. Unde qui manducant hunc panem non moriuntur, quo modo mortui sunt patres nostri, qui manducaverunt manna non de caelo: nec erat panis vivus, ut dictum est supra. Quomodo autem mortui sunt qui manna manducaverunt, ex praemissis manifestum est. Secunda conclusio de virtute panis ponitur cum dicit *qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*: quae sequitur ex hoc *qui manducat meam carnem*. Qui enim manducat hunc panem manet in me, et ego in illo; sed ego sum vita aeterna: ergo *qui manducat hunc panem*, ut debet, *vivet in aeternum*. Locus autem ubi hoc dixit Iesus, fuit in synagoga, in qua Christus docebat in Capharnaum. Volens enim multitudinem attrahere, in templo et synagoga docebat, et ut ex multis saltem proficiant aliqui; Ps. XXXIX, 10: *annuntiavi iustitiam tuam in Ecclesia magna*.

## Lectio 8

[87465] Super Io., cap. 6 l. 8 Postquam compressit litigium Iudaeorum, et murmur, consequenter dominus sedat scandalum discipulorum, et primo agitur de scandalo discipulorum recedentium; secundo examinatur devotio remanentium, ibi *dixit ergo Iesus ad duodecim*. Circa primum tria facit. Primo ponitur scandalum discipulorum; secundo benignitas Christi ad reprimendum ipsum, ibi *sciens autem Iesus* etc.; tertio ponitur pertinacia et incredulitas recedentium, ibi *ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro*. Sciendum est ergo circa primum, quod multi erant in populo Iudaeorum qui adhaerebant Christo, credentes ei, et sequebantur eum non tamen relictis omnibus, sicut duodecim, qui omnes dicebantur discipuli. Et de istis dicit, quod *multi*, scilicet in populo, qui ei credebant, *audientes*, quae supra dixit, *dixerunt: durus est hic sermo*. De istis dicitur Lc. VIII, 13: *ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt*. Dicitur autem *multi*, quia, ut dicitur Eccle. I, v. 15, *stultorum infinitus est numerus*. Et Matth. XX, 16: *multi sunt vocati, pauci vero electi*. Isti ergo dixerunt *durus est hic sermo*. Durum dicitur quod non facile dividitur, et resistentiam habet. Est ergo aliquis sermo durus, aut quia resistit intellectui, aut quia resistit voluntati; cum scilicet illum intellectu capere non possumus, aut voluntati non placet; et utroque modo erat istis durus sermo. Durus quidem intellectu, quia superexcedebat imbecillitatem intellectus eorum; cum enim carnales essent, non poterant capere quod dicebat, se carnem suam daturum eis ad manducandum. Voluntati autem, quia multa dixit de potentia suae divinitatis. Et licet isti crederent ei sicut prophetae, non tamen credebant eum Deum: et ideo videbatur eis quod loqueretur maiora seipso. II Cor. X, 10: *epistolae graves sunt*. Eccli. VI, 21: *aspera est nimium indoctis hominibus sapientia*. Et ideo sequitur *quis potest eum audire?* Haec dicunt ad excusationem suam. Nam ex quo dederant se ei, debebant eum audire: sed quia non docebat eos placentia, vellent aliquam occasionem quaerere recedendi; Prov. c. XVIII, 2: *non recipit stultus verba prudentiae, nisi ea dixeris quae versantur in corde suo*. Consequenter cum dicit *sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dicit eis: hoc vos scandalizat?* Ponitur benignitas Christi ad sedandum scandalum, et primo denuntiat et manifestat scandalum; secundo removet causam scandali, ibi *si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Tertio innuit ipsam causam, ibi *sed sunt quidam ex vobis qui non credunt*. Scandalum autem denuntiat, quia dixerant occulte *durus est hic sermo* ut ab illo non audirentur. Sed ille qui virtute suae divinitatis noverat quid dicebant, hoc manifestat; et hoc est quod dicit *sciens autem Iesus apud semetipsum*, quod ipsi in semetipsis dicebant, scilicet *quia murmurarent de hoc discipuli eius* (supra II, 25: *non erat ei opus ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine*; Ps. VII, 10: *scrutans corda et renes Deus*); *dixit eis: hoc vos scandalizat?* Quasi dicat: de hoc non debetis scandalizari. Vel potest legi remissive; quasi dicat: scio quod de hoc scandalizamini; Is. VIII, 4: *erit nobis*, scilicet in Christo credentibus, *quidem in sanctificationem; in lapidem autem offensionis duabus domibus Israel*, idest discipulis murmurantibus et turbis. Sed cum doctores debeant vitare scandalum audientium, quare eis dominus talia dogmata proponit, ut scandalizarentur et recederent? Respondeo. Dicendum quod necessitas doctrinae exigebat ut dominus eis talia proponeret. Institerant enim apud eum pro cibo corporali qui venerat ut duceret in appetitum cibi spiritualis; et ideo necesse erat ut eis proponeret doctrinam de cibo spirituali. Nec tamen scandalum eorum causabatur ex vitio doctrinae Christi, sed ex eorum infidelitate. Si enim verba domini non intelligebant propter eorum carnalitatem, poterant dominum interrogare, sicut apostoli alias fecerunt. Hoc autem, secundum Augustinum, dominus dispensative permisit, ut bene docentibus causam patientiae et consolationis contra malignantes eorum dicta praeberet, cum discipuli etiam verbis Christi detrahere praesumerent. Consequenter cum dicit *si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Tollit

occasionem scandali, quae quidem erat et de persona dicentis, et de verbis dictis, ut dicit Chrysostomus, et ideo primo removet occasionem scandali quantum ad personam dicentis; secundo quantum ad verba dicta, ibi *spiritus est qui vivificat*. Occasio autem istorum fuit, quia audierant dominum loqui de se divina: unde, quia ipsi credebant eum esse filium Ioseph, scandalizabantur ex hoc quod de se dicit. Et ideo hanc occasionem removens, ostendit eis Deus apertius suam divinitatem; unde dicit: vos turbamini de his quae de me dixi *si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius*; supple, quid dicetis? Quasi dicat: numquam potestis negare quin de caelo descenderim, quin sim dator vel doctor vitae aeternae. Simile fecit in Nathanaele: cum enim diceret: *tu es rex Israel*, voluit eum ad perfectiorem cognitionem elevare; unde dixit ei: *maiora his videbis*. Et ideo istis aliquid maius futurum de se manifestat, dicens *si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius*? Ascendit autem in caelum videntibus discipulis, ut dicitur Act. I, 9. Si ergo ascendit ubi prius fuit, ergo prius fuit in caelo; supra III, 13: *nemo ascendit in caelum nisi qui de caelo descendit*. Sed attende quod etsi sit eadem persona filii Dei et filii hominis in Christo, quia tamen natura est alia, ideo aliquid convenit ratione humanitatis, scilicet ascendere, quod non convenit ei ratione divinitatis, secundum quam non habet quo ascendat, cum aeternaliter sit in summo rerum vertice, scilicet in patre; sed secundum eam convenit ei ascendere *ubi erat prius*, scilicet in caelo, ubi non fuit secundum humanam naturam; quod est contra errorem Valentini dicentis, Christum attulisse corpus caeleste. Sic ergo ubi prius fuit secundum divinitatem, ascendit videntibus apostolis et propria virtute secundum humanitatem; infra XVI, 28: *exivi a patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad patrem*. Sed, secundum Augustinum, aliter haec verba introducuntur: dicit enim, quod isti scandalizati sunt de hoc quod dominus dixit quod daret eis carnem suam ad manducandum, quod intelligentes carnaliter, ac si eam ad litteram deberent comedere, ut carnes animalium, scandalizati sunt. Et hunc intellectum removens, dicit *si ergo videritis filium hominis ascendentem*, integro corpore, *ubi erat prius*; supple: numquid dicetis quod sic daturus eram vobis carnem meam ad manducandum ut carnes animalium? Consequenter cum dicit *spiritus est qui vivificat*, removet occasionem scandali ex parte verborum prolatorum, et, secundum Chrysostomum, primo distinguit duplicem intellectum ipsorum verborum; secundo ostendit quis eorum congruat ipsis verbis, ibi *verba quae ego loquor, spiritus et vita sunt*. Sciendum est ergo quantum ad primum, quod verba Christi secundum duplicem sensum intelligi possunt, scilicet secundum spiritualem et secundum corporalem. Et ideo dicit *spiritus est qui vivificat* idest, si ea verba quae dixi, intelligatis secundum spiritum, idest secundum spiritualem sensum, vivificabunt; *caro non prodest quidquam* idest, si secundum carnalem sensum ea intelligatis, nihil vobis prosunt, immo nocent: quia, ut dicitur Rom. VIII, 13, *si secundum carnem vixeritis, moriemini*. Tunc autem verba domini de carne sua manducanda, carnaliter intelliguntur, quando accipiuntur secundum quod verba exterius sonant, et ut natura carnis habet; et hoc modo ipsi intelligebant, ut dictum est. Sed dominus dicebat daturum se eis sicut spiritualem cibum, non quin sit in sacramento altaris vera caro Christi, sed quia quodam spirituali et divino modo manducatur. Sic ergo dictorum verborum congruus sensus est non carnalis, sed spiritualis. Unde subdit *verba quae ego locutus sum vobis*, scilicet de carne mea manducanda, *spiritus et vita sunt*; idest, spiritualem sensum habent, et sic intellecta vitam dant. Nec mirum si habent spiritualem sensum, quia sunt a spiritu sancto; I Cor. XIV, 2: *spiritus est qui loquitur mysteria*. Et ideo mysteria Christi vivificant; Ps. CXVIII, 93: *in aeternum non obliviscar iustificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me*. Secundum Augustinum vero aliter exponitur: nam hoc quod dixit *caro non prodest quidquam*, intelligitur de carne Christi. Manifestum est enim quod caro Christi, ut coniuncta verbo et spiritui, multum prodest per omnem modum: alioquin frustra verbum caro factum esset, frustra ipsum pater manifestasset in carne, ut dicitur I Tim. c. IV. Et ideo dicendum est quod caro Christi in se considerata non prodest quidquam, et non habet effectum proficuum, nisi sicut alia caro. Si enim per intellectum separetur a divinitate et spiritu sancto, non habet aliam virtutem quam alia caro; sed si adveniat spiritus et divinitas, multis prodest, quia facit sumentes manere in Christo: est enim spiritus caritatis per quem homo in Deo manet; I Io. IV, 13: *in hoc cognoscimus quia in Deo manemus et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis*. Et ideo dicit dominus: hunc effectum, scilicet vitae aeternae quem ego promitto vobis, non debetis attribuere carni in se consideratae, quia *caro sic non prodest quidquam*; sed si spiritui attribuat, et divinitati coniunctae carni, sic praestat vitam aeternam; Gal. V, 25: *si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus*. Et ideo subdit *verba quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*; idest, referenda sunt ad spiritum carni coniunctum; et sic intellecta, vita sunt, scilicet animae. Nam sicut corpus vivit vita corporali per spiritum corporalem, ita et anima vivit vita spirituali per spiritum sanctum; Ps. CIII, 30: *emitte spiritum tuum, et creabuntur*. Consequenter cum dicit *sed sunt quidam ex vobis qui non credunt*, demonstrat causam scandali,



quae erat infidelitas eorum, quasi dicat: causa scandali vestri non est duritia sermonis quem ego locutus sum vobis, sed infidelitas vestra. Et ideo primo ostendit eorum infidelitatem; secundo excludit falsam opinionem; tertio manifestat causam infidelitatis eorum. Infidelitatem quidem eorum ostendit dominus cum dicit *sunt quidam ex vobis qui non credunt*. Non autem dixit qui non intelligunt sed, quod plus est, causam quare non intelligunt insinuat: ex hoc enim non intelligebant, quia non credebant; Is. VII, 9, secundum aliam litteram: *nisi credideritis, non intelligetis*. Et dixit *quidam*, ut excipiat discipulos; II ad Thess. III, 2: *non omnium est fides*; ad Rom. X, 16: *non omnes obediunt Evangelio*; Ps. CV, 25: *non crediderunt verbis eius*. Falsam suspicionem excludit Evangelista, cum subdit *sciebat enim*, quasi dicat: non ideo dixit Iesus *sunt quidam ex vobis qui non credunt*, quasi de novo hoc ei innotuisset; sed quia sciebat ab initio, mundi scilicet, *qui essent credentes et quis esset traditurus eum*; Hebr. IV, 13: *omnia nuda et aperta sunt oculis eius*; et Eccli. XXIII, 29: *domino Deo nostro nota sunt omnia antequam fiant*. Causam autem infidelitatis eorum assignat dominus consequenter, quae est ex remotione gratiae attrahentis; unde dicebat *propterea ego dixi vobis*; quasi dicat: ideo necessarium fuit ut vobis praedicta dicerem, *quia nemo potest venire ad me*, scilicet per fidem, *nisi fuerit ei datum a patre meo*. Ex quo sequitur, secundum Augustinum, quod etiam ipsum credere datur nobis a Deo. Cur autem non omnibus detur, ostensum est supra, eodem ubi quasi eadem verba dominus dixit. Repetit tamen ea hic propter duo: ut ostendat quod hoc quod recepit eos ad fidem, magis erat eis ad beneficium et utilitatem quam Christo; Phil. I, 29: *vobis datum est ut in ipsum credatis*; quasi dicat: bonum vestrum est quod credatis; et ideo dicit Augustinus: magnum quidem est credere: gaude quia credidisti. Secundo, ut ostendat se non esse filium Ioseph, ut ipsi putabant, sed Dei: nam Deus pater est qui attrahit homines ad filium, sicut ex praemissis apparet. Consequenter cum dicit *ex hoc multi, discipulorum eius abierunt retro*, ponitur ipsorum discipulorum pertinacia. Nam licet dominus reprehenderit eos, et causam scandali, quantum est ex parte sua, removerit, nihilominus tamen perseverant in infidelitate: et ideo dicit, quod *multi discipuli eius abierunt retro*. Non dixit recesserunt sed, *abierunt retro*, a fide, quam secundum virtutem habebant, et praecisi a corpore Christi, vitam perdiderunt, quia forte nec in corpore fuerunt, ut dicit Augustinus. Sunt enim aliqui qui simpliciter vadunt retro: illi scilicet qui sequuntur Diabolum, cui dictum est, Matth. IV, 10: *vade retro, Satana*. Et de quibusdam feminis dicitur I Tim. V, 15: *quaedam conversae sunt retro post Satanam*. Non sic vadit retro Petrus, sed post Christum; Matth. XVI, 23: *vade retro me, Satana*. Isti autem abierunt post Satanam. Unde sequitur *et iam non cum illo ambulabant*: scilicet quamvis a nobis requiratur ut cum Iesu ambulemus; Mich. VI, 8: *iudicabo tibi, homo, quid sit bonum*, et sequitur: *sollicite ambulare cum Deo tuo*. Consequenter cum subditur *dixit ergo Iesus ad duodecim: numquid et vos vultis abire?* Examinat dominus discipulos remanentes, et primo ponitur examinatio discipulorum ex interrogatione Christi; secundo subditur devotio remanentium ex responsione Petri, ibi *respondit ergo Simon Petrus*; tertio corrigitur Petri responsio, ibi *respondit ei Iesus*. Examinat autem dominus duodecim qui remanserant an velint persistere; et ideo *dixit ad duodecim*, scilicet apostolos: *numquid et vos vultis abire?* Et hoc propter duo. Primo ne hoc quod isti, aliis recedentibus, remanserant, propriae iustitiae ascribentes, superbirent, existimantes se gratiam fecisse Christo, eum non relinquendo: et ideo, ostendens se non indigere eorum sequela, magis eos detinet et confirmat. Iob XXXV, 7: *porro, si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Secundo, quia contingit quod aliquando aliquis habet voluntatem recedendi ab aliquo, et tamen verecundia retinetur; et ideo nolens eos verecundia coartari apud eum remanere (quia idem est invite servire quod penitus non servire), aufert etiam verecundiam et necessitatem remanendi, ponens in eorum arbitrio, an vellent remanere, an abire, quia *hilarem datorem diligit Deus*, ut dicitur II Cor. IX, 7. Sequitur devotio remanentium ex responsione Petri: nam ipse fratrum amator, et amici conservator, et specialem affectum gerens ad Christum, respondet pro toto collegio, dicens *domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes, et nos credimus*. Ubi tria facit. Primo extollit Christi excellentiam; secundo commendat eius doctrinam; et tertio profitetur fidem. Excellentiam quidem extollit cum dicit *domine, ad quem ibimus?* Quasi dicat: repellis nos a te; da nobis alium meliorem te, ad quem eamus. Sed certe *nullus similis tui in fortibus, domine*: Ex. XV, 11, et in Ps. LXXXVIII, 7: *quis similis Deo?* Et ideo non dimitemus te; Ps. CXXXVIII, 7: *quo ibo a spiritu tuo?* Et, secundum Chrysostomum, verbum Petri multum amicitiae est ostensivum: iam enim Christus eis erat honorabilior quam patres et matres. Doctrinam vero commendat cum dicit *verba vitae aeternae habes*. Moyses autem habuit verba Dei, similiter et prophetae, sed raro verba vitae aeternae; tu vero promittis vitam aeternam, quid ergo aliud maius quaerimus? Supra: *qui credit in me, habet vitam aeternam*; et Sup. III, 39: *qui credit in filium Dei, habet vitam aeternam*. Fidem autem confitetur cum subdit *et nos credimus e cognovimus quia tu es*

*Christus filius Dei.* In fide enim nostra duo principaliter credenda sunt, scilicet mysterium Trinitatis et incarnationis: quae duo hic Petrus confitetur. Mysterium quidem Trinitatis, cum dicit *tu es filius Dei*. In hoc enim quod dicit eum filium Dei, facit mentionem de persona patris et filii, simul etiam et spiritus sancti, qui est amor patris et filii, et nexus utriusque. Mysterium vero incarnationis, cum dicit *tu es Christus*, Christus enim Graece, Latine unctus dicitur, oleo scilicet invisibili spiritus sancti; sed non secundum divinam naturam, quia qui ungitur spiritu sancto ipsa unctione melior efficitur, sed, secundum quod Deus, Christus non efficitur melior: ergo est unctus secundum quod homo. Dicit autem *credimus et cognovimus*, quia prius est credere quam cognoscere: et ideo si prius cognoscere quam credere vellemus, non cognosceremus, nec credere valeremus, ut dicit Augustinus. Is. VII, 9, secundum aliam litteram: *nisi credideritis, non intelligetis*. Responsionem autem Petri dominus corrigit cum dicit *nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus Diabolus est?* Et primo ponitur responsio domini; secundo expositio Evangelistae, ibi *dicebat autem de Iuda*. Quia Petrus largus fuit in responsione sua omnes includendo, sic dicens *et nos credimus, et cognovimus quia tu es Christus filius Dei*, per quod videbatur quod omnes perventuri essent ad vitam aeternam, ideo dominus de collegio credentium excepit Iudam. Sed haec quidem in Petro commendabilis erat confidentia, quod nullum de socio malum suspicabatur: sed in domino admiranda est sapientia, qui occulta videbat. Et ideo dicit *nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis Diabolus est?* Non per naturam, sed per imitationem diabolicae malitiae. Sap. II, 24: *invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius*; infra XIII, 27: *post buccellam introivit in eum Satanas*, quia scilicet factus est conformis malitiae eius. Sed si Christus elegit Iudam, et ipse factus est malus, videtur quod erraverit in electione. Ad quod respondetur primo, secundum Chrysostomum, quia hoc non dicitur de electione praedestinationis, sed ad aliquod officium, et ad statum praesentis iustitiae, ad quem aliquando aliquis eligitur non secundum futurum, sed secundum quod nunc est in re: quia per hanc electionem non aufert arbitrii libertatem, nec aufert possibilitatem peccandi; unde, dicitur I Cor. X, 12: *qui existimat stare, videat ne cadat*. Sic ergo dominus elegit Iudam non tamquam malum tunc, nec tamen per electionem ablata est ei possibilitas peccandi. Secundo respondetur, secundum Augustinum, quod dominus elegit Iudam malum: et quia boni est ut malo utatur in bonum, licet sciret eum malum, malo eius bene est usus Deus, dum tradi se pertulit ut nos redimeret. Vel dicendum quod electio duodecim apostolorum non refertur hic ad personas, sed ad numerum; quasi dicat: ego elegi in vobis duodenarium numerum. Hic enim numerus congrue consecratur eis qui fidem sanctae Trinitatis per quatuor mundi cardines praedicaturi erant; qui quidem numerus non periit, quia in locum pereuntis proditoris surrogatus est Mathias. Vel, secundum Ambrosium, ideo elegit Iudam malum, ut consolaretur infirmitatem nostram, si aliquando contigerit nos ab amicis prodi, cum legimus a discipulo proditum dominum et magistrum. Sed quaeritur hic, quare cum dicit dominus *unus ex vobis Diabolus est*, nihil dicunt discipuli; et postea cum dicit, infra XIII, 21, *unus ex vobis me tradet*, dixerunt, *numquid ego sum, domine?* Respondeo dicendum, quod huius ratio est, quia hic dominus generaliter locutus est, dicens, unum ex eis esse Diabolum, quod potest referri ad quamcumque malitiam, et ideo non sunt commoti: ibi vero tantum facimus audientes, proditorem scilicet magistri, se continere non valent. Vel dicendum ad hoc, quod cum dominus haec verba dixit, quilibet eorum de sua virtute confidebat, et ideo non timebant de se. Sed quando Petrus audivit: *vade post me, Satana*, territi sunt, et infirmiora de se senserunt: et ideo vacillantes dicebant: *numquid ego sum, domine?* Hanc autem responsionem, quam dominus occulte fecerat, Evangelista exponit, dicens *dicebat autem de Iuda*, ut rei probavit eventus, ut patet infra, XIII.

CORPUS THOMISTICUM  
Sancti Thomae de Aquino  
Super Evangelium S. Ioannis lectura  
a capite VII ad caput XI

Textum Taurini 1952 editum  
ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas  
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

Caput 7

Lectio 1

[87466] Super Io., cap. 7 l. 1 Postquam dominus egit de vita spirituali et nutrimento, hic consequenter agit de instructione seu doctrina, quae est necessaria spiritualiter regeneratis, ut dictum est supra, et primo ostendit originem suae doctrinae; secundo manifestat eius utilitatem ab octavo capitulo, et deinceps. Circa primum tria facit. Primo ponitur locus ubi originem suae doctrinae manifestavit; secundo ponuntur occasiones eam manifestandi, ibi *Iudaei ergo quaerebant eum* etc.; tertio ponitur ipsa manifestatio, ibi *respondit eis Iesus, et dixit: mea doctrina non est mea* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ponitur incitatio Christi ad eundum ad locum, ubi publicavit originem suae doctrinae; secundo ponitur recusatio domini, ibi *dicit ergo eis Iesus* etc.; tertio subditur quomodo Christus ad locum illum pervenit, ibi *haec cum dixisset, ipse mansit in Galilaea*. Circa primum duo facit. Primo ponit occasiones quare Christum incitabant ad eundum; secundo subdit ipsam incitationem, ibi *dixerunt autem ad eum fratres eius*. Ex tribus autem movebantur ut incitarent Christum ad eundum in Iudaeam: primo quidem ex mora eius; secundo ex proposito; tertio ex congruitate temporis. Ex mora quidem eius in Galilaea, in qua ostendebat Christus se velle morari: et ideo dicit *post haec*, verba scilicet quae dicta sunt in Capharnaum, *ambulabat Iesus in Galilaeam*; scilicet, acceperat iter de Capharnaum, quae erat metropolis Galilaeae, ut discurreret per Galilaeam. Ideo autem dominus in Galilaea frequentius moratur, ut ostendat nobis transmigrandum esse de vitiis ad virtutes; Ez. XII, 3: *tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, et transmigrabis per diem coram eis*. Ex proposito autem Christi, qui forte eis per verba innotuit; et ideo dicit *non enim volebat in Iudaeam ambulare*. Cuius ratio est *quia quaerebant eum Iudaei interficere*; supra V, 18: *quaerebant eum Iudaei interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo*. Sed numquid non poterat illuc ire, et ambulare inter Iudaeos, et ab eis non occidi, sicut fecit infra VIII, 59? Respondeo dicendum, quod ad hoc triplex ratio assignatur. Prima ab Augustino: quia futurum erat ut aliquis fidelis Christi absconderet se ne a persecutoribus inveniretur. Ne ergo illi fuga obiiceretur pro crimine, voluit dominus ad consolationem nostram hoc in se praecessisse ostendere: quod etiam et verbo docuit. Matth. X, 23: *si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Alia quidem ratio est, quia scilicet Christus Deus erat et homo, et ideo virtute divinitatis poterat non laedi a persecutoribus. Sed hoc noluit continue facere, quia sic fuisset declarata eius divinitas, quod tamen humanitas eius venisset in dubium. Et ideo fugiens quandoque persecutores ut homo, asserit suam humanitatem, ut confundat omnes eum non verum hominem fuisse dicentes. Quandoque autem transiens illaesus per eos, ostendit suam divinitatem, confundens omnes eum hominem purum esse dicentes. Et ideo Chrysostomus habet aliam litteram, scilicet non enim habebat potestatem, si vellet, in Iudaeam ambulare: quod dicitur secundum modum humanum; sicut si dicatur: aliquis

non potest aliquo ire, si vellet, propter insidias. Tertia ratio est, quia nondum passionis aderat tempus: futurum enim erat ut pateretur in Pascha, quando immolabatur agnus, ut sic victima succederet victimae; infra XIII, v. 1: *sciens Iesus quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem*. Ex congruitate vero temporis, quia erat tempus congruum ad eundem in Ierusalem: et hoc est quod dicit *erat autem in proximo die festus Iudaeorum Scenopegia*. Scenopegia autem Graecum est, compositum ex scenos, quod est umbra, et phagim, quod est comedere; quasi dicat: erat tempus in quo comedebant in tabernaculis. Dominus enim mandavit filiis Israel, Lev. XXIII, 41, quod mense septimo per septem dies habitarent in tabernaculis, in memoriam quod quadraginta annis habitaverunt in tabernaculis in deserto. Et hoc festum tunc celebrabant Iudaei. Commemorat autem hoc Evangelista, ut ostendat quod multum tempus praetermisit ab eo tempore quo praemissa de cibo spirituali dicta fuerunt usque ad istud tempus. Nam quando fecit miraculum de panibus, erat prope dies Paschae; hoc autem festum Scenopegiae est multo post Pascha; et sic nihil eorum quae in quinque mensibus intermediis per dominum facta sunt, recitat hic Evangelista: ut detur intelligi quod licet indeficienter signa faceret, ut patet infra ultimo, illa praecipue studuerunt Evangelistae dicere pro quibus aut querela aut contradictio a Iudaeis subsequebatur. Consequenter cum dicit *dixerunt autem ad eum fratres eius*, ponitur incitatio fratrum domini, et primo ponitur eorum admonitio; secundo assignatur admonitionis ratio, ibi *ut discipuli tui videant opera tua*; tertio ab Evangelista assignatur causa talis rationis, ibi *neque enim fratres eius credebant in eum*. Circa primum primo ponuntur incitantes; unde dicit *dixerunt autem ad eum fratres eius*, non carnales et uterini, ut Elvidius blasphemavit, quod abhorret fides Catholica, quod sanctissimus ille virgineus uterus qui Deum protulit et hominem, protulisset postmodum alium hominem mortalem. Fratres ergo eius erant cognatione, quia erant consanguinei beatae Mariae virginis; haec enim est consuetudo Scripturae, consanguineos appellare fratres, secundum illud Gen. c. XIII, 8: *non sit, quaeso, iurgium inter me et te (...) fratres enim sumus*; cum tamen Lot nepos esset Abrahae. Et, ut Augustinus dicit, sicut in sepulcro ubi positum fuerat corpus domini, nec ante nec postea iacuit corpus, sic uterus Mariae nec ante nec postea quidquam mortale concepit. Sed quia aliqui de consanguineis beatae virginis erant apostoli, sicut filii Zebedaei, et Iacobi Alphaei, et alii, ideo non est intelligendum quod fuerunt de illis qui incitaverunt Christum, sed illi fuerunt alii propinqui eius, qui Christum non diligebant. Secundo ponitur monitio eorum, cum dicunt *transi hinc, scilicet de Galilaea, et vade in Iudaeam*, ubi est Ierusalem locus solemnus, doctoribus conveniens; Amos VII, 12: *qui vides, gradere in terram Iuda, et ibi comedes panem tuum, et prophetabis ibi*. Rationem autem subdunt, dicentes *ut et discipuli tui videant opera tua*, ubi ostendunt se primo inanis gloriae cupidos; secundo suspiciosos, et tertio incredulos. Cupidos quidem inanis gloriae ostendunt se, cum dicunt *ut et discipuli tui videant opera tua*. Patiebantur enim aliquid humani ad Christum, et volebant captare gloriam de honore humano, qui Christo exhiberetur a turbis; et ideo inducebant eum ut faceret opera sua in publico. Est enim proprium inanis gloriae cupidi ut quidquid gloriosum sui vel suorum fuerit, ostendatur in publico; Matth. VI, 5: *amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare ut videantur ab hominibus*; de quibus dicitur infra XII, 43: *dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei*. Suspiciosos autem ostendunt se et primo de formidine Christum notant; unde dicunt ei *nemo quippe in occulto aliquid facit*, quasi dicant: tu dicis te facere miracula, sed facis in occulto et hoc ex timore, alioquin ires in Ierusalem et faceres ea ibi coram multitudine. Sed tamen dominus dicit infra XVIII, v. 20: *in occulto locutus sum nihil*. Secundo notant eum de amore gloriae; unde dicunt *et quaerit ipse in palam esse*, quasi dicant: tu quaeris gloriam de his quae facis, et tamen propter timorem abscondis te. Hoc est proprium malorum, ut credant alios similes eis animi passiones habere. Vide quam irreverenter prudentia carnis verbum carnis factum arguebat: contra quos dicit Iob IV, 3: *arguis eum qui non est similis tibi, et loqueris quod tibi non expedit*. Incredulos ostendunt se esse, cum dicunt *si haec facis, manifesta te ipsum mundo*; quasi sub dubio ponunt an ipse miracula faciat; Is. XXI, 2: *qui incredulus est, infideliter agit*. Causam autem quare sic loquebantur, subdit Evangelista cum dicit *neque enim fratres eius credebant in eum*. Contingit enim quod carnales consanguinei maxime adversantur suis, et invident de bonis spiritualibus, et contemnunt eum. Unde dicit Augustinus: Christum consanguineum habere potuerunt, credere autem in eum in ipsa propinquitate fastidierunt. Mich. VII, 6: *inimici hominis domestici eius*; Iob XIX, 13: *fratres meos longe facit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me: dereliquerunt me proximi mei, et qui me noverant, obliti sunt mei*. Consequenter cum dicit *dixit ergo eis Iesus: tempus meum nondum advenit* etc., ponitur Christi responsio, et primo designat temporis ad ascendendum indispositionem; secundo assignat dictorum rationem, ibi *non potest mundus odisse vos*; tertio ponit ascendendi recusationem, ibi *vos ascendite ad diem festum hunc* et cetera. Sciendum est autem quod tota

sequens littera aliter exponitur secundum Augustinum, et aliter secundum Chrysostomum. Nam, secundum Augustinum, fratres domini invitabant eum ad humanam gloriam. Est autem tempus quo sancti perveniunt ad gloriam, scilicet tempus futurum, ad quam perveniunt per passiones et tribulationes. Sap. c. III, 6: *tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum*. Aliud vero est tempus quo mundani gloriam suam acquirunt, scilicet tempus praesens. Sap. c. II, 7: *non praetereat nos flos temporis: coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra* et cetera. Voluit ergo dominus ostendere quod non quaerebat gloriam huius temporis; sed ad celsitudinem gloriae caelestis per passionem et humilitatem suam volebat pervenire. Lc. ult., 26: *oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam*. Et ideo dicit eis, scilicet fratribus, *tempus meum, idest tempus gloriae meae, nondum venit*: quia oportet quod tristitia convertatur in gaudium. Rom. VIII, 18: *non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis*. Sed *tempus vestrum*, idest mundi gloria, *semper est paratum*. Rationem huius diversitatis temporis assignat cum dicit *non potest mundus odisse vos; me autem odit*. Ideo enim mundani habent tempus gloriae paratum, quia eadem amant quae mundus amat, et mundo consentiunt. Sancti vero qui quaerunt gloriam spiritualem, non habent hoc tempus paratum, quia quaerunt quae mundo displicent, scilicet paupertatem, luctum, esuriam et huiusmodi. Vituperant etiam quae mundus amat: immo ipsum mundum contemnunt; Gal. ult., v. 14: *mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*. Et ideo dicit *non potest mundus odisse vos*; quasi diceret: ideo paratum est tempus gloriae vestrae, quia mundus non odit vos, qui convenitis cum eo, et omne animal diligit sibi simile. *Sed me odit*; et ideo tempus meum non semper est paratum. Et ratio odii est, *quia ego testimonium perhibeo de illo*, scilicet mundo, quia *opera eius mala sunt*; idest, non praetermitto mundanos homines redarguere, licet sciam ex hoc odium incurrere et mortem intentari. Amos c. V, X: *odio habuerunt corripientem in porta*, illi scilicet qui amant malitiam. Et Prov. IX, 8: *noli arguere derisorem*. Sed numquid non mundani aliqui odio habentur a mundo, idest ab alio mundano? Responsio. Dicendum, quod in particulari mundanus quidem unus habetur odio ab alio, inquantum habet ea quae ipse vellet habere, vel impedit eum in his quae sunt de gloria mundi; sed inquantum mundanus, nullus oditur a mundo. Sancti vero universaliter odiuntur a mundo, quia contrariantur ei: et si aliquis de mundo eos diligat, hoc non est inquantum est de mundo, sed inquantum est in eo aliquid spirituale. Recusat autem dominus ascendere, cum dicit *vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendam*. Sicut enim sunt duae gloriae, ita duo diversa festa. Mundani enim habent festa temporalia, scilicet gaudere et epulari, et huiusmodi exteriores delicias. Is. XXII, 12: *vocavit dominus ad lamentum et ad planctum, ad calvitium et ad cingulum sacci: et ecce gaudium et laetitia occidere vitulos, et iugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum*, ibid. I, 14: *solemnitates vestras odovit anima mea*. Sancti vero habent festa spiritualia, quae in delectationibus spiritus consistunt. Is. XXXIII, 20: *respice Sion civitatem solemnitatis vestrae*. Et ideo dicit *vos*, qui gloriam mundi quaeritis, *ascendite ad diem festum hunc*, idest ad festa laetitiae temporalis; *ego autem non ascendam ad diem festum istum*, sed ad diem festum solemnitatis aeternae; et hoc, *quia meum tempus*, scilicet gloriae verae, quod erit permanens in aeternum gaudium sine fine, aeternitas sine labore, claritas sine nube, *nondum impletum est*. Secundum Chrysostomum, servata eadem divisione, exponitur sic: scilicet quod fratres domini conspiraverant in mortem Christi cum Iudaeis, unde inducebant eum ad eundem, volentes eum prodere et tradere Iudaeis. Et ideo dicit *tempus meum*, scilicet crucis et mortis, *nondum advenit*, ut vadam in Iudaeam, et occidar; *tempus autem vestrum semper est paratum*, quia sine periculo conversari poteritis cum eis. Et huius ratio est, quia non possunt odire vos, zelantes eadem et amantes cum eis: *me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt*. Per quod patet quod Iudaei non propter solutionem sabbati, sed propter publicam redargutionem me odiunt. *Vos ergo ascendite ad diem festum hunc* scilicet ad principium festi (nam septem diebus celebrabatur, ut dictum est), *ego autem non ascendam ad diem festum istum*, scilicet vobiscum, scilicet ad principium festi, *quia nondum tempus meum est impletum*, in quo patiar: nam in futuro Pascha crucifigendus erat. Ideo autem non ascendit cum eis, ut posset magis latere et cetera.

## Lectio 2

[87467] Super Io., cap. 7 l. 2 Postquam egit Evangelista de incitatione qua cognati domini inducebant Christum ut ascenderet in Iudaeam, et posuit Christi responsionem, hic consequenter agit de ascensu eius, et primo ponitur dilatio ascensus Christi; secundo ordo eius; tertio ascensionis modus. Dilatio quidem ponitur cum dicit *haec cum*

*dixisset, scilicet quae respondit, mansit ipse in Galilaea, non ascendens cum cognatis ad diem festum, ut verificaretur verbum suum, quod dixerat: ego non ascendam ad diem festum istum. Num. c. XXIII, 19: non est Deus ut homo, ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur. Ordo vero eius ponitur cum dicit ut autem ascenderunt fratres eius, idest cognati, tunc et ipse ascendit et cetera. Sed hoc videtur contra illud quod supra dixit: ego autem non ascendam; cum apostolus dicat II Cor. I, 19: Christus Iesus qui in vobis praedicatus est per nos (...) non fuit in illo est et non, sed est in illo fuit. Respondeo dicendum primo, quod festum Scenopegiae septem diebus agebatur, ut dictum est. Dominus autem dixit supra: ego autem non ascendam ad diem festum hunc, idest ad principium festi. Hoc autem quod hic dicitur ad diem festum, intelligendum est quantum ad intermedios dies, unde et sequitur: iam autem die festo mediante. Et sic patet quod factum Christi non contrariatur eius dicto. Secundo vero, ut Augustinus dicit, isti volebant quod Christus ascenderet in Iudaeam, ut quaesiturus gloriam temporalem, et sic dixit eis: non ascendam ad diem festum hunc, hoc modo sicut vos vultis. Sed ipse ascendit ad diem festum, quasi docturus turbas et instructurus de gloria sempiterna. Tertio, secundum Chrysostomum, quia supra dixit non ascendam ad diem festum hunc, passurus et moriturus, ut ipsi volebant; et tamen ipse ascendit ad diem festum non ut pateretur, sed ut alios erudiret. Modus ascensus ostenditur non in manifesto, sed quasi in occulto. Et huius ratio triplex est. Una, secundum Chrysostomum, ne magis suam divinitatem denudans, incarnatio eius minus certa esset, ut dictum est supra, et ut auferat verecundiam latendi iustis hominibus, quando non possunt persecutores suos publice detinere; et ideo dicit quasi in occulto, ut ostendat hoc esse dispensatione factum. Is. XLV, 15: vere tu es Deus absconditus. Alia, secundum Augustinum, ut scilicet daretur intelligi quod Christus occultus est in figuris veteris testamenti. Is. VIII, 17: expectavi dominum, qui abscondit faciem, idest manifestam notitiam, suam a domo Iacob: unde et usque in hodiernum diem velamen habent positum super cor eorum, ut dicitur II Cor. III, 15. Ideo omnia quae dicta sunt antiquo populo illi, umbrae fuerunt futurorum bonorum, ut dicitur Hebr. X, 1. Ut ergo ostendat quod etiam ipsum festum esset figura, ideo ascendit in occulto. Scenopegia, ut dictum est, erat festum tabernaculorum. Ille ergo hoc festum celebrat qui se in mundo isto intelligit peregrinum. Alia ratio est, ut doceat nos bona quae facimus occultare debere, non quaerentes favorem hominum, nec pompas stipantium turbarum desiderantes, secundum illud Matth. c. VI, 1: attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Consequenter cum dicit Iudaei ergo quaerebant eum in die festo ponit occasionem manifestandi originem doctrinae spiritualis, et ponit duas occasiones unam causatam ex dissensione turbarum, aliam ex admiratione earum, ibi iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum et cetera. Dissensio turbarum erat circa opinionem de Christo; unde circa hoc tria facit. Primo proponit id in quo omnes conveniebant; secundo illud in quo differebant, ibi et murmur multus erat in turba de eo; tertio quorum opinio inter eos praevalebat, ibi nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudaeorum. Conveniebant autem omnes in hoc quod quaerebant eum in die festo, et dicebant: ubi est ille? Patet quod ex multo odio et inimicitia neque eum nominare volebant. Gen. XXXVII, 4: oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. Differebant autem, quia quidam quaerebant desiderio addiscendi, secundum illud Ps. LXVIII, 33: quaerite eum, et vivet anima vestra; alii quaerebant eum desiderio malignandi, secundum illud Ps. XXXIX, 14: quaerunt animam meam ut auferant eam. Et ideo murmur erat multus in turba, de contentione quae erat de eo in turba. Et licet murmur sit generis neutri, tamen Hieronymus ponit in masculino, quia hoc habebat antiqua grammatica, vel ut ostendat divinam Scripturam non subiacere regulis Prisciani. Et erat dissensio, quia quidam, de turba, illi scilicet qui habebant rectum cor, dicebant, de Christo, quia bonus est. Ps. LXXII, 1: quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde. Thren. c. III, 25: bonus est dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum. Alii, scilicet qui erant male dispositi, dicebant, non, scilicet non est bonus. Datur autem per hoc intelligi, quod multitudo opinabatur eum bonum; sed principes sacerdotum opinabantur eum malum, et ideo dicunt sed seducit turbas. Lc. XXIII, 2: hunc invenimus subvertentem gentem nostram; Matth. XXVII, 63: recordati sumus quod seductor ille dixit et cetera. Sciendum est autem, quod seducere est seorsum ducere: potest autem homo duci seorsum vel a veritate, vel a falsitate; et utroque modo potest dici aliquis seductor. Vel in quantum seorsum ducit a veritate; et hoc modo non competit Christo, quia ipse est veritas etc., infra XIV, 6. Vel a falsitate; et hoc modo Christus seductor dicitur; Ier. XX, 7: seduxisti me, domine, et seductus sum: fortior me fuisti, et invaluisti. Et utinam sic omnes seductores vocemur et simus, ut dicit Augustinus. Magis autem seductor dicitur qui a veritate seducit et decipit: quia ille dicitur seorsum duci, qui trahitur a via communi. Veritas autem communis via est; haeresis vero et via malorum, diverticula quaedam sunt. Praevalet autem opinio malorum, scilicet principum sacerdotum, unde*

sequitur *nemo tamen palam loquebatur*. Et hoc, quia turbae comprimebantur propter metum principum sacerdotum; quia, ut dicitur infra IX, v. 22, *si quis confiteretur ipsum esse Christum, extra synagogam fiebat*. Ex quo patet eorum qui principabantur malitia, qua Christo insidiabantur, et eorum qui subiiciebantur, scilicet plebis, quia non habebant libertatem dicendi quod sentiunt. Consequenter cum dicit *iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum*, ponitur secunda occasio manifestandi doctrinam, quae sumitur ex admiratione turbarum: et primo ponitur admirationis materia; secundo ipsa admiratio; et tertio admirationis ratio. Materia quidem admirationis est doctrina Christi; unde et circa hanc ponitur et tempus et locus. Tempus, cum dicit *iam autem die festo mediante*; idest cum illius festi tot dies remansissent quot effluxerant, unde cum septem diebus ageretur festum, dicitur hoc fuisse quarto die. Et quidem in hoc quod se occultavit, humanitatis Christi est indicium, et nostrae virtutis documentum, ut dictum est; hoc autem quod se propalavit, nec eum tenere potuerunt, divinitatis est ostensivum. Ideo autem in medio festivitatis tempore ascendit, quia in principio festi omnes magis attentis sunt his quae festi sunt. Boni quidem ad cultum Dei, alii vero ad vanitates et lucra. Sed circa medium temporis, his quae festi sunt expeditis, magis parati sunt ad doctrinam. Ut ergo eos attentiores et paratiores ad doctrinam inveniret, non in primis diebus ascendit. Similiter etiam quia hoc congruit ordini doctrinae Christi: quia non in fine mundi, nec in principio, sed in medio tempore venit instruere homines de regno Dei, secundum illud Habac. III, 2: *in medio annorum notum facies*. Locus autem doctrinae ostenditur cum dicit *in templum*, ubi docebat propter duo; scilicet ut ostenderet se docere veritatem quam calumniari non poterant, et quae erat omnibus necessaria: infra XVIII, 20: *ego in occulto locutus sum nihil*; secundo vero quia templum, cum sit locus sacer, conveniens est doctrinae Christi sanctissimae. Is. II, 3: *venite, ascendamus ad montem domini, et ad domum Dei Iacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius*. Quid autem doceret Christus, praetermittit Evangelista; quia, ut dictum est, non omnia facta et verba domini exprimunt Evangelistae, sed ea quae commotionem et contradictionem in populo faciebant. Et ideo hic mentionem facit de commotione populi ex ipsa doctrina: quia scilicet qui ante dixerant *seducit turbas*, postea ex ipsa doctrina admiratione moventur. Et ideo consequenter cum dicit *et mirabantur Iudaei*, ponitur ipsorum admiratio. Nec mirum, quia hoc dicitur in Ps. CXVIII, 129: *mirabilia testimonia tua*. Verba enim Christi verba sunt sapientiae divinae. Ratio autem admirationis subditur cum dicit *quomodo hic litteras scit cum non didicerit?* Sciebant enim Iesum filium esse pauperis mulieris; et putabatur filius fabri, qui de labore suo vivens, non insisteret studio litterarum, sed potius operi manuali; secundum illud Ps. LXXXVII, 16: *pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea*. Et ideo cum audiunt eum docere et disputare, mirantur dicentes *quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Simile habetur Matth. XIII, 54: *unde huic sapientia et virtutes? Nonne hic est filius fabri?* Posito loco et occasionibus manifestandi doctrinae spiritualis originem, hic consequenter ipsius doctrinae originem manifestat, et primo ostendit originem spiritualis doctrinae esse a Deo; secundo invitat ad susceptionem eius, ibi *in novissimo magnae festivitatis die stabat Iesus et clamabat*. Circa primum duo facit. Primo ostendit originem doctrinae; secundo originem docentis, ibi *dicebant ergo quidam ex Ierosolymis* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ostendit originem doctrinae; secundo excludit obiectionem, ibi *nonne Moyses dedit vobis legem?* Circa primum duo facit. Primo ostendit originem doctrinae; secundo probat, ibi *si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat de doctrina*. Dicit ergo *respondit eis Iesus et dixit*, quasi dicat: vos admiramini unde habeam scientiam; sed ego dico, quod *mea doctrina non est mea*. Si dixisset doctrina quam ego dico, non est mea nulla esset quaestio; sed quod dicit *mea non est mea*, videtur contradictionem implicare. Sed hoc solvitur, quia hoc dici potest multipliciter. Unde sua doctrina aliquo modo potest dici sua, et aliquo modo non sua. Si enim intelligatur de Christo filio Dei, sic cum doctrina uniuscuiusque nihil aliud sit quam verbum eius, filius autem Dei sit verbum eius: sequitur ergo quod doctrina patris sit ipse filius. Idem autem verbum est sui ipsius per identitatem substantiae. Quid enim tuum est nisi tu ipse? Est autem non suum per originem. Quid enim non tuum quam tu, si alicuius es, quod es? Ut Augustinus dicit. Hoc ergo breviter videtur dixisse *mea doctrina non est mea*; ac si diceret: ego non sum a meipso. In quo haeresis Sabelliana confunditur, qui dicere ausi sunt ipsum esse filium qui est pater. Vel *mea doctrina*, quam ego pronuntio verbo creato, *non est mea, sed eius qui misit me*, patris; idest, non est mihi a me ipso, sed a patre, quia etiam cognitionem filius per aeternam generationem habet a patre; Matth. II, 27: *omnia tradita sunt mihi a patre meo*. Si vero intelligatur de Christo filio hominis, tunc dicit *mea doctrina*, quam ego habeo secundum animam creatam, et profero corporis ore, *non est mea*, idest, non est mihi a meipso, sed a Deo: quia omne verum, a quocumque dicatur, a spiritu sancto est. Sic ergo, secundum Augustinum I de Trin., secundum aliquid suam dixit doctrinam, et secundum aliquid non suam:

secundum formam Dei suam, secundum formam servi non suam. Ex quo habemus exemplum, quod omnem cognitionem nostram cum gratiarum actione recognoscamus a Deo; I Cor. IV, 7: *quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Consequenter cum dicit *si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina* etc., probat suam doctrinam esse a Deo: et hoc dupliciter. Primo ex iudicio recte sentientium; secundo ex sua intentione, ibi *qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit*. Circa primum sciendum est, quod iudicio illius standum est, utrum aliquis bene operetur in aliqua arte, qui est expertus in arte illa: sicut an aliquis bene loquitur Gallice, standum est iudicio eius qui est peritus in lingua Gallica. Secundum hoc ergo dicit dominus: illius iudicio standum est, an doctrina mea sit a Deo, qui est expertus in rebus divinis, talis enim recte potest de his iudicare; I Cor. II, 14: *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei, spiritualis autem iudicat omnia*. Et ideo dicit: quia vos alienati estis a Deo, ideo non cognoscitis de doctrina utrum ex Deo sit. Sed *si quis voluerit voluntatem eius*, idest Dei, *facere*, iste potest cognoscere utrum doctrina haec sit a Deo, *an ego a meipso loquar*. Ille quidem a seipso loquitur qui falsum dicit; quia, sicut dicitur infra VIII, 44, *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*. Vel aliter, secundum Chrysostomum. Voluntas enim Dei est pax, caritas et humilitas nostra; unde Matth. V, 9, dicitur: *beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Studium autem contentionis frequenter pervertit mentem hominis, intantum ut verum aestimet falsum. Unde deposito contentionis spiritu, rectius habetur certitudo veritatis; Iob. VI, 29: *respondete, obsecro, absque contentione, et loquentes id quod iustum est, iudicate*. Et ideo dicit dominus: si quis vult recte de doctrina mea iudicare, faciat voluntatem eius; idest, deponat iram, invidiam et odium quod sine causa in me habet. Et nihil est quod prohibeat eum cognoscere, *utrum ex Deo sit an ego a meipso loquar*, idest quod Dei verba sunt quae loquor. Vel aliter, secundum Augustinum. Voluntas Dei est ut faciamus opera eius, sicut voluntas patrisfamilias est ut operarii faciant opus eius. Opus autem Dei est ut credamus in eum quem ipse misit; supra VI, 29: *hoc est opus Dei ut credatis in eum quem ille misit*. Ideo dicit *si quis voluerit facere voluntatem eius*, scilicet Dei, idest credere in me, iste *cognoscet an doctrina mea sit ex Deo*. Is. c. VII, 9, secundum aliam litteram: *nisi credideritis, non intelligetis*. Consequenter cum dicit *qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit*, probat idem ex sua intentione. Et ponit duplicem intentionem per quam intelligitur duplex origo doctrinae. Dictum est autem aliquos loqui a se, aliquos vero loqui non a se. Loquitur autem non a se quicumque studet loqui veritatem. Omnis veritatis cognitio ab alio est: vel per modum quidem disciplinae, ut a magistro; vel per modum revelationis, ut a Deo; vel per inventionem, ut ab ipsis rebus, quia, ut dicitur Rom. I, 20: *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Sic ergo quocumque istorum modorum cognitio aliqua habeatur, non est homini a se. A se autem loquitur qui ea quae dicit nec a rebus nec ex doctrina humana accepit, sed de corde suo; Ier. XXIII, 16: *visionem cordis sui loquuntur*; Ez. XIII, 3: *vae prophetis insipientibus qui vaticinantur de corde suo*. Sic ergo confingere aliquid a se ipso, est propter humanam gloriam: quia, sicut Chrysostomus dicit, qui aliquam propriam vult instruere doctrinam, propter nihil aliud hoc vult quam ut gloriam acquirat. Et hoc est quod dominus dicit, probans doctrinam suam a Deo esse. *Qui a semetipso loquitur*, de certa cognitione veritatis quae est ab alio, iste *quaerit gloriam propriam* propter quam et propter superbiam, haereses et falsae opiniones introducuntur. Et hoc competit Antichristo; II Thess. II, 4: *qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur*. Sed *qui quaerit gloriam eius qui misit illum*, sicut ego quaero, (infra VIII, v. 50: *ego gloriam meam non quaero*) *hic verax est, et iniustitia in illo non est*. Verax sum, quia doctrina mea continet veritatem; iniustitia in me non est, quia alterius gloriam non usurpo. Et, ut dicit Augustinus, magnum nobis praebuit humilitatis exemplum, dum habitu inventus ut homo, quaerit gloriam patris, non suam: quod tu homo facere debes. Quando aliquid boni facis, gloriam tuam quaeris; quando aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris. Patet autem quod gloriam suam non quaerebat; quia si non fuisset adversarius principibus sacerdotum, non fuissent eum persecuti. Sic ergo Christus, et quicumque gloriam Dei quaerit, habet quidem in intellectu cognitionem, Matth. XX, 16: *magister, scimus quia verax es*, et ideo dicit *hic verax est*: in effectu autem rectam intentionem, unde dicit *et iniustitia in illo non est*. Iniustitia enim est quod homo usurpet sibi alienum; gloria autem est propria solius Dei: qui ergo sibi quaerit gloriam, iniustus est. Consequenter cum dicit *nonne Moyses dedit vobis legem?* Excludit obiectionem. Posset enim aliquis dicere Christo, quod ideo doctrina sua non esset a Deo, quia sabbatum solvit, secundum illud infra IX, 16: *non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit*. Et hoc intendit excludere; unde circa hoc tria facit. Primo excusat se, arguendo ex parte accusantium; secundo ostenditur eorum iniqua responsio, ibi *respondit turba* etc.; tertio excusat se per rationem, ibi *respondit Iesus, et dixit eis: unum opus feci, et omnes miramini*. Dicit ergo: dato, ut vos dicitis, quod doctrina mea non sit a Deo, quia legem non servo,



sabbatum solvens; tamen vos non habetis causam accusandi, cum sitis in simili delicto. Unde dicit *nonne Moyses dedit vobis*, idest populo vestro, *legem?* Et tamen *nemo ex vobis facit*, idest servat, *legem*; Act. VII, 53: *accepistis legem in dispositione Angelorum, et non custoditis*. Unde et Petrus, Act. XV, 10: *hoc est onus quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt*. Si ergo non servatis legem, quare propter transgressionem eius vultis me interficere? Non enim propter hoc facitis, sed propter odium: alioquin si propter zelum legis faceretis, ipsi vos servaretis eam; Sap. II, 12: *circumveniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis*; et sequitur: *morte turpissima condemnemus eum*. Vel dicendum, quod non servatis legem quam Moyses dedit vobis: et hoc patet in eo quod me vultis interficere, quod est contra legem; Ex. XX, 13: *non occides*. Vel aliter, secundum Augustinum: non facitis legem, quia in lege ipse contineor; supra V, 46: *si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit*. Sed vos vultis me interficere. Consequenter ponitur iniqua responsio turbae, cum dicit *respondit turba, et dixit: Daemonium habes*. Vero autem turba respondet non pertinentia ad ordinem, sed ad perturbationem, ut dicit Augustinus: eum enim dicunt Daemonium habere qui Daemones expellit, Matth. XII, 24. Et ideo consequenter cum dicit *unum opus feci, et omnes miramini*, dominus in sua veritate tranquillus, confutat eos, excusans se per rationem, et primo commemorat eis factum propter quod turbantur; secundo ostendit eos non debere turbari, ibi *propterea Moyses dedit vobis circumcisionem*; tertio inducit eos ad iustum iudicium, ibi *nolite iudicare secundum faciem* et cetera. *Respondit ergo Iesus, et dixit eis: unum opus feci, et omnes miramini*. Non reddit convicio convicium, nec repulit, quia *cum malediceretur, non maledicebat*: sed eis opus commemorat de curatione paralytici, de quo omnes admirabantur, non admiratione devotionis, secundum illud Is. LX, 5: *videbis, et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum*, sed admiratione turbationis, secundum illud Sap. V, v. 2: *videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis*. Si ergo propter unum opus miramini, idest cum turbatione turbamini, quid faceretis si omnia opera mea videretis? Nam, ut dicit Augustinus, ipsius opera erant quae in mundo videbant: omnes etiam infirmi per eum sanantur; Ps. CVI, 20: *misit verbum suum, et sanavit eos*; Sap. XVI, 12: *nec herba nec malagma sanavit eos; sed tuus, domine, sermo, qui sanat omnia*. Ideo ergo turbamini, quia unum tantum opus videtis, et non omnia. Consequenter cum dicit *propterea Moyses dedit vobis circumcisionem*, convincit eos de iniusta turbatione, et primo ponit mandatum eis datum a Moyse; secundo opus eorum; et tertio arguit ex utroque. Mandatum autem Moysi est de circumcisione; et ideo dicit *propterea*, idest ad significandum mea opera, *Moyses dedit vobis circumcisionem*. Nam circumcisio in signum data est, ut habetur Gen. XVII, 2: *erit vobis in signum foederis inter me et vos*: significabat enim Christum; et ideo semper data est in membro generationis, quia ex Abraham secundum carnem descensus erat Christus, qui spirituales circumcisionem, idest mentis et corporis, facit. Vel ideo in ipso membro fiebat, quia data est contra peccatum originale. Quod autem Moyses dederit circumcisionem, expresse non habetur, nisi Ex. XVII, 44: *omnis servus emptitius circumcidetur*. Et licet Moyses dederit circumcisionem, non tamen quasi eam instituens: quia non ipse primus accepit circumcisionis mandatum, sed Abraham, ut habetur Gen. XVII, 10. Factum autem Iudaeorum est quia in sabbato circumcidebant; et hoc est quod dicit *et sabbato circumciditis* et cetera. Et hoc ideo, quia Abrahae mandatum est, ut octavo die circumcideretur puer; Gen. XXI, 4: *circumcidit eum die octavo, sicut praeceperat ei Deus*. A Moyse autem praeceptum erat eis quod nihil operis facerent in die sabbati. Contingebat autem aliquando quod octavus dies necessitatis veniret in die sabbati; et sic circumcidentes puerum ipso die, mandatum Moysi solvebant, propter mandatum patrum. Et ideo ex his arguit dominus cum dicit *si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi; mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato?* Ubi notandum est, quod hoc argumentum efficaciam habet ex his tribus considerationibus, quarum duae sunt expressae, sed tertia subintelligitur. Videmus enim primo, quod quamvis mandatum Abrahae prius fuerit, tamen mandatum Moysi de observatione sabbati non praeiudicabat priori, scilicet mandato de circumcisione; Gal. III, 17: *dico autem, testamentum confirmatum a Deo, quae post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit*. Et ideo ex hoc arguit: quia licet in humanis legibus posteriora praeiudicent prioribus, tamen in divinis priora sunt maioris auctoritatis. Et ideo praecepto facto Abrahae de circumcisione non praeiudicat praeceptum Moysi de observatione sabbati. Multo ergo minus praeiudicat mihi, qui facio quod dispositum est a Deo ante mundi constitutionem de salute hominum in sabbato figurata. Alia consideratio est, quia Iudaei mandatum habebant ut non operarentur in sabbato; et tamen Iudaei operabantur quae ad salutem particularem erant. Dicit ergo: si vos, quibus mandatum est ut nihil operemini in sabbato, circumcisionem accipitis ipso die, quae est quaedam particularis salus (unde et in membro

particulari fiebat), et hoc facitis, *ut non solvatur lex Moysi* (ex quo patet, ea quae ad salutem pertinent in sabbato praetermittenda non esse): ergo multo magis debet homo facere ipso die ea quae sunt ad universalem salutem. Non ergo debetis mihi indignari, *quia totum hominem sanum feci in sabbato*. Tertia consideratio est, quia utrumque mandatum fuit figura: nam *omnia in figura contingebant illis*, I Cor. X, 11. Si ergo figura, scilicet mandatum de observatione sabbati, non praeiudicat figurae, scilicet mandato circumcisionis, multo minus praeiudicat veritati. Nam circumcisio ipsum dominum figurabat, ut dicit Augustinus. Ideo autem dicit *totum hominem*, quia, cum Dei perfecta sint opera, curatus est ut sanus esset in corpore, et credidit ut sanus esset in anima. Consequenter cum dicit *nolite iudicare secundum faciem* etc., reducit eos ad iustum examen sui: ut scilicet non secundum faciem iudicent, sed iustum iudicium. Dicitur autem quis iudicare secundum faciem dupliciter. Nam iudex iudicat secundum allegata; I Reg. XV, 7: *homines vident ea quae apparent*. Sed in hoc potest esse deceptio; et ideo dicit *nolite iudicare secundum faciem*, idest secundum illud quod statim apparet, sed diligenter inquirete; Iob XXIX, 16: *causam quam nesciebam diligenter investigabam*; Is. XI, 3: *non secundum visionem oculorum iudicabit*. Vel aliter *nolite iudicare secundum faciem*, idest nolite accipere personam in iudicio: hoc enim est prohibitum omnibus iudicantibus; Ex. XXIII, 6: *non accipiens personam pauperis in iudicio*; Mal. II, 9: *faciem accipitis in iudicio*. Accipere autem personam in iudicio est praetermittere iustum iudicium propter amorem, seu reverentiam, seu timorem, seu conditionem personae, quae non faciunt ad causam. Dicit ergo *nolite iudicare*, quasi dicat: non quia Moyses apud vos habet maiorem gloriam quam ego, ex personarum dignitate feratis sententiam, sed a rerum natura: quia ea quae ego facio, maiora sunt quam ea quae fecit Moyses. Sed notandum, secundum Augustinum, quod ille non iudicat partialiter, qui aequaliter diligit. Non enim cum homines diverso modo pro suis gradibus honoramus, timendum est ne personam accipiamus.

### Lectio 3

[87468] Super Io., cap. 7 l. 3 Postquam egit de origine doctrinae, consequenter agit de origine docentis, et primo Christus ostendit suum principium a quo procedit; secundo suum finem ad quem vadit, ibi *adhuc modicum tempus vobiscum sum*. Circa primum tria facit. Primo proponitur dubitatio turbarum de origine; secundo ponitur doctrina ipsius originis, ibi *clamabat ergo Iesus in templo*; tertio ponitur effectus doctrinae, ibi *quaerebant ergo eum apprehendere*. Circa primum tria facit. Primo ponitur admiratio turbae; secundum eorum suspicio, ibi *numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?* Tertio inducitur eorum obiectio contra ea quae suspicabantur, ibi *sed scimus*, et cetera. Admiratio autem turbarum consurgit ex duobus. Primo ex iniquo proposito principum: secundo ex publica doctrina Christi, ibi *ecce palam loquitur*. Dictum est autem supra, quod Christus ut ostenderet infirmitatem humanae naturae, latenter ascendit ad diem festum; sed ut ostenderet suae divinitatis personam, publice docet in templo, et a persequentibus teneri non potest. Et sic, ut ait Augustinus, apparet potestas quae putabatur timiditas. Et ideo *dicebant quidam ex Ierosolymis*, quasi admirantes, nam ipsi sciebant qua saevitia quaerebatur a principibus, utpote eius familiares, et Ierosolymis existentes. Unde Chrysostomus dicit: omnibus miserabiliores erant, qui divinitatis signum videntes maximum, omnia iudicio corruptorum principum permittentes, Christum minus reverebantur, secundum illud Eccli. X, 2: *qualis rector civitatis, tales et inhabitantes in ea*. Sed tamen mirabantur qua potentia non tenebatur; unde et dicebant *nonne hic est quem Iudaei quaerunt*, idest principes, secundum illud supra V, 16, *propterea persequerentur eum Iudaei*, idest principes, *quia haec faciebat in sabbato*; Dan. c. XIII, 5: *egressa est iniquitas a senioribus populi, qui videbantur regere populum*. Apparet autem per hoc veritas sermonum Christi, et falsitas principum. Supra enim cum dominus diceret eis *quid me quaeritis interficere?* Negaverunt, dicentes: *Daemonium habes: quis te quaerit interficere?* Sed ecce quod principes negabant, isti confitentur cum dicunt *quem Iudaei quaerunt interficere*. Sic ergo admirantur ex iniquo proposito principum. Similiter etiam ex publica doctrina Christi: unde dicunt *ecce palam loquitur*, docens, scilicet Christus, quod est indicium securae veritatis; infra XVIII, 20: *ego palam locutus sum; et tamen nihil ei dicunt*, quasi repressi virtute divina. Haec est enim propria Dei virtus quod malorum corda ab impetu suae malitiae reprimat; Prov. XVI, 7: *cum placuerint domino viae hominis, inimicos eius quoque convertet ad pacem*. Et alibi; *cor regum in manu Dei: quocumque voluerit inclinabit illud*. Suspicio eorum ponitur cum dicit *numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?* Quasi dicant: ante quaerebant eum interficere, modo invenerunt, et tamen nihil ei dicunt; non tamen mutati a propria sententia, quia, ut dicitur I Cor. II, 8: *si enim cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixissent*: sed repressi a virtute

divina. Obiectio autem eorum contra suspicionem subditur *sed hunc scimus unde sit*, quasi hoc modo arguentes: Christus debet habere occultam originem; sed iste habet originem manifestam: ergo non est Christus. In quo apparet eorum amentia, quia supposito quod quidam etiam principes crederent Christo, non tamen eorum sententiam sequuntur, sed aliam corruptam proferunt; Ez. V, 5: *ista est Ierusalem, in medio gentium posui eam*. Sciebant enim Christum esse ex Maria secundum originem, sed tamen eius modum ignorabant; Mt. XIII, 55: *nonne pater eius est Ioseph, et mater eius dicitur Maria?* Sed cum dicitur Mich. V, 2: *ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel*: quare dicunt *Christus cum venerit, nemo scit unde sit?* Respondeo. Dicendum quod hoc habent ex verbo Is. LIII, 8: *generationem eius quis enarrabit?* Sic ergo et ex prophetis habent ut sciant unde sit, secundum humanam originem; et ex eis habent quod nesciant, secundum divinam generationem. Consequenter cum dicit *clamabat ergo Iesus in templo*, manifestat suam originem, et primo ostendit secundum quid sua origo sit nota, et secundum quid sit ignota; secundo docet quomodo ad eius notitiam possumus pervenire, ibi *ego scio eum* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ostendit quid de origine eius sciebant; secundo quid circa ipsum ignorabant, ibi *et a meipso non veni*. Noverant autem de Iesu originem suam: et ideo dicit *clamabat Iesus*. Clamor autem ex magnitudine affectus procedit. Et ideo quandoque importat turbulentiam animi interius concitati: et hoc modo non competit Christo, de quo scriptum est Is. XLII, 2: *non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox eius foris*; Eccle. IX, 17: *verba sapientium audiuntur in silentio*. Quandoque importat magnitudinem devotionis, secundum illud Ps. CXIX, 1: *ad dominum, cum tribularer, clamavi*. Quandoque vero cum hoc magnitudinem dicendorum, secundum illud Is. VI, v. 3: *Seraphim clamabant alter ad alterum, et dicebant: sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus exercituum*; Prov. VIII, 1: *numquid non sapientia foris clamat, et prudentia dat vocem suam?* Et sic praedicatores clamare monentur Is. LVIII, 1: *clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*. Et sic clamabat hic dominus, *docens in templo, et dicens*, hoc scilicet *me scitis*, secundum faciem noscitis, et *unde sim scitis*, scilicet corporaliter; Bar. III, v. 38: *post haec in terris visus est*. Sciebant enim, quod ex Maria natus erat in Bethlehem, et nutritus in Nazareth; sed nesciebant virginis partum, et quod per spiritum sanctum conceptus esset, ut dicit Augustinus. Excepto virginis partu, totum noverant in Iesu, quod ad hominem pertinet. Nesciebant autem de ipso originem occultam: unde dicit *et a me ipso non veni*, et primo insinuat suam originem; secundo ostendit eam eis esse occultam. Origine autem sua est a patre ab aeterno: unde dicit *a me ipso non veni*, quasi dicat: ante fui secundum divinitatem, quam in mundo venire per humanitatem; infra VIII, 58: *antequam Abraham fieret, ego sum*. Alias non conveniret ei venire, nisi ante fuisset; et tamen hoc ipsum quod *veni, non veni a me ipso*: quia filius non est a se, sed a patre; infra XVI, 28: *exivi a patre, et veni in mundum*. Praenuntiata autem fuit eius origo a patre, qui eum promisit mittere; Ex. IV, 13: *obsecro, domine, mitte quem missurus es*; Is. c. XIX, 20: *mittam eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos*. Et ideo dicit *sed est verus qui misit me*, quasi dicat: non aliunde veni, sed ab eo qui promisit, et promissum adimplevit, quia verus est; Rom. III, v. 4: *est autem Deus verax*, et ideo docet me veritatem loqui, quia a vero missus sum. Est autem eis occulta, quia nesciunt eum qui misit me; unde dicit *quem vos nescitis*. Sed cum omnis homo, licet in carne natus, sit a Deo, videtur quod possit dicere: ego sum a Deo, et per consequens: me scitis unde sim. Responsio. Dicendum, secundum Hilarium, quod filius aliter est a Deo quam alii homines, quia sic est a Deo quod etiam est Deus: unde Deus est principium eius consubstantiale. Alii vero sic sunt a Deo quod tamen non sunt ex illo. Sic ergo filius unde sit ignoratur, quia natura ex qua est, nescitur; sed homines unde sint non ignoratur, quia unde sit ignorari non potest quidquid subsistit ex aliquo. Consequenter cum dicit *ego scio eum*, docet quomodo perveniri possit ad notitiam eius a quo est. Ab illo enim oportet nos addiscere aliquid qui scit illud; solus autem filius novit patrem, et ideo dicit: si vultis notitiam eius qui misit me habere, oportet quod habeatis a me, quia *ego solus scio eum*. Et ideo primo ostendit suam scientiam; secundo scientiae suae perfectionem; tertio scientiae suae rationem. Suam scientiam ostendit cum dicit *ego scio eum* et cetera. Verum est autem, quod *omnes homines vident eum*, ut dicitur Job c. XXXVI, 25, sed tamen diversimode, quia homines in vita ista vident eum per creaturas; Rom. I, 20: *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Ideo dicitur I Cor. XIII, 12: *videmus nunc per speculum in aenigmate*. Angeli vero et beati in patria, vident eum immediate per essentiam; Matth. XVIII, 10: *Angeli eorum in caelis semper vident faciem patris mei qui in caelis est*; I Io. III, 2: *videbimus eum sicuti est*. Sed filius Dei videt eum excellentius omnibus, scilicet visione comprehensionis; supra I, 18: *Deum nemo vidit unquam, scilicet comprehendendo; unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit*; Matth. XI, 27: *neque patrem quis novit nisi filius*. Et de hac visione loquitur hic, dicens *ego scio eum*, scilicet notitia comprehensionis. Perfectionem vero scientiae suae ostendit

dicens *si dixero quia nescio eum, ero similis vobis, mendax*. Quod quidem introducit propter duo: nam creaturae intellectuales sciunt eum, sed longe, et imperfecte, quia *unusquisque intuetur eum procul*, ut dicitur Iob XXXVI, 25. Veritas enim divina excedit omnem cognitionem; I Io. III, 20: *Deus maior est corde nostro*. Quicumque ergo Deum cognoscit, potest absque mendacio dicere *nescio eum*: quia non cognoscit eum quantum cognoscibilis est. Filius autem Deum patrem perfectissime cognoscit, sicut perfectissime ipse se novit: unde non potest dicere *nescio eum*. Item quia cognitio Dei, et maxime quae est per gratiam, potest perdi; secundum illud Ps. CV, 21: *obliti sunt Deum qui redemit eos*, unde possunt dicere *nescio eum*, quamdiu sunt in vita ista: quia nemo scit utrum odio vel amore dignus sit. Filius autem inamissibilem notitiam habet de patre, unde non potest dicere *nescio eum*. In hoc autem quod dicit *ero similis vobis, mendax*, debet accipi similitudo per contrarium. Non enim essent mendaces, si dicerent se nescire Deum; sed potius si dicerent se Deum cognoscere, cum eum ignorent. Si autem Christus diceret se eum non nosse, cum noscat, esset mendax. Est ergo sensus verbi *si dixero quia nescio eum*, cum sciam eum, *ero similis vobis, mendax*, qui dicitis vos cognoscere eum, cum tamen ipsum ignoretis. Sed numquid non poterat Christus dicere *nescio eum*? Videtur quod sic, quia poterat movere labia, et proferre verba huiusmodi: ergo potest esse mendax. Sed dicendum, quod Christus huiusmodi verba protulit, et tamen non fuit mendax: quod intelligendum est sic: *si dixero: nescio eum*, cum assertionem, ita scilicet quod corde credam quod profero ore. Asserere autem falsum pro vero, ex duplici defectu contingit. Scilicet ex defectu cognitionis in intellectu; et hic defectus non poterat esse in Christo, cum sit Dei sapientia, ut dicitur I Cor. I, 30. Item ex defectu rectae voluntatis in affectu; qui similiter in Christo esse non poterat, cum sit Dei virtus, ut ibidem dicitur. Unde non poterat dicere asserendo *nescio eum*. Nec tamen conditionalis est falsa, quamvis antecedens sit impossibile, et consequens. Ratio autem singularis et perfectae scientiae Christi ponitur, cum dicit *sed ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit*. Omnis enim cognitio est per aliquam similitudinem, cum nihil cognoscatur nisi prout similitudo cogniti est in cognoscente; omne autem quod procedit ab aliquo, habet eius similitudinem a quo procedit, unde omnes vere cognoscentes, secundum diversum gradum processionis eorum a Deo, habent diversimode eius cognitionem. Anima autem rationalis, Dei cognitionem habet, secundum quod similitudinem eius participat imperfectiori quodam modo ab aliis creaturis intellectualibus. Angelus, quia expressiorem Dei similitudinem habet, cum sit signaculum similitudinis, manifestius Deum cognoscit. Filius autem perfectissimam patris similitudinem habet, cum sit eiusdem essentiae et virtutis cum ipso; et ideo perfectissime cognoscit, ut dictum est. Et ideo dicit *sed ego scio eum*, scilicet quantum cognoscibilis est. Et huius ratio est *quia ab ipso sum*, quasi habens eandem naturae essentiam cum ipso per consubstantialitatem. Unde, sicut ipse perfecte se novit per essentiam suam, ita et per eandem essentiam *ego scio eum*, perfecte. Sed ne hoc referatur ad missionem qua venit in mundum, continuo subiecit *et ipse me misit*: ut sic quod dicit *ab ipso sum*, referatur ad aeternam generationem, per quam consubstantialis est patris. Ex quo habetur proprietas cognitionis de proprietate generationis. Per hoc vero quod dicit *ipse me misit*, insinuat patrem auctorem incarnationis; Gal. IV, v. 4: *misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Sicut autem per hoc quod filius est a patre, perfectam patris cognitionem habet; ita etiam per hoc quod anima Christi singulariter est unita verbo, habet singularem et excellentiorem prae aliis creaturis cognitionem Dei, licet eum non comprehendat. Et ideo potest Christus secundum humanam naturam dicere: *scio eum excellentius prae omnibus creaturis, non tamen comprehendendo*. Consequenter cum dicit *quaerebant ergo eum apprehendere*, agitur de effectu doctrinae, et primo quantum ad turbas; secundo quantum ad Pharisaeos, ibi *audierunt Pharisei turbam murmurantem*. Circa primum duo facit. Primo ponit effectum doctrinae in turbis malevolis; secundo in turbis devotis, ibi *de turba autem multi crediderunt in eum*. Circa primum tria facit. Primo innuit turbarum iniquum propositum; secundo propositi implendi impedimentum; et tertio impedimenti rationem. Iniquitas autem propositi manifestatur cum dicit *quaerebant ergo eum apprehendere*. Quia enim dixerat dominus *quem vos nescitis*, irati sunt Iudaei quasi simularent eum scire, et ideo iniqua proponebant, scilicet eum apprehendere, ad crucifigendum et occidendum, secundum illud Ps. LXX, 11: *persequimini, et comprehendite eum*. Sunt autem aliqui qui Christum in se habentes, quaerunt tamen pie apprehendere; Cant. VII, 8: *ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius*. Unde et apostolus dicebat, Phil. III, 12: *sequor, si quo modo apprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Iesu*. Impedimentum propositi ponit cum dicit *nemo misit in illum manus*. Invisibiliter enim eorum furor refrenatus est et repressus. Per quod patet quod voluntas nocendi est unicuique a se, sed nocendi potestas a Deo, quod patet Iob I et II, ubi Satan non potuit Iob affligere nisi quantum permissum est sibi a Deo. Ratio impedimenti assignatur *quia nondum venerat hora eius*. Unde sciendum est, quod,

secundum illud Eccle. VIII, 6: *omni negotio tempus est et opportunitas*. Tempus autem unicuique rei ex sua causa determinatur. Quia ergo corporalium effectuum causa sunt corpora caelestia, ideo in his quae corporaliter aguntur, hora determinatur ex corporibus caelestibus; anima vero, cum secundum intellectum et rationem nullis corporibus caelestibus subiaceat, cum quantum ad hoc temporales causas transcendat, non habet horas determinatas ex corporibus caelestibus; sed ex causa eius, scilicet Deo, qui dispensat quid quo tempore sit faciendum; Eccli. XXXIII, 7: *quare dies diem superat; et iterum lux lucem, et annus annum a sole? A domini scientia separati sunt, facto sole, et praeceptum custodiente*. Multo ergo minus in Christo determinatur hora ab ipsis corporibus. Sic ergo intelligenda est hora eius, non ex necessitate fatali, sed a tota Trinitate praefinita: nam, ut dicit Augustinus, hoc nec de te credendum est; quanto magis de illo per quem factus es? Si tua hora voluntas illius est, scilicet Dei; hora illius, quae est nisi voluntas sua? Non ergo horam dixit qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. Supra II, 4: *nondum venit hora mea*; infra XIII, v. 1: *sciens Iesus quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem* et cetera. Consequenter cum dicit *de turba autem multi crediderunt in eum*, ponit effectum doctrinae in turbis devotis. Et primo ponitur eorum fides, *quia multi de turba crediderunt in eum*. Non dicit de principibus: quia quanto maiores erant, tanto magis erant elongati, et ideo in eis sapientia locum non habebat, quia, ut dicitur Prov. XI, v. 2: *ubi humilitas, ibi sapientia*. Turba autem, quia suam aegritudinem cito vidit, domini medicinam sine dilatione cognovit; Mt. c. XI, 25: *abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*. Et propter hoc in principio humiles et pauperes conversi sunt ad Christum; I Cor. I, 28: *ignobilia et contemptibilia mundi elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret*. Secundo ponit motivum ad fidem cum dicit *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quae hic facit?* Prophetatum enim erat quod Christus in adventu suo miracula multa esset factururus; Is. XXXV, 4: *Deus ipse veniet, et salvabit nos: tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt* et cetera. Et ideo videntes miracula quae Christus faciebat, inducebantur ad fidem eius. Sed tamen fides eorum infirma erat, quia non a doctrina, sed a signis moventur ad credendum ei; cum tamen ipsi, qui fideles iam erant, et per legem instructi, magis a doctrina moveri debuissent, nam ut dicitur I Cor. XIV, 22: *signa data sunt infidelibus, prophetiae autem non infidelibus, sed fidelibus*. Secundo quia adhuc videntur alium Christum expectare; unde dicunt *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quae hic facit?* Unde patet quod non credebant in Christum, sicut in Deum, sed sicut in aliquem iustum virum, seu prophetam. Vel, secundum Augustinum, syllogizant: *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet?* Quasi dicant: Christus promittitur venturus, sed ipse non plura signa faciet quam hic facit: ergo vel ipse est Christus, vel erunt plures Christi. Consequenter cum dicit *audierunt Pharisei turbam murmurantem de illo haec*, ponitur effectus in Phariseis. Et, ut Chrysostomus dicit, Christus multa dixit, et tamen non sunt moti contra eum. Quando autem vident turbam ei acquiescere, statim concitantur contra eum, et insanientes, eum occidere cupiebant. Ex quo patet quod sabbati solutio non erat vera causa odii eorum sed hoc eos maxime mordebat quod turbae Christum glorificabant. Et hoc patet infra c. XII, 19: *videtis quia nihil proficimus? Ecce totus mundus post eum vadit*. Quia vero ipsi Christum capere non audebant, timentes periculum, ministros mittunt, tamquam periculis expositos.

#### Lectio 4

[87469] Super Io., cap. 7 l. 4 Postquam posuit dominus originis suae principium, hic consequenter insinuat suum terminum, quo scilicet iturus est per mortem, et primo insinuat terminus viae Christi; secundo ponitur admiratio turbarum de sermonibus eius, ibi *dixerunt ergo Iudaei ad semetipsos* et cetera. Circa primum tria facit. Primo insinuat suae vitae terminum; secundo praenuntiat futurum turbarum desiderium, ibi *quaeritis me, et non invenietis*; tertio subdit eorum defectum, ibi *et ubi sum ego, vos non potestis venire*. Circa primum duo facit. Primo praenuntiat mortis suae dilationem; secundo innuit quo iturus est per mortem, ibi *et vado ad patrem* etc.: et sic in primo ostendit suam potestatem; in secundo patiendi voluntatem. Potestatem quidem suam ostendit in dilatione mortis, quia, licet Iudaei quaerent eum apprehendere, non tamen hoc possunt, nisi Christus velit; infra X, 18: *nemo tollit animam meam; sed ego pono eam*. Et ideo dixit eis Iesus: *adhuc modicum tempus vobiscum sum*; quasi dicat: vultis me interficere, sed hoc non est positum in voluntate vestra, sed in voluntate mea: et ego determino quod *adhuc modicum tempus vobiscum sum*; et ideo parum expectate tempus. Hoc quod vultis modo facere, facturi estis: *adhuc enim modicum tempus vobiscum sum*. In quo quidem dominus satisfacit primo quidem turbae quae eum reverebatur, faciens eam magis avidam ad audiendum, quasi parvo tempore derelicta, in

quo possent hac doctrina potiri, ut Chrysostomus dicit. Infra XII, v. 36: *dum lucem habetis, credite in lucem*. Secundo vero turbae quae eum persequebatur, quasi dicat: non diu differtur desiderium vestrum de morte mea, unde patienter sustinete: quia *adhuc modicum*. Implere enim debeo dispensationem meam; praedicando scilicet, et miracula faciendo, et sic pervenire ad passionem; Lc. XIII, 32: *ite, et dicite vulpi illi, quia hodie et cras operor, et tertia die consummor*. Est autem triplex causa, quare Christus modico tempore voluit praedicare. Prima ad demonstrandum suam virtutem, quod in tam modico tempore totum mundum immutaret; Ps. LXXXIII, 11: *melior est dies una in atriis tuis super millia*. Secunda est ad excitandum desiderium discipulorum, ut scilicet magis eum desiderarent quem modico tempore corporali praesentia habituri erant; Lc. XVII, 22: *venient dies in quibus desiderabitis unam diem filii hominis*. Tertia est ad augmentandum discipulorum spirituale profectum. Cum enim Christi humanitas sit nobis via tendendi in Deum, ut dicitur infra XIV, 6: *ego sum via, veritas et vita*, non debemus in ea quiescere ut in termino, sed per eam debemus in Deum tendere. Ne ergo corda discipulorum ad Christum carnaliter affecta, in eo ut in homine quiescerent ideo Christus corporalem sui praesentiam ab eis cito subtrahit: unde dicebat, infra XVI, 7: *expedit vobis ut ego vadam*; II Cor. V, 16: *et si Christum secundum carnem novimus, tunc scilicet quando corporaliter nobiscum erat, sed nunc iam non novimus*. Voluntatem suae passionis ostendit cum dicit *et vado ad eum qui me misit*, quasi spontaneus, scilicet per passionem; Is. c. LIII, 7: *oblatus est, quia ipse voluit*; Eph. c. V, 2: *obtulit semetipsum hostiam Deo in odorem suavitatis*. *Vado*, inquam, *ad patrem qui misit me*. Et hoc convenienter: nam quaelibet res naturaliter redit ad suum principium; Eccle. I, 7: *ad locum unde exeunt flumina, revertuntur*. Infra XIII, 3: *sciens quia a Deo exivit, et ad Deum vadit*. Et iterum c. XVI, 5: *vado ad eum qui misit me*. Consequenter cum dicit *quaeritis me, et non invenietis*, praenuntiat Iudaeorum desiderium, quasi dicat: modicum est quod potestis mea doctrina frui; sed hoc modicum, quod modo respuitis, quandoque quaeritis, et non invenietis; Is. LV, 6: *quaerite dominum dum inveniri potest*; et in Ps. LXVIII, 33: *quaerite dominum, scilicet in praesenti, et vivet anima vestra*. Hoc autem quod dicit *quaeritis me, et non invenietis*, potest intelligi vel de inquisitione corporali Christi, vel de spirituali. Si vero intelligatur de corporali, sic, secundum Chrysostomum, quaesierunt eum quando filiae Ierusalem, scilicet mulieres, plangebant super eum, ut dicitur Lc. XXIII, 27, et credibile est hoc tunc multos alios passos esse. Nec est etiam a veritate remotum, quia imminente tribulatione Iudaeis, et praecipue cum civitas caperetur, memores Christi et miraculorum eius, desiderarent eius praesentiam, qua liberarentur; et secundum hoc dicendum est *quaeritis me, idest meam praesentiam corporalem, et non invenietis*. Si vero intelligatur de spirituali, dicendum est, secundum Augustinum, quod eum quem noluerunt cognoscere praesentem, tunc postea quaesierunt cum videntes multitudinem credentem, compuncti de scelere mortis Christi, dixerunt Petro, Act. II, 37: *quid faciemus, viri fratres?* Sic ergo quaesierunt Christum quando crediderunt in eum suis sceleribus ignoscentem, quem viderunt ipsorum scelere morientem. Consequenter cum dicit *et ubi ego sum, vos non potestis venire*, ostendit eorum defectum. Nec dicit quo vado, quod esset magis consequens ad praemissa, scilicet *vado ad patrem qui me misit*; sed dicit *ubi ego sum*, ut ostendat se Deum et hominem. Hominem quidem, in quantum vadit, infra XVI, 5: *vado ad eum qui me misit*, sed in quantum semper ibi erat Christus quo fuerat rediturus, ostendit se Deum; supra III, 13: *nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo*. Sic ergo, secundum Augustinum, sicut Christus rediit ut nos non relinqueret, sic ad nos per assumptionem visibilis carnis descendit ut secundum invisibilem maiestatem etiam esset in caelo. Non autem dicit non invenietis, quia aliqui ituri erant; sed dicit *non potestis venire*, quamdiu scilicet sic dispositi estis. Nullus enim ad hereditatem caelestem pervenire potest, nisi sit heres Dei. Heres autem Dei aliquis efficitur per fidem Christi; supra I, 12: *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*. Iudaei autem nondum in eum credebant; et ideo dicit *non potestis venire*. In Ps. XXIII, 3, requirit: *quis ascendet in montem domini?* Et respondetur: *innocens manibus, et mundo corde*. Iudaei autem non erant mundo corde, nec innocentes manibus, quia volebant Christum interficere, ideo dicit: non potestis ascendere in montem domini. Consequenter cum dicit *dixerunt ergo Iudaei ad semetipsos, ponitur Iudaeorum admiratio, qui licet carnaliter de Christo saperent, tamen ex parte credebant*. Et tria faciunt. Primo admirantur; secundo suspicantur; et tertio contra suspicionem argumentantur. Admirantur quidem cum dicunt ad semetipsos *quo iturus est hic, quia non invenerimus eum?* Ut enim dictum est, hoc carnaliter intelligebant; I Cor. II, 14: *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*. Et ideo quod esset iturus, non quidem per mortem, sed corporaliter, ad aliquem locum quo eis non liceret ascendere, suspicantur super hoc, dicentes *numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes?* Nam gentes alienatae erant a conversatione Iudaeorum; Eph. II, 12: *hospites testamentorum eratis alienati a conversatione*

*Israel, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. Et ideo quasi eis exprobrantes, dicunt in dispersionem gentium, quae scilicet ubique disseminatae erant, et imperfecte ad invicem permixtae; Gen. X, 32: hae sunt familiae Noe iuxta populos et nationes suas, et ab his divisae sunt gentes in terra post diluvium. Sed populus Iudaeorum collectus erat loco, et cultu unius Dei, et observatione legis; Ps. CXLVI, 2: aedificans Ierusalem dominus, dispersiones Israelis congregabit. Nec dicunt quod iturus sit ad gentes quasi gentilis futurus, sed tamquam eas reducturus: unde subdunt et docturus gentes. Quod forte sumpserunt ex Is. XLIX, 6: parum est mihi ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, et faeces Israel convertendas: dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. Quamvis autem isti non intelligerent ea quae dicunt, sicut nec Caiphas intellexit cum dixit: expedit vobis ut unus homo moriatur, et non tota gens pereat, tamen verum dicunt, et salutem gentium praedixerunt, ut Augustinus dicit, quod iturus esset ad gentes, non praesentia corporis, sed pedibus suis, scilicet apostolis. Misit enim ad nos membra sua, et fecit nos sua membra; infra X, 16: alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere (...) et fiet unum ovile, et unus pastor. Et ideo Is. II, 3, dicitur in persona gentium: docebit nos vias suas. Obiiciunt autem contra ea quae suspicantur, dicentes quis est hic sermo quem dixit: quaeritis me? Quasi dicant: si dixisset quaeritis me, et non invenietis, et ubi sum ego, vos non potestis venire, poterat quidem intelligi quod iturus esset ad gentes; sed per hoc quod addidit ubi ego sum non potestis venire, videtur excludere hunc intellectum. Non enim impossibile est nobis ad gentes ire et cetera.*

## Lectio 5

[87470] Super Io., cap. 7 l. 5 Postquam dominus egit de origine suae doctrinae et docentis nec non de termino eius, hic consequenter invitat ad ipsam doctrinam, et primo ponitur Christi invitatio; secundo turbarum dissensio, ibi *ex illa autem hora* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ponitur invitandi modus; secundo ipsa invitatio, ibi *si quis sitit, veniat ad me*; tertio subditur expositio, ibi *hoc autem dixit de spiritu*. Modus autem invitandi attenditur quantum ad tria; scilicet quantum ad tempus invitationis; quantum ad situm invitantis; quantum ad conatum vocantis. Quantum ad tempus, quia *in novissimo die magno festivitatis*: nam, ut dictum est, festum illud celebrabatur septem diebus, et primus et ultimus dies solemniores erant, sicut et apud nos primus dies festi et octavus sollemnis est magis. Hoc ergo quod hic dominus fecit, non fecit primo die, quia nondum ascenderat Ierusalem, nec intermediis diebus, sed in novissimo; et hoc ideo, quia pauci sunt qui festa spiritualiter celebrant: et ideo non eos a principio ad doctrinam invitat, ne per vanitates sequentium dierum festorum aboleretur de cordibus eorum, quia, ut dicitur Lc. VIII, 7 verbum domini suffocatur a spinis, sed in ultimo die eos invitat, ut tenacius eorum cordibus imprimatur. Quantum ad situm autem quia *stabat Iesus*. Ubi sciendum est, quod Christus docuit sedens, et stans. Sedens, quidem docuit discipulos, Matth. V, 1; stans autem turbas, sicut hic. Et ideo ex hoc inolevit consuetudo in Ecclesia, ut turbis praedicetur stando, religiosi vero et clericis sedendo. Cuius ratio est, quia cum praedicatio ad turbas sit quasi ad eas convertendas, fit per modum exhortationis; sed cum praedicatio ad clerum fit, quasi iam ad existentes in domo Dei, est ut quaedam commemoratio. Quantum ad conatum vero vocantis quia *clamabat*, ut scilicet ostenderet suam securitatem; Is. XL, 9: *exalta in fortitudine vocem tuam (...) exalta, noli timere*. Et ut ab omnibus audiretur; Is. LVIII, 1: *clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*. Et ut ostendat magnitudinem dicendorum; Prov. VIII, v. 6: *audite me, quia de rebus magnis locutura sum*. Consequenter cum dicit *si quis sitit, veniat ad me*, ponitur invitatio, et primo ostendit qui invitentur; secundum quis sit fructus invitationis. Invitantur quidem sitiennes; unde dicit *si quis sitit, veniat ad me, et bibat*. Is. LV, 1: *omnes sitiennes, venite ad aquas*. Ideo enim sitiennes vocat, quia tales sunt qui desiderant Deo servire. Deus autem coacta servitia non acceptat; II Cor. IX, 7: *hilarem datorem diligit Deus*. Et propter hoc dicebat Ps. LIII, 8: *voluntarie sacrificabo*. De istis dicitur Matth. V, 6: *beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam*. Quos quidem dominus non partialiter vocat, sed omnes; unde dicit *si quis sitit*, quasi dicat, quicumque est ille; Eccli. XXIV, 26: *transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini*; I Tim. II, 4: *vult omnes homines salvos fieri*. Invitat autem ad potandum; unde dicit *et bibat*. Potus enim iste est spiritualis refectio in cognitione divinae sapientiae et veritatis; etiam in impletione desideriorum. Is. LXV, 13: *servi mei bibent, et vos sitiatis*; Prov. IX, 5: *venite, et comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis*; Eccli. XV, 3: *aqua sapientiae salutaris potabit illum*. Fructus autem huius invitationis est redundantia bonorum in alios; unde dicit *qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae*. Quod quidem,

secundum Chrysostomum, legendum est sic: *qui credit in me, sicut dicit Scriptura*, hic subdistingue punctando; et postea subsequitur *flumina de ventre eius fluent aquae vivae*. Nam si dicis qui credit in me, et postea subsequatur sicut dicit Scriptura, flumina, etc., non videtur conveniens, quia hoc quod dicitur *flumina de ventre eius fluent aquae vivae*, non invenitur in aliquo libro veteris testamenti. Hoc ergo modo dicatur *qui credit in me, sicut dicit Scriptura*; idest, secundum Scripturae documenta; supra v. 39. *Scrutamini Scripturas (...) ipsae sunt quae testimonium perhibent de me*. Et tunc *flumina de ventre eius fluent aquae vivae*. Et dicit *qui credit in me*, cum supra dixerit *qui venit ad me*; quia idem est credere et venire; Ps. XXXIII, 6: *accedite ad eum, et illuminamini*. Secundum Hieronymum vero, aliter punctatur sic: *qui credit in me*, et postea subditur *sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae*. Quod, ut ipse dicit, de proverbii sumptum est; Prov. V, 15: *bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui: deriventur fontes tui foras*. Sciendum est autem, secundum Augustinum, quod flumina procedunt de fontibus sicut a principio. Qui autem bibit potum corporalem, non habet in se nec fontem, nec flumen, quia particulam aquae gustat: sed qui bibit credendo in Christum, haurit fontem aquae, quo hausto, vivescit conscientia, quae est venter interioris hominis, et etiam ipsa fons erit. Unde dicitur supra IV, v. 13: *qui biberit ex hac aqua, fiet in eo fons aquae salientis*. Hic autem fons qui hauritur, est spiritus sanctus, de quo dicitur in Ps. XXXV, 10: *apud te est fons vitae*. Qui ergo bibit ita quod soli sibi proficit, dona gratiarum, quae per flumina signantur, non fluent aquae vivae de ventre eius; sed qui proximo festinat consulere, et diversa dona gratiarum recepta a Deo aliis communicare, de ventre eius fluent aquae vivae. Propter quod dicit Petrus: *unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes*. Dicit autem *flumina*, ad significandum spiritualium donorum abundantiam fidelibus repromissam; Ps. LXIV, 10: *flumen Dei repletum est aquis*. Item eorum impetum; Is. c. XXVII, 6: *qui ingredientur impetu a Iacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine*; et in Ps. XLV, 5: *fluminis impetus laetificat civitatem Dei*. Unde, quia ex instinctu et fervore spiritus sancti movebatur apostolus, dicebat: *caritas Christi urget nos*; et Rom. VIII, 14: *qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt*. Item donorum spiritus sancti divisionem: quia, ut dicitur I ad Cor. XII, 10: *alii genera linguarum, alii genera sanitatum et cetera*. Huiusmodi autem flumina sunt aquae vivae, quia sunt continuatae suo principio, scilicet spiritui sancto inhabitanti. Consequenter cum dicit *hoc autem dixit de spiritu*, exponit quae dixit, et primo ponitur expositio; secundo assignatur ratio expositionis, ibi *nondum enim erat spiritus datus*. Dicit ergo *dixit*, quod *flumina de ventre eius fluent aquae vivae*. Sed hoc intelligendum esse Evangelista dicit *de spiritu quem accepturi erant credentes in eum*, quia ipse est fons vitae et fluvius. Fons, de quo dicitur in Ps. XXXV, 10: *apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen*. Fluvius vero, quia a patre et filio procedit. Apoc. ult., 1: *ostendit mihi Angelus fluvium aquae vivae splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et agni*; Is. XLII, v. 1: *dedit spiritum*, scilicet obedientibus sibi. Huius expositionis rationem assignat, dicens *nondum enim erat spiritus datus*; et dicit duo: scilicet quod *nondum erat spiritus datus*, et quod *Christus nondum erat glorificatus*. Circa primum est duplex opinio. Chrysostomus enim dicit, quod spiritus sanctus non fuit datus apostolis, quantum ad dona prophetica et miraculorum, ante resurrectionem Christi. Unde gratia huius, quae dabatur prophetis a terra defecerat usque ad adventum Christi, nec postmodum alicui data est usque ad praedictum tempus. Et si dicitur quod apostoli eiiciebant Daemonia ante resurrectionem, intelligendum est quod haec non spiritu eiiciebantur, sed ea quae a Christo erat potestate. Quando enim mittebat eos, non dicitur dedit eis spiritum sanctum sed *dedit eis potestatem*: Matth. X, 1. Sed hoc videtur contra illud quod dominus dicit Lucae XI, 19: *si ego in Beelzebub eiicio Daemonia, filii vestri in quo eiiciunt?* Sed constat quod ipse in spiritu sancto eiiciebat Daemonia, et filii, idest apostoli: unde manifestum est eos accepisse spiritum sanctum. Et ideo dicendum est, secundum Augustinum, quod ante resurrectionem apostoli habuerunt spiritum sanctum etiam quantum ad dona prophetica et miraculorum. Et hic quod dicitur *nondum erat spiritus datus*, intelligendum de abundanti datione, et visibilibus signis; sicut datus fuit eis post resurrectionem et ascensionem in linguis igneis. Sed cum spiritus sanctus sanctificet Ecclesiam, et etiam modo accipiatur a fidelibus, quare nemo loquitur linguis omnium gentium sicut tunc? Dicendum ad hoc, quod non est necessarium, ut Augustinus dicit. Quia iam universalis Ecclesia linguis gentium loquitur, quia per spiritum sanctum datur caritas; Rom. V, v. 5: *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*, et haec, faciens omnia communia, facit quemlibet cuilibet loqui. Unde dicit: si amas unitatem, etiam tibi habet quisquis in illa (idest Ecclesia) aliquid habet. Tolle invidiam, et tuum est quod habeo: livor separat, caritas iungit: ipsam habeto, et cuncta habebis. In principio autem antequam Ecclesia per mundum dilataretur, quia pauci erant, oportebat quod linguis omnium loquerentur, ut sic Ecclesiam in omnibus fundarent. Circa secundum, sciendum est, secundum Augustinum, quod hoc quod dicit *Jesus*



*nondum fuerat glorificatus*, intelligendum est de gloria resurrectionis; quasi dicat: nondum a mortuis resurrexerat, nondum ad caelos ascenderat. De qua dicitur Io. XVII, 5: *clarifica me, pater*. Et causa quare sic voluit prius glorificari quam daret spiritum sanctum, assignatur, quia spiritus sanctus ad hoc datur nobis, ut erigat corda nostra ab amore saeculi in resurrectionem spiritualem et totaliter currant in Deum. Quia ergo vitam aeternam promisit spiritus sancti caritate ferventibus, ubi non moriemur, ubi nihil timebimus. Ideo ipsum spiritum sanctum noluit dare nisi dum esset glorificatus, ut in corpore ostenderet vitam quam in resurrectione speramus. Secundum Chrysostomum vero, hoc non intelligitur de gloria resurrectionis, sed de glorificatione passionis: de qua, imminente passionis hora, dominus dicit infra c. XIII, 31: *nunc glorificatus est filius hominis*. Et secundum hoc spiritus sanctus tunc primum datus est quando post passionem dixit apostolis: *accipite spiritum sanctum* et cetera. Ideo autem non ante passionem datus est spiritus sanctus, quia, cum sit donum, non debuit dari inimicis, sed amicis. Nos autem inimici eramus. Oportebat ergo prius offerri hostiam in ara crucis et inimicitiam in carne solvi, ut sic per mortem filii eius reconciliaremur Deo, et tunc facti amici, donum spiritus sancti reciperemus et cetera. Posita ergo Christi ad spiritualem potum invitatione, hic consequenter agit Evangelista de turbarum dissensione, et primo ponitur dissensio turbarum ad invicem; secundo dissensio in principibus, ibi *venerunt ergo ministri*. Circa primum duo facit. Primo ponuntur diversa dissidentium verba; secundo ponitur ipsa dissensio, ibi *dissensio itaque facta est in turba*. Diversitas autem verborum turbarum ex diversitate opinionum turbarum de Christo proveniebat, et ideo ponit tres opiniones turbarum: duas quidem iam accedentium ad spiritualem potum, tertiam vero resilientium. Prima autem opinio erat quod dicebant Christum prophetam esse; et ideo dicit *ex illa ergo hora*, quando scilicet in magno festivitatis die talia dixerat, *turba cum audissent hos sermones eius, dicebant*, illi scilicet qui iam illam aquam spiritualiter haurire coeperant, *hic est vere propheta*. Non solum prophetam eum dicunt, sed etiam verum, idest quasi antonomastice, intelligentes hunc esse de quo Moyses praedixit, Deut. c. XVIII, 15: *prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris: ipsum tamquam me audietis*. Alia opinio erat quia quidam dicebant *hic est Christus*: isti enim magis ad potum accedebant, et sitim infidelitatis magis deposuerant. Et hoc etiam Petrus confessus est, Matth. XVI, 16: *tu es Christus filius Dei vivi*. Tertia opinio est referentium contraria praedictis. Et primo obiiciunt contra opinionem dicentium eum esse Christum; secundo obiectionem auctoritate confirmant. Dicit ergo *quidam autem*, in suae infidelitatis ariditate permanentes, *dicebant: numquid a Galilaea venit Christus?* Noverant enim, prophetas, Christum a Galilaea venturum, non praedixisse: et ideo credentes in Nazareth eum natum fuisse (ignorabant enim suae nativitatis locum esse Bethlehem), hoc dicunt. Manifestum enim erat eum in Nazareth nutritum, sed paucis notus erat nativitatis locus. Quamvis tamen Scriptura non dicat Christum in Galilaea nasciturum, praedixit tamen illuc eum primo declinaturum. Is. c. IX, 1: *primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali, et novissimo aggravata est via maris trans Iordanem Galilaeae gentium. Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, et habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis*. Praedixit etiam quod de Nazareth processurus esset. Is. XI, 1: *flos de radice eius ascendet*: ubi in Hebraeo habetur: *Nazarenus de radice est* et cetera. Confirmant obiectionem auctoritate Scripturae, cum dicunt *nonne Scriptura dicit, quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* Quod autem de semine David venturus esset Iesus, dicitur Ierem. XXIII, 5: *suscitabo David germen iustum*. Et II Reg. XXIII, 1, dicitur de David: *dixit vir cui constitutum est de Christo Dei*. Quod vero de Bethlehem, dicitur Mich. V, 1: *et tu, Bethlehem, terra Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel*. Consequenter cum dicit *dissensio itaque facta est in turba propter eum*, primo ponitur ipsa dissensio; secundo conatus quorundam ex eis contra Christum; tertio conatus repressio. *Dissensio autem facta est propter eum*, scilicet Christum, *in turba*. Frequenter enim contingit quod in cordibus malorum ex manifestatione veritatis causatur dissensio et turbatio. Unde et hoc in persona Christi dicitur Ier. XV, 10: *vae mihi, mater mea, ut quid me genuisti virum rixae, virum discordiae in universa terra?* Propter hoc dicebat dominus, Mt. X, 34: *non enim veni mittere pacem, sed gladium*. Conatus autem, scilicet aliquorum, erat ad eum apprehendendum; unde dicit *quidam autem ex eis*, scilicet qui dixerant: *numquid a Galilaea venit Christus?* etc., *voluerunt apprehendere eum*, scilicet ex inimicitia ad occidendum; Ps. LXX, 2: *persequimini et comprehendite*; Ex. XV, 9: *dixit inimicus: persequar et comprehendam*. Sed tamen boni et fideles volunt Christum apprehendere, ut eo fruantur; Cant. VII, 8: *ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius*. Repressio autem conatus est ex potestate Christi: et ideo dicit *sed nemo misit super illum manus*, quia scilicet Christus nolebat. In potestate sua erat hoc; infra X, v. 18: *nemo tollit a me animam meam; sed ego pono eam a me ipso*. Unde et quando voluit pati, non eos expectavit, sed ipse se eis obtulit; infra XVIII, 4:

*processit, et dixit ad eos, quem quaeritis?* Consequenter cum dicit *venerunt ergo ministri ad pontifices et Phariseos*, ponitur dissensio principum, et primo ponitur dissensio eorum ad ministros; secundo dissensio eorum ad invicem, ibi *dixit Nicodemus*. Circa primum tria facit. Primo ponitur redargutio principum ad ministros; secundo testimonium latum de Christo a ministris; tertio reprehensionis conatus principum ad ministros. In primo attende principum iniquitatem, cum dicunt, scilicet pontifices et Pharisei, ministris *quare non adduxistis eum?* Adeo enim mali erant, quod eis non poterant satisfacere ministri, nisi Christo nocumentum inferrent; Pro. IV, 16: *rapitur somnus ab oculis eorum, nisi supplantaverint*. Sed hic incipit quaestio litteralis: quia cum supra dictum est, quod ministri missi fuerunt ad capiendum Iesum die festo mediante, idest quarto die; et hic ponatur reditus eorum post septimum diem, quando dixit: *in novissimo autem die* etc., videtur quod intermediis diebus vacaverunt. Ad quod est duplex responsio. Una quod Evangelista anticipavit murmur turbarum. Vel dicendum, quod forte tunc redierunt; sed hoc nunc commemorat, ut manifestet causam dissensionis inter principes. In secundo attende ministrorum bonitatem in commendabili testimonio quod perhibuerunt de Christo, dicentes *numquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur*. Ubi redduntur commendabiles ex tribus. Primo ex admirationis causa: quia non propter miracula, sed propter doctrinam Christum mirabantur, ex quo propinquiores efficiuntur veritati, et recedunt a consuetudine Iudaeorum, qui signa quaerunt, ut dicitur I Cor. I, 22. Secundo ex conversionis facilitate: quia ad pauca verba Christi, capti sunt, et allecti ad eius amorem. Tertio ex animi securitate: quia ipsis Phariseis, qui Christo adversabantur, talia dicunt de Christo *numquam sic locutus est homo*. Et hoc rationabiliter: quia non solum homo erat, sed etiam Dei verbum; et ideo verba sua erant virtuosa ad commovendum; Ier. c. XXIII, 29: *numquid non verba mea quasi ignis sunt, dicit dominus, et quasi malleus conterens petram?* Et ideo dicitur Mt. VII, 29, quod *erat docens sicut potestatem habens*. Erant etiam sapida ad dulcorandum; Cant. II, v. 14: *sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis*; Ps. CXVIII, 103: *quam dulcia faucibus meis eloquia tua*. Erant utilia ad retinendum, quia promittebant bona aeterna; supra VI, 69: *domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes*; Is. XLVIII, 17: *ego dominus docens te utilia*. In tertio attende detestari Iudaeorum perfidiam, qua conantur ministros a Christo retrahere, unde *responderunt eis*, scilicet ministris, *numquid et vos seducti estis?* Ubi tria faciunt. Primo arguunt aestimatum ministrorum errorem; secundo proponunt exemplum principum; tertio excludunt exemplum turbarum. Arguunt autem eos, cum dicunt *numquid et vos seducti estis?* Quasi dicant: videmus vos delectatos esse in sermone illius. Et revera laudabiliter seducti erant, quia dimisso malo infidelitatis, ad veritatem fidei sunt adducti: de qua dicitur Ier. XX, 7: *seduxisti me, domine, et seductus sum*. Exemplum autem principum proponunt, ut magis eos avertant: unde dicit *numquid ex principibus aliquis credidit in eum?* Ex duobus enim aliqui fide digni redduntur: scilicet ex auctoritate et ex religione. Unde haec duo contra Christum adducunt, quasi dicant: si Christus esset acceptandus, utique acceptassent eum principes, in quibus est auctoritas, et Pharisei, in quibus apparebat religio; sed nullus istorum credidit in eum: ergo nec vos debetis in eum credere. In his ergo impletur quod dicitur in Ps. CXVII, v. 22: *lapidem quem reprobaverunt aedificantes*, scilicet principes et Pharisei, *hic factus est in caput anguli*, idest in cordibus populorum. *Sed a domino factum est istud*: quia bonitas eius praeponderat malitiae hominum. Testimonium autem turbae excludunt, quia eorum malitiam confutant; et ideo dicunt *sed turba haec quae non novit legem, maledicti sunt*; et ideo non est standum cum eis. Hoc autem scriptum est, Deut. c. XXVII, 27: *maledictus qui non permanserit in lege, nec eam opere perfecit*. Sed hoc male intelligebant, quia etiam illi qui non habent scientiam legis, et opera legis faciunt, magis permanent in lege quam habentes legis scientiam, et non servantes eam: de quibus dicitur Mt. XV, 8: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*; Iacob V: *estote factores verbi, et non auditores tantum*. Consequenter cum dicit *dixit Nicodemus ad eos*, ponitur dissensio principum ad invicem, et primo ponitur Nicodemi exhortatio; secundo principum contradictio, ibi *responderunt et dixerunt*; tertio dissensionis terminatio. Circa primum duo facit. Primo praemittit quaedam de Nicodemo; secundo ponit eius exhortationem. Praemittit autem tria de eo: quorum duo ostendunt intentionem dicendi, et tertium nequitiam principum. Primum ergo pertinet ad fidem Nicodemi; unde dicit *dixit ille qui venerat ad eum*, idest crediderat: idem enim est venire ad Christum, et credere in eum. Secundum pertinet ad fidei suae imperfectionem, quia *nocte venit*. Si enim perfecte credidisset, non pertimisset. Infra XII, 42: *multi ex principibus crediderunt in eum; sed propter Phariseos non confitebantur, ut e synagoga non eiicerentur*; de quibus unus erat Nicodemus. Tertium pertinet ad principum falsitatem. Dixerunt enim, quod nullus ex principibus et Phariseis in Christum credidit, et ideo dicit *qui erat unus ex ipsis*; quasi dicat: si Nicodemus, qui est unus ex principibus, credidit in eum, manifestum

est falsum esse quod principes et Pharisaei dicunt, scilicet quod nullus ex principibus credidit in eum. Ier. c. XVI, 19: *vere mendacium locutus est*. Exhortatio autem Nicodemi ponitur cum dicit *numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso et cognoverit quid faciat?* Nam secundum leges civiles debet praecedere diligens inquisitio sententiam. Unde dicitur Act. XV, 16: *non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina*. Unde Iob XXIX, 16: *causam quam ignorabam, diligenter investigabam*. Propter hoc in lege Moysi, Ex. XXIII, 7, dicitur: *innocentem et iustum non condemnabis, quia aversor impium*. Haec autem verba ideo dicit, quia cum fidelis esset, volebat eos ad Christum convertere. Quia tamen timidus erat, occulte hoc faciebat. Credebat enim, quia si tantummodo Christum vellent audire, quod verbum Christi esset tantae efficaciae quod forte similes fierent illis qui missi fuerant ad Iesum, et ad verba eius conversi sunt in facto eo ad quod missi fuerant. Contradictio principum ponitur cum dicit *responderunt et dixerunt ei* et cetera. Ubi primo comprehendunt eum quasi seductum; secundo quasi legis ignarum. Quantum ad primum dicunt *numquid et tu Galilaeus es*, idest, a Galilaeo seductus. Arbitrantur enim Christum Galilaeum ex conversatione in Galilaea: et ideo omnes qui Christum confitebantur, quasi in opprobrium Galilaeos vocant; Mt. XXVI, 69: *respondit ancilla Petro: et tu Galilaeus es?* Infra IX, v. 27: *numquid et vos vultis discipuli eius fieri?* Quantum ad secundum dicunt *scrutare Scripturas, et vide, quia a Galilaea propheta non surgit*; cum tamen esset legis doctor, nec de novo scrutari indigebat. Quasi dicant: licet tu sis doctor, tamen hoc ignoras: sicut supra dictum est III, 10, *tu es magister in Israel, et haec ignoras?* Licet autem non habeatur expresse in Scriptura veteris testamenti quod de Galilaea propheta surgeret, hoc tamen habetur quod inde exire debeat dominus prophetarum, secundum illud Is. II, 1: *flos, idest Nazarenus, de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus domini*. Sed terminatio dissensionis ostenditur infructuosa; unde dicit *et reversi sunt unusquisque*, quasi infecto negotio, *in domum suam*, idest in propria, vacui fide, et fraudati a malo desiderio suo. Iob V, 13: *consilium pravorum dissipat*; Ps. XXXII, 10: *dominus reprobatur consilia principum, et cogitationes populorum dissipat*. Vel, *in domum suam*, idest in malitiam infidelitatis et impietatis suae; Apoc. II, 13: *scio ubi habitas, ubi sedes est Satanae: et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam*.

## Caput 8

### Lectio 1

[87471] Super Io., cap. 8 l. 1 Postquam egit Evangelista de origine doctrinae Christi, hic consequenter agit de eius virtute. Habet autem doctrina Christi virtutem illuminativam et vivificativam, quia verba eius spiritus et vita sunt. Primo ergo agit de virtute doctrinae Christi illuminativa; secundo de virtute vivificativa, infra X, *amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro*. Ostendit autem illuminativam virtutem doctrinae Christi, primo verbo; secundo miraculo, ibi *et praeteriens Iesus, vidit hominem caecum a nativitate*. Circa primum duo facit. Primo introducit Christum docentem; secundo ponit doctrinae Christi virtutem, ibi *iterum ergo locutus est eis Iesus*. Ad officium autem doctoris duo pertinent. Primo ut devotos instruat; secundo ut adversarios repellat. Primo ergo Christus instruit populum devotum; secundo repellit adversarios, ibi *adducunt autem Scribae et cetera*. Circa primum tria facit. Primo describitur locus doctrinae; secundo auditor; tertio doctor. Locus autem doctrinae est templum. Unde primo ponit recessum ab eo; secundo reditum. Recessus quidem, cum dicit *Iesus autem perrexit in montem oliveti*. Nam dominus hanc sibi consuetudinem fecerat ut per diem quando erat Ierosolymis in diebus festis, praedicaret in templo, signa et miracula faceret, et in sero revertebatur in Bethaniam, et apud sorores Lazari Mariam et Martham hospitabatur, quae erat in monte oliveti. Secundum igitur hunc morem dicit, quod cum in novissimo magnae festivitatis die Iesus stetisset in templo, et praedicasset, de sero *perrexit in montem oliveti*, ubi erat Bethania. Et hoc convenit mysterio: nam, ut dicit Augustinus, ubi decebat Christum docere et suam misericordiam manifestare nisi in monte oliveti, in monte unctionis et chrismatis? Oliva autem misericordiam signat: unde et in Graeco oleos idem est quod misericordia. Lc. X, 34, dicitur de Samaritano, quod infudit oleum et vinum, secundum misericordiam et severitatem iudicii. Item oleum sanativum est; Is. I, 6: *vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata medicamine, neque fota oleo*. Signatur etiam medicina spiritualis gratiae, quae ad nos derivata est. Ps. XLIV, 8: *unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis*. Et alibi: *sicut unguentum in capite quod descendit in barbam*. Reditus autem ad locum ponitur tempestivus; unde dicit *et iterum diluculo venit in templum*. Per

quod signatur quod cognitionem et manifestationem gratiae suae in templo suo, scilicet fidelibus suis, manifestaturus erat, Ps. XLVII, 10: *suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui*. Quod autem diluculo rediit, exortum lumen novae gratiae designat; Os. VI, 3: *quasi diluculum praeparatus est egressus eius*. Auditor autem doctrinae est populus devotus; et ideo dicit *et omnis populus venit ad eum*; Ps. VII, 8: *synagoga populorum circumdabit te*. Doctor autem introducit sedens, unde dicit *et sedens*, idest condescendens, ut eius doctrina facilius caperetur. Sessio enim humilitatem incarnationis significat; Ps. CXXXVIII, 1: *tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam*. Quia per susceptam humanitatem visibilis apparens, coeperunt de divinis facilius edoceri; et ideo dicit, quod *sedens docebat eos*, idest simplices, et sermonem eius admirantes; Ps. XXIV, 9: *docebit mites vias suas, et diriget mansuetos in iudicio*; Is. II, 3: *docebit nos vias suas*. Consequenter cum dicit *adducunt autem Scribae et Pharisei mulierem in adulterio deprehensam*, repellit adversarios, et primo ponitur calumniae tentatio; secundo calumniantium repulsio, ibi *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra*. Circa primum tria facit. Primo ponitur tentationis occasio; secundo describitur ipsa tentatio, ibi *dixerunt ei: magister, haec mulier modo deprehensa est in adulterio*; tertio tentatorum intentio, ibi *haec autem dicebant tentantes eum*. Occasio autem tentationis ponitur adulterium a muliere perpetratum: et ideo primo aggravant culpam; secundo praesentant personam peccantem. Dicit ergo quantum ad primum *adducunt autem Scribae et Pharisei mulierem in adulterio deprehensam*. Ut enim Augustinus dicit, tria in Christo praeminebant: scilicet veritas, mansuetudo et iustitia. De ipso quippe fuerat praedictum: *procede, et regna, propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam*. Nam veritatem attulit ut doctor, et hanc perceperant Pharisei et Scribae dum doceret. Infra eodem: *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Nullum enim falsum in verbis et doctrina eius deprehendere poterant; et ideo calumniari de hoc cessaverant. Mansuetudinem vero attulit ut liberator; et hanc cognoverunt dum adversus inimicos et persecutores non commoveretur; I Petr. II, v. 23: *cum malediceretur, non maledicebat*. Unde dicebat, Mt. XI, 29: *discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*. Et ideo de hoc etiam non calumniabantur. Iustitiam autem attulit ut cognitor, et hoc quia nondum nota erat Iudaeis, maxime in iudiciis: ideo in ea scandalum posuerunt, volentes scire utrum a iustitia propter misericordiam recederet. Et ideo proponunt ei crimen notum et confusione dignum, scilicet adulterium; Eccli. IX, 10: *omnis mulier fornicaria quasi stercus in via conculcabitur*. Consequenter personam peccantem repraesentant, ut magis commoveant. Unde *et statuerunt eam in medio*; Eccli. XXIII, 34: *hic in medio adducetur, et inter filios Dei et cetera*. Consequenter cum dicit *et dixerunt ei: magister, haec mulier modo deprehensa est in adulterio*, prosequuntur ipsam tentationem, et primo manifestant culpam; secundo allegant legis iustitiam; tertio exquirunt sententiam. Culpam quidem manifestant cum dicunt *haec mulier modo deprehensa est in adulterio*: quam quidem culpam exaggerant ex tribus, quae Christum commovere deberent a sua mansuetudine. Et primo ex culpae novitate; unde dicunt *modo*: nam quando est antiqua, non tantum movet, quia forte praecessit correctio. Secundo ex eius evidentia; unde dicunt *deprehensa est*, ita quod non possit se excusare, quod est consuetudinis mulierum, secundum illud Prov. XXX, 20: *tergit os suum, dicens: non sum operata malum*. Tertio ex culpae enormitate; unde dicunt *in adulterio*, quod est grave facinus et malorum multorum causa; Eccli. IX: *omnis mulier quae adulteratur peccabit*, primo quidem in lege Dei sui. Legis iustitiam allegant cum dicunt: *in lege autem*, scilicet Lev. et Deut. XXII, *Moyses mandavit huiusmodi lapidare*. Sententiam autem exquirunt cum subdunt: *tu ergo quid dicis?* Calumniosa est interrogatio; quasi dicant: si eam dimitti censuerit iustitiam non tenebit. Sed, absit ut qui venerat quaerere et salvum facere quod perierat, eam condemnaret; supra III, 17: *non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. Lex etiam quod iniustum erat iubere non poterat. Et ideo non dicit absolvatur ne contra legem facere videretur. Et ideo consequenter subditur perversa tentantium intentio, cum dicit *haec autem dicebant tentantes eum*. Credebant enim, quod Christus ne mansuetudinem perderet, eam dimitti debere dicturus esset; et sic accusarent eum tamquam legis praevaricatorem. I Cor. X, 9: *neque tentaveritis Christum, sicut illi tentaverunt*. Consequenter cum dicit *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra*, repellit adversarios sua sapientia. Nam Pharisei de duobus eum tentabant: scilicet de iustitia et de misericordia. Et utrumque in respondendo servavit, et ideo primo ostendit quomodo servavit; secundo quod non recessit a misericordia, ibi *erigens autem se Iesus dixit ei* et cetera. Circa primum duo facit. Primo proponit sententiam iustitiae; secundo subditur effectus sententiae, ibi *audientes autem haec, unus post unum exhibant*. Circa primum tria facit. Primo describit sententiam; secundo pronuntiat eam; tertio perseverat iterum in scribendo sententiam. Sententiam autem describit in terra digito; unde dicit *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra*. Scribebat autem secundum

quosdam illud quod dicitur Ier. XXII, 29: *terra terra, audi (...) scribe iustum virum sterilem*. Secundum alios vero, et melius, dicitur quod scripsit eadem quae protulit, scilicet: *qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Neutrum tamen certum est. Sed in terra quidem scribebat triplici ratione. Una quidem, secundum Augustinum, ut ostendat eos qui eum tentabant in terra describendos esse; Ier. XVII, 13: *domine, recedentes a te in terra scribuntur*. Iusti autem, et discipuli qui eum sequuntur, in caelo scribuntur; Lc. X, 20: *gaudete et exultate, quia nomina vestra scripta sunt in caelo*. Item ut ostendat se quod signa faceret in terra: qui enim scribit, signa facit. Scribere ergo in terra, est signa facere: et ideo dicit quod *inclinavit se*, scilicet per incarnationis mysterium, ex quo in carne assumpta miracula fecit. Tertio, quia lex vetus in tabulis lapideis scripta erat, ut habetur Ex. XXXI, et II Cor. III. Per quod signatur eius duritia: quia *irritam quis faciens legem Moysi, absque ulla miseratione occidebatur*, ut dicitur Hebr. c. X, 28. Terra autem mollis est. Ut ergo signaret dulcedinem et mollitiem novae legis per eum traditae, in terra scribebat. Ex quo tria in sententiis debemus attendere. Primo benignitatem in condescendendo puniendis: unde dicit *inclinans se*; Iac. II, 13: *iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam*; Gal. ult., 1: *si praeoccupatus fuerit aliquis in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis*. Secundo discretionem in discernendo; unde dicit *digito scribebat*, qui propter flexibilitatem discretionem significat; Dan. c. V, 5: *apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum*. Tertio certitudinem in pronuntiando: unde dicit *scribebat*. Sententiam autem profert ad eorum instantiam; unde dicit *cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Pharisei enim transgressores legis erant, tamen nitebantur Christum de transgressione legis accusare, et mulierem condemnare: et ideo Christus sententiam proponit iustitiae, dicens *qui sine peccato est vestrum*, quasi dicat: puniatur peccatrix, sed non a peccatoribus: impleatur lex, sed non a praevaricatoribus legis, quia, ut dicitur Rom. II, 1: *in quo enim alium iudicas, teipsum condemnas*. Aut ergo istam dimittite, aut cum illa poenam legis excipite. Hic incidit quaestio utrum iudex in peccato existens, peccet ferendo contra alium sententiam qui in eodem peccato existit. Et licet manifestum sit, quod iudex si publice in peccato existens sententiam ferat, peccat scandalizando; nihilominus tamen hoc idem videtur, si sit in peccato occulto. Nam Rom. II, 1: *in quo alium iudicas, teipsum condemnas*. Constat autem, quod nullus condemnat se nisi peccando: ergo videtur quod iudicando alium peccet. Respondeo dicendum, quod in hoc uti oportet duplici distinctione. Aut enim iudex perseverat in proposito peccandi, aut poenitet se peccasse. Item aut punit ut legis minister, aut motu proprio. Et si quidem poenitet se peccasse, iam peccatum non est in eo; et sic absque peccato sententiam posset ferre. Si autem est in proposito peccandi: aut profert sententiam ut legis minister, et sic non peccat ex hoc quod sententiam profert, quamvis peccet ex hoc quod talia facit, quibus dignus est contra se similem sententiam recipere; si autem proprio motu, dico, quod proferendo sententiam peccat, cum non moveatur ad hoc amore iustitiae, sed ex aliqua mala radice; alias primo in se puniret quod animadvertit in alio; quia hoc dicitur in Prov. c. XVIII, 17: *iustus prior accusator est sui*. Perseverat autem in scribendo, quia *iterum se inclinans scribebat*: primo quidem ut ostendat suae scientiae firmitatem; Num. XXIII, 19: *non est Deus ut homo, ut mentiatur, et ut filius hominis, ut mutetur*. Secundo ut ostendat eos sua visione indignos. Unde cum eos zelo iustitiae percussisset, non dignatus est eos attendere, sed avertit ab eis obtutum. Tertio ut eorum verecundiae consulens, daret eis exeundi liberam facultatem. Effectus autem iustitiae est eorum confusio; unde dicit *audientes autem haec, unus post unum exhibant*: tum quia gravioribus peccatis erant impliciti, et magis eos conscientia remordebat; Dan. XIII, 5: *egressa est iniquitas a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum*; tum etiam quia melius cognoscebant aequitatem prolatae sententiae; Ier. V, 5: *ibo ergo ad optimates, et loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam domini, et iudicium Dei sui. Et remansit solus Iesus, et mulier stans*, scilicet misericordia et miseria. Ideo autem solus remansit, quia ipse solus sine peccato erat. Nam, ut dicitur in Ps. XIII, 1: *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, scilicet Christum. Et ideo forte mulier territa est, et ab illo se puniendam credebat. Sed si remansit solus, quomodo dicit *in medio stans*? Et dicendum, quod mulier stabat in medio discipulorum, et sic *ly solus* excludit extraneos, non discipulos. Vel *in medio*, id est in dubio, utrum absolvenda esset, vel condemnanda. Sic ergo patet quod dominus in respondendo iustitiam servavit. Consequenter cum dicit *erigens autem se Iesus, dixit ei* etc. ostendit quod a misericordia non recessit, dando sententiam misericordiae, et primo examinat; secundo absolvit; tertio admonet; examinat autem eam de accusatoribus; unde dicit, quod *erigens se Iesus*, scilicet faciem suam a terra, in qua scribebat, ad mulierem convertens, *dixit ei: mulier, ubi sunt qui te accusabant*? Item de condemnatione; unde quaerit *nemo te condemnavit*? Et illa respondit: *nemo, domine*. Absolvit autem eam; unde dicit *dixit ei Iesus: nec ego te*

*condemnabo*, a quo te forte damnari timuisti, quia in me peccatum non invenisti. Nec mirum, *quia non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*; supra III, 17; Ez. XVIII, 32: *nolo mortem peccatoris*. Absolvit autem eam a culpa, non imponendo ei aliquam poenam: quia cum absolvendo exterius iustificaret interius, bene potuit eam adeo immutare interius per sufficientem contritionem de peccatis, ut ab omni poena immunis efficeretur. Nec tamen trahendum est in consuetudinem ut aliquis exemplo domini absque confessione et poenae inflictione quemquam absolvat; quia Christus excellentiam habuit in sacramentis, et potuit conferre effectum sine sacramento, quod nullus purus homo potest. Admonet vero eam cum dicit *vade, et iam noli peccare*. Duo enim erant in muliere ista: scilicet natura et culpa. Et utrumque poterat dominus condemnare. Puta naturam, si iussisset eam lapidare; et culpam, si non absolvisset. Poterat etiam utrumque absolvere, puta si dedisset licentiam peccandi, dicens *vade, vive ut vis, esto de mea liberatione secura*; ego, quantumcumque peccaveris, etiam a Gehenna et ab Inferni tortoribus liberabo. Sed dominus culpam non amans, peccatis non favens, ipsam damnavit culpam, non naturam, dicens *amplius noli peccare*: ut sic appareat quam dulcis est dominus per mansuetudinem, et rectus per veritatem.

## Lectio 2

[87472] Super Io., cap. 8 l. 2 Postquam Evangelista introduxit Christum docentem, hic consequenter primo ostendit doctrinae ipsius illuminativam virtutem; secundo manifestat quae de ea dicit, ibi *dixerunt ergo ei Pharisei: tu de te ipso testimonium perhibes*. Circa primum tria facit. Primo ponit spiritualis lucis privilegium; secundo eius effectum, ibi *qui sequitur me, non ambulat in tenebris*; tertio eius fructum, ibi *sed habebit lumen vitae*. Privilegium autem spiritualis lucis ponitur quantum ad Christum, qui est lux; et quantum ad hoc dicit *iterum locutus est eis Iesus dicens: ego sum lux mundi*. Quod potest uno modo continuari ad immediate dictum. Quia enim dixit: *nec ego condemnabo te* etc., absolvens eam a crimine, ideo ne aliqui dubitarent utrum ipse absolvere posset, et peccata dimittere, dignatur apertius divinitatis suae potentiam demonstrare, dicens se esse lucem, qui peccati tenebras pellit. Alio modo potest continuari ad illud quod supra VII, 52 dixit: *scrutare Scripturas, et vide quia propheta a Galilaea non surgit*. Quia enim eum aestimabant Galilaeum, et quasi ex loco determinato dependentem, doctrinam eius repudiabant; ideo dominus ostendit se totius mundi esse lucem universalem, dicens *ego sum lux mundi*, non Galilaeae, neque Palaestinae, neque Iudaeae. Manichaei autem, ut Augustinus dicit, hoc falso intelligebant. Quia enim imaginatio eorum erat solum de sensibilibus, ideo non valebant se ad intellectualia et spiritualia extendere, credebant enim supra corporalia nihil esse in rerum natura, unde dicebant Deum esse corpus et lucem quamdam infinitam, et solem istum oculis carnis visibilem, Christum dominum esse putaverunt: et propter hoc ipsum dixisse *ego sum lux mundi*. Sed hoc stare non potest et Ecclesia Catholica improbat tale figmentum. Sol enim iste corporalis est lux quam sensus attingere potest: et ideo non est suprema lux, quam intellectus solus attingit, quae est lux intelligibilis propria rationalis creaturae. Hic de ea dicit Christus *ego sum lux mundi*. De ista dicitur supra I, 9: *erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Lux autem ista sensibilis, imago quaedam est illius lucis intelligibilis: nam omne sensibile est quasi quoddam particulare, intellectualia autem sunt quasi totalia quaedam. Sicut autem lux ista particularis habet effectum in re visa, inquantum colores facit actu visibiles, et etiam in vidente, quia per eam oculus confortatur ad videndum, sic lux illa intelligibilis intellectum facit cognoscentem. Quia quidquid luminis est in rationali creatura, totum derivatur ab ipsa suprema luce; supra I, 9: *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Item facit res omnes actu intelligibiles, inquantum ab ipsa derivantur omnes formae, per quas res habent quod cognoscantur, sicut omnes formae artificiorum derivantur ab arte et ratione artificis; Ps. CIII, 24: *quam magnificata sunt opera tua, domine. Omnia in sapientia fecisti*. Et ideo recte dicit *ego sum lux mundi*: non sol factus, sed per quem sol factus est. Tamen, ut Augustinus dicit, lumen quod solem fecit, sub sole factum est, et carnis nube tegitur, non ut obscuretur, sed ut temperetur. Excluditur etiam per hoc haeresis Nestorii dicentis, quod filius Dei erat unitus homini per inhabitationem tantum. Constat enim quod qui haec verba proferebat, scilicet *ego sum lux mundi*, homo erat. Nisi ergo ipse qui loquebatur et videbatur homo, personaliter esset filius Dei, non dixisset *ego sum lux mundi*, sed in me habitat lux mundi. Effectus autem huius lucis est expellere tenebras; unde dicit *qui sequitur me, non ambulat in tenebris*. Et quia lux ista est universalis, ideo universaliter tenebras omnes expellit. Sunt autem triplices tenebrae, scilicet ignorantiae; Ps. LXXXI, 5: *nescierunt neque intellexerunt: in tenebris ambulant*. Et hae sunt rationis secundum seipsam, inquantum per seipsam obnubilatur.

Item culpae; Eph. V, 8: *eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino*. Et istae sunt rationis humanae non ex se, sed ex appetitu, inquantum male dispositus per passiones vel habitum, appetit aliquid ut bonum, quod tamen non est vere bonum. Item tenebrae damnationis aeternae; Matth. c. XXV, 30: *inutilem servum eiicite in tenebras exteriores*. Sed duae primae sunt in vita ista; tertiae vero sunt in termino viae. *Qui ergo sequitur me, non ambulat in tenebris*, ignorantiae, quia *ego sum veritas*, nec culpae, quia *ego sum via*, neque damnationis aeternae, quia *ego sum vita*. Et ideo consequenter subdit fructum doctrinae, scilicet *sed habebit lumen vitae*: nam qui hoc lumen habet, est extra tenebras damnationis. Dicit autem *qui sequitur*, quia sicut quicumque non vult errare in tenebris, oportet ut sequatur eum qui lumen portat; ita quicumque vult salvari, oportet quod sequatur Christum, qui est lux, credendo et amando; et sic apostoli secuti sunt eum, Matth. IV, 20. Quia vero lux corporalis deficere potest per occasum, contingit quia qui sequitur eam, tenebras incurrit. Lux vero ista, quae nescit occasum, numquam deficit: et ideo qui sequitur eam, habet lumen indeficiens, scilicet vitae. Lumen enim visibile non dat vitam, sed coadiuvat exterius operationes vitae corporalis; lumen vero istud vitam dat, quia vivimus inquantum intellectum habemus, qui est quaedam participatio illius lucis. Quando autem lux illa perfecte irradiabit, tunc habebimus vitam perfectam; Ps. XXXV, 10: *apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen*; quasi dicat: tunc ipsam vitam perfecte habebimus quando ipsum lumen per speciem videbimus. Unde dicitur Io. XVII, 3: *haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum*. Sed attendendum, quod hoc quod dicit *qui sequitur me*, pertinet ad meritum; quod vero dicit *habebit lumen vitae*, ad praemium. Consequenter cum dicit *dixerunt ergo ei Pharisei* etc., manifestat haec tria quae de se dicit, et primo primum; secundo secundum, ibi *dicit ergo iterum, eis Iesus*; tertio tertium, ibi *amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum*. Primum autem quod dixit, est *ego sum lux mundi*, quod Iudaeos turbabat, et ideo primo ponit Iudaeorum contradictionem; secundo eorum confutationem, manifestando veritatem sui dicti, ibi *respondit Iesus, et dixit eis* et cetera. Manifestum est autem circa primum, quod illa quae dixit in templo, dixit in conspectu turbarum, hic autem coram Phariseis. Et ideo dixerunt ei ipsi Pharisei: *tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*; quasi dicant: ex hoc ipso quod tu de teipso testificaris, testimonium tuum non est verum. In hominibus enim nec acceptum nec congruum est quod homo se laudet; Prov. XXVII, v. 2: *laudet te alienus, et non os tuum*: quia non ex hoc commendabilis redditur, sed si a Deo commendatur; II Cor. X, 18: *non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*: quia solus Deus perfecte eum cognoscit. Deum autem nullus potest sufficienter commendare, nisi ipse seipsum, et ideo oportet quod ipse de seipso testificetur, et etiam de hominibus; Iob XVI, 20: *ecce in caelo testis meus*. Et ideo Iudaei decipiebantur. Consequenter cum dicit *respondit Iesus, et dixit eis* etc., dominus repellit eorum contradictionem, et primo auctoritate patris; secundo removet contradictionem exortam de patre, ibi *dicebant ergo ei: ubi est pater tuus?* Contradictio autem Iudaeorum erat per quamdam consequentiam, et ideo primo ostendit eorum consequentiam non tenere; secundo probat suum testimonium verum esse, ibi *ego non iudico quemquam* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ostendit consequentiae falsitatem; secundo subdit deceptionis ipsorum causam, ibi *vos autem nescitis unde venio, aut quo vado*. Consequentia autem istorum erat quod ex hoc ipso quod Christus de se testimonium perhibebat, testimonium eius non erat verum. Sed dominus dicit contrarium, scilicet quod ex hoc verum est. Unde *respondit, et dixit eis: si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est*: et hoc ideo, quia *ego scio unde veni, et quo vado*; quasi dicat, secundum Chrysostomum, quia ex Deo sum, et Deus, et Dei filius. *Est autem Deus verax*: Rom. III, 4. Dicit autem *scio unde veni*, idest cognosco meum principium, *et quo vado*, scilicet ad patrem, quem nullus perfecte scire potest nisi filius Dei; Matth. XI, 27: *nec patrem quis novit nisi filius, et cui voluerit filius revelare*. Non autem quicumque scit affectu et intellectu, unde veniat et quo vadat, non potest nisi verum dicere, nam a Deo venit, et ad Deum vadit; Deus autem veritas est: quanto ergo magis filius Dei, qui perfecte scit unde venit et quo vadit, verum dicit? Consequenter cum dicit *vos autem nescitis unde venio aut quo vado*, ostendit causam erroris, quae est ignorantia divinitatis Christi; quia enim ipsam ignorabant, iudicabant de eo secundum humanitatem. Sic ergo duplex causa erroris erat in eis. Una, quia eius divinitatem ignorabant; alia, quia de eo secundum humanitatem tantum iudicabant. Et ideo quantum ad primum dicit *vos nescitis unde venio*, idest aeternum meum processum a patre, *aut quo vado*. Supra: *est verax qui misit me, et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo*; Iob XXVIII, 20: *unde ergo venit sapientia?* Is. LIII, 8: *generationem eius quis enarrabit?* Quantum ad secundum dicit *vos secundum carnem iudicatis*, scilicet de me, solum carnem esse putantes, non autem Deum. Vel *secundum carnem*, idest male et iniuste. Sicut enim secundum carnem vivere est male vivere, ita et secundum

carnem iudicare, est male iudicare. Consequenter cum dicit *ego non iudico quemquam*, ostendit testimonium suum esse verum, et falsum esse quod ipse solus de se testimonium perhibeat. Et quia de iudicio mentio facta est, ostendit primo se non esse solum in iudicando; secundo se non esse solum in testificando, ibi *et in lege vestra scriptum est* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ponit iudicii dilationem; secundo iudicii veritatem; et tertio veritatis rationem. Dilationem quidem iudicii ponit cum dicit *ego non iudico quemquam*; quasi dicat: vos iudicatis male, sed *ego non iudico quemquam*; supra III, 17: *non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. Vel *non iudico quemquam*, scilicet secundum carnem, sicut vos iudicatis; Is. XI, 3: *non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet*. Sed tamen quandoque iudicabo; quia *pater omne iudicium dedit filio*; supra c. V, 22. Et tunc *iudicium meum verum est*, idest iustum; Ps. XCV: *iudicabit orbem terrae in aequitate*; Rom. II, 2: *scimus quia iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt*. In quo ostenditur iudicii veritas. Rationem veritatis ostendit, cum dicit *quia non sum solus*. Quod autem dicit supra V, 22, *pater non iudicat quemquam*, intelligendum est seorsum a filio, vel quia non visibiliter pater apparebit omnibus in iudicio; et ideo dicit *non sum solus*, quia non derelictus ab ipso, sed simul cum ipso; infra XIV, v. 10: *ego in patre, et pater in me est*. Hoc autem verbum excludit errorem Sabellii dicentis unam esse personam patris et filii, nec differre nisi secundum nomina. Si enim hoc esset, non dixisset *non sum solus, sed ego, et qui misit me*, sed dixisset: *ego sum pater, et ego ipse sum filius*. Distingue ergo personas, et cognosce filium esse alium a patre. Consequenter cum dicit *et in lege vestra scriptum est* etc., ostendit quod non est solus in testificando; nec tamen differt testimonium, sicut iudicium: unde non dicit, testimonium non perhibeo. Primo ergo introducit legem; secundo concludit propositum, ibi *ego sum qui testimonium perhibeo de meipso*. Dicit ergo *in lege vestra*, et vobis data, Eccli. XXIV, 23: *legem mandavit Moyses: scriptum est*, Deut. XIX, *quia duorum hominum testimonium verum est*: sic enim est ibi: *in ore duorum aut trium stabit omne verbum*. Sed, secundum Augustinum, habet magnam quaestionem quod dicit *duorum hominum testimonium verum est*. Fieri enim potest quod duo mentiantur. Nam Susanna casta duobus falsis testibus urgebatur, ut habetur Dan. XIII, 5 ss. Universus etiam populus mentitus est contra Christum. Responsio. Hoc quod dicit *duorum hominum testimonium verum est*, intelligendum est quod pro vero in iudicio est habendum. Cuius ratio est, quia in actibus humanis vera certitudo haberi non potest; et ideo accipitur inde id quod certius haberi potest, quod est per multitudinem testium: magis enim est probabile quod unus mentiatur, quam quod multi; Eccli. IV, 12: *funiculus triplex difficile solvitur*. Nihilominus tamen per hoc quod dicit: *in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*, reducit nos, secundum Augustinum, in considerationem Trinitatis, in qua est perpetua stabilitas veritatis, a qua omnes veritates derivantur. Dicit autem *duorum vel trium*, quia in Scriptura sacra quandoque nominantur tres, quandoque duae personae, cum quibus etiam intelligitur spiritus sanctus, qui est nexus duorum. Si ergo duorum hominum testimonium verum est vel trium, testimonium meum verum est, quia et *ego testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me qui misit me pater*; supra V, 36: *ego testimonium habeo maius Ioanne*. Sed hoc non videtur ad propositum pertinere. Primo quidem, quia pater filii Dei non est homo; cum ipse dicat *duorum hominum testimonium verum est*. Secundo vero, quia tunc sunt duo testes alicuius quando testificantur de aliquo tertio; sed si unus testificatur de uno, non sunt duo testes. Cum ergo Christus testificetur de se, et similiter pater de Christo, videtur quod non sunt duo testes. Sed dicendum, quod Christus hic arguit per locum a minori. Manifestum est enim quod veritas Dei maior est quam veritas hominis. Si ergo credunt testimonio hominum, multo magis credendum est testimonio Dei. I Io. V, 9: *si testimonium hominum accipitis, testimonium Dei maius est*. Item hoc dicit, ut ostendat se consubstantiali patri, et non indigentem alieno testimonio, ut dicit Chrysostomus. Consequenter cum dicit *dicebant ergo ei: ubi est pater tuus?* Removet exortam quaestionem de patre, et primo ponit quaestionem Iudaeorum; secundo ponit responsionem Christi; tertio innuit securitatem respondentis. Quaestio autem Iudaeorum proposita Christo est de patre, ubi esset: unde dicebant ei *ubi est pater tuus?* Intelligebant enim Christum habere patrem hominem sicut ipsi habent; et ideo, quia audierunt eum dicere: *solus non sum, sed ego et qui misit me pater*, et hic viderant eum solum, dicunt *ubi est pater tuus?* Vel dicendum, quod loquuntur hic cum quadam ironia et contumelia; quasi dicant: quid frequenter patrem tuum nobis inducis? Numquid est tantae virtutis, ut eius testimonio credatur? Ignotus enim est, et ignobilis. Intelligebant hoc de Ioseph; nihilominus tamen patrem ignorabant. Ps. CXIII, 2: *ne quando dicant gentes: ubi est Deus eorum?* Responsio autem Christi est occulta, ibi: *respondit Iesus: neque me scitis, neque patrem meum*. Quia enim non studio addiscendi, sed malignandi quaerebant, ideo Christus non aperit eis veritatem; sed ostendit primo quidem ipsorum ignorantiam;



secundo quomodo possint ad veritatis cognitionem pervenire. Ignorantiam quidem ipsorum ostendit cum dicit *neque me scitis*; quasi dicat: non quaeratis de patre, quia me nescitis. Quia enim me hominem putatis, ideo patrem meum hominem quaeritis; sed quia me non noscitis, neque patrem cognoscere potestis. Sed contra. Supra VII, 28, dixit: *et me scitis, et unde sim scitis*. Est dicendum quod sciebant eum secundum humanitatem, sed non secundum divinitatem. Sciendum autem, secundum Origenem, quod ex hoc verbo aliqui sumentes occasionem erroris, dixerunt patrem Christi non fuisse Deum veteris testamenti; nam ipsum Iudaei cognoscebant, secundum illud Ps. LXXV, 1: *notus in Iudaea Deus*. Sed ad hoc est quadruplex responsio. Prima, quia ideo dicit dominus Iudaeos patrem ignorare, quia ad modum ignorantium se habent, in quantum mandatum eius non servant. Et haec responsio pertinet ad actum. Secundo dicuntur Deum ignorare, quia non adhaerent ei spiritualiter per amorem: qui enim aliquid cognoscit, ei adhaeret. Tertio, quia etsi cognoscerent eum per fidem, non tamen habebant de eo plenam scientiam. Supra I, v. 18: *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit*. Quarto, quia in veteri testamento innotuit pater sub ratione Dei omnipotentis, Ex. VI, 3: *ego apparui eis in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis*, non autem sub ratione patris; unde licet scirent eum ut Deum, non tamen ut patrem filii consubstantialis. Viam autem perveniendi ad cognitionem patris dicit se esse: unde dicit *si me sciretis*, quasi dicat: quia patrem meum loquor occultum, opus prius est ut me noveritis, et tunc patrem meum forsitan scietis. Nam filius est via cognitionis paternae. Infra XIV, 7: *si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis*. Nam, secundum Augustinum, quid est *si me sciretis*, nisi *ego et pater unum sumus*? Quotidiana locutio est, quando vides aliquem alicuius similem, ut dicas: si hunc vidisti, illum vidisti, non tamen quod pater sit filius, sed quia sit patri similis. Dicit autem *forsitan*, non dubitative, sed increpative, velut si indigneris servo tuo, et dicas: contemnis me? Considera quod forsitan dominus tuus sum. Securitatem autem Christi respondentis ostendit Evangelista, cum dicit *haec verba locutus est Iesus in gazophylacio*. Et primo quidem ex loco ubi docebat, quia in gazophylacio et in templo. Gaza enim, Persica lingua, dicuntur divitiae, phylaxe vero servare: unde gazophylacium ponitur in Scriptura pro arca, ubi divitiae conservantur; et hoc modo accipitur IV Reg. XII, 9, quod *tulit Ioiada sacerdos gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper, et posuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum domini, mittebantque in eo sacerdotes qui custodiebant ostia, omnem pecuniam quae deferebatur ad templum domini*. Aliquando autem pro domo ubi divitiae conservantur; et hoc modo accipitur hic. Secundo, ex hoc quod illi qui missi fuerant ad eum apprehendendum, hoc facere non potuerunt, quia ipse nolebat: unde dicit *et nemo apprehendit eum, quia nondum venit hora eius*, in qua pateretur; non fatalis, sed sua voluntate ab aeterno praedestinata. Unde dicit Augustinus *nondum venerat hora eius*, non qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. Sed nota, secundum Origenem, quod quaecumque designatur locus in quo dominus aliquid fecit, hoc fit propter mysterium. In gazophylacio ergo, qui est locus divitiarum, Christus docuit, ut daret intelligi, quod numismata, id est verba suae doctrinae, imaginem regis magni impressam habent. Nota etiam, quod quando docebat, *nemo apprehendit eum*, quia sermones eius fortiores erant his qui eum capere volebant: quando vero voluit crucifigi, tacuit.

### Lectio 3

[87473] Super Io., cap. 8 l. 3 Postquam dominus manifestavit de se privilegium lucis, hic consequenter manifestat lucis effectum, scilicet quod liberat a tenebris, et primo ostendit quod ipsi in tenebris detinentur; secundo docet remedium quo ab eis liberentur, ibi *dicebant ergo Iudaei: numquid interficiet semetipsum et cetera*. Circa primum tria facit. Primo denuntiat dominus suum recessum; secundo ostendit Iudaeorum studium perversum; tertio ipsorum defectum. Recessum autem suum dicit dominus esse per mortem; et ideo dicit *ego vado*: in quo duo dat intelligere. Primo, quod voluntarie moritur, scilicet vadens, et non ab alio ductus. Infra XVI, 5: *vado ad eum qui me misit*; infra X, 18: *nemo tollit a me animam meam: sed ego pono eam a meipso*. Et secundum hoc recte continuatur ad praecedentia. Dixit enim: *nemo apprehendit eum et cetera*. Et quare? Quia per se vadit sponte. Secundo ostendit quod mors Christi erat quaedam profectio illuc unde venerat et unde non discesserat: sicut enim qui vadit in anteriora proficit, ita Christus per mortem pervenit ad gloriam exaltationis. Phil. II, 8: *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum*; infra XIII, 3: *sciens quia a Deo exivit, et ad Deum vadit*. Perversum eorum studium ostendit in dolosa inquisitione Christi: et quantum ad hoc dicit *quaeritis me*. Quidam autem quaerunt Christum pie ex caritate; et hanc inquisitionem sequitur vita; Ps. LXVIII, v. 33: *quaerite dominum, et vivet anima vestra*. Sed isti impie

quaerunt, et odio ad persequendum; Ps. XXXVII, 13: *vim faciebant qui quaerebant animam meam*. Et sic dicit *quaeritis me*, scilicet persequentes post mortem quidem infamia; Matth. XXVII, 63: *recordati sumus quod seductor ille dixit adhuc vivens: post tres dies resurgam*. Item in membris meis; Act. IX, 4: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et hanc sequelam sequitur mors; et ideo subdit ipsorum defectum, quem eis praenuntiat dicens *et in peccato vestro moriemini*, et primo praenuntiat defectum qui consistit in mortis damnatione; secundo defectum qui consistit in eorum a gloria exclusione, ibi *quo ego vado, vos non potestis venire*. Dicit ergo: quia inique me quaeritis, ideo *in peccato vestro*, scilicet permanentes, *moriemini*. Quod potest intelligi uno modo de morte corporali: et sic in peccatis suis moritur qui usque ad mortem perseverat in eis. Et sic per hoc quod dicit *in peccato vestro moriemini*, exaggerat eorum obstinatam pertinaciam. Ier. VIII, 6: *non est qui poenitentiam agat de peccato suo dicens, quid feci?* Ez. XXXII, 27: *descenderunt cum armis ad Inferna*. Alio modo de morte peccati, de qua dicitur in Ps. XXXIII, 21: *mors peccatorum pessima*. Et sicut mortem corporalem praecedit infirmitas corporis, ita et hanc mortem infirmitas quaedam praecedit. Quamdiu enim peccatum remediabile est, tunc est quasi quaedam infirmitas quae praecedit Ps. VI, 3: *miserere mei, domine, quoniam infirmus sum*. Sed quando est irremediabile, vel simpliciter, sicut post hanc vitam, vel quod ad ipsum, sicut est peccatum in spiritum sanctum; tunc causat mortem; I Io. V, 16: *est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*. Et secundum hoc praenuntiat eis dominus infirmitatem peccatorum esse ad mortem. Defectum qui consistit in eorum exclusione a gloria ostendit cum dicit *quo ego vado, vos non potestis venire*. Quo vadit dominus, vadunt et isti per mortem; sed dominus sine peccato, isti vero cum peccatis, quia in peccato suo moriuntur, et ideo non perveniunt ad gloriam paternae visionis. Et ideo dicit *quo ego vado*, scilicet sponte per passionem meam, scilicet ad patrem et ad suam gloriam, *vos non potestis venire*, quia non vultis. Si enim voluissent, et non potuissent, non rationabiliter diceretur eis *in peccato vestro moriemini*. Sed notandum quod aliqui impediuntur ne possint ire quo Christus vadit, dupliciter. Uno modo ratione contrarietatis, et sic impediuntur peccatores: et de hoc loquitur hic; et ideo simpliciter perseverantibus in peccato dicit *quo ego vado, vos non potestis venire*. Ps. c, 7: *non habitabit in medio domus meae qui facit superbiam*; Is. XXXV, 8: *via sancta vocabitur, et pollutus non transibit per eam*; Ps. XIV, 1: *quis habitabit in tabernaculo tuo? Innocens manibus et mundo corde*. Alio modo ratione imperfectionis, seu indispositionis: et hoc modo impediuntur iusti quamdiu sunt in corpore; II Cor. V, 6: *quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a domino*. Et talibus non dicit dominus simpliciter *quo ego vado, non potestis venire*, sed addit determinationem temporis: infra XIII, 37: *quo ego vado, non potes me modo sequi*. Consequenter cum dicit *dicebant ergo Iudaei etc.*, agit de remedio per quod a tenebris liberentur, et primo proponit remedium tenebras evadendi; secundo inducit rationes ad hoc remedium impetrandum, ibi *dicebant ergo eis: tu quis es?* Tertio praenuntiat modum ad hoc perveniendi, ibi *dixit ergo eis Iesus: cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis*. Circa primum duo facit. Primo ponitur verborum Christi occasio; secundo ponuntur ea quibus causatur remedii insinuatio, ibi *vos de deorsum estis*. Occasio autem verborum Christi sumitur ex persona, vel intellectu Iudaeorum. Cum enim carnales essent, verba domini quae dixerat *quo ego vado, vos non potestis venire*, carnaliter intelligebant; I Cor. II, 14: *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*. Unde dicunt Iudaei *numquid interficiet semetipsum?* Quae quidem, secundum Augustinum, stulta opinio est. Numquid enim non poterant venire quo Christus perrexit, si interficeret semetipsum? Poterant quidem et ipsi seipsos interficere. Sic ergo mors non erat terminus quo iturus erat Christus, sed via qua ibat ad patrem. Unde non dixit quod non possent ire ad mortem, sed quod per mortem non poterant ire ad locum quo per eam Christus exaltabatur, ad dexteram scilicet Dei. Secundum Origenem autem, forte non sine causa Iudaei hoc dicunt. Habebant enim ex traditionibus quod Christus voluntarie esset moriturus, sicut ipse dixit, infra X, 18: *nemo tollit animam meam, sed ego pono eam a meipso*. Quod specialiter videntur habuisse ex Is. LIII, 12: *pro eo quod tradidit animam suam in mortem, ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia*. Quia ergo aliqualem suspicionem habebant de Iesu quod esset Christus, ideo, cum dixit *ego vado etc.*, introduxerunt hanc opinionem, quod ipse semetipsum voluntarie morti traderet. Sed contumeliose hoc proferunt, dicentes *numquid interficiet se?* Alias dixissent: numquid anima eius, cum ipsi placuerit, egredietur relicto corpore? Quod nos non possumus facere. Et propter hoc ait *quo ego vado, vos non potestis venire*. Consequenter cum dicit *vos de deorsum estis etc.*, proponit remedium tenebras evadendi, et primo praemittit suam et illorum originem; secundo ex hoc concludit propositum, ibi *dixi ergo vobis et cetera*. Circa primum autem diversificat originem suam ab illorum origine dupliciter. Primo, quia ipse est de supernis, et isti deorsum. Secundo, quia isti sunt de hoc mundo, de quo non est Christus. Sed, sicut Origenes dicit, aliud est esse deorsum, et aliud de hoc mundo; nam

sursum et deorsum sunt differentiae situs. Ne ergo per hoc quod dixit se esse de supernis intelligant eum esse de superiori parte mundi huius, ideo hoc excludens, dicit se non esse de hoc mundo. Quasi dicat: ita de supernis sum, quod tamen totaliter sum supra totum mundum istum. Et quidem eos esse de hoc mundo et de deorsum manifestum est; sed Christum esse de supernis, et non de hoc mundo, sane indiget intellectu. Nam quidam ponentes omnia visibilia creata esse a Diabolo, sicut Manichaei, dixerunt Christum etiam quantum ad corpus non esse de hoc mundo visibili, sed de mundo alterius creationis, scilicet invisibili. Valentinus etiam hoc male suscipiens, dixit, Christum attulisse corpus caeleste. Quod autem hic non sit verus intellectus apparet, quia ipsis apostolis dominus dicit, infra XV, 19: *vos non estis de hoc mundo*. Dicendum est ergo, quod potest intelligi de Christo filio Dei, et de Christo homine. Nam Christus secundum quod filius Dei, est de supernis; infra XVI, 28: *exivi a patre, et veni in mundum*. Et similiter non est de hoc mundo sensibili, scilicet, qui consistit in rebus sensibilibus, sed de mundo intelligibili, qui est in mente Dei, quia est ipsum verbum Dei, prout est summa sapientia. Omnia enim in sapientia facta sunt. Unde de eo dicitur supra, I, 10: *mundus per ipsum factus est*. Secundum autem quod homo, Christus est de supernis, quia non habuit affectum ad mundana et infima, sed ad superiora, in quibus anima Christi conversabatur, secundum illud Phil. III, 20: *nostra conversatio in caelis*; Matth. VI, 21: *ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*. Et e converso isti qui deorsum sunt, originem infimam habent, et de hoc mundo, quia habent affectum circa terrena; I ad Cor. XV, 47: *primus homo de terra terrenus*. Consequenter cum dicit *dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris*, concludit propositum, et primo manifestat ea quae dixit de eorum defectu; secundo ostendit eis remedium, ibi *si enim non credideritis* et cetera. Sciendum autem circa primum, quod unumquodque in suo progressu sequitur conditionem suae originis; unde ea quae habent originem infimam, si sibi relinquuntur, naturaliter deorsum tendunt. Et nihil naturaliter tendit sursum nisi quod superiorem originem habet; Sup. III, 13: *nemo ascendit in caelum nisi de caelo descendit*. Dicit ergo dominus: haec est causa quare non potestis venire quo ego vado, quia cum sitis de deorsum, quantum in vobis est, non potestis nisi cadere; et ideo quod dixi, quia *moriemini in peccatis vestris*, verum est, nisi mihi adhaereatis. Et ideo ut non totaliter excludat spem salutis, ponit remedium, dicens *si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*; quasi dicat: nati estis in originali peccato, a quo non potestis absolvi nisi per fidem meam, quia *si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*. Et dicit *ego sum*, non autem quid sim, ut rememoret quod dictum est Moysi, Ex. III, v. 14: *ego sum qui sum*: nam ipsum esse est proprium Dei. In qualibet enim alia natura a divina differt esse et quod est, cum quaelibet natura creata participet suum esse ab eo quod est ens per essentiam, scilicet ipso Deo, qui est ipsum suum esse, ita quod suum esse sit sua essentia. Unde ipse solus denominatur ab eo. Et ideo dicit *nisi credideritis quia ego sum*, idest quia sum vere Deus, qui habet esse per essentiam, *moriemini in peccato vestro*. Dicit enim *quia ego sum*, ut ostendat suam aeternitatem. In omnibus enim quae incipiunt est mutabilitas quaedam, et aliqua potentia ad non esse, unde est invenire in eis quoddam praeteritum et futurum: et ideo non est ibi verum esse per se. Sed in Deo nulla est potentia ad non esse, nec esse inceptit; et ideo est ipsum esse, quod proprie per tempus praesens designatur. Consequenter cum dicit *dicebant ergo ei: tu quis es?* Ponit rationes inducentes ad fidem, et primo ponitur Iudaeorum interrogatio; secundo Christi responsio, ibi *dixit eis Iesus: principium, qui et loquor vobis*; tertio intellectus eorum excaecatio, ibi *et non cognoverunt* et cetera. Quia enim dominus dixerat *nisi credideritis quia ego sum*, restabat adhuc quaerere quis esset; et ideo dicebant ei *tu quis es?* Quasi dicant: unde es, ut tibi credere debeamus? Et ideo consequenter cum dicit *principium, qui et loquor vobis*, respondet, inducens eos ad credendum, et primo ex suae naturae sublimitate; secundo ex iudiciaria sua potestate, ibi *multa habeo de vobis loqui et iudicare*; tertio ex paterna veritate, ibi *sed qui misit me, verax est*. Inducit quidem eos ad credendum Christo, naturae eius sublimitas, quia ipse est principium. Unde dixit eis Iesus: *principium, qui et loquor vobis*. Principium in Latino est neutri generis: unde dubium est, utrum sit hic nominativi, vel accusativi casus. In Graeco autem est feminini generis, et in hoc loco est accusativi casus. Unde, secundum Augustinum, non est legendum: *ego sum principium*, sed, principium me credite, ne moriamini in peccatis vestris. Dicitur etiam pater principium. Et uno quidem modo nomen principii commune est patri et filio, in quantum scilicet sunt unum principium spiritus sancti per communem spirationem; et tres personae simul sunt principium creaturae per creationem. Alio modo est proprium patris, in quantum scilicet pater est principium filii per aeternam generationem. Non tamen plura dicimus principia, sicut nec plures deos; Ps. CIX, 3: *tecum principium in die virtutis tuae* et cetera. Hic autem dicit dominus se principium respectu totius creaturae: nam quod est per essentiam tale, est principium et causa eorum quae sunt per participationem. Esse autem per essentiam, ut dictum

est, est esse suum. Sed quia Christus non solum habet in se divinam naturam, sed etiam humanam, ideo subdit *qui et loquor vobis*: nam vocem Dei immediate homo ferre non potest, quia, secundum Augustinum, infirma corda intelligibile verbum sine voce sensibili audire non possunt. Ex. c. XX: *quid est homo, ut audiat vocem domini Dei sui?* Ad hoc ergo quod immediate ipsum divinum verbum audiremus, carnem assumpsit, cuius organo locutus est nobis: unde dicit *qui et loquor vobis*; idest, humilis propter vos factus, ad ista verba descendi. Ad Hebr. I, 1: *multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in filio*; supra I, 18: *unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrabit vobis*. Vel aliter, secundum Chrysostomum, ut per hoc quod dicit *principium, qui et loquor vobis*, reprehendat tarditatem intellectus Iudaeorum. Nam post multa signa quae ab eo viderant fieri, adhuc indurati, quaerunt a domino *tu quis es?* et cetera. Et ideo Iesus respondit *ego sum principium*, idest qui locutus sum vobis a principio; quasi dicat: non habetis opus adhuc quaerere quis ego sum, cum iam deberet esse manifestum. Hebr. V, 12: *cum deberetis esse magistri propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini, quae sint elementa exordii sermonum Dei*. Secundo inducit eos ad credendum Christo iudiciaria eius auctoritas; et ideo subdit *multa habeo de vobis loqui et iudicare*; quasi dicat: habeo auctoritatem vos iudicandi. Sed sciendum, quod aliud est loqui nobis, et aliud loqui de nobis. Nobis enim loquitur Christus ad nostram utilitatem, scilicet ut ad se trahat; et sic loquitur nobis, dum vivimus, praedicando, inspirando et huiusmodi faciendo. Loquitur autem de nobis non ad nostram utilitatem, sed ad suam iustitiam ostendendam; et hoc modo loquetur de nobis in iudicio futuro. Sed contra. Supra III, 17: *non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. Responsio. Dicendum, quod aliud est iudicare, et aliud habere iudicare. Iudicare dicit actum iudicii; et hoc non pertinet ad primum adventum domini, ut supra dixit: *ego non iudico quemquam*, scilicet ad praesens. Sed habere iudicare dicit iudicii potestatem; et hanc habet Christus; supra V, 22: *pater omne iudicium dedit filio*; Act. X, 42: *ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum*. Et ideo signanter dicit *multa habeo de vobis loqui et iudicare*, sed in futuro iudicio. Inducit etiam ad credendum Christo veritas paterna; et quantum ad hoc dicit *sed qui misit me, verax est*; quasi dicat: pater est verus; ego autem loquor consona ei: ergo loquor vera, ergo debetis mihi credere. Dicit ergo *qui misit me*, scilicet pater, *verax est*, non participative, sed ipsa essentia veritatis; alias, cum filius sit ipsa veritas, esset maior patre; Rom. III, 4: *est autem Deus verax. Et ego quae audivi ab eo*: non auditu humano, sed per generationem aeternam accepi, *haec loquor*. Is. XXI, 10: *quae audivi a domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis*; supra V, 19: *non potest filius a se facere quidquam*. Hoc autem quod dixit *qui misit me, verax est*, dupliciter continuatur ad praecedentia. Uno modo sic. Dico quod *habeo de vobis iudicare*. Sed iudicium meum verum erit, quia *qui misit me, verax est*. Rom. c. II, 2: *iudicium Dei est secundum veritatem*. Alio modo, secundum Chrysostomum, dico quod *habeo de vobis iudicare*; sed hoc differo, non ex impotentia, sed ut obediam voluntati paternae: nam *qui misit me, verax est*. Unde cum promiserit salvatorem et propugnatorem, misit me nunc ad salvandum; et ego quia non loquor nisi quae audivi ab eo, ideo loquor vobis salutaria. Consequenter cum dicit *et non cognoverunt quia patrem eius dicebat Deum*, reprehendit tarditatem intellectus ipsorum: nondum enim oculos cordis apertos habebant, quibus patri et filii aequalitatem intelligerent, et hoc quia carnales erant; I Cor. II, 14: *animalis homo non percepit ea quae sunt spiritus Dei*. Hic primo praenuntiat Christus per quod pervenire debeant ad fidem, quod est remedium contra mortem; et circa hoc duo facit. Primo ostendit per quid venturi sunt ad fidem; secundo docet quid sit de se ipso credendum, ibi *quia ego sum*. Dicit ergo primo quod ad fidem pervenire debebant per passionem eius. Unde dixit eis Iesus: *cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis*; quasi dicat: modo non cognoscitis patrem meum esse Deum; sed *cum exaltaveritis filium hominis*, idest cum me ligno crucis affixeritis, *tunc cognoscetis*, scilicet aliqui ex vobis per fidem; infra c. XII, 32: *ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*. Ideo autem, secundum Augustinum, crucis commemorat passionem, ut det spem peccatoribus, ut scilicet nullus desperet a quocumque scelere, et male sibi conscius, quando ipsi crucifigentes Christum per sanguinem Christi liberantur a peccatis. Nullus est enim adeo peccator qui per sanguinem Christi liberari non possit. Vel, secundum Chrysostomum, *cum exaltaveritis filium hominis*, scilicet in cruce, *tunc cognoscetis*, idest cognoscere poteritis, qualis sim, non solum per gloriam resurrectionis meae, sed etiam per poenam captivitatis et destructionis vestrae. Quantum autem ad secundum, tria docet de se credenda. Primo divinitatis maiestatem; secundo suam originem a patre; tertio sui a patre inseparabilitatem. Maiestatem quidem divinitatis, cum dicit *quia ego sum*; idest, habeo in me naturam Dei, et sum ille qui locutus est Moysi, dicens: *ego sum qui sum*. Sed quia ad ipsum esse pertinet tota Trinitas, ideo ne excludatur personarum distinctio, consequenter docet credere originem a patre, cum dicit *et a*

*me ipso facio nihil: sed sicut docuit me pater, haec loquor.* Sed quia coepit Iesus facere et docere, ideo in duobus originem suam a patre designat: scilicet in his quae facit, unde dicit *et a me ipso facio nihil*, supra V, 19: *non potest filius a se facere quidquam*, et in his quae docet: unde dicit *sed sicut docuit me pater*; idest, tradidit scientiam generando me scientem. Quia cum sit simplex natura veritatis, hoc est filio esse, quod nosse; et sic quemadmodum pater dedit filio gignendo ut esset, sic gignendo dedit ei ut nosset; supra VII, 16: *mea doctrina non est mea*. Et ne intelligatur quod sit missus a patre quasi ab eo distinctus, ideo tertio docet credere eius a patre inseparabilitatem, cum dicit *et qui misit me*, scilicet pater, *mecum est*, per essentiae unitatem; infra XIV, 10: *ego in patre, et pater in me est*. Item per amoris coniunctionem; supra V, 20: *pater diligit filium, et omnia demonstrat ei quae ipse facit*. Et sic ita pater misit filium quod non recessit ab eo. Unde sequitur *et non reliquit me solum*, quia affectus eius est circa me. Sed cum ambo simul sint, unus tamen est missus, et alter misit: quia missio incarnatio est, quae quidem filii tantum est, et non patris. Quod autem non reliquit me, patet ex signo, *quia quae placita sunt ei, facio semper*: quod quidem non ponitur pro causa meritoria, sed pro signo; quasi dicat: hoc ipsum quod ego facio semper, sine initio, sine fine, *quae placita sunt ei*, est signum quod semper mecum est, et non reliquit me; Prov. VIII, v. 30: *cum eo eram cuncta componens*. Vel aliter: *non reliquit me*, scilicet hominem, protegendo, *quia quae placita sunt ei facio semper*. Et secundum hoc dicit causam meritoriam. Consequenter cum dicit *haec illo loquente, multi crediderunt in eum*, ponitur effectus doctrinae, qui est conversio multorum ad fidem ex auditu doctrinae Christi; Rom. X, 17: *fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi*.

#### Lectio 4

[87474] Super Io., cap. 8 l. 4 Posito remedio evadendi tenebras, hic consequenter ostendit ipsius remedii efficaciam, et primo ponitur remedii efficacia; secundo introducitur remedii indigentia, ibi *responderunt ei Iudaei*. Circa primum duo facit: primo ostendit quid exigitur ab eis quibus remedium confertur, quod pertinet ad meritum; secundo quid eis pro eo redditur, quod pertinet ad praemium, ibi *vere discipuli mei eritis*. Dicit ergo primo: dictum est quod multi crediderunt in eum; et ideo dicit eis, scilicet qui crediderunt in eum, Iudaeis, quid ab eis requiratur, hoc scilicet quod maneant in sermone eius: unde dicit *si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis*. Quasi dicat: non propter hoc quod creditis superficie tenus, eritis discipuli mei, sed *si manseritis in sermone meo*. Exiguntur autem a nobis tria circa verbum Dei: scilicet sollicitudo ad audiendum, Iac. I, v. 19: *sit autem omnis homo velox ad audiendum* etc., fides ad credendum, Rom. X, v. 17: *fides ex auditu*, constantia ad permanendum, Eccli. VI, 21: *quam aspera est nimium indoctis hominibus sapientia. Et non permanebit in illa excors*. Et ideo dicit *si manseritis*, scilicet per fidei stabilitatem, per continuam meditationem, Ps. I, 2: *in lege eius meditabitur die ac nocte*; et ferventem affectionem: *in lege domini fuit voluntas eius*. Unde dicit Augustinus quod illi in verbis domini permanent qui nullis tentationibus cedunt. Primum autem quod persistentibus redditur, ostendit cum dicit *vere discipuli mei eritis*, et hoc quantum ad tria: scilicet quantum ad discipulatus Christi sublimationem, quantum ad veritatis cognitionem, et quantum ad libertatis adeptionem. Et quidem magnae dignitatis est privilegium, esse discipulum Christi; Ioel. II, v. 23: *filiis Sion, exultate, et laetamini in domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiae*. Et quantum ad hoc dicit *vere discipuli mei eritis*: quanto enim magister est maior, tanto discipuli eius sublimiores sunt; Christus autem excellentissimus et summus magister est: discipuli ergo eius excellentissimi sunt. Tria autem requiruntur ex parte discipulorum. Primum est intellectus ad capiendum verba magistri; Matth. XV, 16: *adhuc et vos sine intellectu estis?* Solus autem Christus potest aperire aurem intelligentiae; Lc. ult., 45: *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*. Et ideo dicebat Is. 1, 5: *dominus aperuit mihi aurem*. Secundum est assensus ad credendum sententiae magistri: nam, ut dicitur Lc. VI, 40, *non est discipulus super magistrum*, et ideo non debet ei contradicere. Unde dicitur Eccli. IV, 30: *non contradicas verbo veritatis ullo modo*. Et ideo subdit Isaias: *ego autem non contradico*. Tertio stabilitas ad permanendum; supra VI, 67, dicitur, quod *multi discipuli abierunt retro, et iam non cum illo ambulabant*. Et ideo subdit Isaias: *retrorsum non abii*. Sed maius est veritatem cognoscere, cum sit finis discipuli. Et hoc etiam dominus credentibus reddit; unde dicit *cognoscetis veritatem*, scilicet doctrinae, quam ego doceo; infra XVIII, 37: *in hoc natus sum, et ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati*. Item gratiae quam facio; supra, VIII, v. 17: *gratia et veritas per Iesum Christum facta est*. Et dicitur gratia veritatis per comparisonem ad figuras veteris legis. Item aeternitatis in qua permaneo; Ps. CXVIII, 89: *in*

*aeternum, domine, permanet verbum tuum, in generatione et generatione veritas sua.* Sed maximum est libertatis adeptio, quam efficit cognitio veritatis in credentibus; unde dicit *et veritas liberabit vos.* Liberare autem, in hoc loco, non importat exceptionem a quacumque angustia, prout in Latino sonat, sed proprie dicit liberum facere. Et hoc a tribus: quia veritas doctrinae liberabit ab errore falsitatis; Prov. VIII, 7: *veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium;* veritas gratiae, liberabit a servitute peccati; Rom. VIII, 2: *lex autem spiritus vitae in Christo Iesu, liberabit me a lege peccati et mortis;* sed veritas aeternitatis, in Christo Iesu, liberabit nos a corruptione; Rom. VIII, 21: *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis.* Consequenter cum dicit *responderunt ei: semen Abrahae* etc., ostendit remedii necessitatem Iudaeis inesse, et primo exaggeratur Iudaeorum praesumptio, se tali remedio indigere negantium; secundo ostenditur quomodo remedio indigent, ibi *respondit eis Iesus: amen, amen dico vobis.* Praesumptio autem Iudaeorum ostenditur in quadam praesumptuosa interrogatione; unde *responderunt ei Iudaei: semen Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam. Quomodo tu dicis, liberi eritis?* In qua quidem primo aliquid affirmant; secundo aliquid negant; et tertio interrogant. Affirmant quidem se esse semen Abrahae, unde dicunt *semen Abrahae sumus:* in quo ostenditur eorum inanis gloria, quia de sola carnis origine gloriantur; Matth. III, 9: *ne coeperitis dicere: patrem habemus Abraham.* Simile faciunt qui de carnali nobilitate extolli quaerunt; Oseae IX, 11: *omnis gloria eorum a partu, ab utero et conceptu.* Negant autem servitutem, unde dicunt *nemini servivimus unquam:* in quo se hebetes ostendunt, et mendaces. Hebetes quidem, quia quod dominus de spirituali libertate loquitur, ipsi intelligunt de corporali; I Cor. II, 14: *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei.* Mendaces autem, quia si hoc quod dicunt *nemini servivimus unquam,* intelligunt de servitute carnali, aut loquuntur universaliter quantum ad totum genus Iudaeorum, aut specialiter quantum ad seipsos. Si quidem universaliter, manifeste mentiuntur: nam Ioseph venundatus est, et patres eorum servierunt in Aegypto, ut patet Gen. XL et Ex. I. Unde Augustinus dicit: o ingrati, quid est quod assidue vobis imputat Deus quod vos de domo servitutis liberavit, si nemini servistis? Dicitur enim Deut. VI, 13: *eduxi vos de Aegypto, de domo servitutis* et cetera. Si autem de seipsis loquuntur, non possunt etiam a mendacio excusari: nam et ipsi tunc temporis Romanis tributa solvebant; unde dicebant, Matth. c. XXII, 17: *si licet tributum dari Caesari, an non?* Interrogant autem libertatis modum; unde dicunt *quomodo tu dicis, liberi eritis?* Dominus eis duo promiserat: scilicet libertatem et veritatis cognitionem, cum dixit: *cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Per quod Iudaei intelligebant, se servos et ignaros a domino reputari. Et licet magis iniuriosum sit deficere a cognitione quam a libertate; quia tamen carnales erant, neglecta veritate, modum libertatis inquirunt; Ps. XVI, 12: *oculos suos statuerunt declinare in terram.* Hic dominus eorum praesumptionem excludens, eos remedio praedicto indigere convincit, et primo agit de eorum servitute; secundo de eorum liberatione, ibi *servus autem non manet in domo in aeternum;* tertio de eorum origine, ibi *scio quia filii Abrahae estis.* Convincit autem eos de servitute, non carnali, qualem illi intelligebant, sed spirituali, scilicet peccati, ad quam exaggerandam duo praemittit: scilicet ingeminatum iuramentum; unde dicit *amen, amen dico vobis.* Amen est nomen Hebraeum, quod interpretatur vere, vel fiat. Quod, secundum Augustinum, nec Graecus interpres, nec Latinus ausus est interpretari, ut honorem haberet velamento secreti, non ut esset ligatum, sed ne vilesceret nudatum; et specialiter propter reverentiam domini, qui frequenter ipso usus est. Ponit ergo hic dominus quasi quoddam iuramentum: quod ideo geminatur, ut suam sententiam magis firmam ostendat; ad Hebr. c. VI, 17: *interposuit iusiurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* Secundo universalem locutionem, cum dicit *omnis,* sive Iudaeus sive Graecus, dives aut pauper, imperator vel mendicus; Rom. III, 23: *non est distinctio Iudaei et Graeci; omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* Servitutem etiam proponit dicens *qui facit peccatum, servus est peccati.* Sed contra. Servus non movetur proprio arbitrio suo, sed domini; qui autem facit peccatum, movetur proprio arbitrio suo: ergo non est servus. Responsio. Dicendum, quod unumquodque est illud quod convenit ei secundum suam naturam: quando ergo movetur ab aliquo extraneo, non operatur secundum se, sed ab impressione alterius; quod est servile. Homo autem secundum suam naturam est rationalis. Quando ergo movetur secundum rationem, proprio motu movetur, et secundum se operatur, quod est libertatis; quando vero peccat, operatur praeter rationem, et tunc movetur quasi ab alio, retentis terminis alienis: et ideo *qui facit peccatum, servus est peccati;* II Petr. II, 19: *a quo quis superatus est, eius servus addictus est.* Sed quanto quis movetur ab extraneo, tanto magis in servitutem redigitur; et tanto magis vincitur a peccato, quanto minus habet de proprio motu, scilicet rationis, et magis efficitur servus. Unde quanto aliqui liberius peragunt perversa quae volunt, et minori difficultate, tanto peccati servitio obnoxius obligantur, ut Gregorius dicit. Quae quidem servitus gravissima est,

quia vitari non potest: nam quocumque homo vadat, peccatum intra se habet, licet actus et delectatio eius transeat; Is. XIV, 3: *cum requiem dederit tibi Deus (...) a servitute tua dura, scilicet peccati, qua antea servisti*. Servitus autem corporalis, saltem fugiendo, evadi potest; unde dicit Augustinus: o miserabilis servitus (scilicet peccati). Servus hominum, aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit; servus peccati secum trahit peccatum, quocumque fugerit: peccatum enim quod fecit, intus est, voluptas transit; peccatum (idest actus) transit: praeteriit quod delectabat, remansit quod pungat. Consequenter cum dicit *servus autem non manet in domo in aeternum*, agit de liberatione a servitute: quia enim omnes peccaverunt, omnes erant servi peccati. Sed imminet vobis liberationis spes ab eo qui liber est a peccato; et hic est filius. Unde circa hoc tria facit. Primo praemittit servi conditionem, ut distinguatur liber a servo; secundo ostendit conditionem filii a servo diversam; tertio concludit potestatem filii in liberando. Est ergo conditio servi transitoria et instabilis; unde dicit *servus non manet in domo in aeternum*. Domus ista est Ecclesia; I Tim. III, 15: *ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quae est Ecclesia Dei vivi*. In qua quidem domo aliqui spiritualiter servi ad horam tantum permanent, sicut in domo patrisfamilias corporaliter servi manent ad tempus; non tamen in aeternum: quia licet modo mali non sint separati numero a fidelibus, sed merito tantum, in futuro tamen separabuntur utroque modo; Gal. IV, 30: *eiice ancillam et filium eius: non enim erit heres filius ancillae cum filio liberae*. Conditio vero filii est aeterna et stabilis; unde dicit *filius autem*, idest Christus, *permanet in aeternum*, scilicet in Ecclesia, tamquam in domo sua; Heb. III, 6, dicitur quod Christus, tamquam filius in domo sua et cetera. Et quidem ipse per seipsum in domo manet in aeternum, quia ipse immunis est a peccato; nos autem sicut per ipsum a peccato liberamur, ita et per ipsum in domo manemus. Liberationis autem potestatem habet filius; unde subdit *si igitur filius vos liberaverit, vere liberi eritis*; Gal. IV, 31: *non sumus ancillae filii, sed liberae, qua libertate Christus nos liberavit*. Nam, ut apostolus dicit, ipse pretium dedit non argentum, sed sanguinem suum: venit enim in similitudinem carnis peccati, nullum omnino habens peccatum; et ideo factum est verum sacrificium pro peccato: unde per eum liberamur non a barbaris, sed a Diabolo. Et nota, quod est multiplex libertas. Scilicet perversa, quando quis abutitur ea ad peccandum; et haec est libertas a iustitia, quam nullus cogitur servare; I Petr. c. II, 16: *quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiae libertatem*. Vana, quae est temporalis, seu carnalis, Iob III, 19: *servus liber a domino suo*. Vera et spiritualis, quae est libertas gratiae, quae est scilicet carere criminibus; quae est imperfecta, quia caro concupiscit adversus spiritum, ut non ea quae volumus faciamus, Gal. V, 17. Gloriae, et perfecta atque plena, quae erit in patria; Rom. VIII, 21: *ipsa creatura liberabitur a servitute*: et hoc erit, quia nihil erit ibi inclinans ad malum, nihil opprimens, quia ibi erit libertas a culpa et a poena. Chrysostomus autem hoc aliter introducit. Quia enim dixerat: *qui facit peccatum, servus est peccati*, ne praecurrant Iudaei, et dicant: licet simus servi peccati, tamen possumus liberari per sacrificia et caeremonias legis, propterea dominus ostendit, quod per ea liberari non possunt, sed solum per filium. Unde dicit *servus*, idest Moyses et pontifices veteris testamenti, *non manet in domo in aeternum*; Hebr. III, 5: *Moyses sicut famulus in omni domo sua*. Et caeremoniae etiam aeternae non sunt; et ideo non possunt conferre libertatem aeternam. Consequenter cum dicit *scio quia filii Abrahae estis*, agit de eorum origine: et primo confitetur eorum originem carnis; secundo inquit originem spiritus, ibi *sed quaeritis me interficere* et cetera. Originem autem carnis ipsorum dicit esse Abraham. *Scio inquit quia filii Abrahae estis*, origine carnis tantum, non similitudine fidei; Is. LI, 2: *attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quae peperit vos*. Spiritualem originem inquit dicens *sed quaeritis me interficere*, et primo ostendit eos originem spiritualem habere; secundo excludit originem praesumptam, ibi *responderunt, et dixerunt ei: pater noster Abraham est*; tertio ostendit originem eorum veram, ibi *vos ex patre Diabolo estis*. Circa primum duo facit. Primo ponit eorum culpam; secundo concludit eorum spiritualem originem, ibi *vos quae vidistis apud patrem vestrum, facitis*. Circa primum tria facit. Primo imponit eis culpam homicidii; secundo crimen infidelitatis; tertio aufert eis excusationis viam. Ostendit ergo eos dominus spiritualiter ex mala radice procedere, et ideo signanter arguit eos de peccato; et dimissis omnibus aliis, quibus Iudaei multipliciter irretiti erant, hoc illis tantum commemorat quod iugiter in mente habebant, scilicet peccatum homicidii, quia, ut dictum est supra, volebant eum occidere. Et ideo dicit *sed quaeritis me interficere*; quod est contra legem vestram; Ex. XX, 13: *non occides*; infra XI, 53: *ab illo ergo die cogitabant interficere eum*. Sed possent dicere quia occidere aliquem ex culpa non est peccatum, et ideo dominus dicit causam homicidii esse non quidem culpam Christi, nec eorum iustitiam, sed ipsorum infidelitatem; quasi dicat: quaeritis me interficere, non propter iustitiam, sed propter vestram infidelitatem, *quia sermo meus non capit in vobis*; Matth. XIX, 11: *non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*. Utitur autem dominus hoc modo loquendi primo

quidem ad ostendendum sui sermonis excellentiam; quasi dicat: sermo meus superexcedit capacitatem vestram, nam ipse de spiritualibus est, vos autem intellectum carnalem habetis; et ideo ipsum non capitis; I Cor. II, 14: *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*. Secundo vero propter similitudinem quamdam. Nam, ut Augustinus dicit, sic est sermo Dei infidelibus, tamquam piscibus hamus, qui non capit nisi capiatur. Et ideo dicit *sermo meus non capit in vobis*, id est in cor vestrum, quia non recipitur in vobis eo modo quo Petrus captus erat; supra VI, 69: *domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes*. Nec tamen fit iniuria eis qui capiuntur: ad salutem quippe, non ad perniciem capit. Nam dicitur Deut. XVIII, 20 quod propheta qui loquitur ex ore domini ea quae dominus non dixit, debet interfici. Unde, ne Iudaei dicerent eum interficiendum fore, eo quod a seipso et non ex ore domini loquebatur, inducit subdens *ego quae vidi apud patrem meum, loquor*; quasi dicat: non potest imponi mihi quod loquor quae non audivi, quia non solum audita, sed, quod plus est, visa loquor. Alii enim prophetae locuti sunt ea quae audierunt, sed ego quae vidi haec loquor; supra c. I, 18: *Deum nemo vidit unquam unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarravit*; I Io. I: *quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis*. Est autem hoc intelligendum de visione certissimae cognitionis, quia filius patrem cognoscit sicut ipse seipsum novit: de quo dicitur Matth. II, 27: *nemo novit patrem nisi filius*. Spiritualem autem eorum originem concludit, dicens *et vos quae vidistis apud patrem vestrum, facitis*; quasi dicat: ego ea loquor quae meae origini conveniunt; vos autem illa facitis quae sunt apud patrem vestrum, scilicet Diabolum, cuius filii erant, secundum Augustinum, non in quantum homines, sed in quantum mali erant. Ea, inquam, quae vidistis, Diabolo suggerente; Sap. c. II, 24: *invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Secundum Chrysostomum, est alia littera *vos quae vidistis apud patrem vestrum, facite*; quasi dicat: sicut ego verbis in veritate patrem meum ostendo, ita vos ostendite operibus patrem vestrum origine, scilicet Abraham; unde dicit: *facite quae apud patrem vestrum vidistis, docti per legem et prophetas*.

## Lectio 5

[87475] Super Io., cap. 8 l. 5 Postquam dominus ostendit Iudaeos aliquam spiritualem originem habere, hic excludit ab eis origines quas sibi praesumptuose attribuebant, et primo excludit originem, quam se traxisse dicebant ab Abraham; secundo originem, quam se putabant habere a Deo, ibi *dixerunt itaque ei: nos ex fornicatione non sumus nati*. Circa primum duo facit. Primo ponit opinionem Iudaeorum de eorum origine; secundo excludit eam, ibi *si filii Abrahae estis opera Abrahae facite*. Sciendum est autem circa primum, quia dominus dixerat eis *quae vidistis apud patrem vestrum, facitis*, ideo gloriantes se de carnali generatione, transferunt se ad Abraham. Unde dicunt *pater noster Abraham est*, quasi dicant: si spiritualem originem habemus, boni sumus, quia Abraham pater noster bonus est; Ps. CIV, 6: *semen Abraham servi eius*. Et, ut dicit Augustinus, nitebantur eum provocare, ut aliquid male diceret de Abraham, et esset eis occasio facere quod cogitabant, scilicet occidendi Christum. Sed dominus, consequenter cum dicit *si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite*, excludit hanc ipsorum opinionem tamquam falso prolatam, et proponit primo signum debitum filiationis Abrahae; secundo ostendit, hoc signum in Iudaeis non esse, ibi *nunc autem quaeritis me interficere*; tertio concludit propositum, ibi *vos facitis opera patris vestri*. Signum quidem filiationis alicuius est quod assimiletur ei cuius filius est: sicut enim filii carnales ut plurimum parentibus carnalibus assimilantur, ita et filii spirituales (si sint vere filii) debent spirituales parentes imitari; Eph. V, 1: *estote imitatores Dei, sicut filii carissimi*. Et quantum ad hoc dicit *si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite*; quasi dicat: hoc signum esset quod essetis filii Abrahae, si eum imitaremur; Is. LI, 2: *attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quae peperit vos*. Sed dubitatur hic, quod videtur quidem eos negare esse filios Abrahae, dubitative loquens *si filii Abrahae estis*, quod tamen affirmavit superius, dicens: *scio quod filii Abrahae estis*. Ad quod dupliciter respondetur. Uno modo, secundum Augustinum, quod supra affirmavit eos esse filios Abrahae secundum carnem; hic autem negat eos filios secundum imitationem operum, et praecipue fidei. Caro ergo illorum ex ipso erat, sed vita non erat; Gal. III: *qui ex fide sunt, hi reputantur in semine*. Alio modo, secundum Origenem, quod utrumque referatur ad spiritualem originem. Sed ubi nos habemus: *scio quod filii Abrahae estis*, in Graeco habetur: *scio quod semen Abrahae estis*; hic vero dicit *si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite*; quia Iudaei quidem, spiritualiter loquendo, semen Abrahae erant, sed non eius filii. Differentia est inter semen et filium: nam semen est quid informe, et tamen habet in seipso rationes eius cuius est semen; filius autem, transmutato semine per virtutem informativam ab agente in appositam sibi materiam a muliere, superinducto nutrimento,



similitudinem generantis habet. Eodem modo et Iudaei semen quidem Abrahae erant in quantum in eis aliqua ratio eorum quae Deus in Abraham infuderat apparebat; sed quia non ad perfectionem Abrahae pervenerant, ideo filii eius non erant: et propter hoc dicit eis *si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite*; id est, ad perfectam imitationem operum eius satagite. Ex hoc autem quod dicit *opera Abrahae facite*, videtur quod quaecumque ipse fecit, et nos facere debemus. Ergo debemus plures uxores accipere, et ad ancillam accedere, sicut Abraham fecit. Respondeo. Dicendum quod praecipuum opus Abrahae est fides, per quam iustificatus est apud Deum; Gen. XV, 6: *credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam*. Et ideo intelligendum est *opera Abrahae facite*, id est, ad similitudinem Abrahae credite. Sed contra hoc est, quia fides non videtur posse dici opus, cum contra opera distinguatur; Iac. II, 26: *fides sine operibus mortua est*. Respondeo. Dicendum, quod fides opus dici potest, secundum illud supra VI, 29: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*. Verum opus interius non est manifestum hominibus, sed soli Deo, secundum illud I Reg. c. XVI, 7: *homines vident ea quae apparent; Deus autem intuetur cor*. Inde est quod communius ea quae exterius sunt, consuevimus opera nominare. Fides ergo distinguitur non ab omnibus operibus, sed ab exterioribus tantum. Sed numquid omnia opera Abrahae debemus facere? Ad hoc dicendum, quod opus potest considerari dupliciter: vel secundum speciem operis eius, et sic omnia opera eius non sunt imitanda; vel secundum radicem eorum, et sic opera Abrahae imitanda sunt: quia quidquid fecit, ex caritate fecit. Unde dicit Augustinus, quod caelibatus Ioannis non praefertur coniugio Abrahae, cum eadem fuerit radix utriusque. Vel dicendum, quod omnia opera Abrahae imitanda sunt quantum ad signationem, quia *omnia in figura contingebant illis*, ut dicitur I Cor. X, 11. Consequenter cum dicit *nunc autem quaeritis me interficere*, ostendit, praedictum filiationis signum in eis non esse, et primo ponuntur Iudaeorum opera; secundo ostendit ea esse Abrahae operibus dissimilia, ibi *hoc Abraham non fecit*. Ostenduntur autem Iudaeorum prava opera esse et perversa, quia homicidae erant; unde dicit *nunc autem quaeritis me interficere*; Is. I, 21: *quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidae*. Sed hoc homicidium inaestimabile peccatum erat contra personam filii Dei. Unde quia, ut dicitur I Cor. II, 8, *si cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixissent*, ideo dominus non dicit eos filium Dei quaerere interficere, sed hominem: quia etsi filius Dei dicatur passus et mortuus propter unitatem suppositi, hoc non est in quantum filius Dei, sed propter infirmitatem humanam, quia, ut dicitur II Cor. ult., 4, *si crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei*. Et ut magis eorum homicidium exaggeret, ostendit, eos nullam mortis causam adversus eum habere; unde subdit *qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Deo*. Ista veritas est quod dicebat se aequalem Deo; supra V, 18: *quaerebant eum Iudaei interficere, quia non solum sabbatum solvebat, sed patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo*. Hanc veritatem audivit a Deo in quantum ab aeterno per generationem aeternam accepit a patre eandem naturam quam ipse habet; supra V, 26: *sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio habere vitam in semetipso*. Excludit autem duas causas propter quas prophetae mandabantur occidi in lege. Primo quidem propter mendacium, Deut. XIII, 5 ubi praecipitur, quod si aliquis propheta surrexerit loquens mendacium, aut fictor somniorum, interficiatur: et hoc a se dominus excludit, dicens *qui veritatem locutus sum vobis*; Prov. c. VIII, 7: *veritatem meditabitur guttur meum*. Secundo vero si aliquis propheta locutus fuerit ex nomine falsorum deorum, vel ex nomine Dei quod ipse non praecepit, occidi debebat, ut habetur Deut. XIII, 5. Et hoc dominus excludit a se, cum dicit *quam audivi a Deo*. Consequenter cum dicit *hoc Abraham non fecit*, ostendit eorum opera dissimilia esse operibus Abrahae, quasi dicat: in hoc probatis vos non esse filios Abrahae, quia facitis opera contraria operibus eius: nam de eo legitur Eccli. XLIV, 20, *quod servavit legem altissimi, et fuit in testimonio cum illo*. Sed aliqui superflue obiiciunt, quod Christus ante Abraham nondum erat, et ideo Abraham hoc non fecit: non enim occidi potuisset qui non erat. Sed dicendum, quod Abraham non commendatur ex hoc quod non fecit in Christo, sed ex eo quod non fecit in simili persona, id est in his qui tunc veritatem dicebant. Vel dicendum, quod si Christus non venerat tempore Abraham in carnem, venerat tamen in mentem, secundum illud Sap. VII, 27: *in animas sanctas per nationem se transfert*, quem tamen Abraham non interfecit mortaliter peccando: de quo dicitur ad Hebr. VI, 6: *rursum crucifigentes filium Dei, et ostentui habentes*. Consequenter cum dicit *vos facitis opera patris vestri*, concludit propositum; quasi dicat: ex quo non facitis opera Abrahae, ergo habetis aliquem alium patrem, cuius opera facitis. Simile habetur Matth. XXIII, v. 32: *vos implete mensuram patrum vestrorum*. Consequenter cum dicit *dixerunt itaque ei: nos ex fornicatione non sumus nati*, ostendit eos non habere originem a Deo: quia enim iam ex verbis domini cognoscebant eum non de carnali generatione loqui, ideo ad spiritualem generationem se transferunt, dicentes *nos ex fornicatione non sumus nati* et cetera. Ubi primo eorum opinionem proponunt;

secundo eam dominus excludit, ibi *dixit ergo eis Iesus* et cetera. In eorum autem opinione Iudaei unum negant et aliud asserunt. Negant se ex fornicatione natos: quod quidem, secundum Origenem, quasi impropere, Christo proponunt, latenter designantes, ipsum ex adulterio productum fore; quasi dicant *nos ex fornicatione non sumus nati*, sicut tu. Sed melius potest dici, quod sponsus animae spiritualiter Deus est, Oseae II, 19: *sponsabo te mihi*. Sicut autem fornicatur sponsa cum praeter sponsum suum carnalem, alium virum admittit; ita, in Scripturis, Iudaea fornicari dicebatur quando Deum verum deserens, idolis adhaerebat; Oseae I, 2: *fornicans fornicabitur terra a domino*. Dicunt ergo Iudaei *nos ex fornicatione non sumus nati*; quasi dicant: si aliquando mater nostra synagoga a Deo recedens fornicata est cum idolis, nos tamen non recessimus, nec cum idolis fornicati sumus; Ps. XLIII, 18: *nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo, et non recessit retro cor nostrum*; Is. LVII, 3: *ascendite huc, filii fornicatricis, semen adulteri et fornicariae*. Affirmant autem se esse filios Dei: quod videbatur sequi ex quo non credebant se natos ex fornicatione; unde dicunt *unum patrem habemus Deum*; Mal. II, 10: *nonne unus est pater omnium nostrum?* Ier. III: *patrem vocabis me*. Consequenter cum dicit *dixit ergo eis Iesus* etc., confutatur eorum opinio a domino, et primo proponit divinae filiationis signum; secundo assignat rationem signi, ibi *ego enim a Deo veni* etc.; tertio ostendit eos a praedicto signo deficere, ibi *quare loquelam meam non cognoscitis?* Sciendum est autem circa primum, quod supra signum carnalis filiationis dixit esse opera exteriora, quae homines exterius operantur; hic autem signum filiationis divinae ponit interiorem affectionem. Nam filii Dei efficimur per communicationem spiritus sancti; Rom. VIII, 15: *non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis*. Spiritus autem sanctus causa est amoris Dei, quia *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis*: Rom. V, 5. Signum ergo speciale divinae filiationis est dilectio; Eph. V, 1: *estote imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione*. Et ideo dicit *si Deus pater vester esset, diligeretis utique me*; Ps. c. XXIV, 21: *innocentes et recti, qui sunt filii Dei, adhaeserunt mihi*. Rationem autem signi assignat, dicens *ego enim ex Deo processi et veni*, et primo ponit veritatem; secundo excludit errorem, ibi *neque enim a meipso veni*. Veritas autem, quam proponit, est quod a Deo processit et venit. Sed sciendum est, quod omnis amicitia in coniunctione fundatur; unde et fratres se diligunt in quantum ex eisdem parentibus principium sumunt. Dicit ergo dominus: vos dicitis quod filii Dei estis; sed si hoc esset, *diligeretis me, quia a Deo processi et veni*. Qui ergo non me diligit, non est filius Dei. *Processi*, inquam, *a Deo*, ut unigenitus ab aeterno, de substantia patris; Ps. CIX, 3: *ante Luciferum genui te*; supra I: *in principio erat verbum. Veni* autem, ut verbum caro factum et missus a Deo per incarnationem; infra XVI, 28: *exivi a patre*, ut verbum ab aeterno, *et veni in mundum*, ut caro, factum in tempore. Errorem autem excludit cum dicit *neque enim a meipso veni*: et primo excludit errorem Sabellii, qui Christum non ab alio originem habuisse dicit, sed idem esse patrem et filium in persona finxit. Et quantum ad hoc dicit *neque enim a meipso veni*; idest, secundum Hilarium, ego veni non a meipso existens, sed quasi ab alio missus, scilicet a patre, unde subdit *sed ille me misit*; Gal. IV, 4: *misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege*. Secundo vero errorem Iudaeorum, qui dicebant Christum non esse missum a Deo, sed falsum prophetam: de quibus dicitur: *non mittebam eos, sed ipsi currebant*. Et quantum ad hoc dicit, secundum Origenem, *neque enim a meipso veni, sed ille me misit*. Hunc petebat Moyses: *obsecro, domine, mitte quem missurus es*. Ostendit autem eos ab hoc signo deficere, cum dicit *quare loquelam meam non cognoscitis?* Nam, sicut dictum est supra dilectio Christi est signum filiationis divinae: isti autem Christum non diligebant: unde manifestum est eos ab hoc signo deficere. Quod autem non diligunt, manifestant per effectum: nam effectus dilectionis alicuius est quod diligens libenter audit verba dilecti. Unde Cant. II, 14: *sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis*. Et Cant. ult., 13: *fac me audire vocem tuam: amici auscultant te*. Quia ergo isti Christum non diligebant, durum videbatur eis etiam vocem eius audire; supra VI, 61: *durus est hic sermo: quis potest eum audire?* Sap. II, 15: *gravis est nobis etiam ad videndum*. Contingit autem quod aliquis non libenter audit verba alicuius, quia ea examinare non potest nec per consequens cognoscere, et ideo eis contradicunt; Iob VI, 29: *respondete, obsecro, absque contentione (...) et non invenietis in lingua mea iniquitatem*. Et ideo dicit *quare loquelam meam non cognoscitis?* Dicentes et interrogantes: *quid est hoc quod dixit: quo ego vado vos non potestis venire?* Et hoc ideo, inquam, non cognoscitis, quia non potestis audire sermonem meum; idest, ita durum cor habetis ad me, quod nec sermonem meum audire vultis.

[87476] Super Io., cap. 8 l. 6 Postquam dominus Iudaeos ostendit originem aliquam spiritualem habere et exclusit ab eis originem praesumptam, hic astruit veram, ascribens eis paternitatem Diaboli, et primo proponit intentum; secundo rationem eis assignat, ibi *et desideria patris vestri vultis facere*; tertio positam rationem manifestat, ibi *ille homicida erat ab initio*. Dicit ergo *vos facitis opera Diaboli, ergo vos ex patre Diabolo estis*, scilicet per imitationem; Ez. XVI, 3: *pater tuus Amorrhaeus, et mater tua Cethaea*. Cavenda est hic haeresis Manichaeorum, qui dicunt esse quamdam naturam mali, et gentem quamdam tenebrarum cum principibus suis, a qua corruptibilia omnia originem trahunt; et secundum hoc omnes homines secundum carnem ex Diabolo processisse. Ponebant autem quasdam animas ad bonam creationem pertinere, et quasdam ad malam; unde dicebant hoc dictum a domino *vos ex patre Diabolo estis*, quia ab eo secundum carnem processistis, et animae vestrae sunt de mala creatione. Sed, ut Origenes dicit, introducere duas naturas propter differentiam boni et mali, simile videtur ei qui diceret alteram esse oculi videntis substantiam, alteram caligantis vel se avertentis. Quemadmodum enim oculi sani et lippi non differunt substantia, sed quaedam contingit causa deficiens, scilicet quae facit eum caligare; ita eadem est substantia et natura rei, sive sit bona, seu habeat in se defectum, quod est peccatum voluntatis. Non ergo Iudaei ut mali, dicuntur filii Diaboli natura, sed imitatione. Consequenter cum dicit *et desideria patris vestri vultis facere*, rationem assignatam exponit; quasi dicat: non estis filii Diaboli tamquam ab eo creati, et in esse producti sed quia eum imitantes, *desideria patris vestri vultis facere*, quae quidem mala sunt: nam sicut ille invidit homini, et occidit, Sap. II, 24: *invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum*, ita et vos mihi invidentes, *quaeritis me interficere hominem, qui veritatem locutus sum vobis*. Consequenter cum dicit *ille homicida erat ab initio*, positam rationem manifestat, et primo ponit Diaboli quam imitantur conditionem; secundo ostendit eos esse imitatores conditionis illius, ibi *ego autem si veritatem dico, non creditis mihi*. Sciendum est circa primum, quod in Diabolo duplex peccatum maxime pollet: scilicet peccatum superbiae ad Deum, et invidiae ad hominem, quem occidit. Sed ex peccato invidiae ad hominem quo infert nocumenta hominibus, cognoscitur a nobis peccatum superbiae et ideo primo ponit peccatum Daemonis contra hominem; secundo peccatum eius contra Deum, ibi *et in veritate non stetit*. Peccatum autem invidiae contra hominem est quod occidit eum; unde dicit: *ille*, scilicet Diabolus, *homicida erat ab initio*. Ubi sciendum est quod non ferro accinctus Diabolus occidit hominem, sed mala persuasionem; Sap. II, 24: *invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Et primo quidem introivit mors peccati, Ps. XXXIII, 22: *mors peccatorum pessima*, deinde vero mors corporalis, Rom. V, 12: *per unum hominem peccatum intravit, et per peccatum mors*. Et, ut dicit Augustinus, noli putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades. Attendendum est autem, secundum Origenem, quod ille homicida dicitur non propter aliquem singulariter tantum, sed pro toto genere, quod peremit in Adam, in quo cuncti moriuntur, ut dicitur I ad Cor. XV, 22. Unde antonomastice homicida dicitur; et hoc *ab initio*, ex quo scilicet fuit homo, qui occidi poterat, ex quo potuit fieri homicidium: non enim posset occidi homo, nisi prius homo fieret. Consequenter cum dicit *et in veritate non stetit*, ponit peccatum Daemonis contra Deum, quod consistit in hoc quod avertit se a veritate, quae Deus est, et primo ostendit eum a veritate aversum; secundo ostendit eum veritati contrarium, ibi *dum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*. Circa primum duo facit. Primo ostendit eum a veritate aversum; secundo manifestat quod dixit, ibi *quia veritas in eo non est*. Dicit ergo *et in veritate non stetit*. Unde sciendum est, quod duplex est veritas: scilicet vocis et operis. Veritas quidem vocis est qua quis profert ore quod gerit corde, et est in rerum natura; Eph. IV, 25: *deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*; Ps. XIV, 3: *qui loquitur veritatem cum proximo suo, qui non egit dolum in lingua sua*. Veritas iustitiae, quando scilicet quis agit quod convenit sibi secundum ordinem suae naturae: de qua supra III, 21, dicit: *qui fecerit veritatem, veniet ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta*. De hac ergo veritate dominus loquens dicit *et in veritate*, scilicet iustitiae, *non stetit*, quia deseruit ordinem suae naturae, qui erat ut Deo subiiceretur, et per eundem beatitudinem suam et naturalis desiderii complementum consequeretur. Unde dum hoc per se consequi voluit, a veritate cecidit. Hoc autem quod dicit *in veritate non stetit*, potest dupliciter intelligi: vel quod numquam in veritate steterit; vel quod aliquando steterit, sed in ea non permansit. Sed hoc quod numquam fuerit in veritate iustitiae, potest habere duplicem sensum. Unum quidem secundum Manichaeos, qui dicunt Diabolum naturaliter malum esse: ex quo sequitur quod semper malus fuerit. Nam quod inest naturaliter, semper inest. Sed hoc est haeticum, quia in Ps. CXLV, 6, dicitur, quod *Deus fecit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt*. Ergo omne ens est a Deo; omne autem quod est a Deo, in quantum est, bonum est. Et ideo alii dixerunt, quod Daemon ex sui natura bonus est a Deo creatus, sed in primo instanti factus est malus per liberum arbitrium. Et

differunt isti a Manichaeis: quia illi dicunt Daemones semper fuisse malos, et naturaliter; isti vero semper malos, sed per liberum arbitrium. Sed posset alicui videri quod quia Angelus non est malus per naturam, sed per peccatum propriae voluntatis, peccatum autem est actus quidam, potuit fieri ut Angelus in principio actus fuerit bonus, sed in termino actus mali fuerit malus effectus. Manifestum est autem quod actus peccati in Daemone est creatione posterior, terminus autem creationis est ipsum esse Angeli: terminus vero operationis peccati est quod sint mali. Et sic ex hac ratione volunt quod impossibile sit quod in primo instanti quo Angelus esse coepit, fuerit malus. Sed haec ratio non videtur sufficiens, habet enim locum in motibus temporalibus tantum, qui successive aguntur, non autem in motibus instantaneis. Nam in motibus successivis aliud est instans in quo incipit actio, et aliud in quo terminatur: sicut si motus localis sequitur ad alterationem, non potest in eodem instanti terminari motus localis et alteratio. Sed in mutationibus instantaneis, simul et in eodem instanti potest esse terminus primae et secundae mutationis; sicut in eodem instanti quo illuminatur luna a sole, illuminatur aer a luna. Manifestum est autem quod creatio est instantanea, et similiter motus liberi arbitrii in Angelis, cum non indigerent collatione et discursu rationis; unde nihil prohibet simul et in eodem instanti esse terminum creationis, in quo fuit bonus, et iterum terminum liberi arbitrii, in quo fuit malus. Et hoc aliqui concedunt; sed dicunt hoc non fuisse, licet esse potuerit: et hoc propter auctoritatem Scripturae. Dicitur enim sub figura regis Babylonis de Diabolo, Is. XIV, 12: *quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris?* Ez. XXVIII, 13, dicitur sub persona regis Tyri: *in deliciis Paradisi Dei fuisti.* Et ideo dicunt, quod non fuit in principio suae creationis malus, sed quandoque bonus fuit, et per liberum arbitrium cecidit. Sed dicendum est, quod in primo instanti suae creationis non potuit esse malus. Cuius ratio est, quia nullus actus habet rationem peccati, nisi in quantum est praeter rationem naturae agentis voluntarii. In quolibet autem ordine actuum prius est actus naturalis; sicut in intelligendo, primo intelliguntur prima principia, et per ipsa intelliguntur alia, et, in volendo similiter, primo volumus ultimam perfectionem et ultimum finem, cuius appetitus naturaliter nobis inest, et propter ipsum appetimus alia. Quod autem secundum naturam fit, non est peccatum. Impossibile est ergo quod primus actus Diaboli fuerit malus. Fuit ergo Diabolus in aliquo instanti bonus, *sed in veritate non stetit*, id est, non permansit. Ad illud autem quod dicitur I Io. III, 8: *Diabolus ab initio peccavit*, dicendum, quod ab initio quidem peccavit; quia ex quo incepit peccare, numquam desiit. Consequenter cum dicit *quia non est veritas in eo*, manifestat quod dixit. Quae quidem manifestatio intelligitur dupliciter. Uno quidem modo, secundum Origenem, ut sit manifestatio communis per specialem, sicut si vellem manifestare quod Socrates est animal per hoc quod est homo. Quasi dicat *in veritate non stetit*, sed cecidit; et hoc quia *non est veritas in eo*. Est autem duplex gradus non stantium in veritate. Aliqui enim in veritate non stant, quia non firmanentur in ea, sed dubitant Ps. LXXII, 2: *mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi gressus mei.* Aliqui autem quia totaliter a veritate resiliunt. Et sic Diabolus in veritate non stetit, sed ab ea recessit per aversionem. Sed numquid nulla veritas est in eo? Et quidem si nulla veritas sit, neque semetipsum intelliget, neque aliquid, cum intellectus non sit nisi verorum: quod est inconveniens. Dicendum est ergo, in Daemonibus esse aliquam veritatem, sicut aliquod verum. Nullum enim malum totaliter corrumpit bonum, cum ad minus, subiectum in quo malum est, sit bonum. Ideo Dyonisius dicit, quod in Daemonibus manent integra naturalia bona. Sic igitur aliqua veritas est in eis, sed non completa, a qua aversi sunt, scilicet a Deo, qui est veritas et sapientia completa. Secundo vero modo manifestatio ista est per signum, ut Augustinus dicit. Quia videtur quod potius debuisset contrarium dici. Ideo scilicet *veritas non est in eo*, quia *in veritate non stetit*. Sed sicut causa aliquando manifestatur per effectum, ita dominus voluit ostendere quod in veritate non stetit per hoc quod *veritas non est in eo*: esset enim in eo, si in veritate stetisset. Similis modus loquendi habetur in Ps. XVI, 6: *ego clamavi quoniam exaudisti*; quasi, ex hoc apparet quod clamavit, quia fuit exauditus. Consequenter cum dicit *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, ostendit quod Diabolus est contrarius veritati, et primo ponit intentum; secundo manifestat propositum, ibi *quia mendax est, et pater eius*. Veritati autem contrarium est falsum et mendacium; Diabolus autem est veritati contrarius, quia loquitur mendacium: et ideo dicit *dum loquitur, mendacium loquitur*. Ubi sciendum est, quod quicumque praeter Deum loquitur ex propriis, mendacium loquitur quamvis non quicumque mendacium loquitur, ex propriis loquatur. Solus autem Deus loquendo ex propriis, loquitur veritatem. Veritas enim est illuminatio intellectus; Deus autem est ipsum lumen, et ab ipso omnes illuminantur, supra I, 9: *erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: unde et est ipsa veritas, et alii non loquuntur veritatem nisi in quantum ab ipso illuminantur. Unde, sicut Ambrosius dicit, omne verum a quocumque dicatur, a spiritu sancto est. Sic ergo Diabolus cum loquitur ex propriis, loquitur mendacium; homo etiam, cum ex propriis loquitur, mendacium loquitur; sed cum a Deo

loquitur, tunc loquitur veritatem; Rom. III, 4: *est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*, quantum est in se. Sed non omnis homo qui loquitur mendacium, loquitur ex propriis, quia quandoque hoc ab alio accipit: non quidem a Deo, qui est verax, sed ab eo qui in veritate non stetit et primo mendacium adinvenit. Et ideo ipse singulariter cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; III Reg. ult., 22: *egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius*; Is. XIX, 14: *dominus immiscuit*, idest miscere permisit *in medio eius spiritum erroris*. Propositum autem manifestat cum dicit *quia mendax est, et pater eius*. Quod quidem Manichaei male intelligentes, ponebant Daemonum generationes, putantes Diabolum patrem habere. Unde dicebant, quod *Diabolus mendax est, et pater eius*, idest Diabolus. Quod quidem non sic est intelligendum. Nam dominus dixit, quod Diabolus est mendax, et pater eius, idest mendacii: non enim omnis qui mentitur, pater est sui mendacii. Nam, ut Augustinus dicit, si ab alio mendacium accepisti, et dixisti; tu quidem mentitus es, sed pater mendacii non es. Diabolus vero, quia aliunde non accepit mendacium, quo tamquam veneno hominem occideret, pater mendacii est, sicut Deus pater est veritatis. Diabolus enim primo mendacium invenit, cum scilicet mulieri mentitus est: *nequaquam moriemini*, Gen. III, 4. Quod qualiter verum fuerit, rei eventus postmodum comprobavit. Sciendum est autem, quod haec verba ab illo loco *vos ex patre Diabolo estis*, in libro de quaestionibus novi et veteris testamenti exponuntur de Cain, hoc modo: secundum quod ille dicitur Diabolus qui facit opera Diaboli, et vos eum imitamini. Cain *homicida erat ab initio*, ex quo scilicet Abel fratrem suum occidit, *et in veritate non stetit, quia veritas non est in eo*. Et hoc apparet, quia cum dominus quaereret ab eo (Gen. IV, 9): *ubi est Abel frater tuus?* Respondit dicens: *nescio, domine; numquid custos fratris mei sum ego?* Unde ipse *mendax est et pater eius*, scilicet Diabolus, qui est pater eius impressione. Prima tamen expositio melior est.

## Lectio 7

[87477] Super Io., cap. 8 l. 7 Postquam posuit diabolicam conditionem, hic consequenter ostendit Iudaeos esse diabolicae conditionis imitatores. Duas autem malitiae conditiones dominus Diabolo ascripsit, homicidium scilicet et mendacium. Sed de homicidio quidem, in quo isti Diabolum imitabantur, reprehendit eos; supra eodem: *nunc autem quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo*. Et ideo, hoc praetermisso, redarguit eos de aversione eorum a veritate, et primo ostendit eos esse aversos a veritate; secundo causam quam allegare poterant, excludit, ibi *quis ex vobis arguet me de peccato?* Tertio veram causam aversionis concludit, ibi *si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Dicit ergo primo: dictum est, quod *Diabolus mendax est, et pater eius*, quem quidem vos imitamini, quia veritati non vultis adhaerere. Unde dicit *ego autem si veritatem dico vobis, non creditis mihi*. Lc. XXII, 67: *si autem dixerero, non credetis mihi*; supra III, 12: *quomodo si dixerero vobis caelestia, credetis?* Unde et Is. LIII, 1, conqueritur dicens: *domine, quis credidit auditui nostro?* Causa autem suae infidelitatis, quam poterant Iudaei allegare est peccatum in Christo; nam peccatori etiam in veritate non de facili creditur. Unde Ps. XLIX, 16: *peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas?* Poterant ergo dicere: non credimus, quia peccator es. Et ideo hanc causam excludit, dicens *quis ex vobis arguit me de peccato?* Quasi dicat: non habetis iustam causam quare mihi veritatem dicenti non creditis, cum in me nullum peccatum inveniri possit; I Petr. II, 22: *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius*. Secundum Gregorium, pensanda est Dei mansuetudo, qui non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores iustificare; Iob XXXI, 13: *si contempsi subire iudicium meum cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me*. Admiranda est etiam Christi singularis puritatis excellentia, quia, ut Chrysostomus dicit, hoc nullus hominum fiducialiter potuit dicere *quis ex vobis arguet me de peccato?* Nisi solus Deus noster, qui peccatum non fecit; Prov. XX, 9: *quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Quasi dicat, nullus nisi solus Deus. Et in Ps. XIII, v. 3: *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, idest Christum. Veram autem causam aversionis concludit, dicens *si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Et primo ponit eam; secundo Iudaeorum contradictionem excludit, ibi *responderunt ergo Iudaei et cetera*. Circa primum tria facit. Primo ponit quaestionem; secundo assumit rationabilem propositionem; tertio infert intentam conclusionem. Dicit ergo primo: ex quo ergo non potestis dicere, quod ideo non creditis mihi quia peccator sum, nunc restat quaerere quare *si veritatem dico, non creditis mihi*, ex quo non sum peccator; quasi dicat: si me, quem exosum habetis, non potestis arguere de peccato, manifestum est quoniam propter veritatem me odio

habetis, quoniam dico me filium Dei; Prov. XVIII, 2: *non recipit stultus verba prudentiae, nisi ea dixerit quae versantur in corde eius*. Rationabilem autem propositionem et veram assumit, dicens *qui ex Deo est, verba Dei audit*. Ut enim dicitur Eccli. c. XIII, 19, *omne animal diligit sibi simile*, quicumque ergo est ex Deo, in quantum huiusmodi, similitudinem habet horum quae sunt Dei, et eis inhaeret. Unde *qui ex Deo est, verba Dei libenter audit*; infra XVIII, 37: *omnis qui est ex veritate, audit meam vocem*. Praecipue autem verbum Dei libenter audiri debet ab his qui ex Deo sunt, cum ipsum sit semen per quod in filios Dei generamur; infra X, 35: *illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est*. Et ideo ex hoc intentam conclusionem infert, dicens *propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*; quasi dicat: non ergo peccatum meum est causa incredulitatis vestrae, sed malitia vestra; Eccli. VI, v. 21: *quam aspera est nimium indoctis hominibus sapientia*. Et, ut dicit Augustinus, ex Deo quidem sunt secundum naturam, sed ex Deo non sunt vitio et prava affectione: nam eis hoc verbum dictum est qui non solum peccato vitiosi erant, hoc enim commune omnibus erat, sed etiam praecogniti quod non fuerant credituri ea fide qua possent a peccatorum obligatione liberari. Notandum est autem, quod triplex est gradus male affectorum, ut dicit Gregorius. Nam quidam sunt qui praecepta Dei nec aure corporis, idest exteriori auditu, dignantur audire: de quibus dicitur in Ps. LVII, 5: *sicut aspidis surdae, obturantis aures suas*. Quidam vero sunt qui haec quidem corporis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur, non habentes voluntatem implendi: Ez. XXXIII, 31: *audiunt sermones, et non faciunt eos*. Quidam autem sunt qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur; sed post lacrymarum tempus, vel tribulationibus oppressi, aut allecti deliciis, ad iniquitatem redeunt; cuius exemplum habetur Matth. XIII, 18 ss., et Lc. VIII, 11 ss., de verbo a sollicitudinibus suffocato. Ez. III, 7: *domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me*. Est ergo signum quod homo sit a Deo, si libenter audit verba Dei, sed qui recusant audire affectu vel effectu, ex Deo non sunt. Hic excludit Iudaicam contradictionem, et primo ponit Evangelista Iudaeorum contradictionem; secundo domini exclusionem, ibi *respondit Iesus: ego Daemonium non habeo*. Duo autem imponunt Iudaei Christo in eorum contradictione. Primo quidem quod sit Samaritanus, cum dicunt *nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es?* Secundo vero quod Daemonium habeat; unde subdunt *et Daemonium habes*. In hoc autem quod dicunt *nonne bene dicimus nos?* Datur intelligi quod hoc verbum frequenter domino improperabant. Et quidem de secundo quod sit daemonicus, legimus Matth. IX, 34; et XII, 24, cum dicebant: *in Beelzebub principe Daemoniorum eiicit Daemones*. Sed quod dixerunt eum Samaritanum, nusquam nisi hic in Evangelio invenitur, licet forte hoc multoties dixerunt: multa enim dicta et facta sunt erga Iesum et a Iesu quae non sunt scripta in Evangeliiis, ut dicitur infra XX, 25. Duplex autem causa assignari potest quare Iudaei hoc Christo dicebant. Una quidem, quia Samaritani gens odiosa erat pro populo Israelitico, eo quod decem tribubus in captivitatem ductis, terram eorum possidebant; supra IV, 9: *non enim coutuntur Iudaei Samaritanis*. Quia ergo Christus Iudaeos arguens, credebatur a Iudaeis quod hoc ex odio faceret, ideo eum Samaritanum et quasi adversarium reputabant et cetera. Alia ratio, quia Samaritani partim quidem servabant ritus Iudaicos, partim vero non. Videntes ergo Iudaei Christum in aliquo legem servantem, et in aliquo dissolventem, utpote sabbatum, vocabant eum Samaritanum. Similiter autem duplici de causa dicebant eum Daemonium habere. Una quidem, quia miracula quae faciebat, et cogitationes eorum quas revelabat, non attribuebant virtuti divinae in Christo; sed arte Daemonum ipsum ea facere suspicabantur. Unde dicebant: *in Beelzebub principe Daemoniorum eiicit Daemones*. Alia vero ratio est propter eius sermones transcendentis capacitatem humanam, dicens, Deum patrem suum esse, et descendisse de caelo et cetera. Consuetudo autem rudium est, quod cum talia audiunt, diabolica reputant: et sic isti credebant quod Christus quasi Daemonio plenus loqueretur; infra X, 20: *alii dicebant: Daemonium habet, et insanit; quid eum auditis?* Dicunt autem haec verba, ut arguant de peccato, contra illud quod dixerat: *quis ex vobis arguet me de peccato?* Consequenter cum dicit *respondit Iesus: ego Daemonium non habeo*, repellit dominus Iudaeorum contradictionem. Duo autem imposuerant Christo: scilicet quod Samaritanus esset, et quod Daemonium haberet. Et de primo quidem dominus non se excusat; et hoc duplici de causa. Una quidem, secundum Origenem, quia Iudaei semper volebant se a gentilibus separare. Iam autem venerat tempus quo removenda erat distinctio gentilium et Iudaeorum, et omnes ad viam salutis revocandi: et ideo dominus, ut ostendat se venisse pro salute omnium ut, magis quam Paulus, omnia factus, omnes nanciscatur, I Cor. IX, ideo non negavit se esse Samaritanum. Alia ratio est, quia Samaritanus interpretatur custos: et quia ipse praecipue custos noster est, secundum illud Ps. CXX, 4: *ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel*: ideo se Samaritanum esse non negavit. Negat autem se Daemonium habere, dicens *ego Daemonium non habeo*, et primo quidem repellit illatam iniuriam; secundo arguit iniuriantium pertinaciam, ibi et

*vos inhonorastis me.* Circa primum duo facit. Primo repellit illatam iniuriam; secundo manifestat hoc per oppositum, ibi *sed honorifico patrem meum.* Notandum est autem circa primum, quod dominus Iudaeos corrigendo, frequenter eis dure locutus est: *vae vobis, Scribae et Pharisei hypocritae:* et multa quae leguntur in Evangeliiis. Sed non invenitur, quod dominus Iudaeis sibi dura verba vel facta inferentibus, iniuriose vel dure locutus fuerit; sed, ut dicit Gregorius, iniuriam suscipiens Deus, non contumeliosa verba respondet, sed simpliciter dicit *ego Daemonium non habeo.* Ex qua re quid nobis innuitur, nisi ut eo tempore quo a proximis ex falsitate contumelias accipimus, etiam eorum verba mala taceamus, ne ministerium iustae correctionis in arma vertatur furoris? Et quod quae ad Deum pertinent, vindicare debemus; quae vero ad nos, despiciere. Hoc autem verbum, scilicet *ego Daemonium non habeo,* solus Christus dicere potest, ut Origenes dicit: nam ille nihil quod Daemonis est, leve videlicet, aut grave, in se habet; unde infra XIV, 30: *venit princeps huius mundi, et in me non habet quidquam;* II Cor. VI, 15: *quae conventio Christi ad Belial?* Manifestat autem hoc quod dixit, per oppositum dicens *sed honorifico patrem meum.* Diabolus enim honori Dei resistit: qui ergo quaerit Dei honorem, alienus est a Diabolo. Christus ergo qui honorificat patrem suum, scilicet Deum, Daemonium non habet. Est autem proprium Christo et singulare quod honorificet patrem suum, ut dicitur Mal. I, 6: *filius honorificat patrem.* Christus autem singulariter est Dei filius. Consequenter cum dicit *et vos inhonorastis me,* arguit iniuriantium pertinaciam, et primo arguit iniuriantes; secundo excludit causam inopinatam arguitionis; tertio praedicat eis debitam damnationem. Dicit ergo primo: *ego honorifico patrem meum, et vos inhonorastis me;* quasi dicat: ego facio quod debeo; vos facitis quod non debetis; immo in hoc quod inhonorastis me, inhonoratis patrem meum; supra V, 23: *qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum.* Sed quia possent dicere: nimis durus es, nimis de gloria tua curas, sic nos arguens; ideo hoc excludens, subdit loquens in quantum est homo, *ego gloriam meam non quaero.* Solus enim Deus est qui potest gloriam suam absque culpa quaerere; alii autem non nisi in Deo; II Cor. X, 17: *qui gloriatur, in domino gloriatur;* infra (hoc cap.): *si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Sed numquid Christus in quantum homo non habet gloriam? Immo magnam per omnem modum: quia licet ipse eam non quaerat, *est tamen qui quaerat,* scilicet pater. Nam dicitur in Ps. VIII, 7: *gloria et honore coronasti eum,* scilicet Christum hominem. Et alibi, XX, 6: *gloriam et magnum decorem imposuisti super eum.* Et non solum gloriam meam quaeret in operantibus vivas veritatis causas, sed et puniet et condemnabit contradicentes gloriae meae; unde subdit *et iudicet.* Sed contra; supra V, 22, dicitur: *pater non iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit filio.* Respondeo. Pater non iudicat quemquam seorsum a filio: quia etiam hoc iudicium quod faciet de eo quod iniuriamini mihi per filium faciet. Vel dicendum, quod iudicium quandoque pro condemnatione accipitur; et hoc iudicium pater dedit filio, quia ipse solus apparebit in forma visibili in iudicium, ut dictum est supra. Quandoque accipitur pro discretionem; et de hoc loquitur hic. Unde dicit in Ps. XLII, 1: *iudica me, Deus, et discerne causam meam;* quasi dicat: est pater qui gloriam meam a vestra discernet. Vos enim, pro saeculo gloriari, discernit, et gloriam filii sui, quem unxit prae participibus suis, et qui sine peccato est; vos vero homines cum peccato.

## Lectio 8

[87478] Super Io., cap. 8 l. 8 Supra dominus duo promiserat eum sequentibus: scilicet liberationem a tenebris, et adaptionem vitae, dicens: *qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* Et de primo quidem dictum est supra; nunc autem agitur de secundo, scilicet de adaptione vitae per Christum, et primo proponit veritatem; secundo repellit Iudaeorum contradictionem, ibi *dixerunt ergo Iudaei: nunc cognovimus* et cetera. Sciendum est autem, quod quamvis Christus lacessitus esset iniuriis et opprobriis, non tamen destitit a doctrina; sed postquam habere Daemonium dictus est, praedicationis suae beneficia largius impendit, dicens *amen, amen dico vobis* et cetera. In quo datur nobis exemplum, quod cum malorum perversitas crescit, et per opprobria hominum conculcantur qui convertuntur, non solum praedicationis frangi non debet, sed etiam augeri; Ez. II, 6: *tu ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas;* II Tim. IX: *laboro usque ad vincula quasi male operans; sed verbum Dei non est alligatum.* Duo autem facit dominus in his verbis. Unum quidem est quod requirit, aliud quod promittit. Requirit quidem sermonis sui observationem; unde dicit *si quis sermonem meum servaverit.* Nam sermo Christi veritas est; ideo debemus ipsum servare, primo quidem per fidem, et iugem meditationem; Prov. IV, 6: *serva eam et servabit te;* secundo vero per operis impletionem; infra XIV, 21: *qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Promittit autem mortis liberationem; unde dicit

*mortem non videbit in aeternum*, idest non experietur; Eccli. XXIV, 30: *qui operantur in me*, scilicet in divina sapientia, *non peccabunt; et qui elucidant me, vitam aeternam habebunt*. Et congrue tali merito debetur tale praemium. Nam vita aeterna praecipue in divina visione consistit; infra XVII, 3: *haec est vita aeterna ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum*. Huius autem visionis quoddam seminarium et principium in nobis fit per verbum Christi; Lc. VIII, 11: *semen est verbum Dei*. Sicut ergo ille qui servat semen alicuius plantae vel arboris ne corrumpatur, pervenit ad perceptionem fructus; ita qui servat verbum Dei; pervenit ad vitam aeternam; Lev. XVIII, v. 5: *quae fecerit homo, vivet in eis*. Consequenter cum dicit *dixerunt ergo Iudaei* etc., ponitur contradictionis Iudaeorum confutatio. Contradicunt autem Christo tripliciter. Primo quidem falsitatis arguendo; secundo irridendo, ibi *dixerunt ergo Iudaei ad eum: quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* Tertio persequendo, ibi *tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum*. Circa primum duo faciunt. Primo conantur eum redarguere praesumptionis; secundo ad quaedam eorum quae dicta sunt Christus respondet, ibi *si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est*. Circa primum tria faciunt. Primo irrogant improperium; secundo proponunt factum, ibi *Abraham mortuus est* etc.; tertio interrogant, ibi *numquid tu maior es patre nostro Abraham?* Irrogaverunt autem improperium mendacii, cum dicunt *nunc cognovimus quia Daemonium habes*. Et hoc ideo dixerunt, quia notum est apud Iudaeos quod adinventor peccatorum est Diabolus, et praecipue mendacii, secundum illud Reg. ult., 22, *egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius*. Quia autem videbatur eis hoc quod dominus dixit, scilicet *si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum*, apertum mendacium esse, nam ipsi tamquam carnales intelligebant de morte corporali, quod de spirituali et aeterna morte dixerat, et praecipue, quia contrariatur auctoritati sacrae Scripturae, Ps. LXXXVIII, 49: *quis est homo qui vivit, et non videbit mortem, eruet animam suam de manu Inferi?* Ideo dicunt ei *Daemonium habes*, quasi dicant: ex instinctu Daemonis mendacium loqueris. Et ut convincant eum de mendacio, duo faciunt. Primo quidem proponunt mortem antiquorum; secundo vero repetunt verba Christi, ibi *et tu dicis* et cetera. Dicunt ergo: vere falsum est quod loqueris: *si quis sermonem tuum* etc., nam *Abraham*, homo, *mortuus est*, ut patet Gen. c. XXV. Similiter *et prophetae* mortui sunt; II Reg. XIV, 14: *omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur*. Et quidem licet mortui sint corporaliter, non tamen mortui sunt spiritualiter; Matth. XXII, 32, dicit dominus: *ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob*. Postea sequitur: *non est Deus mortuorum, sed vivorum*. Mortui ergo sunt corpore, sed vivunt spiritu, quia sermonem Dei servaverunt, et vixerunt ex fide. Et de ea morte dominus intelligebat, non de corporali. Verbum autem Christi repetunt cum subdunt *et tu dicis: si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum*. Velut incauti et maligni auditores, dominicum sermonem confundentes, non repetunt eadem verba. Nam dominus dixit *mortem non videbit* ipsi vero protulerunt *mortem non gustabit*. Sed quantum ad eorum intensionem idem est: quia per utrumque ipsi intelligunt, quod mortem, scilicet corporalem, non experietur in aeternum. Sed quantum ad verum intellectum differt, ut Origenes dicit, inter mortem gustare et videre: nam videre mortem est eam perfecte experiri; gustare autem est aliquem mortis gustum seu participationem habere. Sicut autem est plus ad poenam videre mortem quam gustare, ita plus est ad gloriam non gustare mortem quam non videre. Illi enim non gustant qui in alto sunt cum Christo, scilicet in intellectuali loco statum observant: de quibus dicitur Matth. XVI, 28: *sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo*. Aliqui tamen sunt qui si non videant mortem mortaliter peccando, tamen aliquid gustant per aliquam levem terrenorum affectionem. Et ideo dominus, ut habetur in Graeco, et Origenes etiam exponit, dixit, *mortem non videbit in aeternum*: quia qui sermonem Christi acceperit et custodierit, etsi gustet aliquid, non tamen videbit mortem. Interrogant autem cum dicunt *numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est?* Et primo quidem quaerunt de comparatione ipsius ad antiquos patres: *numquid* inquit *tu maior es patre nostro Abraham?* Poterant, ut Chrysostomus dicit, secundum carnalem eorum intellectum, altius quaerere: *numquid scilicet tu maior es Deo?* Nam Abraham et prophetae mandata Dei servaverunt, et tamen corporaliter mortui sunt. Sic ergo si quis sermonem tuum servaverit non morietur, videtur quod sis maior Deo. Sed contenti sunt hac redargutione, quia putabant eum minorem quam Abraham; cum tamen sit scriptum in Ps. LXXXV, 8: *non est similis tui in diis, domine*; et Ex. XV, 11: *quis similis tui in fortibus, domine?* Quasi dicat nullus. Secundo quaerunt de sua aestimatione, quem scilicet seipsum facit; quasi dicant: si tu es maior istis, scilicet Abraham et prophetis, videtur per hoc intelligi quod sis altioris naturae, puta Angelus, vel Deus. Sed hoc non aestimamus de te. Et ideo non dicunt, tu quis es; sed *quem te ipsum facis?* Quia quidquid dicitur supra istis, non recognoscentes de te, reputabimus, quod tu illud fingas. Similiter dicebant infra



X, 33: *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Consequenter cum dicit *respondit Iesus* etc., ponitur responsio domini, et primo respondet secundae quaestioni; secundo vero primae, ibi *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum.* Circa primum tria facit dominus. Primo excludit falsitatem quam intendebant; secundo docet veritatem, quam ignorabant, ibi *est pater meus qui glorificat me*; tertio manifestat utrumque quod proponebant, ibi *et non cognovistis eum.* Dicit ergo: quaeritis me dicentes: *quem te ipsum facis?* Ac si gloriam quam non habeo, mihi usurpem. Sed supervacua fuit haec prolatio, quoniam non me facio id quod sum, sed ex patre recepi: nam *si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.* Quod secundum hunc modum posset intelligi de Christo secundum quod est filius Dei, ut dicatur cum praecisione *si ego*, scilicet solus, *glorifico me ipsum*, idest attribuam mihi gloriam, quam pater mihi non attribuat, *gloria mea nihil est*: nam gloria Christi secundum quod est Deus, est gloria verbi et filii Dei; filius autem nihil habet nisi natus, idest quod nascendo ab aliquo recepit: si ergo detur per impossibile quod gloria sua non esset ab alio, non esset gloria filii. Melius tamen videtur quod dicatur de Christo secundum quod homo. Nam quicumque attribuit sibi gloriam quam non habet a Deo, gloria illa est falsa: nam quidquid veritatis est, a Deo est; quod autem est veritati contrarium, falsum est, et per consequens, nihil. Gloria ergo quae a Deo non est, nihil est; Hebr. V, 5, dicitur de Christo, quod *non se ipsum clarificavit ut pontifex fieret*; II Cor. X, 18: *non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Sic ergo patet Iudaeorum falsitas. Veritatem autem, quam intendit docere, ponit dicens *est pater meus qui glorificat me*, quasi dicat: non ego me ipsum glorifico, sicut vos fingitis; sed alius est qui me glorificat, scilicet *pater meus*: quem quidem describit ex proprietate, et ex natura. Ex proprietate quidem paternitatis; unde dicit *est pater meus*, et non ego. Ex quo quidem verbo, ut Augustinus dicit, calumniantur Ariani fidei nostrae, dicentes maiorem esse patrem filio: nam maior est, qui glorificat, eo qui glorificatur ab ipso. Si ergo pater glorificat filium, pater maior est filio. Sed dicendum quod apparentiam quidem haberet argumentum, nisi inveniretur e converso quod filius glorificet patrem: dicit enim filius, infra XVII, 1: *pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Et in eodem *ego te clarificavi super terram.* In Graeco autem idem est glorifica et clarifica; et, secundum Ambrosium, *gloria est clara cum laude notitia.* Hoc autem quod dicit *est pater meus qui glorificat me*, potest referri ad Christum, et secundum quod est filius Dei, et secundum quod est filius hominis. Secundum quidem quod est filius Dei, pater glorificat eum gloria divinitatis, ab aeterno eum sibi aequalem generando; Hebr. I, 3: *qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius (...) sedet ad dexteram maiestatis in excelsis*; Phil. II, 11: *omnis lingua confiteatur quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Secundum vero quod homo, habuit gloriam per redundantiam divinitatis in ipsum, et gratiae et gloriae singularis; supra I, 14: *videbimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiae et veritatis.* Ex natura vero divinitatis describit eum, cum dicit *quem vos dicitis quia Deus vester est.* Ne autem alium patrem putes quam Deum, dicit se glorificari a Deo; infra XIII, 31: *nunc clarificatus est filius hominis, et Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso.* Sed, secundum Augustinum, hoc verbum est contra Manichaeos, qui dicunt annuntiatum non esse in veteri testamento patrem Christi, sed esse aliquem ex principibus malorum Angelorum. Constat autem quod Iudaei non dicunt alium Deum suum esse quam Deum veteris testamenti. Ergo Deus veteris testamenti est pater Christi glorificans eum. Manifestat autem utrumque, scilicet Iudaeorum falsitatem, et suam veritatem, cum dicit *et non cognovistis eum.* Manifestat autem dupliciter. Primo quidem ostendendo Iudaeorum ignorantiam; secundo suam notitiam, ibi *ego autem cognovi eum.* Circa primum sciendum, quod possent Iudaei dicere: tu dicis quod glorificaris a Deo; sed nobis nota sunt iudicia eius, secundum illud Ps. CXLVII, 20: *non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis.* Ergo si verum est quod dicis, nos utique sciremus hoc: cum ergo nos lateat, constat quod non est verum. Et ideo concludens, dicit *et non cognovistis eum*; quasi dicat: non mirum est si non cognoscitis gloriam qua me glorificat pater meus, quem dicitis Deum vestrum, quia nec ipsum Deum cognoscitis. Sed contra Ps. LXXV: *notus in Iudaea Deus.* Respondeo: ut Deus, sed non ut pater, notus est ab eis; unde supra dixit: *est pater meus qui glorificat me.* Vel dicendum, quod non cognovistis eum affectu: quia carnaliter colitis qui spiritualiter colendus est; supra IV, 24: *spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Item effectu, quia mandata eius adimplere contempsistis; ad Tit. I, 16: *confitentur se nosse Deum; factis autem negant.* Sed quia possent dicere: esto quod nos non cognoscamus gloriam tuam, quomodo cognoscis tu gloriam te a Deo patre habere? Ideo subiungit notitiam suam, dicens *ego autem novi eum*, et primo ponit suam notitiam; secundo ostendit necessitatem huius notitiae proferendae, ibi *et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax*; tertio exponit quod dicit, ibi *sed scio*

*eum*. Dicit ergo: ideo scio me habere gloriam a Deo patre, quia ego novi eum, ea scilicet notitia qua ipse novit seipsum, et nullus alius nisi filius; Matth. XI, 27: *nemo novit filium nisi pater, nec patrem quis novit nisi filius*, scilicet cognitione perfecta comprehensionis. Et quia omne imperfectum a perfecto initium sumit, inde est quod omnis nostra cognitio a verbo derivatur: unde sequitur: *et cui voluerit filius revelare*. Sed quia, secundum carnem iudicantibus, posset Christo ad arrogantiam ascribi dicenti se nosse Deum, ideo subdit necessitatem dicti sui, cum subiungit *et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax*. Nam, secundum Augustinum, non est sic arrogantia vitanda ut relinquatur veritas et incurratur mendacium. Ideo dicit *si dixero*; quasi diceret: sicut vos dicentes scire eum, mentimini; ita ego *si dixero* me nescire, cum sciam eum, *ero similis vobis mendax*. Unde haec similitudo sequitur a contrario, ut sit similitudo in mendacio; quia sicut isti mentiuntur dicentes se scire eum quem nesciunt; ita Christus esset mendax, si diceret se nescire quem novit. Sed dissimilitudo est in cognitione: quia isti non cognoscunt, Christus vero scit eum. Sed numquid potuisset Christus hoc dicere? Potuisset quidem verba proferre materialiter, sed non intendere exprimere falsitatem: quia hoc non potuisset fieri nisi per inclinationem voluntatis Christi ad falsum, quod erat impossibile, sicut impossibile erat eum peccare. Nihilominus tamen conditionalis est vera, licet antecedens et consequens sit impossibile. Quod autem patrem cognoscat, manifestat subdens *sed scio eum*: et cognitione speculativa, cum dicit *scio*, intellectualiter per dictam cognitionem, *eum*, scilicet patrem; item cognitione affectiva, scilicet per consensum voluntatis ad ipsum: unde dicit *et sermonem eius servo*; supra VI, 38: *descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*. Consequenter cum dicit *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum*, respondet primae quaestioni quam fecerunt ei Iudaei, dicentes *numquid tu maior es patre nostro Abraham?* Ostendens se maiorem, tali ratione. Quicumque enim expectat bonum ab aliquo, et perfectionem suam, est minor eo a quo expectat, sed Abraham totam spem suae perfectionis et sui boni habuit in me: ergo est me minor. Et quantum ad hoc dicit *Abraham pater vester*, de quo scilicet gloriamini, *exultavit ut videret diem meum*. Ubi ponit duplicem visionem et duplex gaudium, sed alio et alio ordine. Nam primo praemittit gaudium exultationis, dicens *exultavit*, et subdit visionem, dicens *ut videret*. Deinde praemittit visionem, dicens *vidit*, et subdit gaudium, dicens *et gavisus est*. Et sic gaudium consistit inter duas visiones, procedens ab una, et tendens in aliam: quasi dicat *vidit, et gavisus est ut videret diem meum*. Primo ergo videndum quid sit iste dies quem vidit, et exultavit ut videret. Est autem duplex dies Christi: scilicet aeternitatis, de quo in Ps. II, 7: *ego hodie genui te*. Item dies incarnationis et humanitatis, de quo infra IX, 4: *me oportet operari (...) donec dies est*; Rom. XIII, 12: *nox praecessit, dies autem appropinquavit*. Utroque ergo modo dicimus, quod Abraham vidit primo diem Christi, scilicet aeternitatis, et incarnationis per fidem; Gen. XV, 6: *credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam*. Et quod vidit diem aeternitatis, manifestum est: alias enim non fuisset iustificatus a Deo, quia, ut dicitur Hebr. II, 6, *accedentem ad Deum oportet credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit*. Quod autem viderit diem incarnationis, manifestatur ex tribus: scilicet ex iuramento quod exegit a servo, nam Gen. XXIV, 2, ait servo suo quem mittebat: *pone manum subter femore meo, et iura mihi per Deum caeli*. Ex quo, ut dicit Augustinus, signabatur, quod de femore eius processurus esset Deus caeli. Secundo, ut Gregorius dicit, cum in figura summae Trinitatis tres Angelos hospitio suscepit. Tertio quando cognovit praefiguratam passionem Christi in oblatione arietis et Isaac; Gen. XXII. Sic ergo ex hac visione gavisus est; sed non quievit in ea, immo ex hac exultavit in aliam visionem, scilicet apertam et per speciem, quasi totum gaudium suum in ea ponens. Unde dicit *exultavit ut videret* aperta visione, *diem meum*, scilicet divinitatis et humanitatis meae; Lc. X, 24: *multi reges et prophetae voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt*. Consequenter cum dicit *dixerunt ergo Iudaei ad eum* etc., ostendit quomodo Iudaei irrident verba Christi, et primo ponitur irrisio verborum Christi a Iudaeis ad confutandum; secundo subditur manifestatio ipsorum verborum a Christo, ad irrisionem vitandam, ibi *dixit ergo Iesus: amen, amen dico vobis* et cetera. Quia ergo Christus dixerat quod Abraham exultavit ut videret diem suum, Iudaei carnalem mentem habentes, et in eo solum carnis aetatem pensantes, irrident dictum, et dicunt *quingenta annos nondum habes*. Vere quingenta annos non habebat, nec etiam quadraginta, sed circa trigesimum annum erat; Lc. III, 23: *erat Iesus incipiens quasi annorum triginta*. Quod autem dicunt *quingenta annos nondum habes*, ideo forte est, quia apud Iudaeos annus iubilaeus in maxima reverentia habebatur, quasi per eum omnia computantes, in quo et captivos manumittebant, et emptitiis cedebant possessionibus. Quasi dicant: tu nondum excessisti spatium unius iubilaei, et *Abraham vidisti?* Quamvis dominus non dixerit quod viderit Abraham, sed quod Abraham diem eius vidit. Et ideo dominus ut irrisionem vitet, respondens Iudaeis, verba sua exponit, dicens *amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego*

*sum*: in quibus verbis dominus duo de se notabilia et efficacia contra Arianos dicit. Unum est, quia, ut dicit Gregorius, coniungit simul verbum praesentis temporis et praeteriti. Ante enim significat praeteritum; *sum* temporis praesentis est. Ut ergo ostenderet se esse aeternum, et esse suum esse aeternitatis insinuet, non ait ante Abraham ego fui sed ante Abraham ego sum nam esse aeternum non novit tempus praeteritum et futurum, sed in uno indivisibili includit omne tempus. Unde dici potest illud Ex. III, 14: *qui est misit me ad vos*; et *ego sum qui sum*. Ante ergo vel post Abraham habuit esse, qui et accedere potuit per exhibitionem praesentis, et recedere per cursum vitae. Aliud est, secundum Augustinum, quia cum loqueretur de Abraham, qui creatura est, non dixit antequam Abraham esset sed *antequam fieret*. Sed loquens de se, ut ostendat quod non est factus ut creatura, sed ab aeterno de essentia patris genitus, non dicit, ego fio, sed *ego sum*, qui *in principio erat verbum*; supra I Prov. VIII, 25: *ante omnes colles generavit me dominus*. Consequenter cum dicit *tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum*, ponitur intentio Iudaeorum contra Christum: et primo ponitur Iudaeorum persecutio; secundo Christi evasio. Sed persecutio Iudaeorum procedit ex infidelitate. Nam mentes infidelium aeternitatis verba sustinere non valentes, nec intelligere ea, reputabant blasphemiam; et ideo, secundum legis mandatum, eum tamquam blasphemum lapidare volentes, *tulerunt lapides, ut iacerent in eum* et cetera. Et, ut dicit Augustinus, tanta duritia lapidum, quo curreret nisi ad lapides? Inf. X, 33: *de bono opere non lapidamus te*. Simile faciunt qui ex duritia cordis non intelligentes veritatem aperte prolatam, blasphemant proferentem, unde dicitur in canonica Iudae: *quaecumque non noverunt, blasphemant*. Evasio autem Christi est ex eius potestate: unde sequitur *Iesus autem abscondit se*, qui scilicet si divinitatis suae potentiam exercere voluisset in suis actibus, eos ligaret, aut in poenas subitae mortis obrueret. *Abscondit autem se*, specialiter propter duo. Primo ut daret fidelibus suis exemplum declinandi persecutores suos; Matth. X, 23: *si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Secundo, quia non elegerat hoc genus mortis, sed potius in ara crucis voluit immolari; et quia nondum impletum erat tempus, adhuc fugit. Sic ergo tamquam homo a lapidibus fugit. Non autem abscondit se sub lapide vel in angulo, sed potestate suae divinitatis, invisibilem se eis exhibens, exivit, et recessit de templo. Simile fecit, Lc. IV, 29, quando voluerunt eum praecipitare de supercilio montis. Per quod, ut Gregorius dicit, datur intelligi quod illis ipsa veritas absconditur, qui eius verba sequi contemnunt. Eam quippe quam non invenit humile veritas fugit mentem; Is. VIII, 17: *qui abscondit faciem suam a domo Iacob*. Et similiter etiam quia debebat eos, correctionem et veritatem non suscipientes, relinquere, et ire ad gentes; Matth. XXIII, 38: *ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*.

## Caput 9

### Lectio 1

[87479] Super Io., cap. 9 l. 1 Postquam dominus doctrinae suae illuminativam virtutem ostendit verbo, hic consequenter confirmat eam facto, caecum corporaliter illuminando. Et circa hanc illuminationem tria ponuntur. Primo infirmitas; secundo infirmitatis sanatio, ibi *hoc cum dixisset, expuit in terram* etc.; tertio de sanatione, Iudaeorum disceptatio, ibi *itaque vicini* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ponitur infirmitas; secundo inquiritur causa eius, ibi *interrogaverunt eum discipuli*. Sciendum est circa primum, quod Iesus abscondens se, et de templo recedens, dum praeteriret, vidit hunc caecum. Et hoc est quod dicit *et praeteriens Iesus, vidit hominem caecum a nativitate*. Ubi tria considerantur. Primo quidem praeterivit, ut declinaret Iudaeorum furorem; Eccli. VIII, 13: *ne accendas carbones peccatorum, arguens eos, et ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum*. Secundo ut emolliret Iudaeorum duritiam ex miraculo facto et fiendo; infra c. XV, 24: *si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Tertio ut per operationem signi, verba sua firmaret; nam facta domini, eorum quae dicta sunt a se, faciunt fidem; Mc. ult., 20: *sermonem confirmante, sequentibus signis*. Mystice autem, secundum Augustinum, genus humanum est iste caecus. Nam spiritualis caecitas peccatum est, Sap. II, 21: *excaecavit eos malitia eorum*. Qui a nativitate caecus est, quia ex sua origine trahit peccatum. Haec enim caecitas contigit per peccatum in homine primo, de quo omnes originem traduximus; Eph. II, 3: *eratis natura, idest naturali origine, filii irae*. Consequenter cum dicit *et interrogaverunt eum discipuli eius*, agitur de causa ipsius infirmitatis, et primo inquiritur causa ipsius a discipulis; secundo manifestatur a Christo, ibi *neque hic peccavit*. Circa primum tria quaerenda occurrunt. Primum est causa inquisitionis discipulorum a Christo, quae est, ut Chrysostomus dicit, quia Iesus egrediens de templo, et videns hunc caecum, valde studiose respexit, quasi videns in eo materiam operandae virtutis; ita ut discipuli hoc videntes, scilicet eum

studiose videntem, moti fuerunt ad interrogandum. Secundo discipulorum diligentia, quia dicunt *Rabbi*, vocantes eum magistrum, ut innuant se sic quaerere, quasi discere desiderantes. Tertio quare, quaerentes causam peccati, dixerunt *quis peccavit?* Dicendum, secundum Chrysostomum, quod quia dominus supra V, 14, scilicet quando paralyticum sanavit, dixerat ei: *ecce iam sanus factus es: vade, et amplius noli peccare*, cogitaverunt discipuli, quod propter peccatum ei illa infirmitas accidisset, aestimantes ulterius quod omnis humana infirmitas proveniret ex peccato, secundum quod Eliphaz dicit, Iob IV, 7: *quis unquam innocens periit?* Et ideo quaerebant utrum ex peccato suo vel parentum caecus natus fuisset. Sed quod ex peccato suo esset, non videtur: quia nullus peccat antequam nascatur, cum animae ante corpora non fuerint, nec peccaverint, ut quidam falso opinati sunt: secundum illud Rom. IX, 11: *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (...); non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; quia maior serviet minori*. Quod autem hoc ex peccato parentum passus fuerit, non videtur: quia Deut. XXIV, 16, dicitur: *non occidentur patres pro filiis, nec filii pro parentibus*. Sed sciendum, quod est duplex poena qua homines puniuntur. Una est spiritualis quantum ad animam; alia est corporalis quantum ad corpus. Et poena quidem spirituali numquam filius pro patre punitur. Cuius ratio assignatur Ez. XVIII, 4, quia anima filii non est ex patre, sed a Deo. *Omnes*, inquit, *animae meae sunt*, scilicet per creationem, *sicut anima patris, ita anima filii mea est: anima quae peccaverit ipsa punietur*. Hoc etiam dicit Augustinus in quadam epistola. Sed poena corporali filius pro patre punitur, cum quantum ad corpus sit quaedam res patris. Et expresse hoc habetur Gen. XIX, ubi filii Sodomorum occisi sunt pro peccato parentum in subversione Sodomae. Multoties etiam dominus comminatur Iudaeis occisionem puerorum propter peccata parentum. Quare autem uno peccato alius puniatur, sciendum, quod poena duo habet, laesionem et remedium. Nam aliquando abscinditur membrum ut totum corpus conservetur: et sic poena huius laesionem infert in quantum abscinditur, sed remedium habet in quantum conservat corpus. Numquam tamen medicus nobilior membrum abscindit propter conservationem minus nobilis, sed e converso. In rebus autem humanis, anima nobilior est corpore, et corpus nobilior exterioribus rebus; et ideo numquam fit ut aliquis propter corpus in anima puniatur, sed potius in corpore propter remedium animae. Quandoque ergo Deus irrogat poenas corporibus, vel rebus exterioribus, propter remedium bonum animae: et tunc huiusmodi poenae non inferuntur ut laesivae tantum, sed ut purgativae in remedium. Unde et ipsa puerorum Sodomitarum occisio fuit ad bonum animarum: non quidem ad meritum, sed ne paternae malitiae imitatores, vivendo peccata cumulantes, atrocius punirentur. Sic etiam pro peccatis parentum pluries aliqui puniuntur. Consequenter cum dicit *respondit Iesus* etc., manifestat dominus causam infirmitatis, et primo excludit causam opinatam; secundo subdit veram; et tertio manifestat ipsam. Causam quidem opinatam excludit, cum respondit dicens *neque hic peccavit, neque parentes eius*. Hanc enim esse causam infirmitatis, opinati sunt discipuli, ut dictum est. Sed contra. Rom. III, 23: *omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei*. Et ibid. V, 12, dicitur, quod peccatum ab Adam in omnes pertransiit. Respondeo dicendum, quod tam caecus quam parentes eius originali peccato tenebantur, et etiam alia actualia vivendo superaddiderant, quia, *si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*: I Io. I, 8. Quod autem dominus dicit *neque hic peccavit*, intelligendum est eos non peccasse, ad hoc quod caecus nasceretur; quasi diceret, quod eius caecitas non est consecuta ex eorum peccato. Causam autem veram subdit dicens *sed ut manifestentur opera Dei in illo*: nam per opera Dei in eius cognitionem ducimur; Rom. I, 20: *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*; supra V: *opera quae dedit mihi pater, haec sunt quae testimonium perhibent de me*. Cognitio autem Dei est summum bonum hominis, cum in ea consistat hominis beatitudo; infra XVII, 3: *haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum*. Et Ier. IX, 24: *in hoc gloriatur qui gloriatur, scire et nosse me*. Si ergo infirmitas contingit ut manifestentur opera Dei, et per ipsorum manifestationem Deus innotescit; manifestum est quod huiusmodi corporales infirmitates contingunt propter bonum. Posset autem alicui videri quod manifestatio operum Dei non sit sufficiens causa infirmitatis huiusmodi, praesertim cum neque hic, neque parentes eius peccaverunt, et ideo volunt dicere, quod ly ut tenetur non causaliter, sed consequenter; quasi dicat: eo existente caeco, opera Dei manifestantur ipsum curantis. Sed hoc non videtur sane dictum; et ideo melius dicendum, quod tenetur causaliter. Est enim duplex malum: scilicet culpae et poenae. Sed malum quidem culpae Deus non facit, sed permittit fieri; quod non permetteret, nisi intenderet inde bonum aliquod. Unde dicit Augustinus in Enchir.: *Deus adeo bonus est, quod numquam permetteret aliquod malum fieri, nisi esset adeo potens quod de quolibet malo eliciat bonum*. Sic ergo permittit aliqua peccata fieri ex intentione boni quod intendit: sicut permisit saevire tyrannos, ut coronaret martyres. Multo ergo magis debet dici, quod malum poenae, quod ipse fecit, ut dicitur

Amos III, 6: *non est malum quod dominus non fecerit*, numquam inducit nisi ex intentione boni. Et inter alia bona optimum est quod opera Dei manifestentur, et ex eis innotescat Deus. Non est ergo inconueniens si aliqua flagella immittit, vel peccata aliqua fieri permittit, ut bonum inde proveniat. Et sciendum, quod, ut Gregorius dicit I Moral., quinque modis Deus hominibus immittit flagella. Quandoque quidem ad initium damnationis, secundum illud Ier. VII, 18: *duplici contritione contere eos*. Et hoc flagello percutitur peccator in hac vita sic, ut sine retractatione et fine puniatur in alia; sicut Herodes qui occidit Iacobum, punitus est in hac vita, et in Inferno similiter: Act. XII, 23. Quandoque autem ad correctionem: et de hac dicitur in Ps. XVII, 36: *disciplina tua ipsa me docebit*. Quandoque autem flagellatur aliquis non propter praeteritorum correctionem, sed ad futurorum praeservationem: sicut de Paulo legitur II Cor. XII, 7: *ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, Angelus Satanae, qui me colaphizet*. Quandoque autem ad promotionem virtutis: ut scilicet cum in aliquo *nec praeterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur, dum inopinata salus persecutionem sequitur, salvantis virtute cognita, ardentius amatur*; II ad Cor. XII, 9: *virtus in infirmitate perficitur*; Iac. I, 4: *patientia opus perfectum habet*. Quandoque vero ad manifestationem divinae gloriae: unde et hic dicitur *ut manifestentur opera Dei in illo*. Consequenter cum dicit *me oportet operari* etc., manifestat causam veram quam posuit: et quia mentionem fecerat de operibus Dei, ideo primo ponit opportunitatem opera Dei manifestandi; secundo assignat opportunitatis, seu necessitatis rationem, ibi *venit nox*; tertio eam exponit, ibi *quamdiu in mundo sum*. Dicit ergo: ideo scilicet caecus natus est, *ut manifestentur opera Dei in illo*, quae quidem manifestari oportebat: nam *me oportet operari opera eius qui misit me*. Quod quidem potest referri ad Christum secundum quod homo; et sic est sensus: *me oportet operari opera eius qui misit me*, idest, opera commissa mihi a patre; supra c. V, 36: *opera quae dedit mihi pater ut faciam*. Infra XVII, 4, dicit: *pater, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam*. Vel ad Christum, secundum quod Deus; et sic dicit aequalitatem suae potentiae ad patrem, ut sit sensus: *me oportet operari opera eius qui misit me*, idest, opera quae habeo a patre. Omnia enim quae filius facit, etiam secundum divinam naturam, a patre habet; supra V, 19: *non potest filius a se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem*. Oportet, inquam, *donec dies est*. Dies quidem materialis ex praesentia solis super terram causatur. Sol autem iustitiae est Christus Deus noster; Mal. IV, 2: *vobis timentibus nomen meum, orietur sol iustitiae*. Quamdiu ergo sol iste nobis praesens est, opera Dei fieri possunt in nobis, erga nos, et a nobis. Praesens autem fuit nobis aliquando quidem corporali praesentia; et tunc dies erat; Ps. CXVII, 25: *haec dies quam fecit dominus: exultemus et laetemur in ea*. Et ideo oportet operari opera Dei. Est etiam nobis praesens per gratiam: et tunc est dies gratiae, in quo scilicet oportet operari opera Dei, *donec dies est*; Rom. XIII, v. 12: *nox praecessit, dies autem appropinquabit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis*; I Thess. V, 7: *qui dormiunt, nocte dormiunt. Vos autem non estis in tenebris* et cetera. Sed sciendum, quod si praesentia solis facit diem et absentia noctem, cum sol sibi praesens sit semper, ipsi soli semper dies est: et sic soli semper est tempus operandi et lucendi. Sed quantum ad nos, quibus aliquando est praesens, aliquando absens, non semper operatur et lucet. Eodem modo apud Christum, solem iustitiae, semper est dies et tempus operandi; non autem apud nos: quia non semper sumus capaces suae gratiae, propter impedimentum ex parte nostra. Rationem autem opportunitatis praedictae subdit, dicens *venit nox, quando nemo potest operari*. Sicut est duplex dies, ita est duplex nox. Una est per abscessum corporalem solis iustitiae, sicut apostoli incurrerunt, quando Christo eis corporaliter sublato tempore passionis, perturbati sunt; Matth. XVI, 31: *omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*. Et tunc non fuit tempus operandi, sed patiendi. Sed melius est ut dicamus, quod etiam Christo absente corporaliter per ascensionem, dies apostolis erat, in quantum illucebat eis sol iustitiae, et tempus operandi. Et ideo intelligendum est de nocte quae est per spiritualem separationem solis iustitiae, scilicet per subtractionem gratiae: quae quidem nox duplex est. Una per subtractionem actualis gratiae quam inducit peccatum mortale; I Thess. V, 7: *qui dormiunt, nocte dormiunt*. Et quando haec nox venit, nemo potest operari opera meritoria vitae aeternae. Alia nox est consummata, quando non solum privatur actuali gratia quis per peccatum mortale, sed etiam facultate adipiscendi, per aeternam damnationem in Inferno, ubi profunda nox est, quae erit illis quibus dicitur: *ite, maledicti, in ignem aeternum*: Matth. XXV, 41. Et tunc nemo potest operari, quia non est tempus merendi, sed secundum merita recipiendi. Dum ergo vivis, fac sicut facturus es. Unde Eccle. IX, 10: *quaecumque potest manus tua, instanter operare: quia neque ratio, neque opus, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quo tu properas*. Rationem autem dictorum exponit dicens *quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*; quasi diceret: si vultis scire quis sit dies, et quae nox, de quibus loquor; ego, inquam, *sum lux mundi*: nam praesentia mea diem facit, et absentia noctem; supra VIII, 12: *ego sum lux mundi*.

*Quamdiu ego sum in mundo*, corporaliter per meam praesentiam; infra XVI, 28: *exivi a patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad patrem. Lux sum mundi*: unde dies iste duravit usque ad ascensionem Christi. Item, *quamdiu sum in mundo*, spiritualiter per gratiam; Matth. ult., 20: *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Lux sum mundi*: unde dies iste usque ad consummationem saeculi extendetur. Consequenter cum dicit *hoc cum dixisset, expuit in terram* etc., agitur de sanatione caeci, ad quam quinque per ordinem concurrunt facta per Christum. Primo quidem sputatio, unde dicit *sputavit in terram*; secundo luti factio, unde dicit *lutum fecit ex sputo*; tertio oculorum linitio, unde dicit *et linivit super oculos caeci*; quarto mandatum quod lavaretur, unde dicit *vade* (inquit) *et lava in natatoriis Siloe*; quinto, visionis perceptio, unde subdit *et venit videns*: quae quidem omnia causam habent et litteralem et mysticam. Litteralem quidem, secundum Chrysostomum, hoc modo. Sputo illuminat, ut ostendat quod virtute a se egrediente hoc faciebat, et nulli alteri rei miraculum ascribatur; Lc. VI, 19: *virtus exibat de illo*. Licet enim omnia miracula dominus solo verbo facere potuisset, quia *ipse dixit, et facta sunt*, frequenter tamen corpore suo in eis utitur, ut ostendat ipsum, in quantum est divinitatis organum, virtutem quamdam salutarem esse sortitum. Lutum autem fecit ex sputo, ut ostendat se membra homini deficientia posse formare, qui formaverat totum primum hominem. Unde sicut primum hominem de luto formavit, ita lutum fecit ut formaret oculos caeci nati. Linivit autem lutum super oculos caeci nati, ut ostenderet se conditorem corporum, per id quod potissimum est in corporibus. Homo enim inter creaturas corporales praecellentior est; inter membra vero hominis praecellit caput; inter membra autem capitis, oculus excellentior invenitur. Unde Matthaeus VI, 21: *lucerna corporis tui est oculus tuus*. Formando ergo oculum ceteris corporalibus excellentiorem, ostendit se creatorem esse totius hominis et naturae corporeae. Dixit autem ei *vade, et lava te in natatoria Siloe*, ne videretur terra super oculos linita virtutem sanativam oculi habere. Unde quamdiu lutum in oculis habuit, non vidit, sed postquam lavit. Misit autem eum longe ad lavandum, scilicet ad natatoria Siloe: primo quidem ad confutandam Iudaeorum duritiam; nam oportebat eum transire civitatem, ut sic omnes viderent eundem caecum euntem, lutum super oculos habentem, et redeuntem visu suo restituto. Secundo vero ut commendetur caeci obedientia et fides: frequenter enim forte lutum in faciem receperat, frequenter in natatoria Siloe se laverat, et tamen non viderat. Unde potuisset dicere: lutum solet magis excaecare, et multoties me ibidem lavi, et in nullo sum adiutus, sicut de Naaman legitur IV Reg. V, 10 ss. Sed non contradixit, immo simpliciter obedivit. Unde sequitur *abiit, et lavit*. Ideo autem ad natatoria Siloe eum misit, quia per illam aquam signatus est populus Iudaeorum; Is. VIII, 6: *populus iste abiicit aquas Siloe, quae currunt cum silentio*. Ut ergo ostendat quod non est alienus ab amore populi Iudaici, ad Siloe mittit eum. Effectus autem sequitur, quia *venit videns*. Hoc praedictum fuit Is. XXXV, 5: *tunc aperientur oculi caecorum*. Causam vero mysticam et allegoricam assignat Augustinus, qui dicit, quod per sputum, quod est saliva de capite descendens, signatur verbum Dei, quod a patre capite omnium rerum procedit; Eccli. c. XXIV, 5: *ego ex ore altissimi prodii*. Tunc ergo dominus de sputo et terra lutum fecit, cum verbum caro factum est. *Linivit autem oculos caeci*, idest humani generis, oculos scilicet cordis, per fidem incarnationis Christi. Sed nondum videbat: quia quando forte inunxit, catechumenum fecit, qui fidem habet, sed nondum est baptizatus. Et ideo mittit eum ad piscinam, quae vocatur Siloe, ut lavetur et illuminetur, idest baptizetur et in Baptismo plenam illuminationem recipiat. Unde, secundum Dionysium, Baptismus dicitur illuminatio; Ez. XXXVI, 25: *effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Et ideo signanter hoc Evangelium legitur illo die in Quadragesima quo incipit fieri scrutinium baptizandorum in sabbato sancto. Nec sine causa Evangelista subdit interpretationem piscinae, dicens *quod interpretatur missus*: quia quicumque baptizantur oportet baptizari in Christo, qui est missus a patre; Gal. III, 27: *quotquot baptizati estis, Christum induistis*. Nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus. Secundum Gregorium autem, per salivam sapor intimae contemplationi accipitur, quae ad os de capite defluit, quia de caritate conditoris adhuc in hac vita nos positos, gustu revelationis tangit. Unde dominus salivam luto miscuit, et caeci nati oculos reparavit, quia superna gratia carnalem cogitationem nostram per mixtionem suae contemplationis irradiat, et ab originali caecitate homines ad intellectum reformat et cetera.

## Lectio 2

[87480] Super Io., cap. 9 l. 2 Posita miraculosa illuminatione caeci, hic consequenter ponitur miraculi examinatio, et primo quidem miraculum examinatur a populo; secundo a Pharisaeis et principibus, ibi *adducunt*

*eum ad Phariseos*; tertio caecus propter suam confessionem instruitur a Christo et commendatur, ibi *audivit Iesus quia eiecerunt eum foras*. Circa primum tria facit, quia primo inquiritur de persona illuminati; secundo de ipsa illuminatione, ibi *dicebant ergo ei* etc.; tertio de persona illuminantis, ibi *et dixerunt ei: ubi est ille?* Circa primum tria facit. Primo ponitur quaestio de persona illuminati; secundo assumuntur diversae opiniones ad quaestionem; tertio determinatur quaestio. Ponitur quidem quaestio a populo. Unde dicit *itaque vicini, et qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: nonne hic est qui sedebat et mendicabat?* Ubi duo consideranda occurrunt. Unum est quod ex miraculi magnitudine ipsum incredibile reddebatur: unde dicebant, infra: *a saeculo non est auditum quod aperuerit quis oculos caeci nati*. Unde impletur in eis quod dicitur Hab. I, 5: *opus factum est in diebus nostris, quod nemo credet cum narrabitur*. Aliud est mirabilis Dei clementia, quia non solum circa potentes, sed etiam circa ignobiles dominus miracula operatur, dum eos qui mendicant, cum multa pietate curabat: in quo ostenditur quod propter paupertatem nullum repellit, qui propter salutem hominum venit; Iac. II, 5: *nonne dominus elegit pauperes, divites in fide, et haeredes regni?* Unde et isti signanter dicunt *nonne hic est qui sedebat et mendicabat?* Quasi dicant, ignobilis et curatione indignus. Contra dicitur Baruch III, 26: *ibi gigantes nominati*. Opiniones autem ponuntur a plebe: unde dicit *alii dicebant quia hic est*, scilicet qui mendicabat; et hoc ideo, quia pluries eum viderant mendicantem, et similiter discurrentem per civitatem, quando cum luto ad natatoria ibat, inspexerant. Unde non ultra poterant dicere, non est hic. Sed aliorum opinio erat contraria: unde dicebant *nequaquam*, scilicet hic est, *sed similis eius est*. Cuius ratio est, quia, ut Augustinus dicit, oculi restituti mutaverunt vultum eius. Nihil enim ita cognoscibile sicut visus; Eccli. c. XIX, 26: *ex visu cognoscitur sensatus*. Quaestio determinatur per caecum; quia *ille dicebat*, scilicet caecus, *ego sum*, scilicet qui mendicabam. Vox grata est ista, ne damnetur ingrata. Quia enim non poterat esse ingratus tanto beneficio, nec aliud signum gratitudinis ostendere poterat quam quod constanter confiteretur se a Christo curatum, dicit *ego sum*, qui scilicet caecus eram, et mendicabam; et modo video; Tob. c. XII, 6: *benedicite Deum, coeli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam*. Consequenter cum dicit *dicebant ergo ei: quomodo aperti sunt oculi tui?*, agitur de inquisitione facti, scilicet de ipsa illuminatione, et primo ponitur quaestio Iudaeorum; secundo responsio caeci, ibi *respondit: ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit et cetera*. Dicit ergo: si tu es ille qui caecus mendicabas, dic ergo nobis *quomodo aperti sunt tibi oculi?* Sed ista quaestio ex curiositate procedit, quia hunc modum nec ipse qui curatus est, nec nos novimus; Eccli. c. III, 24: *in pluribus operibus eius ne fueris curiosus*. Responsio caeci fuit mirabilis, unde dicit *respondit: ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit, et unxit oculos meos et cetera*. In qua primo quidem demonstrat personam illuminantem, dicens *ille homo qui dicitur Iesus*. Recte nominat eum hominem, quem hominem noverat, et verus homo erat; Phil. c. II, 7: *in similitudinem hominum factus*. Licet autem eum non vidisset, quia caecus ab eo recessit, ad Siloe vadens, cognovit eum ex auditu et colloctione hominum de ipso. Secundo recitat factum, dicens *lutum fecit, et unxit oculos meos*; ubi se veracem ostendit, non asserens incerta. Dominus enim lutum fecerat ex sputo, quod quidem iste nescivit; sed lutum factum, et oculis superpositum, per sensum tactus didicit; et ideo non dixit *lutum fecit ex sputo* sed simpliciter *lutum fecit, et unxit oculos meos*; I Io. c. I, 1: *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt (...) testamur et annuntiamus vobis*. Tertio refert mandatum dicens *et dixit mihi*, scilicet Iesus, *vade ad natatoria Siloe, et lava*. Hoc etiam nobis necessarium est; nam si volumus mundari a caecitate cordis, oportet quod spiritualiter lavemur; Is. I, 16: *lavamini, mundi estote*. Quarto commendat suam obedientiam, dicens *et abii, et lavi*, quasi diceret: ex quo mandatum audivi, desiderio visionis ductus, executus sum mandatum. Neque mirum: quia dicitur Prov. VI, 23: *mandatum, scilicet impletum, lucerna est, et lex lux*. Quinto confitetur beneficii effectum, dicens *et vidi*. Et recte post obedientiam illuminatur: quia, ut dicitur Act. V, 32, *dabit spiritum sanctum obedientibus sibi*. Vide caeci constantiam. Nam, ut Augustinus dicit, *ecce annuntiator factus est gratiae, ecce evangelizat et confitetur Iudaeis*. Caecus ille confitebatur, et cor impiorum stringebatur, quia non habebant lumen, scilicet in corde, quod ille habebat in facie. Consequenter cum dicit *et dixerunt ei: ubi est ille?* Ponitur inquisitio de persona illuminantis; et primo ponitur Iudaeorum quaestio, cum dicunt *ubi est ille?* Malitiose interrogant occisionem meditantes; iam enim adversus Christum conspiraverant; supra VIII, 40: *nunc autem quaeritis me interficere?* Secundo ponitur caeci responsio, cum ait *nescio*. Ut Augustinus dicit, ex verbis apparet quod sicut corporaliter in ipso gestum fuit, ita spiritualiter diversis temporibus repraesentatur. Nam adhuc primo linitur caecus, et post lotus videt. Et inunctio quidem inchoationem sanitatis corporalis repraesentat; lotio autem perfectam consequitur sanitatem. Specialiter autem inunctio efficit catechumenum; lotio, scilicet Baptismus, perficit et illuminat. Sic

ergo diversa diversis temporibus repraesentatur fides. Nam per hoc quod dicit *nescio*, repraesentatur fides imperfecta in catechumenis; supra IV: *vos adoratis quod nescitis*. Potest etiam per hoc significari fides nostra; I Cor. XIII, 9: *ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus*. Consequenter cum subditur *adducunt eum ad Phariseos*, agitur de inquisitione, et primo inquirunt a caeco; secundo a parentibus, ibi *non crediderunt ergo Iudaei*. Circa primum tria facit. Primo praesentatur inquirendus; secundo ponitur inquirentium intentio; tertio ponitur ipsa inquisitio. Inquirendus autem, scilicet caecus, praesentatur a populo Phariseis; unde *adducunt*, scilicet turbae, *eum qui caecus fuerat, ad Phariseos*; et hoc ideo, quia quaesierant ab eo ubi esset Iesus, ut si eum invenirent ducerent eum ad Phariseos, damnandum propter solutionem sabbati. Quia vero Christum non habuerunt, ducunt caecum, ut eum vehementius interrogantes, cogant importunitate vel timore aliquid falsitatis contra Christum confingere; Ier. V, 5: *ibo ergo ad optimates; ipsi enim cognoverunt viam domini, iudicium Dei sui; et ecce hi magis confregerunt iugum, ruperunt vincula*. Intentionem autem eorum Evangelista perversam esse ostendit, dicens *erat autem sabbatum quando lutum fecit*. Hoc dicit, ut eorum malam mentem demonstret, et causam propter quam eum quaerebant; ut scilicet occasionem contra eum invenirent, et detraherent miraculo per aestimatam legis praevaricationem; cum tamen, Matth. XII, 8, dicatur quod *dominus est filius hominis etiam sabbati*. Examinatio autem fit a Phariseis, cum dicitur *iterum ergo interrogabant eum Pharisei*, etc., et primo interrogant de facto; secundo de persona facientis, ibi *dicebant ergo ex Phariseis quidam*. Circa primum duo facit. Primo ponitur eorum interrogatio; secundo caeci responsio. Interrogant autem eum de materia consecutae visionis: unde *iterum interrogabant eum Pharisei* etc.: non ut scirent, sed ut calumniam inferrent et falsitatem imponerent. Respondit autem caecus, non dictis contraria, nec dissona veritati. Unde *ille*, scilicet caecus, *dixit eis: lutum posuit mihi super oculos*. Ubi primo admiranda est caeci constantia; nam etsi coram turbis, a quibus sine periculo interrogabatur, veritatem dixerat, non magnum videbatur; sed hoc mirae est constantiae quod in ampliori periculo constitutus, scilicet coram Phariseis, neque negat, neque contraria dicit prioribus, secundum illud Ps. CXVIII, 46: *loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebam*. Secundo admiranda est eius industria; nam mores recitantium servat, qui primo diffuse et cum circumstantiis omnibus referunt; et si secundo referri oporteat, succinctius loquuntur. Unde neque nomen dicentis expressit, neque quoniam: *dixit mihi: vade et lava*, sed confestim solam substantiam facti tangens, dicit *lutum fecit*. Consequenter cum subditur *dicebant ergo ex Phariseis quidam* etc., fit inquisitio de persona illuminantis, et primo ponuntur diversae sententiae Phariseorum de Christo; secundo exquiritur sententia caeci, ibi *dicunt ergo caeco iterum*. Circa primum tria facit. Primo ponit opinionem Christum blasphemantium; secundo opinionem eum commendantium; et tertio concludit, quod inter eos erat schisma et dissidium. Circa primum sciendum est, quod illi qui malitiose contra aliquem agunt, tacent, si quid boni in facto eius vident; et mala, si qua videntur, manifestant, etiam bonum in malum convertentes; secundum illud Eccli. XI, 33: *bona in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam*. Quod et isti faciunt; nam id quod videbatur bonum, scilicet caeci illuminationem, subtercentes, quod contra Christum esse poterat, manifestant, scilicet solutionem sabbati. Unde *dicebant quidam ex Phariseis*, scilicet malitiosi et pravi, *non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit*; cum tamen Christus sabbatum servaret. Dominus enim prohibens operari in sabbato, intendit de opere servili, quod est peccatum; supra VIII, 34: *qui facit peccatum, servus est peccati*. Ergo qui facit opera peccati in sabbato, solvit sabbatum. Christus ergo qui sine peccato erat, potius sabbatum, quam ipsi, custodiebat. Commendantium autem opinio ponitur, cum subdit *quomodo potest homo peccator haec signa facere?* Isti enim aliquam fidem ex signis conceperant et imperfecte et imbecilliter erant dispositi; quia ex timore Phariseorum et principum, quasi sub dubio proponunt, dicentes *quomodo potest homo peccator haec signa facere?* Infra XII, 42, dicitur, quod *multi ex principibus crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur*. Qui tamen potius debuissent ostendere qualiter sabbatum non solveret, et convenienter respondere pro Iesu. Dissidium autem concludit inter eos, dicens *et schisma erat inter eos*: quod scilicet fuerat etiam inter populos; et hoc erat signum interitus illorum; Oseae X, 2: *divisum est cor eorum, nunc interibunt*; Matth. XII, 25: *omne regnum in seipsum divisum, desolabitur*. Consequenter inquirunt sententiam a caeco, et dicunt *tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos?* Et primo ponitur Phariseorum interrogatio; secundo caeci responsio. Interrogant quidem cum dicunt *tu quid dicis de illo?* Quae quidem interrogatio, secundum Chrysostomum, non est eorum qui Christum blasphemabant, sed eorum qui commendabant. Et hoc apparet ex modo interrogandi. Unde commemorant ei receptum beneficium, dicentes *tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos?* Alioquin si alii interrogassent, non hoc dixissent, sed potius, qui solvit sabbatum. Ideo autem beneficium commemorant, ut eum gratum reddentes, inducant ad Christi



praedicationem. Secundum autem Augustinum, est interrogatio adversariorum, volentium calumniari hominem qui constanter veritatem confitebatur, vel ut ex timore mutaret sententiam, vel saltem ut eum de synagoga eiicerent. Responsio autem caeci constans ponitur: unde subdit *ille autem dixit, quia propheta est*. Licet enim adhuc, quasi inunctus in corde, Dei filium nondum confiteretur, constanter tamen quod sentiebat expressit, non tamen mentitus est. Nam ipse dominus de se dixit Mc. VI, 4 et Matth. XIII, 57: *non est propheta sine honore nisi in patria sua*; Deut. XVIII, 15: *prophetam suscitant vobis Deus, ipsum audietis*. Consequenter cum dicit *non crediderunt ergo Iudaei de illo*, agitur de inquisitione a parentibus, et primo ponitur causa inquisitionis; secundo subditur interrogatio, ibi *et interrogaverunt*; tertio adhibetur responsio, ibi *responderunt ergo eis*; quarto assignatur responsionis ratio, ibi *hoc dixerunt parentes eius*. Causa autem secundae inquisitionis fuit infidelitas Pharisaeorum. Et hoc est quod dicit *non crediderunt ergo de illo*, scilicet Pharisaei, *quod caecus natus fuisset, et vidisset, donec vocaverunt parentes eius*, scilicet caeci, qui viderat. Hoc quidem faciunt volentes annullare Christi miraculum, ne perdant gloriam suam; supra V, 44: *quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Inquisitio autem ponitur a Pharisaeis ad parentes: ubi tria proponunt. Primo de persona filii, dicentes *hic est filius vester?* Quasi dicerent: numquid est hic? Secundo de eius caecitate: unde subdunt *quem dicitis quia natus est caecus?* Non dicunt, qui quandoque fuit caecus sed *quem dicitis*; quasi dicerent: hoc confingitis. Numquid hoc est verum? Sed, o inquinati. Quis pater eligeret talia mentiri de filio? Conantur enim per hoc eos ad negationem ducere. Tertio quaerunt de modo consecutae visionis, dicentes *quomodo ergo nunc videt?* Quasi dicant: aut hoc est falsum quod nunc videat, aut primum quod caecus fuerat; sed constat hoc esse verum, quod videt: falsum ergo fuit quod caecum eum dicebant; Eccli. c. XIII, 14: *ex multa enim loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis*. Responsio parentum ponitur consequenter, cum dicit *responderunt eis parentes eius* et cetera. De tribus autem interrogaverant Pharisaei; sed de duobus constanter respondent, et de tertio remittunt ad filium. Primo quidem confitentur primum, scilicet quod filius eorum sit: unde dicunt *scimus quia hic est filius noster*. Item confitentur secundum, cum subdunt *et quia caecus natus est*. In quo patet quod veritas semper vincit mendacium. Unde in apocryphis Esdrae dicitur, quod *veritas super omnia vincit*. Tertium autem, scilicet qualiter vidit, dicunt *quomodo autem nunc videat, nescimus*. Secundo de persona illuminante, cum subdunt *aut quis aperuit oculos eius, nos nescimus*. Hoc ideo dicunt, quia inquisitio fiebat contra personam illuminantem. Et ideo remittunt ad filium, dicentes *ipsum interrogate: aetatem habet, ipse de se loquatur*; quasi dicant: etsi genuimus eum caecum, non tamen mutum; unde loqui potest pro se in causa. Quod quidem dispensative factum est, ut, dum parentes confitentur quod sciunt, et caecus confirmat qui est curatus, veritas miraculi magis appareret. Ratio autem responsionis ponitur, cum subdit *hoc dixerunt parentes eius*, quoniam timebant Iudaeos: adhuc enim imperfecti erant, nec adimplere ausi quod dicit dominus, Matth. X, 28: *nolite timere eos qui occidunt corpus*. Causa autem timoris fuit, *quia iam conspiraverant Iudaei, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret*. Infra XVI, 1: *haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini: absque synagogis facient vos*. Et, ut dicit Augustinus, iam non erat malum fieri extra synagogam: nam quos illi repellebant, Christus recipiebat.

### Lectio 3

[87481] Super Io., cap. 9 l. 3 Posita supra inquisitione negotii, scilicet a caeco et parentibus, hic persuadent negare veritatem, et afferre falsitatem, et primo persuadent veritatis negationem; secundo irrogant maledictionem; tertio inferunt condemnationem. Secundum ibi *maledixerunt ergo ei*; tertium ibi *responderunt et dixerunt ei: in peccatis natus es totus*. Circa primum duo facit. Primo ostendit quomodo persuadent ei veritatem negare; secundo quomodo iterato interrogant, ut calumniam possint inferre, ibi *dixerunt ergo illi: quid fecit tibi?* Circa primum duo facit. Primo proponit eorum malitiam; secundo caeci constantiam, ibi *dixit ergo ille*. Malitia Pharisaeorum ostenditur in veritatis negandae persuasionem. Constantia caeci apparet in firma veritatis confessione. Dicit ergo, quantum ad primum, *vocaverunt ergo*, scilicet Pharisaei, *rursum hominem qui fuerat caecus*: nam parentes interrogati remiserant eos ad caecum, *et dixerunt ei: da gloriam Deo*. Unum dicunt, sed aliud intendunt. Intendunt quidem ut cogant eum dicere, se non fuisse illuminatum a Christo, vel, si hoc non possunt, saltem confiteatur se ab eo aliquo maleficio curatum. Hoc tamen non aperte dicunt; sed tacite et sub praetextu religionis. Ad hoc enim inducere volunt dicentes *da gloriam Deo*; quasi dicant: illuminatus es; sed hoc non est nisi a Deo: ergo hoc nulli alii attribuas nisi Deo, et non isti, scilicet Christo, quia si hoc facis, ostendis te

non accepisse a Deo curationis beneficium, quia Deus per peccatores non operatur miracula. Unde subdunt *nos scimus quia hic homo peccator est*; quasi dicerent: confitere quoniam hic nihil operatus est, nega quod accepisti. Sed, ut Augustinus dicit, si hoc fecisset, non dedisset gloriam Deo, sed potius ingratus existens blasphemasset. Sed vere mendacium locutus est stylus Pharisaeorum, dicentium *nos scimus quoniam hic homo peccator est*; nam supra VIII, v. 46, eundem de peccato arguere non potuerunt, cum dixit: *quis ex vobis arguet me de peccato?* Nec mirum, quia hoc dicitur I Petr. II, 22: *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius*. Hic ponitur caeci constantia: nam stomachatus contra Pharisaeorum duritiam, et impatiens ad verba eorum, cum veritatis assertione dicit *si peccator est, nescio*. Sed, cum supra dixerit *quia propheta est*, numquid hoc propter timorem quasi dubitans dicit *si peccator est, nescio?* Absit; sed quasi indignatus Pharisaeos irridens. Quasi dicat: vos asseritis eum peccatorem; sed hoc ego nescio quod sit peccator, et miror quod hoc asseritis, quia opus fecit quod non videtur esse peccatoris, *quia caecus cum essem, modo video*, eius beneficio. Secundum Augustinum, hoc dicit ut neque pateretur calumniam, neque veritatem subcelaret. Fortassis enim si dixisset, scio eum iustum, quod verum erat, calumniati fuissent eum. Sed, secundum Chrysostomum, ideo hoc dixit ut daret eis maius testimonium, scilicet ipsius miraculosae operationis, et suam responsionem faceret fide dignam ab accepto beneficio. Hic iterato interrogant, ut calumniam inferant, et primo ponitur dolosa Pharisaeorum interrogatio; secundo respondentis caeci derisio, ibi *respondit eis* et cetera. Dicit ergo quantum ad primum, *dixerunt ergo illi: quid fecit tibi?* Quia enim caecus confessus fuerat se a Christo visum recepisse, quod isti non quaerebant, sed potius in ipso modo faciendi, contra Christum calumniam inferre intendebant. Ideo non dicunt, qualiter vidisti? Sed *quomodo aperuit tibi oculos?* Quasi dicant: numquid aliquo praestigio seu maleficio hoc fecit? Secundum illud Ps. XXXVII, 13: *qui quaerebant mala mihi, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur*. Hic ponitur responsio: quia enim caecus quasi iam viderat, ideo non remisit, sed audacter de reliquo eis loquitur. Unde primo irridet Pharisaeorum iteratam interrogationem, dicens *dixi vobis iam, et audistis: quid iterum vultis audire?* Quasi dicat: ex quo semel dixi vobis, *quid iterum vultis audire?* Hoc enim insipientis est. Videtur enim quod non attenditis ad ea quae dicuntur. Unde non est ultra respondendum vobis, inaniter interrogantibus, et cavillari potius quam discere volentibus; Eccli. XXII, v. 9: *cum dormiente loquitur qui narrat stulto sapientiam: et in fine narrationis dicit: quis est hic?* Secundo deridet praesumptuosam Pharisaeorum intentionem, dicens *numquid et vos vultis discipuli eius fieri?* Quando enim aliquis diligenter inquit: aut hoc facit bona intentione, ut scilicet ei adhaereat, aut mala, ut eum condemnet. Quia ergo isti diligenter quaerebant, et caecus non ausus est eis imponere quod mala intentione quaererent, declinat ad aliam partem, dicens *numquid et vos vultis discipuli eius fieri?* Quasi dicat: si non quaeritis malitiose, ergo vultis adhaerere ei; Ier. XIII, 23: *si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis bene facere*. Et, ut Augustinus dicit, illuminatus libenter volebat istos illuminare. Unde signanter dicit *et vos*, quasi se innuens discipulum; quasi dicat: *numquid et vos vultis*, ut et ego sum, *discipuli eius fieri?* Ego iam video, vestrae illuminationi non invidio. Et, ut Chrysostomus dicit, ex ista caeci constantia apparet quam forte quid sit veritas, quae si despectos assumpserit, claros et fortes eos facit. Et quam imbecille quid sit mendacium, quod etsi cum fortibus fuerit, imbecilles eos monstrat et reddit. Hic irrogatur caeco a Pharisaeis maledictio, et primo ponitur Pharisaeorum ad caecum maledictio; secundo caeci ad Pharisaeos redargutio, ibi *respondit ille*. Circa primum duo facit. Primo ponitur Pharisaeorum maledictio; secundo maledictionis occasio, ibi *nos autem Moysi discipuli sumus*. Dicit ergo quantum ad primum: *maledixerunt ei*, scilicet Pharisaei caeco, et *dixerunt: tu discipulus eius sis*. Quae quidem maledictio est, si pravum cor eorum discutias, non si verba perpendas: immo est summa benedictio. Et tale maledictum sit super nos, et super filios nostros; supra VIII, v. 31: *vere discipuli mei eritis, si manseritis in sermone meo*. Ideo tamen Evangelista dixit *maledixerunt*, quia ex malo eorum corde procedebant; Prov. XXVI, 23: *quomodo si ornare velis vas fictile argenteo sordido, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata*. Et de hac maledictione dicitur in Ps. CVIII, v. 28: *maledicent illi, et ut benedices*; et Matth. V, 11: *beati eritis cum maledixerint vobis* et cetera. Causam maledictionis subiungit consequenter cum dicit *nos autem Moysi discipuli sumus*. Reputabant enim maledictionem quod caecus dixerat eis, quod fierent discipuli Christi; cum ipsi gloriarentur se esse discipulos Moysi, quem maiorem reputabant. Et ideo primo proponunt suam conditionem, dicentes *nos autem Moysi discipuli sumus*. Eccli. XXIV, 33: *legem mandavit Moyses in primitiis iustitiarum* et cetera. Sed falsa est eorum gloria, quia nec eum sequebantur, nec praecepta eius implebant; supra V, 46: *si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi*; quasi dicat: nec sequimini servum, et deorsum ponitis contra dominum. Secundo extollunt Moysi dignitatem, cum dicunt *nos scimus quia Moysi*

*locutus est Deus. In quo verum dicunt, quia, ut dicitur Ex. XXXIII, 11, loquebatur dominus Moysi facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum; et Num. XII, 6, dicit dominus: si fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei.* Unde excellentiori modo loquebatur cum eo quam cum aliis prophetis. Et de hac locutione hic ipsi loquuntur. Constat autem quod cum ad Moysem Deus loqueretur verbum suum, quod dignitas Moysi est ex verbo Dei. Et sic verbum maioris dignitatis est quam Moyses; Hebr. c. III, 3: *amplioris gloriae iste, scilicet Christus, prae Moysse dignus habitus est, quanto amplio rem honorem habet domus, qui aedificavit illam.* Tertio occulte insinuant Christi dignitatem, cum dicit *hunc autem*, scilicet Christum, *nescimus unde sit*: quod quidem verum est, non tamen secundum eorum intentionem. Nesciebant enim patrem, unde Christus erat; supra VIII, 19: *neque me scitis, neque patrem meum.* Sed falsum est quantum ad eorum intentionem. Dixerunt enim *hunc autem nescimus unde sit*; quasi dicant: nullius auctoritatis est, et quasi apocryphum, ita ut non constet de eo an a Deo venerit; per quod videbantur ei imponere illud Ier. XXIII, v. 21: *non mittebam eos, et ipsi currebant.* Hic ponitur caeci contra Phariseos argutio, et primo admiratur eorum duritiam; secundo confutat eorum falsitatem, ibi *scimus autem quia peccatores Deus non audit.* Sciendum autem circa primum, quod non ea quae frequenter fiunt, et secundum communem modum miramur; sed insolita et ardua, sive bona, sive mala sint, admiramur. Nam insolita bona et ardua admiramur, secundum illud Esther XV, 17: *valde enim admirabilis es, domine, et facies tua plena est gratiarum.* Admiramur etiam ardua mala, secundum illud Ier. II, 12: *super hoc obstupescite, caeli (...) duo enim mala fecit populus meus.* Secundum hoc ergo respondens caecus, dixit eis *in hoc mirabile est quia vos nescitis unde sit*, quasi dicat: si aliquem parvum et nobis similem non reputaretis alicuius auctoritatis, non esset mirandum; sed quia videtis expressum et evidens signum divinae virtutis in Christo, et dicitis quia vos nescitis unde sit, valde mirabile est, praesertim quia aperuit mihi oculos. Falsitatem eorum confutat dicens *scimus autem quia peccatores Deus non audit.* Utitur tali ratione. Quemcumque Deus audit, est a Deo; sed Deus exaudivit Christum: ergo est a Deo. Primo ergo ponit primam; secundo assumit minorem, ibi *a saeculo non est auditum* etc.; et tertio infert conclusionem, ibi *si non esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Circa primum duo facit. Primo insinuat quos Deus non audiat; secundo ostendit quos Deus audiat, ibi *sed si quis Dei cultor est (...) hunc exaudit.* Non audit autem Deus peccatores; et quantum ad hoc dicit *scimus quia peccatores Deus non audit*, quasi dicat: in ista opinione ego et vos consentimus, quod non exaudiantur peccatores a Deo. Unde in Ps. XVII, 42: *clamaverunt ad dominum, et non exaudivit eos*; Prov. I, 28: *tunc invocabunt me, et non audiam.* Sed contra. II Paral. VI, 36: *si autem peccaverint tibi neque enim est homo qui non peccet, (...) et reversi fuerint ad te in toto corde suo (...) aperiantur, quaeso, oculi tui, et aures tuae intentae sint ad orationem quae fit in loco isto.* Lc. XVIII, 14, de publicano dicitur, quod *descendit iustificatus in domum suam.* Et propter hoc dicit Augustinus, quod caecus iste adhuc loquitur ut inunctus, nondum perfecte sciens. Nam et peccatores exaudit Deus, alias frustra publicanus diceret: *domine Deus, propitius esto mihi peccatori.* Si autem verbum caeci salvare volumus, dicendum est, quod Deus non exaudivit peccatores in peccatis persistentes; exaudivit tamen peccatores de peccatis poenitentes, qui magis sunt computandi in numero poenitentium, quam peccatorum. Sed insurgit dubitatio. Constat enim quod miracula non fiunt ab hominibus propria virtute, sed per orationem. Peccatores autem frequenter miracula faciunt, secundum illud Matth. VII, 22: *nonne in nomine tuo prophetavimus (...) et virtutes multas fecimus?* Et tamen Deus non novit eos. Non videtur ergo verum quod caecus dicit *scimus quia peccatores Deus non audit.* Ad hoc est duplex responsio. Una communis. Oratio enim duo habet, quia scilicet impetrat, et meretur: quandoque ergo impetrat, et non meretur; quandoque autem meretur, et non impetrat. Et sic nihil prohibet orationem peccatoris impetrare quod petit, absque hoc quod mereatur. Sic ergo Deus audit peccatores, non per modum meriti, sed in quantum ex divina virtute, quam praedicant, impetrant quod petunt. Alia est specialis, in casu isto quo loquebatur, scilicet quando miraculum factum notificabat personam Christi. Sciendum est autem, quod omne miraculum factum testimonium quoddam est. Quandoque ergo miraculum fit in testimonium veritatis praedicatae; quandoque autem in testimonium personae facientis. Est autem attendendum, quod nullum verum miraculum fit nisi virtute divina; et quod Deus numquam est testis mendacii. Dico ergo quod, quandocumque miraculum fit in testimonium doctrinae praedicatae, necessarium est doctrinam illam esse veram, etsi persona praedicans non sit bona. Quando etiam fit in testimonium personae, necesse est similiter quod persona illa sit bona. Constat autem quod miracula Christi fiebant in testimonium personae eius; supra V, 36: *opera quae dedit mihi pater ut perficiam ea, testimonium perhibent de me.* Hoc ergo modo loquendo caecus dixit, quod

*numquam Deus peccatores audit*, scilicet quod faciant miracula attestantia sanctitati peccatorum. Consequenter cum dicit *sed si quis Dei cultor est (...) hunc exaudit*, ostendit quod iusti exaudiuntur a Deo et per modum meriti. Ubi sciendum est, quod operatio miraculorum attribuitur fidei; Matth. XXI, 21: *si dixeritis huic monti, tolle, et iacta te in mare, fiet*. Cuius ratio est, quia miracula fiunt per omnipotentiam Dei, cui fides innitur: qui ergo vult impetrare a Deo aliquid, oportet quod habeat fidem; Iac. I, 6: *postulet autem in fide*. Si autem vult merendo impetrare, oportet quod faciat Dei voluntatem. Et ista duo hic ponuntur. Quantum ad primum dicit *sed si quis Dei cultor est*, per sacrificia et hostias; Is. XIX, 21: *colent eum in hostiis* etc. in his enim consistit cultus latrae, quae fidei attestatur. Quantum ad secundum dicit *et voluntatem eius facit*, implendo eius mandatum, *hunc exaudit*: supple, Deus. Hic assumit minorem suae rationis; quasi dicat: ex ipso opere eius, quod adhuc nullus hominum fecit, manifestum est quod per operationem Dei hoc fecit, et quod exauditus est a Deo; infra XV, 24: *si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Hic infert conclusionem; quasi dicat: ex quo talia opera operatur, manifestum est quod est a Deo. Nam, *nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam*, scilicet libere, constanter et veraciter: quia ut dicitur infra XV, 5: *sine me nihil potestis facere*. Hic Pharisei caecum condemnant. In qua quidem condemnatione triplicem defectum sive peccatum incurrunt; scilicet mendacii, superbiae et iniustitiae. Mendacii quidem, caecitatem improperando; unde dicunt *in peccatis natus es totus*. Ubi sciendum est, Iudaeos huius opinionis fuisse, quod omnes infirmitates et adversitates temporales provenirent hominibus propter eorum praecedentia peccata; quam quidem opinionem asserit Eliphaz dicens, Iob c. IV, 7: *recordare, obsecro, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolos, et metunt eos, flante Deo, periisse*. Cuius quidem opinionis ratio est, quia in veteri lege et pro bonis praemia temporalia, et pro malis poenae temporales promittebantur; Is. I, 19: *si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis*. Videntes ergo quod iste homo caecus natus fuerat, credebant quod hoc contigisset ei propter sua peccata; et ideo dicunt *in peccatis natus es totus*. Sed falsum dicunt, quia supra, eodem, dominus: *neque hic peccavit, neque parentes eius*; Eccli. XIX, 28: *est correctio mendax in ira contumeliosi*. Addunt autem, *totus*, ut ostendant quod non solum est peccatis inquinatus quantum ad animam, secundum quod omnes nascuntur peccatores, sed etiam quod peccatorum vestigia appareant in corpore per caecitatem. Vel, secundum Chrysostomum, *totus*, idest, toto tempore vitae tuae, et a primaeva aetate in peccatis es. Superbiae vero defectum incurrunt, contemnendo caeci doctrinam, cum dicunt *tu doces nos?* Quasi dicerent: non es dignus. In quo apparet eorum superbia: nullus enim homo, quantumcumque sapiens, debet a quocumque parvo doctrinam repellere; unde apostolus docet, I Cor. XIV, 30, quod si minori aliquid revelatum fuerit, quod tunc maiores debent tacere, et eum audire. Dan. XIII, v. 60 dicitur quod totus populus et seniores audierunt iudicium pueri iunioris, scilicet Danielis, cuius spiritum dominus suscitavit. Iniustitiae autem defectum incurrunt, iniuste eum eiiciendo: unde dicitur, quod *iecerunt eum foras*, scilicet propter veritatis confessionem. In caeco autem iam impletur quod dominus dixerat, Lc. VI, 22: *beati eritis cum vos oderint homines, et separaverint vos, et ieceverint nomen vestrum tamquam malum propter filium hominis*.

#### Lectio 4

[87482] Super Io., cap. 9 l. 4 Postquam Evangelista ostendit quomodo Iudaei caecum in veritate persistentem ieecerunt hic ostendit quomodo Iesus eum recepit et instruxerit, et primo ponitur Christi instructio; secundo caeci devotio, ibi *at ille ait: credo, domine*; tertio devotionis eius commendatio, ibi *dixit ei Iesus: in iudicium ego in hunc mundum veni*. Circa primum tria facit. Primo proponit studium Christi ad instruendum; secundo desiderium caeci ad credendum, ibi *respondit ille, et dixit: quis est, domine?* Tertio fidei documentum ad perficiendum, ibi *dixit ei Iesus: et vidisti eum*. Studium autem Christi ad instruendum describitur ex tribus. Primo ex diligenti consideratione eorum quae circa caecum agebantur. Sicut enim princeps diligenter considerat ea quae suus athleta patitur propter eum, ita et Christus ea quae caecus patiebatur propter veritatem et sui confessionem, diligenter attendit. Et ideo dicit quod *audivit Iesus*, idest diligenter attendit, *quia Pharisei ieecerunt eum foras*, scilicet ex templo; Ier. XVIII, 19: *attende, domine, ad me, et ad voces adversariorum meorum*. Secundo ex diligenti inquisitione; unde subdit *et cum invenisset eum, dixit ei* et cetera. Illud enim inveniri dicitur quod diligenter quaeritur; Lc. XV, 8: *quaerit diligenter donec inveniat*. Ex quo videtur quod Christus solum eum quaerat, quia in illo solo plus invenit de fide quam in omnibus aliis. Unde colligitur quod

plus diligitur unus iustus a Deo, quam decem millia peccatorum, Is. XIII, v. 12: *pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo*. Et Gen. XVII, dominus pro decem iustis voluit servare Sodomam. Tertio ex seriosa interrogatione; unde *dixit ei: tu credis in filium Dei?* Iste caecus typum baptizandorum gerebat. Unde etiam consuetudo inolevit in Ecclesia ut baptizandi interrogentur de fide; I Petr. III, 21: *nos salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium sed bonae conscientiae interrogatio in Deum*. Interrogans autem de fide non dicit, credis in Christum? Sed *in filium Dei*: quia, ut Hilarius dicit, futurum erat ut aliqui Christum confiterentur, quem tamen filium Dei et Deum negarent; quod postmodum Arius finxit. Unde per hoc error eius manifeste excluditur. Nam si Christus non esset Deus, non esset in eum credendum, cum solus Deus sit obiectum fidei, quae in prima veritate quiescit. Unde et signanter dicit, *in filium*: nam bene possum credere alicui creaturae, puta Petro et Paulo; non tamen in Petrum, sed in Deum solum sicut in obiectum. Unde patet quod filius Dei non est creatura; Io. XIV, 1: *creditur in Deum, et in me credite*. Hic ponitur desiderium caeci ad credendum. Sciendum est autem circa hoc, quod caecus iste adhuc non viderat Christum corporaliter: nam quando Christus linivit oculos suos, et misit eum ad natatoria Siloe, nondum viderat eum; et antequam ad eum reverteretur, postquam lavit et vidit, detentus fuit a Phariseis et Iudaeis. Licet autem corporaliter eum non vidisset, credebat tamen eum qui aperuit oculos suos, esse filium Dei. Et ideo in verba desiderantis et valde inquirentis animae prorumpit, dicens *quis est, domine?* Scilicet filius Dei, qui aperuit mihi oculos, *ut credam in eum?* Ex quo hic apparet, quod eum ex parte cognoscebat, et ex parte ignorabat. Nisi enim eum cognovisset, non tam constanter pro eo disputasset, et si non ignorasset, non utique dixisset *quis est, domine?* Is. XXVI, 9: *anima mea desideravit te in nocte, scilicet ignorantiae*. Sed quia, ut dicitur Sap. VI, 14: *praeoccupat eos qui se concupiscunt, scilicet sapientia, ideo caeco se concupiscenti demonstrat, cum dicit et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est*: in quo ponitur documentum fidei, quo Christus eum instruit. Et primo commemorat ei susceptum beneficium, dicens *et vidisti eum, scilicet corporaliter, qui prius nullum videbas*. Quasi dicat: ab ipso virtutem videndi accepisti; Lc. X, 23: *beati oculi qui vident quae vos videtis; et Lc. II, 29: nunc dimittis servum tuum, domine (...) quia viderunt oculi mei salutare tuum*. Secundo ponitur documentum, cum dicit *et qui loquitur tecum, ipse est*; Hebr. I, 2: *novissime locutus est nobis in filio*. Ex his ergo verbis confutatur error Nestorii, qui dixit, aliud suppositum in Christo filii Dei, aliud filii hominis. Nam qui loquebatur, ex Maria natus est, et hominis filius: et ipse idem qui loquitur est filius Dei, ut dominus dicit. Non est ergo alius et alius, quamvis natura non sit eadem utriusque. Consequenter cum dicit *at ille ait, credo, domine*, ponitur devotio fidei in caeco. Et primo fidem quam credit corde, confitetur ore, dicens *credo, domine*; Rom. c. X, 10: *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Secundo protestatur eam opere; unde *procidens adoravit eum*: per quod ostendit se credere eius divinam naturam, quia mundata conscientia cognoscit illum non solum filium hominis, quod exterius videbatur, sed filium Dei, qui carnem susceperat: nam adoratio debetur soli Deo; Deut. VI, 13: *dominum Deum tuum adorabis*. Consequenter cum dicit *et dixit ei Iesus etc.* commendatur caeci devotio, et primo ponitur devotionis caeci commendatio; secundo Iudaeorum murmuratio, *ibi audierunt quidam ex Phariseis*; tertio murmurantium confutatio, *ibi dixit eis Iesus: si caeci essetis, non haberetis peccatum*. Commendatur autem caecus ex fidei illuminatione; unde dicit *in iudicium ego in hunc mundum veni*. Contra. Supra III, 17: *non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum* et cetera. Respondeo. Loquitur de iudicio condemnationis, de quo dicitur supra V, 29: *qui mala egerunt, ibunt in resurrectionem iudicii, idest condemnationis*; ad quod non misit Deus filium suum in primo adventu, sed potius ad salvandum. Hic vero loquitur de iudicio discretionis, de quo dicitur in Ps. XLII, 1: *iudica me, Deus, et discerne causam meam* et cetera. Nam ad hoc venit ut discerneret bonos a malis: et hoc ostendunt verba sequentia, scilicet *ut qui non vident, videant; et qui vident, caeci fiant*. Nam secundum Augustinum, illi non vident qui reputant se videre, illi autem qui reputant se non videre, vident. Dicuntur autem homines caeci spiritualiter, in quantum habent peccata; Sap. c. II, 21: *excaecavit eos malitia eorum*. Ille ergo reputat se videntem, qui peccata sua non recognoscit; non videre autem se reputat qui recognoscit se peccatorem. Primum est proprium superbiorum; secundum est humilium. Est ergo sensus: *in iudicium veni ut non videntes videant*, ut discernam humiles a superbis. Dies enim erat inter lucem et tenebras discernens, ut scilicet, humiles, *qui non vident*, idest reputant se peccatores, *videant*, illuminati per fidem, et *qui vident*, idest superbi, *caeci fiant*, idest remaneant in tenebris. Secundum Chrysostomum, exponitur de iudicio condemnationis, ita tamen quod hoc quod dicit *in iudicium ego in hunc mundum veni*, non accipiatur causaliter, sed consecutive; quasi dicat: me veniente in mundum, consecutum est in quibusdam iudicium condemnationis, in quantum in aliquibus condemnationis causa magis crevit. Simile dicitur Lucae II, 34: *ecce positus est in*

*ruinam et in resurrectionem multorum*: non quod ipse sit causa ruinae, sed quia ex adventu suo hoc consequitur. Et subditur *ut qui non vident*, scilicet gentiles, carentes lumine divinae notitiae, *videant*, idest, admittantur ad cognitionem Dei; Is. IX, 2: *populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, et qui vident*, scilicet Iudaei, habentes Dei cognitionem, Ps. LXXV, 2: *notus in Iudaea Deus, caeci fiant*, idest, ab ipsa Dei cognitione excidant. Et hoc expresse tangit apostolus, Rom. IX, 30: *gentes quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam*. Hic ponitur murmur Iudaeorum: quia enim verba domini carnaliter intellexerunt, videntes caecum corporaliter illuminatum, et intelligentes quod dominus commendaret in ipso solum lumen faciei et non mentis, crediderunt similiter quod comminaretur eis corporalem caecitatem, et exprobraret, cum dixit *caeci fiant* et ideo dicit *quod audierunt quidam ex Pharisaeis qui cum ipso erant*, verba praedicta. Ideo autem dicit *qui cum ipso erant*, ut ostendat eorum instabilitatem: quia quandoque cum ipso sunt propter aliqua miracula quae vident; sed tamen ab eo recedunt, cum aperitur eis veritas; Lc. VIII, 13: *ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Et dixerunt ei: numquid et nos caeci sumus?* Scilicet corporaliter; quamvis spiritualiter caeci essent; Matth. XV, 14: *sinite illos: caeci sunt et duces caecorum*. Hic ponitur Iudaeorum confutatio: ubi, secundum expositionem Augustini, manifestatur intentio praecedentium, ut scilicet ostendatur de qua caecitate loquitur dominus, quia de spirituali. Dicit ergo *si caeci essetis*, idest vos caecos reputaretis, recognoscentes per humilitatem peccatum vestrum, *non haberetis peccatum*: quia curreretis ad remedium. Peccatum enim remittitur per gratiam, quae non datur nisi humilibus; Iac. IV, 6: *humilibus autem dat gratiam. Nunc vero dicitis quia videmus*; idest, superbe vos videre putantes, non recognoscitis vos peccatores. *Peccatum vestrum manet*, idest non remittitur; Iac. IV, 6: *Deus superbis resistit*. Secundum Chrysostomum, exponitur de caecitate corporali, ut sit sensus *si caeci essetis*, corporaliter, *non haberetis peccatum*, de hoc quod caeci essetis: quia cum sit corporalis defectus, non habet rationem peccati. *Nunc vero quia dicitis, videmus*, peccatum vestrum magis arguitur; quia videntes oculis corporalibus miracula quae ego facio, non creditis mihi; Is. VI, 10: *excaeca cor populi huius*. Vel aliter, *si caeci essetis*, idest ignorantis iudiciorum Dei et sacramentorum legis, *non haberetis peccatum*; supple: tantum. Quasi dicat: si ex ignorantia peccaretis, peccatum vestrum non esset adeo grave. *Nunc vero quia dicitis, videmus*, idest arrogatis vobis scientiam legis et cognitionem Dei, et tamen peccatis, ideo *peccatum vestrum manet*, idest aggravatur; Lc. XII, 47: *servus qui scit voluntatem domini sui, et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis*.

## Caput 10

### Lectio 1

[87483] Super Io., cap. 10 l. 1 Postquam dominus ostendit quod eius doctrina habet illuminativam virtutem, hic consequenter ostendit quod habet virtutem vivificativam, et primo ostendit hoc, verbo; secundo, miraculo: c. XI, ibi *erat autem quidam languens* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ostendit se habere virtutem vivificativam; secundo ostendit vivificandi modum, ibi *ego sum pastor bonus* etc.; tertio ostendit vivificandi potestatem, ibi *dissensio itaque facta est inter Iudaeos propter sermones hos*. Prima pars dividitur in tres: primo enim dominus proponit quamdam parabolam; secundo Evangelista insinuat necessitatem expositionis ipsius: *hoc proverbium dixit eis* etc.; tertio dominus exhibet parabolae expositionem, ibi *dixit eis iterum Iesus* et cetera. Parabolam autem proponit eis dicens *amen dico vobis*. Quae quidem ex duobus est, scilicet de fure et pastore ovium. Unde circa eam tria facit. Primo proponit conditionem furis et latronis; secundo pastoris, ibi *qui autem intrat per ostium, pastor est ovium*; tertio effectum utriusque, ibi *et oves illum sequuntur* et cetera. Ad intellectum autem huius, primo considerandum est quae sint oves, quae quidem sunt fideles Christi, et qui sunt in gratia Dei; Ps. XCIV, 7: *nos autem populus eius et oves pascuae eius*; Ez. XXXIV, v. 31: *vos autem oves pascuae meae homines estis*. Ovine ergo ovium est congregatio fidelis populi; Mich. II, 12: *congregabo Iacob totum te; in unum conducam reliquias Israel; pariter ponam illum quasi gregem in ovili*. Ostium autem ovilis aliter accipitur secundum Chrysostomum, et aliter secundum Augustinum. Nam secundum Chrysostomum, ostium vocat Christus Scripturas sacras, secundum illud Col. IV, 3: *orantes simul pro nobis, ut Deus aperiat ostium sermonis*. Dicitur autem sacra Scriptura ostium, ut Chrysostomus dicit, primo quia per ipsam accessum habemus ad Dei cognitionem; Rom. c. I, 2: *quod autem promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Secundo, quia sicut ostium oves custodit, ita sacra Scriptura conservat vitam fidelium; supra V, 39: *scrutamini Scripturas: quia vos putatis vitam habere in ipsis*.

Tertio quia ostium lupos supervenire non permittit: sic sacra Scriptura arcet haereticos a nocumento fidelium; II Tim. III, 16: *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia*. Ille ergo non intrat per ostium qui ad docendum populum non ingreditur per sacram Scripturam. Unde dominus de talibus dicit Matth. XV, 9: *sine causa colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum*; ibid. v. 6: *irritum fecistis mandatum Dei*. Haec est ergo furis conditio ut non intret per ostium, sed aliunde. Addit autem *ascendit*: quod et parabola congruit, dum fures non intrantes per ostium, conscendunt parietes, et praecipitant se in ovili. Congruum etiam veritati: quia causa quare aliqui doceant aliter quam sapiat sacra Scriptura, praecipue ex superbia provenit; I Tim. VI, 3: *si quis aliter docet, et non acquiescit sacris sermonibus, superbus est, nihil sciens*. Et quantum ad hoc dicit *ascendit*, scilicet per superbiam. *Qui*, inquam, *sic aliunde ascendit, ille fur est*, rapiendo quod non est suum, *et latro*, occidendo quod rapit; Abdiae V: *si fures intrassent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses?* Et secundum hanc expositionem, continuatur ad praecedentia hoc modo. Quia enim dominus dixerat: *si caeci essetis, non haberetis peccatum*, possent respondere Iudaei, et dicere: non est ex nostra caecitate quod tibi non credimus, sed ex tuo errore, propter quem a te avertimur. Et ideo dominus hoc excludens, vult ostendere quod non est erroneus, quia intrat per ostium, idest per sacram Scripturam; idest, docet ea quae sacra Scriptura continet. Sed contra hoc est, quod dominus, infra eodem, exponens, dicit: *ego sum ostium* etc., ex quo videtur quod per ostium debet intelligi Christus. Ad quod Chrysostomus dicit, quod in hac parabola dominus dicit se esse et ostium et pastorem; unde secundum quod ipse diversimode se vocat, diversimode dicitur ostium, quia, secundum quod dicit se pastorem, oportet quod aliud sit ostium quam ipse, quia non est idem pastor et ostium. Nihil autem aliud a Christo convenientius potest dici ostium quam sacra Scriptura, propter rationes praedictas. Convenienter ergo sacra Scriptura ostium dicitur. Secundum Augustinum, hic per ostium intelligitur Christus: et hoc, quia per ipsum intratur; Apoc. IV, 1: *post hoc vidi ostium magnum* et cetera. Quicumque ergo intrat in ovile, oportet quod per ostium, scilicet Christum, intret, et non aliunde. Sed attendendum est, quod intrare in ovile competit pastori et ovi: ovi quidem, ut ibi conservetur; pastori autem, ut oves conservet. Si ergo velis intrare sicut ovis, ut ibi conserveris, vel sicut pastor, ut oves conserves, oportet te per Christum intrare in ovile, non aliunde quam per Christum; sicut philosophi, qui tractaverunt de principalibus virtutibus, et Pharisei, qui caeremoniales traditiones statuerunt. Sed isti non sunt pastores neque oves, quia, ut dominus dicit *qui non intrat per ostium in ovile ovium*, scilicet per Christum, *sed aliunde, fur est et latro*; quia se et alios occidit. Nam Christus est ostium ovilis, idest congregationis fidelium, et non alius; Rom. V, 1: *pacem habemus per Christum ad Deum, per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei*; Act. IV, 12: *non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Et secundum hanc expositionem continuatur ad praecedentia hoc modo. Quia enim dicebant se videre sine Christo, secundum quod dixit: *nunc quia dicitis, videmus, peccatum vestrum manet*, ideo dominus ostendit hoc esse falsum, quia non intrant per ostium, dicens *amen, amen dico vobis*. Sciendum autem, quod ut qui sicut ovis per ostium non intrat, non potest conservari; ita nec qui ut pastor intrat, conservare potest, nisi per ostium intret, scilicet per Christum; per quod quidem ostium intraverunt veri pastores, de quibus Hebr. V, 4: *nemo sibi assumit honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Mali vero pastores non intrant per ostium, sed per ambitionem, et potentiam saecularem, et simoniam; et isti sunt fures et latrones; Oseae VIII, 4: *ipsi regnaverunt, et non cognovi*; idest, non approbavi. Et dicit *sed ascendit aliunde*, quia ostium istud, scilicet Christus, cum sit parvum per humilitatem, Matth. XI, 29: *discite a me, quia mitis sum*, non possunt intrare nisi qui Christi humilitatem imitantur. Qui ergo non intrant per ostium, aliunde ascendunt, idest superbi sunt, et non imitantur illum qui, cum Deus esset, factus est homo; et humilitatem suam non recognoscunt. Hic agit de pastore, et primo ponit pastoris conditionem; secundo ostendit per signa quod iste sit pastor, ibi *huic ostiarius aperit*. Conditio autem veri pastoris est intrare per ostium, idest testimonia sacrae Scripturae; unde dicebat, Lc. ult., 44: *oportet impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et Psalmis de me*. Pastor dicitur, Ier. XVII, 16: *ego non sum turbatus te pastorem sequens*; Eccli. XVIII, v. 13: *qui misericordiam habet, docet et erudit sicut pastor gregem suum*. Sed si Christus intelligatur per ostium, ut Augustinus exponit, sic intrans per ostium, intrat per seipsum. Et hoc est proprium Christi: nam nullus potest intrare ostium, scilicet ad beatitudinem, nisi per veritatem, quia nihil aliud est beatitudo quam gaudium de veritate. Christus autem inquantum Deus, veritas est: et ideo inquantum homo, intrat per seipsum, scilicet per veritatem, quae est ipse inquantum Deus. Nos autem non sumus ipsa veritas, sed sumus filii lucis, per participationem lucis verae et increatae; et ideo oportet nos per veritatem, quae est Christus, intrare;

infra XVII, 17: *sanctifica eos in veritate*; infra: *per me si quis introierit, salvabitur*. Sed si quis etiam intrare vult ut pastor, oportet quod intret per ostium, idest Christum, scilicet secundum eius veritatem, voluntatem et ordinationem; unde dicitur Ez. c. XXXIV, 23: *dabo eis pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David*, quasi diceret: per me dari debent, et non per alios, seu per seipsos. Hic ponit signa boni pastoris, quae sunt tria. Primum sumitur ex parte ostiarii, scilicet quod ab eo introducatur; et quantum ad hoc dicit *ostiarius aperit*. Qui scilicet ostiarius, secundum Chrysostomum, ille est qui viam aperit ad cognitionem sacrae Scripturae, qui primus fuit Moyses, qui sacras Scripturas primus accepit et instituit. Et hic aperit Christo, quia, ut dicitur supra V, 46: *si crederetis Moysi, crederetis forte et mihi: de me enim ille scripsit*. Vel, secundum Augustinum, ostiarius est ipsemet Christus, quia ipsemet introducit homines ad seipsum; dicit: ipse se aperit, qui seipsum exponit, et non nisi per eius gratiam intramus; Eph. II, 8: *gratia salvati estis*. Nec refert si Christus, qui est ostium, ipse idem sit ostiarius; nam quaedam in spiritualibus congruunt quae in corporalibus esse non possunt. Magis autem differre videtur pastor et ostium quam ostium et ostiarius. Cum ergo Christus dicatur pastor et ostium, ut dictum est, multo magis potest dici ostium et ostiarius. Sed si aliam personam ostiarii quaeris quam Moysem et Christum, vide ostiarium spiritum sanctum, ut Augustinus dicit. Ad officium enim ostiarii pertinet ut ostium aperiat, et de spiritu sancto dicitur infra XVI, 13: *docebit vos omnem veritatem*. Christus enim est ostium, in quantum est veritas. Secundum signum sumitur ex parte ovium, scilicet quod ei obediant. Et hoc est quod dicit *et oves vocem eius audiunt*: quod quidem, si ex similitudine naturalis pastoris attenditur, rationabiliter dicitur, quia, sicut oves ex consueta imaginatione recognoscunt vocem pastoris, sic et fideles iusti vocem Christi audiunt; Ps. XCIV, v. 8: *hodie si vocem eius audieritis*. Sed contra. Multi sunt oves Christi, qui tamen vocem eius non audierunt, sicut Paulus. Item aliqui audierunt, et non fuerunt oves, sicut Iudas. Ad quod dici posset, quod Iudas pro tempore illo ovis Christi erat, quantum ad praesentem iustitiam. Paulus autem quando vocem Christi non audiebat, non erat ovis, sed lupo, sed vox Christi adveniens mutavit lupo in ovem. Haec autem responsio sustineri posset, si non contrariaretur ei quod dicit Ez. IV, 4: *quod confractum fuerat non alligastis, et quod erroneum est, non reduxistis*. Ex quo videtur quod adhuc quando confractae et erroneae erant, oves erant. Et ideo dicendum, quod loquitur hic dominus de ovibus suis, non solum secundum praesentem iustitiam, sed etiam secundum aeternam praedestinationem. Est enim quaedam vox Christi quam nullus nisi praedestinatus audire potest, scilicet, *qui perseveraverit usque ad finem*: Matth. X, 22. Ideo etiam dicit, *et oves vocem eius audiunt*, quia possent se excusare de eorum infidelitate, dicentes, quod non solum ipsi, sed etiam nullus ex principibus credit in eum. Unde, ad hoc respondens, dicit *et oves vocem eius audiunt*; quasi dicat: ideo ipsi non credunt, quia non sunt de ovibus meis. Tertium signum sumitur ex actibus ipsius pastoris; et quantum ad hoc dicit *proprias oves vocat nominatim*. Ubi ponit quatuor actus boni pastoris. Primo quidem quod oves cognoscit. Unde dicit, quod *proprias oves vocat nominatim*: in quo ostendit cognitionem, et familiaritatem suam ad oves. Illos enim ex nomine vocamus quos familiariter cognoscimus; Ex. XXXIII, 17: *ego novi te ex nomine*. Et quidem ad officium boni pastoris pertinet, secundum illud Prov. c. XXVII, 23: *diligenter considera vultum pecoris tui*. Et hoc quidem convenit Christo secundum praesentem cognitionem, vel magis secundum aeternam praedestinationem, quas ab aeterno nomine tenus novit; Ps. CXLVI, 4: *qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat*; II Tim. c. II, 19: *novit dominus qui sunt eius*. Secundo vero quod eas educit, idest segregat a societate impiorum; Ps. CVI, 14: *eduxit eos de tenebris et umbra mortis*. Tertio, quia iam eductas ab impiis, et inductas in ovile, iterum *eduxit eas ex ovili*. Primo quidem in salutem aliorum; Is. ult., v. 19: *mittam ex eis qui salvati fuerint in Lydiam*; Matth. X, 16: *ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*; ut scilicet de lupis faciatis oves. Secundo vero in directionem et viam salutis aeternae; Lc. I, 79: *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Quarto vero eas praecedit exemplo bonae conversationis; unde dicit *et ante eas vadit*, quod quidem in pastore corporali non est ita, quin potius sequitur, secundum illud Ps. LXXVII, 70: *de post foetantes accepit eum*. Bonus autem pastor ante eas vadit per exemplum; I Petr. ult., 3: *neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo*. Christus autem utraque missione ante eas vadit: quia primus pro doctrina veritatis mortem subiit, Matth. XVI, 24: *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*, et praecessit omnes in vitam aeternam. Mich. II, v. 13: *ascendit pandens iter ante eos*. Hic agit de effectu utriusque, furis scilicet, et pastoris in ovibus, et primo ponit effectum boni pastoris; secundo effectum lupi et furis, ibi *alienum autem non sequuntur*. Dicit ergo quod dictum est de conditionibus utriusque, sed *oves sequuntur illum*, qui scilicet ante eas vadit. Et hoc quidem in promptu est, quia subditi sequuntur vestigia praelatorum, ut dicitur I Petr. II, v. 21: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini*



*vestigia eius*; Iob XXIII, 11: *vestigia eius secutus est pes meus*. Et hoc ideo, *quia sciunt vocem eius*, idest cognoscunt et delectantur in ea; Cant. II, 14: *sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis*. Effectus autem furis est ut oves eum non diu sequantur, sed ad tempus; unde dicit *alienum autem non sequuntur*; idest, doctorem mendacem et haeticum non sequuntur; Ps. XVII, 46: *filii alieni mentiti sunt mihi*. Sic et Paulus doctores mendaces non diu secutus est. *Sed fugiunt ab eo*; et hoc ideo, quia, ut dicitur I Cor. XV, 33, *corrumpunt bonos mores colloquia prava*. Ideo autem fugiunt, *quia non noverunt*, idest non approbant, *vocem alienorum*, idest doctrinam eorum, quae serpit ut cancer.

## Lectio 2

[87484] Super Io., cap. 10 l. 2 Hic ponit Evangelista necessitatem exponendi supra positam similitudinem, quae quidem necessitas causatur ex audientium ignorantia. Primo vero tangit ignorantiae causam; secundo ipsam ignorantiam manifestat. Causa autem ignorantiae fuit proverbialis Christi locutio; et hoc est quod dicit *hoc proverbium dixit eis Iesus*. Proverbium autem dicitur proprie quando loco alterius ponitur aliud; cum scilicet unum verbum ex similitudine alterius datur intelligi: quod etiam parabola dicitur. Loquebatur autem in proverbiiis dominus primo quidem propter malos, ut mysteria regni caelestis eis occultaret; Lc. VIII, 10: *vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis*. Secundo vero propter bonos, ut ex proverbiiis exercerentur ad inquirendum; unde postquam dominus turbis proverbialia seu parabolas proposuit, discipuli seorsum Christum interrogabant, ut habetur Matth. XIII, 10 et Mc. IV, 10. Unde et Augustinus dicit: pascit dominus manifestis (scilicet fideles turbas), exercet obscuris, scilicet discipulos. Ignorantiam manifestat, cum dicit *illi autem non intellexerunt quid loqueretur*. Ignorantia autem quae proveniebat ex proverbiiis a Christo propositis, utilis quidem erat, et damnosa. Sed utilis bonis et iustis ad exercitium in Dei laudem quaerentibus: nam dum ea non intelligunt, credunt, glorificant dominum, et eius sapientiam supra se existentem; Prov. XXV, 2: *gloria Dei est celare verbum*. Damnosa autem malis, quia non intelligentes, blasphemant, secundum illud in Canon. Iudae v. 10: *quaecumque ignorant, blasphemant*. Nam, ut Augustinus dicit, cum verba Evangelii audiunt pius et impius, et ambo non intelligunt, pius dicit: verum est et bonum est quod dicit sed nos non intelligimus. Et hic quidem iam pulsatur, cui dignum est aperiri, sed si persistat. Impius dicit: nihil dixit, malum est quod ait. Hic dominus exponit similitudinem. Si autem recte consideretur praedicta similitudo, duas principales clausulas continebat, ad quas aliae consequuntur. Quarum prima est: *qui non intrat per ostium in ovile ovium (...) ille fur est et latro*. Secunda vero est: *qui intrat per ostium, pastor est ovium*. Et ideo ista pars dividitur in duas: primo enim exponit primam clausulam; secundo secundam, ibi *ego sum pastor bonus*. Circa primum duo facit. Primo exponit quae prima clausula continebat; secundo probat ea, ibi *ego sum ostium*. Fit autem mentio in prima clausula de ostio, fure et latrone. Primo exponit primum; secundo secundum, ibi *omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones*. Quantum ad primum dicit: *dixit ergo eis iterum Iesus*, ut scilicet eos attentiores reddat, et intelligerent similitudinem; Prov. I, 6: *animadvertet parabolam et interpretationem et cetera. Amen, amen dico vobis*, idest vere, *ego sum ostium*. Officium enim ostii est ut per ipsum quis ad domus interiora ingrediatur; et hoc Christo convenit: nam per eum oportet quemlibet ad Dei secreta intrare; Ps. CXVII, 20: *haec porta domini, scilicet Christus, et iusti intrabunt in eam*. Dicit autem *ovium*, quia non solum pastores per Christum introducuntur in praesentem Ecclesiam, vel in aeternam beatitudinem per Christum ingrediuntur, sed etiam oves; unde infra eodem *oves meae vocem meam audiunt (...) et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis*. Consequenter cum dicit *omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones*, exponit quod dixit de fure et latrone: et primo ostendit quis sit fur et latro; secundo ponit signum huius. Circa primum autem cavendus est error Manichaeorum, qui damnantes vetus testamentum ex hoc quod dicitur *omnes quotquot venerunt, fures sunt*, dicunt, patres veteris testamenti, qui fuerunt ante Christum, malos fuisse et damnatos. Sed hoc esse falsum apparet ex tribus. Primo quidem ex his quae in parabola dicta sunt. Quod enim hic dicitur *omnes quotquot venerunt*, ponitur ut expositivum praecedentium; ibi autem dicitur, quod intraverunt, et cetera. Illi ergo *omnes quotquot veniunt*, scilicet non per me, idest non intrantes per ostium, *fures sunt et latrones*. Constat autem quod patriarchae et prophetae omnes per ostium, idest Christum, intraverunt, quos Christus venturus praecones mittebat. Licet enim ex tempore carnem acceperit, et factus fuerit homo, ab aeterno tamen erat verbum Dei; Hebr. XIII, 8: *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula*. Prophetae autem missi sunt per verbum Dei et sapientiam; Sap. VII, 27: *per nationes in animas sanctas se transfert* (scilicet Dei sapientia) *prophetas et*

*amicos Dei constituit.* Et ideo signanter in prophetis legimus, verbum domini factum esse ad hunc vel ad illum prophetam, qui per participationem verbi Dei prophetaverunt. Secundo ex hoc quod dominus dicit *venerunt*; quasi dicat, propria auctoritate et non a Deo missi, seipsos ingerentes; de quibus Ier. XXIII, 21: *non mittebam eos, et ipsi currebant.* Isti quidem non venerunt a verbo Dei; Ez. XIII, 3: *vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.* Tales non fuerunt patres veteris testamenti, ut dictum est. Tertio ex ipso facto, quod ostendit verborum consequentia, nam hic dicitur *non audierunt eos oves.* Illi ergo quos audierunt oves, non fuerunt fures et latrones. Populus autem Israel prophetas audivit. Propterea illi qui non audierunt, in sacra Scriptura vituperantur; Act. VII, 52: *quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* Matth. XXIII, v. 37: *Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.* Sic ergo errore excluso, dicendum est *omnes quotquot venerunt* scilicet praeter me, et praeter divinam inspirationem et auctoritatem, et non cum intentione divinae gloriae quaerendae, sed propriae usurpandae. *fures sunt*, in quantum quod non suum est, scilicet docendi auctoritatem, sibi usurpant, Is. I, 23: *principes tui infideles, socii furum, et latrones*, quia per pravam doctrinam occidunt; Matth. XXI, 13: *vos autem fecistis illam speluncam latronum*; Oseae VI, v. 9: *particeps latronum interficientium in via pergentes.* Sed *eos*, scilicet fures et latrones, *oves*, praedestinatae, *non audierunt*, scilicet perseveranter; alias non fuissent de ovibus Christi, quia *alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo*: ut dicitur supra eodem. Hoc etiam praecipitur Deut. XIII, 3: *non audias verba illius prophetae aut somniatoris. Ego sum ostium.* Hic manifestat expositionem, et primo expositionem ostii; secundo furis, ibi *fur non venit.* Circa primum duo facit. Primo resumit quod intendit exponere; secundo exponit. Resumit autem quod dixit *ego sum ostium.* Cantic. ult., 9: *si est ostium, compingamus illud tabulis cedrinis*, id est attribuamus ei virtutem imputrescibilem. Exponit autem cum dicit *per me si quis introierit, salvabitur.* Ubi primo ostendit quod competit ei usus ostii, qui est salvare oves; secundo insinuat salvationis modum, ibi *ingredietur et egredietur.* Salvat autem ostium arcendo interiores ne progrediantur, et defendendo ab exterioribus, ne invadantur. Et hoc competit Christo, nam per ipsum salvamur et protegimur. Et hoc est quod dicit *per me*, scilicet ostium, *si quis*, non fictus, *introierit*, ad societatem Ecclesiae et fidelium, *salvabitur*: supple, si perseveraverit; Act. IV, 12: *non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; Rom. V, 10: *multo magis salvi erimus in vita ipsius.* Modus autem salutis ponitur cum dicit *et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet*: quae quidem verba quadrupliciter exponi possunt. Primo quidem, secundum Chrysostomum, nihil aliud debet intelligi quam securitas et libertas adhaerentium Christo. Nam qui aliunde ascendit quam per ostium, non habet liberum introitum et exitum; qui vero per ostium intrat, habet liberum exitum, quia libere potest exire. Cum ergo dicit *ingredietur et egredietur*, est sensus, secundum hanc similitudinem, quod apostoli adhaerentes Christo, cum securitate ingrediuntur, conversando cum fidelibus qui intra Ecclesiam sunt, et cum infidelibus qui sunt extra, quando totius orbis terrarum facti sunt domini, et nullus eos eiicere valuit; Num. XXVII, 16: *provideat dominus Deus spirituum universae carnis hominem super populum istum, qui possit ingredi et egredi: ne sit populus domini sicut oves absque pastore.* Et *pascua inveniet*, id est, delectationem in conversione, et gaudium etiam in persecutionibus infidelium pro Christi nomine habebant; secundum illud Act. V, 41: *ibant apostoli gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Secundo potest exponi, secundum Augustinum super Ioannem. Cuilibet bene agenti duo incumbunt, scilicet ut bene se habeat ad ea quae intra ipsum sunt, et ad ea quae extra. Interius autem in homine est spiritus; exterius autem est corpus; II Cor. c. IV, 16: *licet is qui foris est homo noster corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem.* Ille ergo qui Christo adhaeret, ingredietur quidem per contemplationem ad custodiam conscientiae; Sap. VIII, v. 16: *intrans domum meam, scilicet conscientiam, conquiescam cum illa, scilicet sapientia.* Et *egredietur*, foras, scilicet per bonam actionem, ad domandum corpus; Ps. CIII, v. 23: *exibit homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperum: et pascua inveniet*, scilicet in conscientia munda et devota; Ps. XVI, 15: *apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua*: et in actione, *pascua inveniet* scilicet fructus; Ps. CXXV, 6: *venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Tertia expositio est etiam eiusdem, et beati Gregorii super Ezech., ut sit sensus: *ingredietur*, in Ecclesiam, credendo; Ps. XLI, 5: *transibo in locum tabernaculi admirabilis, quod est ingredi in Ecclesiam militantem*; et *egredietur*, scilicet de militante ad Ecclesiam triumphantem; Cant. III, v. 11: *egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius*; et *pascua inveniet*, in Ecclesia militante, scilicet doctrinae et gratiae; Ps. XXII, v. 2: *in loco pascuae ibi me collocavit*: et in Ecclesia triumphante, scilicet gloriae; Ez. c. XXXIV, 14: *in pascuis uberrimis pascam eas.*

Quarto exponitur in libro de spiritu et anima, qui Augustino attribuitur, cuius tamen non est: ubi dicitur, quod *ingredientur*, scilicet sancti, ad contemplandam divinitatem Christi, *et egredientur*, ad eius humanitatem considerandam; et in utroque *pascua invenient*, quia in utroque gaudia contemplationis gustabunt; Is. XXXIII, 17: *regem in decore suo videbunt*. Hic igitur de fure, et primo ponit furis proprietatem; secundo asserit sibi contrariam proprietatem inesse, ibi *ego veni ut vitam habeant* et cetera. Dicit ergo, quod illi qui non intrant per ostium, idest qui venerunt praeter me, ipsi fures sunt et latrones, quorum conditio mala est. Nam primo quidem *fur non venit nisi ut furetur*, idest ut usurpet quod non est suum, cum scilicet seditiosi et haeretici eos qui Christi sunt, sibi adiungunt; Ps. X, 9: *insidiatur ut rapiat pauperem*. Secundo fur venit *ut mactet*, idest occidat inducendo perversam doctrinam et pravos mores; Oseae VI, 9: *particeps latronum interficientium in via pergentes de Sichem*. Tertio ut perdat immittendo in perditionem aeternam; Ier. 1, 6: *grex perditus factus est populus meus*. Quae quidem conditiones non sunt in me. *Ego veni ut vitam habeant*; quasi dicat: isti non per me venerunt, quia similia agerent his quae ego ago; sed ipsi contrarium agunt: quia furantur, occidunt et perdunt. *Ego veni ut vitam habeant*, scilicet iustitiae, ingredients Ecclesiam militantem per fidem; Hebr. X, 38 et Rom. I, 17: *iustus autem ex fide vivit*. De ista vita dicitur I Io. III, 14: *nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. *Et abundantius habeant*, scilicet vitam aeternam, egredientes de corpore: de qua vita aeterna dicitur infra XVII, 3: *ut cognoscant te solum verum Deum*.

### Lectio 3

[87485] Super Io., cap. 10 l. 3 Hic exponit secundam clausulam praemissae parabolae scilicet, *qui intrat per ostium, pastor est ovium*, et primo ponit expositionem; secundo manifestat eam, ibi *ego sum pastor bonus* et cetera. Exponit autem illam particularem, dicens se esse pastorem bonum: secundo subdit boni pastoris officium, ibi *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*; tertio ostendit de malo pastore contrarium, ibi *mercenarius autem (...) videt lupum venientem, et fugit*. Dicit ergo quantum ad primum *ego sum pastor bonus*. Quod autem Christus sit pastor, manifeste ei competit: nam sicut per pastorem grex gubernatur et pascitur, ita fideles per Christum spirituali cibo, et etiam corpore et sanguine suo reficiuntur; I Petr. c. II, 25: *eratis aliquando sicut oves non habentes pastorem; sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum*; Is. XL, 11: *sicut pastor gregem suum pascet*. Sed ad differentiam mali pastoris et furis addit *bonus*. Bonus, inquam, quia implet pastoris officium, sicut bonus miles dicitur qui implet militis officium. Sed cum Christus dixerit supra, pastorem intrare per ostium, et iterum se esse ostium, hic autem dicat se esse pastorem, oportet quod ipse per semetipsum intret. Et quidem per seipsum intrat, quia seipsum manifestat, et per seipsum novit patrem. Nos autem per illum intramus, quia per ipsum beatificamur. Sed attende, quod nullus alius est ostium nisi ipse, quia nullus alius est lux vera, sed per participationem; supra I, 8: *non erat ille lux*, scilicet Ioannes Baptista, *sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Sed de Christo dicitur *erat lux vera quae illuminat omnem hominem*. Et ideo esse ostium nemo se dicit: hoc sibi ipse Christus proprie retinuit; esse autem pastorem, aliis communicavit, et membris suis dedit: nam et Petrus pastor, et ceteri apostoli pastores fuerunt, et omnes boni episcopi; Ier. III, 15: *dabo vobis pastores secundum cor meum*. Licet autem praepositi Ecclesiae, qui filii sunt, omnes pastores sint, ut Augustinus dicit; ideo tamen singulariter dicit *ego sum pastor bonus*, ut insinuet virtutem caritatis. Nullus enim est pastor bonus nisi per caritatem efficiatur unum cum Christo, et fiat membrum veri pastoris. Officium boni pastoris est caritas; unde dicit *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Sciendum est enim, quod differentia est inter bonum pastorem et malum: nam bonus pastor intendit commodum gregis; malus autem commodum proprium: et haec differentia tangitur Ez. XXXIV, 2: *vae pastoribus qui pascunt semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus?* Qui igitur utitur grege ut semetipsum tantum pascat, non est pastor bonus. Ex quo sequitur quod pastor malus, etiam corporalis, nullum detrimentum vult sustinere pro grege, cum non intendat eorum commodum, sed proprium. Bonus vero pastor, etiam corporalis, sustinet multa pro grege, cuius bonum intendit; unde Iacob dixit Gen. XXXI, 40: *nocte ac die gelu urebar et aestu*. Sed in corporalibus pastoribus non exigitur a bono pastore ut exponat se morti propter salutem gregis. Sed quia spiritualis gregis salus praeponderat corporali vitae pastoris, ideo cum periculum imminet de gregis salute, debet quisque spiritualis pastor, corporalis vitae sustinere dispendium pro gregis salute. Et hoc est quod dominus dicit *bonus pastor animam suam*, idest vitam corporalem, *ponit pro ovibus suis*, idest auctoritate et caritate. Utrumque enim exigitur, et quod ad eum pertineat, et quod eas amet: nam primum sine secundo non sufficit. Huius autem

doctrinae Christus nobis exemplum praebuit; I Io. III, 16: *si Christus posuit animam suam pro nobis, et nos debemus pro fratribus animas ponere*. Hic agit de malo pastore, ostendens, ei contrarias condiciones inesse a conditionibus boni pastoris, et primo ponit mali pastoris condiciones; secundo ostendit quomodo ipsae condiciones se invicem consequuntur, ibi *mercenarius autem (...) fugit*. Circa primum duo facit. Primo ponit condiciones mali pastoris; secundo insinuat periculum imminens gregi, ex malo pastore, ibi *et lupus rapit et cetera*. Notandum autem, quod ex his quae dicta sunt de bono pastore et his quae dicuntur de malo, triplex differentia conditionum ipsorum, scilicet boni et mali pastoris, accipi potest. Prima quidem distinctio accipitur quantum ad intentionem; secunda quantum ad affectum tertia quantum ad sollicitudinem. Differunt ergo primo in intentione, et hoc ex nomine utriusque: nam primus dicitur pastor, ex quo datur intelligi quod intendit pascere gregem; Ez. XXXIV, 2: *nonne greges pascuntur a pastoribus?* Iste autem, scilicet malus, dicitur mercenarius, quasi mercedem quaerens. Ut sic differant in hoc: quod bonus pastor quaerit utilitatem gregis; mercenarius autem principalius commodum proprium. Haec etiam differentia est inter regem et tyrannum, ut philosophus dicit, quia rex in suo regimine intendit utilitatem subditorum; tyrannus vero utilitatem propriam; unde est sicut mercenarius: Zach. c. XI, 12: *si bonum est in oculis vestris, afferte mihi mercedem*. Sed numquid possunt quaerere etiam boni pastores mercedem? Videtur quod sic; Eccli. XXXVI, 18: *da mercedem, domine, sustentibus te*; Is. XL, 10: *ecce merces eius cum eo*; et Lc. XV, 17: *quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus*. Respondeo. Dicendum quod merces potest accipi dupliciter: scilicet communiter et proprie. Communiter quidem, omne quod meritis redditur, dicitur merces, et quia vita aeterna, quae est Deus, I Io. ult., 20: *hic est verus Deus, et vita aeterna*, meritis redditur, ideo ipsa vita aeterna merces dicitur. Et hanc mercedem potest et debet quaerere quilibet bonus pastor. Proprie autem dicitur merces aliquid segregatum ab hereditate; et ad hanc non debet habere respectum ille qui est verus filius, ad quem spectat hereditas; sed ad eam respectum habent servi et mercenarii. Unde, cum vita aeterna sit hereditas nostra, qui operatur habens ad eam respectum, operatur ut filius; qui vero intendit aliquid seorsum ab ea (puta terrenis commodis inhiat, honore praelationis gaudet) mercenarius est. Secundo distinguuntur quantum ad sollicitudinem: quia de bono pastore dicitur quod oves sunt suae, non solum commissione, sed etiam amore et sollicitudine; Phil. I, 7: *eo quod habeam vos in corde etc.*; sed de mercenario dicitur *cuius non sunt oves propriae*, idest, earum sollicitudinem non habet; Ez. XXXIV, 8: *neque quaesierunt pastores gregem meum, sed pascebant semetipsos*. Tertio differunt quantum ad affectum: nam bonus pastor qui diligit gregem, animam suam dat pro eo, idest, exponit se periculo vitae corporalis. Malus autem, quia nullum affectum habet ad gregem, fugit cum videt lupum. Unde dicit *videt lupum venientem, et dimittit oves*. Lupus iste tripliciter accipitur. Primo quidem Diabolus tentans; Eccli. XIII, 21: *sed si communicabat aliquando lupus cum agno, sic peccator iusto*. Secundo vero haereticus mactans; Matth. VII, 15: *attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*; Act. XX, 29: *ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi*. Tertio tyrannus saeviens: Ez. XXII, 27: *principes eius in medio eius quasi lupi*. Debet ergo bonus pastor contra hunc lupum triplicem, subditum gregem tueri: dum scilicet videns lupum, idest tentationem diabolicam, deceptionem haereticam et saevitiam tyrannicam, opponit se: contra quod dicitur Ez. XIII, 5: *non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel*. Et ideo dicitur de malo pastore, quod *fugit et dimittit oves*; Zach. XI, 17: *o pastor, et idolum derelinquens gregem*; quasi dicat: non es pastor, sed similitudinem et idolum geris pastoris; Ier. XLVI, 21: *mercenarii eius in medio eius, quasi vituli saginati versi sunt, et fugerunt simul, nec stare potuerunt*. Sed contra hoc est quod dicitur Matth. V, 11: *si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Ergo videtur quod licet pastori fugere. Respondeo. Dicendum quod ad hoc est duplex solutio. Una est Augustini super Ioannem. Est enim duplex fuga: scilicet animi et corporis. Quod autem hic dicitur *dimittit oves et fugit*, intelligitur de fuga animi: nam dum malus pastor a lupo sibi periculum metuit, resistere eius iniustitiae non praesumit; sed fugit non mutando locum, sed subtrahendo solatium, refugiens scilicet gregis sollicitudinem. Sed haec expositio necessaria est quantum ad primum lupum, nam contra Diabolum non oportet corporaliter fugere. Sed quia contingit etiam aliquem pastorem fugere corporaliter propter aliquos lupos, scilicet haereticum habentem potestatem et tyrannum, ideo adhibenda est alia responsio, quam Augustinus ponit in epistola ad Honoratum. Nam, ut ipse dicit, videtur quod liceat etiam corporaliter fugere lupos, non solum ex auctoritate domini supra posita, sed etiam exemplo sanctorum aliquorum, puta Athanasii et aliorum persecutores fugientium. Non enim quia fugit, sed quia dimittit oves vituperatur: unde si posset fugere non dimittendo oves, non esset vituperabile. Contingit enim aliquando, quod quaeritur persona praelati; aliquando totus grex. Manifestum est autem quod si quaeratur sola

persona praelati, possunt alii loco sui ad gregis custodiam deputari, qui vice sui consolentur et gubernent gregem. Unde si sic fugiat, non dicitur dimittere oves; et hoc modo, in casu, fugere licet. Si autem quaeratur totus grex, aut oportet quod pastores omnes simul sint cum ovibus, aut oportet quod aliqui ex eis remaneant, et aliqui recedant. Si autem totaliter deserant gregem, tunc eis competit quod hic dicitur *videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit*. Hic ponitur periculum imminens, quod est duplex. Unum est ovium rapina; unde dicit *lupus rapit*, scilicet, quod alienum est, sibi usurpat. Fideles enim Christi sunt eius oves. Tunc igitur aliquis haeresiarcha et lupus rapit oves, quando fideles Christi ad doctrinam suam falsam attrahit; Ez. c. XXXIV, 5: *factus est grex meus in direptionem omnium bestiarum agri*. Aliud periculum est ovium dispersio, unde dicit *et dispergit oves*, in quantum aliqui seducuntur, et aliqui persistunt; Ez. XXXIV, 6: *dispersi sunt greges mei; et non erat qui requireret*. Hic ostendit quomodo praedictae conditiones se invicem consequuntur: nam ex primis duabus sequitur tertia. Ex hoc enim quod quaerit utilitatem suam, et non afficitur ad gregem per amorem et sollicitudinem, sequitur quod non velit pro eo incommodum sustinere. Et ideo dicit *mercenarius autem fugit*, ideo scilicet *quia mercenarius est*, idest, quaerit commodum proprium quantum ad primam conditionem; *et non pertinet ad eum de ovibus*, idest, non eas diligit, neque pro eis sollicitatur, quantum ad secundam conditionem eius. Unde Iob XXXIX, 16, dicitur de malo pastore: *induratur ad filios quasi non fuerint sui*. E converso autem est de bono pastore: nam gregis commodum quaerit, non proprium; Philip. IV, 17: *non quaero datum, sed quaero fructum* et cetera. Et pertinet ad eum de ovibus; idest, eas diligit, et de eis sollicitatur, Phil. I, 7: *eo quod habeam vos in vinculis meis* et cetera.

#### Lectio 4

[87486] Super Io., cap. 10 l. 4 Hic dominus probat suam expositionem, et primo resumit quod probare intendit; secundo probationem inducit, ibi *et cognosco oves meas*; tertio eam manifestat, ibi *propterea me pater diligit*. Dicit ergo primo: *ego sum pastor bonus*. Hoc expositum est supra. Ez. XXXIV, 11: *requiram oves meas in die illa, sicut visitat pastor gregem suum*. Consequenter cum dicit *et cognosco oves meas*, probat quod dicit. Duo autem dicit de se; scilicet quod est pastor, et quod est bonus. Primo ergo probat quod sit pastor; secundo quod pastor bonus. Pastorem autem se esse probat per duo signa posita superius de pastore: quorum primum est quod oves proprias vocat nominatim. Et quantum ad hoc dicit *et cognosco oves meas*; II Tim. II, 19: *novit dominus qui sunt eius*. *Cognosco*, inquam, notitia non solum simplici, sed etiam probationis et dilectionis; Apoc. I, 5: *dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris*. Secundum signum est quod oves vocem eius audiunt, et sciunt eum. Et quantum ad hoc dicit *et cognoscunt me meae*, meae, inquam, praedestinatione, vocatione et gratia; quasi dicat: ipsae me diligentes obsequuntur. Unde hoc intelligitur de notitia dilectionis, de qua dicitur Ier. XXXI, 34: *omnes cognoscent me a minimo usque ad maiorem* et cetera. Bonum autem pastorem se ostendit, ostendens se habere officium boni pastoris, quod est ut animam suam ponat pro ovibus suis, et primo ponit causam huius; secundo ipsum inducit; tertio subdit fructum signi. Causam autem huius signi, scilicet quod animam suam ponit pro ovibus suis, est notitia quam habet de patre: et quantum ad hoc dicit *sicut novit me pater, ego agnosco patrem, et animam meam pono pro ovibus meis*. Et hoc quidem verbum dupliciter potest exponi. Uno modo, ut *ly sicut* significet similitudinem; et hoc modo notitia huius potest communicari creaturae alicui; I Cor. XIII, 12: *cognoscam sicut et cognitus sum*, idest, sicut cognitus sum sine velamine, ita sine velamine cognoscam. Alio modo ut *ly sicut* importet aequalitatem; et tunc cognoscere patrem sicut cognitus est ab eo, est proprium solius filii, quia solus filius cognoscit patrem comprehendendo, sicut pater comprehendendo cognoscit filium; Matth. XI, 27: *nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius*, notitia scilicet comprehensionis. Ideo autem dominus hoc dicit, quia in hoc ipso quod cognoscit patrem, cognoscit eius voluntatem, in qua erat ut filius pro salute humani generis moreretur: in quo etiam dicit se mediatorem Dei et hominis. Nam sicut ad oves se habet ut cognitus et cognoscens, ita et ad patrem: quia sicut pater eum novit, ita ipse patrem cognoscit. Consequenter cum dicit *et animam meam pono pro ovibus meis*, ponit ipsum signum; I Io. III, 16: *in hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit* et cetera. Sed cum in Christo sint tres substantiae, scilicet substantia verbi, animae et corporis, quaeritur quis loquatur cum dicit *animam meam pono*. Si dicas, quod verbum hic loquitur, non est verum: nam verbum numquam animam posuit, cum numquam fuerit ab anima separatum. Si autem dicas quod anima loquitur; hoc etiam impossibile videtur, quia nihil separatur a seipso. Si vero dicas, quod quantum ad corpus Christus hoc dicit, nec hoc videtur, quia corpus non habet

potestatem iterum sumendi eam. Dicendum ergo ad hoc, quod in morte Christi, anima fuit separata a carne; alias non fuisset vere mortuus; sed divinitas numquam separata fuit in Christo ab ipsa anima et carne, sed unita fuit animae descendenti ad Inferos et corpori existenti in sepulcro: et ideo corpus virtute divinitatis animam posuit, et iterum resumpsit eam. Consequenter cum dicit *et alias oves habeo* etc., ponit fructum mortis Christi, qui est salus non solum Iudaeorum, sed etiam gentium. Quia enim dixerat *animam meam pono pro ovibus meis*, Iudaei reputantes se oves Dei, secundum illud Ps. LXXVIII, 13: *nos autem populus eius, et oves pascuae eius*, possent dicere quod pro eis tantum animam poneret. Sed dominus addit dicens, quod non tantum pro eis, sed etiam pro aliis; infra XI, 51: *hoc a semetipso non dixit; sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quia Christus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*. In isto autem fructu dominus tria facit. Primo ponit gentium praedestinationem; secundo earum per gratiam vocationem; tertio ipsarum iustificationem. Quantum ad primum dicit *alias oves habeo*, scilicet gentes, *quae non sunt ex hoc ovili*, scilicet de genere carnis Israel, quod erat quasi ovile; Mich. II, 12: *congregabo Iacob totum te*. Nam sicut oves in ovili concluduntur, sic isti in praeceptis legalibus conclusi custodiebantur, ut habetur Gal. III. Istas, inquam, oves, scilicet gentiles, habeo a patre per aeternam praedestinationem; Ps. II, v. 8: *postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam*; Is. XLIX, 6: *parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, et faeces Israel convertendas: dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae*. Quantum ad secundum dicit *et illas oportet me adducere* idest, opportunum est secundum ordinem divinae praedestinationis ad gratiam vocare. Sed contra. Matth. XV, 24, dicit dominus: *non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel*. Responsio. Dicendum, quod ad oves domus Israel tantum missus est Iesus, ut eis corporaliter praedicaret, secundum illud Roman. XV, 8: *dico autem Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum*. Gentes autem adduxit per apostolos suos; Is. ult., 19: *mittam ex eis, qui reliqui fuerint, ad gentes*. Quantum ad tertium dicit *et vocem meam audient*. Ubi tria ponuntur necessaria ad iustitiam Christianae religionis. Primum est obedientia mandatorum Dei. Et quantum ad hoc dicit *et vocem meam audient*, idest, servabunt mandata mea; Matth. c. ult. 20: *docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*; Ps. XVII, 45: *populus quem non cognovi*, idest, quem non approbavi, *auditu auris obedivit mihi*. Secundum est unitas caritatis; et quantum ad hoc dicit *et fiet unum ovile*; idest, ex duabus gentibus, Iudaico et gentili populo, una Ecclesia fidelium; Eph. IV, 5: *una fides*; et Eph. II, 14: *ipse est pax nostra qui facit utraque unum*. Tertium est unitas fidei: et quantum ad hoc dicit *et unus pastor*; Ez. XXXVII, 24: *et pastor unus erit ovium eorum*, scilicet Iudaeorum et gentilium. Hic dominus manifestat suam probationem, et primo manifestat causam signi; secundo signum, seu effectum, ibi *nemo tollit eam a me*; tertio ostendit eam esse convenientem, ibi *hoc mandatum accepi a patre meo*. Causam autem mortis dicit dominus esse notitiam quam habet de patre, dicens: *sicut novit me pater, et ego agnosco patrem, et animam meam pono pro ovibus meis*. Unde hoc exponens dicit *propterea pater me diligit*: ex quo patet quod pater novit eum notitia approbationis, *propterea*, inquam, *quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam*. Sed numquid mors est causa paternae dilectionis? Videtur quod non, quia temporale non est causa aeterni: mors autem Christi est temporalis, dilectio vero Dei ad Christum est aeterna et cetera. Respondeo. Dicendum quod Christus hic loquitur de dilectione patris ad eum, sed in quantum est homo: et sic haec littera dupliciter potest legi. Uno modo ut ly *quia* teneatur causaliter, alio modo ut designet terminum vel signum dilectionis. Si quidem teneatur causaliter, tunc est sensus: quia *ego pono animam meam*, idest sustineo mortem, *propterea pater diligit me*; idest, effectum dilectionis mihi dat, scilicet claritatem et exaltationem corporis; Phil. II, v. 8: *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen*. Sed contra hoc videtur esse, quia bona opera non possunt esse meritoria divinae dilectionis. Cum enim opera nostra intantum meritoria sint, in quantum caritate informantur, secundum quod dicitur I Cor. XIII, 3: *si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*, et Deus praeveniat etiam nos in amando: I Io. IV, 10: *in hoc est caritas, non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*, manifestum est quod sua dilectio praecedit omne meritum nostrum. Sed ad hoc dicendum, quod ipsam Dei dilectionem nullus mereri potest; sed effectum divinae dilectionis, qui est augmentum gratiae, et collatio boni gloriae, quem ex dilectione sua nobis Deus confert, mereri possumus per bona opera nostra. Unde possumus dicere, quod Deus propterea hunc vel illum hominem diligit, idest ei effectum suae dilectionis impendit, quia implet eius mandata. Et sic possumus dicere de Christo homine, quod propterea pater diligit eum, idest, exaltavit, et dedit illi claritatem gloriae, quia posuit animam suam ad

mortem. Si vero *ly quia* importet terminum dilectionis, tunc est sensus: *propterea me pater diligit*, idest ad hoc me pater dilexit, *ut animam meam ponerem*. Quasi dicat: pater sua dilectione, quam habet ad me, ordinavit ut per passionem meam redimerem genus humanum; Rom. VIII, 32: *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Si autem *ly quia* designet signum dilectionis, tunc est sensus: *propterea pater me diligit, quia ego pono animam meam*. Quasi dicat: hoc signum est quod pater me diligit, *quia pono animam meam*, ut iterum sumam eam; idest, faciens mandata eius et voluntatem suam, sustineo mortem. Evidens enim signum dilectionis est quod homo ex caritate faciat Dei mandata. Hic exponit effectum signi: quod quidem signum erat, ubi dixit *animam meam pono pro ovibus meis*, exponens quomodo eam ponit, et primo excludit violentiam; secundo subiungit eius potestatem. Violentiam quidem excludit, quae alicui posset fieri in auferendo vitam: quae Christo non fuit facta. Et quantum ad hoc dicit *nemo tollet eam*, scilicet animam meam, per violentiam, sed *ego pono eam*, propria virtute, scilicet *a meipso*; Is. XLIX, 24: *numquid tolletur a forti praeda?* Sed numquid Iudaei non intulerunt Christo violentiam? Intulerunt quidem quantum in eis fuit, sed in Christo non fuit illa violentia, quia, quando voluit, eam sponte posuit. Unde supra VIII, 30, dicitur, quod Iudaei volentes eum apprehendere, non potuerunt, *quia nondum venerat hora eius*, voluntaria scilicet, non qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi: ut dicit Augustinus. Potestatem autem eius subiungit cum dicit *potestatem habeo ponendi eam*. Circa quod sciendum est, quod cum unio animae et corporis sit naturalis, separatio eorum est naturalis. Et licet causa huius separationis et mortis possit esse voluntaria, tamen mors in hominibus semper est naturalis. In nullo autem puro homine natura subditur voluntati, cum sicut voluntas, ita et natura sit a Deo; et ideo mors cuiuslibet puri hominis oportet quod sit naturalis. In Christo autem natura sua et tota alia natura subditur voluntati eius, sicut artificiata voluntati artificis. Et ideo secundum voluntatis suae placitum, potuit animam ponere cum voluit, et iterum eam sumere: quod nullus purus homo facere potest, licet voluntarie causam mortis sibi possit inferre. Et inde est quod centurio videns eum non naturali necessitate mori, sed sua dum *clamans voce magna emisit spiritum*: Matth. XXVII, 50 recognovit in eo virtutem divinam dicens: *vere filius Dei erat iste*. Unde et apostolus I Cor. c. I, 18: *verbum crucis pereuntibus stultitia est: his autem qui salvi fiunt, idest nobis, virtus Dei est*. Idest in ipsa morte Christi, manifestata est virtus potestatis eius. Hic ostendit causam praedictam convenientem esse: nam impletio mandati demonstrat dilectionem ad mandantem. Et ideo dicit *hoc mandatum accepi a patre meo*, scilicet animam ponendi, et sumendi eam; infra XIV, 23: *si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diligit eum*.

## Lectio 5

[87487] Super Io., cap. 10 l. 5 Postquam dominus ostendit se habere virtutem vivificativam, et insinuavit vivificandi modum, hic ostendit secundum quid sibi vivificativa potestas conveniat, et primo Evangelista ponit dissensionem exortam super hoc inter turbas ad se invicem; secundo ponit disceptationem principum Iudaeorum ad Christum, ibi *facta sunt encaenia* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ponit ipsam turbarum dissensionem; secundo subdit unius partis dissentientium opinionem; tertio infert sanam alterius partis assertionem. Dissensio autem orta est inter turbas quae Christum audierant, ex sermonibus eius: et hoc est quod dicit *dissensio itaque facta est inter Iudaeos propter sermones hos*. Dum enim quidam ex eis sermones ipsos recte intelligebant, quidam non recte, dissentiebant ad invicem; Matth. X, 34: *non veni pacem mittere, sed gladium*, scilicet evangelicae doctrinae, cui alii credunt, alii contradicunt; Ps. CVI, 40: *effusa est contentio super principes*. Opinio autem alterius partis dissentientium est falsa: et quantum ad hoc dicit *dicebant autem multi ex ipsis*. Dicit autem *multi*, quia, ut dicitur Eccle. I, 15: *stultorum infinitus est numerus*. *Dicebant*, inquam, *Daemonium habet, et insanit*. Consuetudo namque stultorum est ut dubia semper interpretentur in malum, cum tamen contrarium debeat fieri. Unde contingit quod quaecumque ignorant, blasphemant, ut dicitur in canonica Iudae. Quia ergo verba domini intelligere non valebant, quia *lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt*, ideo blasphemant dicentes *Daemonium habet, et insanit*. Et nituntur alios ab eo avertere, dicentes: *quid eum auditis?* Blasphemantes autem, duo Christo imponunt. Primo, quod Daemonium habet; quasi dicant: non ex spiritu sancto, sed ex spiritu maligno loquitur. Simile dicitur Act. XVII, 18, de Paulo: *novorum Daemoniorum annuntiator est*. Contingit autem aliquem habere Daemonium privatum et familiarem; et talis licet semper insaniat spiritualiter, non tamen semper insanit corporaliter; aliquem vero arreptum a Daemone esse: et iste semper insanit etiam corporaliter. Unde Mc. III, 21, dicebant: *quoniam in furorem versus est*. Secundo, ut

ostendat quod Christus sic habeat Daemonium, dicunt *et insanit*. Act. XXVI, v. 24: *multae litterae ad insaniam te adducunt*. Nec mirum si blasphemant, quia animales sunt, et, ut dicitur I Cor. II, 14, *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*. Sententia autem et assertio alterius partis improbat praemissam opinionem dupliciter. Primo ex pondere verborum; unde dicit *alii*, qui scilicet recte sapiebant, *dicebant: haec verba non sunt Daemonium habentis*, quasi dicant: ex eis videtur quod non insanit, cum sint ordinata et ponderosa; supra VI, 69: *domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes*. Unde Paulus dicit Act. c. XXVI, 25: *non insanio, optime Feste, sed verba veritatis et sobrietatis loquor*. Secundo ex magnitudine miraculi; unde dicit *numquid Daemonium potest oculos caecorum aperire?* Quasi dicat: non erat enim hoc miraculum maximum? Et ideo recte credebant, quod non nisi Dei virtute fieri posset; supra IX, 33: *si non esset hic a Deo, non poterat facere quidquam*. Sciendum est autem, quod quaedam miracula sunt quae possunt fieri virtute Daemonum et Angelorum; quaedam vero sunt quae nullo modo eorum virtute fieri possunt. Ea enim quae sunt supra ordinem naturae, nulla creatura, quaecumque sit, sua virtute potest facere, cum etiam ipsa subiaceat legibus naturae. Deus autem solus, qui est supra naturam, operari potest supra naturae ordinem. Quidquid ergo aliqua creatura operatur, oportet quod sistat infra naturae ordinem. Ex quo patet quod omne illud quod potest fieri secundum ordinem naturae, potest Angelus et bonus et malus, quando sibi permittitur. Sicut secundum semina, quae sunt in rebus naturalibus ad generationem aliquorum animalium ordinata, possunt illorum animalium generationem operari; sicut fecerunt magi Pharaonis, Ex. VII, 11. Et similiter alterare naturam alicuius possunt: unde possent sanare infirmos, quibus beneficio naturae subveniri posset. Illa autem quae simpliciter naturae ordinem transcendunt, non possunt fieri nisi a Deo, seu a bonis Angelis et sanctis hominibus virtute Dei, quam orando impetrant. Tale autem est illuminatio caeci et resuscitatio mortuorum: non enim naturae virtus se extendere potest ad oculorum restitutionem et mortuorum resuscitationem. Et ideo Daemonium non potest caecorum oculos aperire, et mortuos suscitare: quia hoc est solius Dei et sanctorum virtute Dei. Hic ponitur dissensio quae mota est a principibus Iudaeorum ad Christum, et primo Evangelista proponit Iudaeorum interrogationem; secundo subdit Christi responsionem, ibi *respondit eis Iesus: loquor vobis*, tertio infert responsionis effectum, ibi *sustulerunt lapides Iudaei*. Circa primum duo facit. Primo describit circumstantias interrogationis; secundo ponit ipsam interrogationem, ibi *dixerunt ei: usquequo animam nostram tollis?* Circumstantias autem interrogationis describit quantum ad tria: scilicet quantum ad tempus, quantum ad locum, et quantum ad personas interrogantes. Quantum ad tempus quidem primo in speciali, dicens *facta sunt encaenia in Ierosolymis*. Ad cuius intellectum sciendum est, quod, ut Augustinus dicit, encaenia festivitas erat dedicationis in Ecclesiis. Caenos enim Graece, idem est quod novum Latine. Unde encaenia idem est quod innovatio: quo fit ut etiam communi usu loquendi, quando aliquod alicui usui dedicatur, dicatur encaeniari, quod idem est quod innovari. *Facta sunt ergo encaenia in Ierosolymis*, idest festum et memoria dedicationis templi. Nam quando de novo aliquam Ecclesiam divino cultui dedicamus, agitur festum consecrationis eiusdem, et eadem die singulis annis in memoriam ipsius. Hoc modo Iudaei singulis annis encaenia faciebant, idest memoriam dedicationis templi. Ad sciendum autem rationem festi consecrationis et causam, notandum est, quod omnia festa celebrantur in Ecclesia in commemorationem divinorum beneficiorum; Is. LXIII, 7: *miserationum domini recordabor* et cetera. Et Ps. CXVII, 1, postquam David commemoravit multa beneficia Dei, dicens: *confitemini domino, quoniam bonus* etc. subdit: *constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris*. Reclimimus autem divina beneficia nobis exhibita, tripliciter. Quandoque quidem ut exhibita nobis in capite nostro domino Iesu Christo; et sic celebramus festum nativitatis, et resurrectionis, et huiusmodi. Quandoque ut exhibita nobis in commembris nostris, scilicet in sanctis, qui sunt membra Ecclesiae. Et hoc congruenter: quia, ut dicit apostolus I Cor. XII, 26: *si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra*. Et sic celebramus festa sanctorum Petri et Pauli et aliorum sanctorum. Quandoque autem prout sunt exhibita toti Ecclesiae; puta in ministerio sacramentorum, et in aliis communiter Ecclesiae collatis. Et quia domus materialis est quasi signum collectionis Ecclesiae fidelium, et etiam in ea omnia sacramenta gratiae dispensantur; ideo in memoriam ipsorum beneficiorum, festum dedicationis Ecclesiae celebramus. Quod quidem festum maius est quam festum alicuius sancti; sicut et beneficia toti Ecclesiae collata, quorum memoriam agimus, excedunt beneficium collatum alicui sancto, quod in festo eius recolitur. Sciendum est tamen, quod templum erat Ierosolymis tribus vicibus consecratum. Primo quidem a Salomone, ut habetur III Reg. VIII, secundo, tempore Esdrae a Zorobabel et Iesu sacerdote magno, ut habetur I Esdrae VI, 13-22, tertio a Machabaeis, ut habetur I Mach. IV, 42-58, quod ascenderunt Ierosolymam renovare sancta. Haec autem encaenia non sunt facta in memoriam dedicationis quae facta fuit a Salomone, quia hoc fuit in



autumno, scilicet mense septimo; nec in memoriam dedicationis, quae facta fuit tempore Esdrae, quia illa fuit in vere, scilicet nona die Martii; sed in memoriam dedicationis quae facta fuit a Machabaeis in tempore hiemali. Et ideo ut hoc designet, describit tempus in speciali, dicens *et hiems erat*: quod etiam causam mysticam habet. Ut Gregorius dicit, II Moral., idcirco Evangelista hiemis curavit tempus exprimere, ut inesse auditorum cordibus, scilicet Iudaeorum malitiae, frigus indicaret; Ier. VI, 7: *sicut frigidam facit cisterna aquam suam, ita frigidam fecit malitiam suam*. De hac hieme dicitur, Cant. II, 11: *iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit*. Locum autem describit cum dicit *et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis*. Et primo quidem in generali, cum dicit *in templo*: Ps. X, 5: *dominus in templo sancto suo* etc.; secundo vero in speciali, dicens *in porticu Salomonis*. Sciendum est enim, quod templum non dicitur solum corpus ipsius, sed etiam porticus circumstantes, in quibus populus stabat ad orandum: nam in templo soli sacerdotes orabant. Dicitur autem porticus Salomonis locus ille in quo Salomon stetit quando, peracta dedicatione templi, oravit: III Reg. VIII, v. 22: *stetit ergo Salomon in conspectu Ecclesiae Israel*. Sed contra. Templum quod Salomon aedificaverat, destructum fuit, et similiter porticus Salomonis. Responsio. Dicendum quod templum reparatum fuit ad similitudinem prioris: et ideo sicut antea porticus illa dicebatur Salomonis, ita et postea ob eius reverentiam. Personas autem interrogantes describit quantum ad eorum malitiam. Unde dicit *circumdederunt ergo eum Iudaei*, frigidi a caritate diligendi, sed ardentes aviditate nocendi, ut accederent animo circumveniendi, et circumdarent comprimentes, animo persequendi; Ps. XXI, 13: *circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me*; Oseae XI, 12: *circumdederunt me Ephraim*. Consequenter cum dicit *et dicebant ei* etc., ponitur Iudaeorum interrogatio. Et primo ponit fictam causam interrogationis, cum dicit *usquequo animam nostram tollis?* Adulatorie loquuntur, volentes per hoc ostendere se desiderare scire veritatem de ipso. Quasi dicat: anima nostra est in suspenso desiderii, quamdiu moestos nos derelinquis? Prov. XIII, 12: *spes quae differtur affligit animam*. Et ideo, secundo, subiungunt interrogationem, dicentes *si tu es Christus, dic nobis palam*. Ubi primo attende illorum perversitatem. Nam quia indignantur contra Christum, quod se diceret filium Dei, supra V, 18, non interrogant eum an sit filius Dei, sed dicunt *si tu es Christus, dic nobis palam*: ut per hoc possent habere materiam accusandi eum ad Pilatum, sicut seditiosum et appetentem regnum, quod erat contra Caesarem, et odiosum Romanis. Unde et Pilatus quando Iudaei accusabant Christum, quod filium Dei se faceret, parum curavit. Dum vero dixerunt: *omnis qui se regem facit, contradicit Caesari*, magis coepit contra eum sollicitari. Et ideo dicunt *si tu es Christus, vel rex, vel unctus, dic nobis palam*. Secundo considera illorum nequitiam, quia dicunt *palam*; quasi dicant: usque modo non docuit publice, sed quasi in occulto; cum tamen ipse palam omnia diceret, in festivitatibus semper assistens, et nihil occulte loquebatur; infra XVIII, 20: *ego palam locutus sum mundo: in occulto locutus sum nihil*. Hic ponitur responsio Christi: ubi ostendit eorum infidelitatem, ostendens falsum esse quod dixerant, se desiderare scire veritatem, dicentes: *usquequo animam nostram tollis?* et cetera. Et hoc quantum ad duo. Primo, quia non credebant verbis eius; et quantum ad hoc dicit *loquor vobis, et non creditis*. Quasi dicat: dicitis mihi: *si tu es rex Christus dic nobis*; sed *loquor* ego, idest, dico vobis veritatem; et vos *non creditis*; Lc. XXII, 67: *si dixero, non credetis* et cetera. Secundo, quod non credunt operibus eius; et quantum ad hoc dicit *opera quae ego facio in nomine patris mei, haec testimonium perhibent de me*. Ubi primo ostendit incredulitatem eorum ad ipsa opera; secundo incredulitatis rationem, ibi *quia vos non estis ex ovibus meis*. Quantum ad primum dicit *opera quae ego facio*, quasi dicat: nec a solo verbo suaderi potestis, ut vos sileatis; sed nec etiam a tot operibus *quae ego facio in nomine patris mei*, idest ad gloriam eius, *haec testimonium perhibent de me*, quia scilicet non possunt nisi a Deo fieri: unde ex eis manifeste apparet quod a Deo veni. Matth. XVIII, 33: *unaquaeque arbor ex fructu eius cognoscitur*; supra V, 36: *opera quae ego facio, testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis*; infra XII, 37: *cum ergo tanta signa fecisset, non crediderunt ei*. Et ideo sunt inexcusabiles; infra XV: *si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem et viderunt, et oderunt me et patrem meum*. Ratio autem incredulitatis eorum est separatio eorum ab ovibus Christi; unde dicit *ideo non creditis, quia non estis ex ovibus meis*. Circa hoc tria facit. Primo ponit eorum exclusionem a consortio ovium Christi; secundo ostendit ovium dignitatem, ibi *oves meae vocem meam audiunt* etc.; tertio probat quoddam quod dixerat, scilicet quod non rapiet quisquam oves suas de manu sua, ibi *pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est*. Separationem eorum ab ovibus suis ponit, dicens *vos non estis ex ovibus meis*, scilicet praedestinati ad credendum, sed praesciti ad aeternum interitum. Hoc enim ipsum quod credimus, est nobis a Deo; Phil. c. I, 29: *vobis datum est non solum ut in ipsum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*; Eph. II, 8: *gratia salvati estis, et non ex vobis: Dei donum est*. Quod quidem nulli datur,

nisi cui praeeparatum est ab aeterno; et ideo illi soli credent in ipsum qui ad hoc ordinati sunt a Deo per aeternam praedestinationem; Act. XIII, 48: *crediderunt quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam*. Et eiusdem c. XV, 11: *per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus salvari*. Sed numquid debet dici alicui, quod non sit praedestinatus? Videtur quod non; cum enim nullus possit salvari nisi praedestinatus, si alicui dicatur quod non est praedestinatus, videtur cogi ad desperationem. Ergo dominus dicens Iudaeis *non creditis, quia non estis ex ovibus meis*, cogebat eos desperare. Responsio. Dicendum quod in illa turba erat aliquid commune omnibus, scilicet quod non erant praeordinati a Deo ad tunc credendum; aliquid speciale, quod aliqui ex eis praeordinati erant ad credendum in posterum: unde et postea crediderunt, ut habetur Act. II, 41, quod crediderunt ex eis una die tria millia; aliqui autem qui non erant ad hoc praeordinati. Non ergo repugnabat spei, dicere in turba in qua aliqui erant praeordinati ad credendum in posterum, quod non essent ex ovibus: quia nullus de se determinate hoc poterat suspicari. Repugnasset autem spei, si hoc alicui personae determinate dixisset. Dignitatem autem ovium suarum ponit dicens *oves meae vocem meam audiunt* etc., ubi quatuor ponit. Duo ex parte nostra, quae nos facimus quantum ad Christum; et duo ex parte Christi, quae ipse facit in nobis, vicissim sibi correspondentia. Primum ergo quod nos facimus est obedientia ad Christum; et quantum ad hoc dicit *oves meae*, scilicet per praedestinationem, *vocem meam audiunt*, credendo, et praeceptis meis obediendo; Ps. XCIV, 8: *hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Secundum quod facit Christus, primo correspondens, est eius dilectio et approbatio; et quantum ad hoc dicit *et ego cognosco eas*, idest, diligo et approbo; II Tim. c. II, 19: *novit dominus qui sunt eius*. Quasi dicat: hoc ipsum quod me audiunt, est hoc quod *ego eas cognosco*, ab aeterno eligendo. Sed si aliter non potest credere quis, nisi detur ei a Deo, videtur quod infidelitas non sit alicui imputanda. Ad quod dicendum est quod ideo eis imputatur, quia in eis est causa quare eis non datur: sicut ego non possum videre lumen nisi illuminarer a sole, si autem clauderem oculos non viderem lumen, quod non esset ex parte solis sed ex parte mea, qui, claudendo oculos, praebeo causam ut non illuminer. Peccatum autem est causa quare non illuminamur a Deo per fidem, puta originale, vel, in aliquibus, actuale. Quae quidem causa in omnibus est. Unde omnes illi qui deseruntur, iusto Dei iudicio deseruntur, et illi qui eliguntur, ex Dei miseratione assumuntur. Tertium quod est ex parte nostra, est imitatio ad Christum; et quantum ad hoc dicit *et sequuntur me*; Iob XXIII, 11: *vestigia eius secutus est pes meus*; I Petr. II, 21: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius*. Quartum correspondens ex parte Christi est praemii retributio; et quantum ad hoc dicit *et ego vitam aeternam do eis*, quasi dicat: ipsi me sequuntur, hic mansuetudinis et innocentiae viam incedendo; et ego faciam quod postea me sequentur, ad gaudia vitae aeternae intrando. Hoc autem praemium ostendit dominus esse indeficiens, tripliciter. Nam aliquid potest deficere tripliciter. Primo quidem ex natura ipsius, puta si sit corruptibile; sed praemium istud quantum ad naturam suam incorruptibile est; unde dicit *vitam aeternam do eis*, quae est fruitio incorruptibilis et immortalis Dei; infra XVII, 3: *haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum*. Et, ut dicit Augustinus, ista sunt pascua de quibus supra dixerat. Et pascua bona, vita aeterna dicitur quia ibi nulla herba arescit, totum viret. Secundo potest deficere ex defectu recipientis, dum recipiens deficit et dum male custodit; sed hoc non continget in illo praemio, unde dicit *et non peribunt in aeternum*, scilicet oves. Quod est contra Origenem, qui dixit, quod quandoque sancti, qui sunt in gloria, peccare poterunt. Sed dominus dixit *non peribunt*, quia in aeternum conservabuntur; Apoc. III, 12: *qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius*. Tertio potest deficere ex violentia rapientis: forte enim neque Adam exclusus fuisset, nisi affuisset seductor. In vita aeterna hoc non erit, unde dicit *et non rapiet eas*, scilicet oves, *quisquam de manu mea*, idest protectione et pietate mea; Sap. III, 1: *iustorum animae in manu Dei sunt*. Ut enim dicit Augustinus, *ibi neque lupus rapit, neque fur tollit, neque latro interficit*. Hic probat quod supra de dignitate ovium dixerat, scilicet quod non rapiet eas quisquam de manu mea, tali ratione. Illud quod est in manu patris mei nullus potest rapere; sed eadem est manus patris et mea: ergo illud quod est in manu mea, etiam nullus potest rapere. Circa hoc tria facit. Primo ponit minorem, manifestando communicationem divinitatis a patre sibi traditae, cum dicit *pater quod dedit mihi*, scilicet per aeternam generationem, *maius omnibus est*. Nam supra V, 26: *sicut pater habet vitam in semetipso, sic filio dedit habere vitam in semetipso*. Item *maius est*, potestate; supra V, 27, *potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*. Item *maius est* reverentia et honore; Phil. II, v. 9: *dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur*. *Maius est* ergo omnibus, quod dedit mihi pater, ut scilicet sim verbum eius, sim unigenitus eius, sim splendor lucis eius. Secundo ponit excellentiam potestatis paternae, quod pertinet ad maiorem, cum dicit *et nemo potest rapere*, idest

per violentiam auferre, vel per ignorantiam surripere, *de manu*, idest de potestate, *patris mei*, vel a me, qui sum virtus paterna; quamvis melius dicatur de potestate patris, quam a me, ut Augustinus dicit. Ideo autem *nemo potest rapere de manu patris*, quia ipse fortissimus est, cui non potest fieri violentia, et sapientissimus, in quem non cadit ignorantia, Iob c. IX, 4: *sapiens corde est, et fortis robore* et cetera. Tertio ponit unitatem sui ad patrem, ex qua sequitur conclusio. Unde dicit *ego et pater unum sumus*; quasi dicat: ideo *non rapiet eas quisquam de manu mea*, quia *ego et pater unum sumus*, scilicet unitate essentiae. Nam eadem est natura patris et filii. Per hoc autem excluditur duplex error: scilicet Arii, qui dividebat essentiam, et Sabellii, qui confundebat personas, ut sic et a Charybdi et a Scilla liberemur. Nam per hoc quod dicit *unum*, liberat te ab Ario; nam si unum, non ergo diversum. Per hoc autem quod dicit *sumus*, liberat a Sabellio; si enim *sumus*, ergo pater et filius est alius et alius. Sed hoc Ariani, impietatis suae mendacio, negare contendunt, dicentes, quod creatura aliquo modo est unum cum Deo: unde et hoc modo filius potest esse unum cum patre. Sed hoc patet esse falsum ex tribus. Primo ipso modo loquendi. Manifestum est enim quod unum dicitur sicut ens; unde sicut aliquid non dicitur ens simpliciter nisi secundum substantiam, ita nec unum nisi secundum substantiam vel naturam. Simpliciter autem dicitur aliquid quo nullo addito dicitur. Quia erga hoc simpliciter dicitur *ego et pater unum sumus*, nullo alio addito, manifestum est quod sunt unum secundum substantiam et naturam. Numquam autem invenitur quod Deus et creatura sint unum sine aliquo addito, sicut illud I Cor. VI, 17: *qui adhaeret Deo, unus spiritus est*. Ergo patet quod filius Dei non est unum cum patre, ut creatura. Secundo ex his quae supra dixerat, scilicet, *quod dedit mihi pater, maius omnibus est*, et postea concludit *ego et pater unum sumus*, quasi dicat: intantum unum sumus inquantum dedit mihi id quod maius est omnibus. Tertio patet ex sua intentione: nam dominus probat quod non rapiet eas quisquam de manu sua, per hoc quod nemo potest rapere de manu patris eius. Quod non sequeretur, si potestas eius esset minor quam potestas patris. Unum ergo sunt pater et filius natura, honore et virtute.

## Lectio 6

[87488] Super Io., cap. 10 l. 6 Posita doctrina Christi, hic consequenter ponitur effectus doctrinae eius in Iudaeis, et primo redarguit eorum saevitiam; secundo excludit a se, impositam blasphemiam, ibi *responderunt ei Iudaei*; tertio declinat eorum pertinaciam, ibi *quaerebant ergo eum apprehendere*. Circa primum duo facit. Primo ponitur Iudaeorum saevitia, qua excandescebant ad Christum lapidandum; unde dicit *sustulerunt lapides Iudaei, ut iacerent in eum*. Quia enim duri erant, et profunda domini verba intelligere non poterant, lapidibus similes ad lapides currunt; Ps. CXIX, 6: *dum loquebar illis, impugnabant me gratis*. Secundo cum subdit *multa bona opera ostendi vobis*, reprehendit dominus ipsorum saevitiam: et primo commemorat eis exhibita beneficia; secundo reprehendit ipsorum saevitiam. Commemoratur autem beneficia quae eis exhibuit in sanitatibus infirmorum, in exhibitione doctrinae et miraculorum; unde *respondit eis, dicens: multa bona opera ostendi vobis*, scilicet sanando, praedicando, miracula faciendo: Mc. VII, 37: *bene omnia fecit, ex patre meo*, cuius gloriam per omnia quaesivi; supra VIII, 50: *gloriam meam non quaero, sed eius qui misit me*. Saevitiam reprehendit dicens *propter quod eorum opus me lapidatis?* Quasi dicat: benefactorem oportebat honorare, non lapidare. Simile dicitur Ier. XVIII, 20: *numquid redditur pro bono malum?* Hic dominus excusat se de blasphemia, et primo ponitur blasphemiae impositio a Iudaeis; secundo eius excusatio a Christo, ibi *respondit eis Iesus: nonne scriptum est in lege vestra?* et cetera. Dicit ergo quantum ad primum *de bono opere non te lapidamus* et cetera. Ubi quinque consideranda occurrunt. Primum quidem videtur pertinere ad motivum lapidationis, quod est blasphemiam. Praecipitur enim Lev. XXIV, 14, quod blasphemiam lapidentur. *Educ inquit blasphemum extra castra, et ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput eius, et lapidet eum populus universus*. Et quantum ad hoc dicunt *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia*. Secundum, quod specificant ipsam blasphemiam. Nam blasphemiam est non solum attribuere Deo quod sibi non convenit, sed etiam attribuere alteri quod solius Dei est: sicut blasphemiam est non solum dicere Deum esse corpus, sed etiam dicere aliquam creaturam creare posse. Mc. II, 7, dicebant: *hic blasphematur. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Dicebant ergo Iudaei dominum blasphemum esse, non primo modo, sed usurpando sibi quae divinitatis propria erant; unde dicebant *quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*. Tertium est quod Iudaei melius quam Ariani intellexerunt verbum Christi, quod dixerat: *ego et pater unum sumus*. Ideo irati sunt, quoniam intellexerunt non posse dici: *ego et pater unum sumus*, nisi ubi est aequalitas patris et filii: et hoc est

quod dicunt *facis teipsum Deum*, ostendendo verbis tuis quod Deus sis, quod non est verum, *cum sis homo*. Quartum est quod tanta est distantia Dei et hominis, quod incredibile eis erat quod idem qui est homo, esset Deus: unde signanter dicunt *quia homo cum sis, facis teipsum Deum*. Quamvis ab ista incredulitate removeri possent per hoc quod dicitur in Ps. VIII, 5: *quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum?* Habac. I, 5: *opus ego facio in diebus vestris quod nemo credet, cum narrabitur*, idest opus incarnationis excedens omnem mentem. Quintum est quod in suis verbis sibi ipsis contrariantur: nam ex una parte confitentur Christum bona opera facere, dicentes *de bono opere non te lapidamus*, ex alia imponunt ei blasphemiam, scilicet quod sibi falso usurpet honorem Dei: quae quidem contraria sunt. Non enim ex Deo miracula posset facere, si Deum blasphemaret, quia, ut dicitur Matth. VII, 18, *non potest arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala bonos fructus facere*: quod maxime locum habet in Christo. Hic excludit a se impositam blasphemiam, et primo ponit suam excusationem; secundo ostendit veritatem, ibi *si non facio opera patris mei, nolite credere mihi*. Excusat autem se per auctoritatem; unde primo ponit auctoritatem Scripturae; secundo aperit eis intellectum; tertio ex hoc concludit propositum. Dicit ergo *respondit eis Iesus: nonne scriptum est in lege vestra*, scilicet in Ps. LXXXI, 6, *ego dixi, dii estis?* Ubi sciendum est, quod lex tripliciter accipitur in Scriptura. Quandoque quidem universaliter pro toto veteri testamento, secundum quod continet quinque libros Moysi, prophetas et Agiographa. Et hoc modo accipitur hic *in lege vestra*, idest in veteri testamento: cum scriptum sit in Psalmis: quod ideo dicitur lex, quia totum vetus testamentum habetur pro auctoritate legis. Aliquando accipitur lex prout dividitur contra prophetas, Psalmos et Agiographa: et sic accipitur Lc. ult., 44: *oportet impleri omnia quae scripta sunt in lege, et prophetis, et Psalmis de me*. Aliquando autem accipitur prout lex dividitur contra prophetas. Et sic Psalmi, et alii libri veteris testamenti, praeter Pentatheucum, includuntur sub prophetis, eo quod spiritu prophetico edita sit Scriptura veteris testamenti. Et hoc modo accipitur Matth. XXII, 40: *in his duobus mandatis tota lex pendet et prophetae*. Sic ergo scriptum est: *ego dixi, dii estis*. Unde sciendum est, quod hoc nomen Deus tripliciter accipitur. Aliquando enim significat ipsam divinam naturam, et sic dicitur singulariter solum; Deut. VI, 4: *audi, Israel, dominus Deus tuus unus est*. Quandoque autem dicitur Deus nuncupative; et hoc modo dicuntur idola dii; Ps. XCV, 5: *omnes dii gentium Daemonia*. Quandoque autem dicitur aliquis Deus participatione aliqua divinitatis, seu excellentioris virtutis divinitus infusae: et hoc modo et iudices dicuntur dii in Scriptura; Ex. XXII, 8: *applicabis eos ad deos*, idest ad iudices, et, Ex. XXII, v. 28: *diis non detrahes*, idest praelatis. Et hoc modo accipitur hic hoc nomen Deus, cum dicit *ego dixi: dii estis*, idest participantes aliquam virtutem divinam supra humanam. Consequenter cum dicit *si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est*, etc., aperit sensum auctoritatis praedictae, quasi dicat: ideo vocavit eos deos, in quantum participant aliquid divinitatis secundum participationem sermonis Dei ad eos facti. Nam ex sermone Dei homo aliquam participationem divinae virtutis et puritatis consequitur; infra XV, 3, *iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*; et Ex. XXXIV, dicitur, quod splendida facta est facies Moysi ex consortio sermonis domini. Ex his autem quae praedicta sunt, posset sic argumentari. Manifestum est quod aliquis ex participatione verbi Dei fit Deus participative; sed non fit aliquid participative hoc, nisi ex participatione eius quod est per essentiam suam tale: puta non fit participative ignis nisi participatione ignis per essentiam; ergo non fit aliquid participative Deus nisi ex participatione eius qui est Deus per essentiam: ergo verbum Dei, scilicet ipse filius, cuius participatione aliquis efficitur Deus, est Deus per essentiam. Sed dominus voluit humanius magis quam sic profunde contra Iudaeos arguere. Dicit autem *et non potest solvi Scriptura*: ut ostendat irrefragabilem Scripturae veritatem; Ps. CXVIII, 89: *in aeternum, domine, permanet verbum tuum*. Consequenter cum dicit *quem pater sanctificavit* etc., concludit propositum. Quod quidem si, secundum Hilarium, referamus ad Christum secundum quod est homo, tunc est sensus: homines aliqui dicuntur dii sola participatione sermonis Dei, quomodo ergo dicitis *quia blasphemias*, idest, reputatis blasphemiam, quod ille homo dicatur Deus qui est unitus verbo Dei in persona? Et ideo dicit *quem pater sanctificavit*. Licet enim omnes qui sanctificantur, Deus sanctificet, infra XVII, 17: *sanctifica eos in veritate*, Christum tamen specialiter sanctificavit. Nam alios sanctificat ut sint filii adoptivi; Rom. VIII, 15: *accepistis spiritum adoptionis filiorum*, Christum autem sanctificavit ut esset filius Dei per naturam, unitus in persona verbo Dei: quod haec verba ostendunt dupliciter. Primo per hoc quod dicit *quem pater sanctificavit*. Si enim ut pater sanctificat, manifestum est quod sanctificat ut filium; Rom. I, 4: *qui praedestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis*. Secundo per hoc quod dixit *et misit in mundum*. Mitti enim in aliquem locum, non convenit alicui rei, nisi ante fuerit quam ibi esset: ergo ille quem pater misit in mundum, scilicet visibiliter, est filius Dei,

qui praeexistit visibili visioni: quia, ut dicitur supra I, 10, *in mundo erat, et mundus per ipsum factus est*. Supra III, 17: *non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum*. Hunc ergo quem Deus misit in mundum, *vos dicitis quia blasphemus, quia dixi, filius Dei sum?* Quasi dicat: multo magis possum hoc dicere, qui sum unitus verbo in persona, quam illi *ad quos sermo Dei factus est*. Sed unde Iudaei habuerunt quod Christus esset filius Dei? Non enim hoc dominus expresse dixit. Ad quod dicendum est, quod licet dominus hoc expresse non dixerit, nihilominus tamen ex verbis quae dixit, scilicet *ego et pater unum sumus, et quod dedit mihi pater maius omnibus est*, intellexerunt eum accepisse naturam a patre, et esse unum in natura cum eo. Hoc autem, scilicet accipere eandem naturam ab aliquo et esse, habet rationem filiationis. Si autem hoc quod dicit *pater sanctificavit*, referamus, secundum Augustinum, ad Christum in quantum est Deus, tunc est sensus *quem pater sanctificavit*, id est, sanctum ab aeterno genuit. Sed alia quae sequuntur, eodem modo exponenda sunt, secundum quod Hilarius exponit. Tamen melius exponitur, si referatur totum ad Christum in quantum homo. Consequenter cum dicit *si non facio opera patris mei, nolite credere mihi*, probat veritatem dictorum; quasi diceret: licet sim homo tantum, secundum reputationem vestram, tamen non blasphemus dicens me vere Deum, quia verissime sum. Unde circa hoc duo facit. Primo proponit argumentum operum; secundo infert conclusionem intentam, ibi *ut cognoscatis et credatis quia pater in me est, et ego in patre*. Circa primum duo facit. Primo dicit, quod sine operibus essent excusabiles. Et dicit *si non facio opera patris mei, eadem scilicet quae ipse facit, et eadem virtute et potestate, nolite credere mihi*; supra V, v. 19: *quaecumque pater facit, haec et filius similiter facit*. Secundo, quod ex ipsis operibus convincuntur, dicens *si autem facio, scilicet eadem opera quae pater facit, et si mihi, qui filius hominis appareo, non vultis credere, operibus credite*; id est, ipsa opera demonstrant quod ego sum filius Dei; infra XV, 24: *si opera non fecissem quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Consequenter infert conclusionem intentam, dicens *ut cognoscatis, et credatis quia pater in me est, et ego in patre*. Nullum enim tam evidens indicium de natura alicuius rei esse potest quam illud quod accipitur ex operibus eius. Evidenter ergo cognosci potest de Christo et credi quod sit Deus, per hoc quod facit opera Dei. Et ideo dicit: ex ipsis operibus convincam, *ut cognoscatis, et credatis* quod oculis vestris videre non potestis, scilicet *quia pater in me est, et ego in patre*; infra XIV, 10: *ego in patre, et pater in me est*. Quod intelligendum est per unitatem essentiae. Et quasi idem est *pater in me est, et ego in patre; et ego et pater unum sumus*. Hilarius autem hoc bene exponit dicens, quod differentia est inter Deum et hominem: nam homo cum sit compositus, non est sua natura; Deus autem cum sit simplicissimus, est suum esse et sua natura. In quocumque ergo est natura Dei, ibi est Deus. Cum ergo pater est Deus et filius est Deus, ubicumque est natura patris, ibi est pater, et ubicumque est natura filii, ibi est filius. Cum ergo natura patris sit in filio, et e converso: ergo pater est in filio, et e converso. Sed, ut dicit Augustinus, licet Deus sit in homine, et homo in Deo, ut dicitur I Io. IV, 16: *qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*, non est intelligendum per essentiae unitatem; sed homo in Deo est, id est sub divina cura et protectione, et Deus in homine per similitudinem suae gratiae. Unigenitus autem filius est in patre, et pater in illo tamquam aequalis. Hic dominus declinat Iudaeorum pertinaciam, et primo ostendit ipsorum pertinaciam; secundo declinat eam; tertio ostendit effectum declinationis. Pertinaciam autem ostendit per hoc quod post tot veritatis documenta, post tot miraculorum et mirabilium operum argumenta, adhuc in malitia perseverant. Unde *quaerebant eum apprehendere*: non ad credendum et intelligendum, sed ad saevendum et ad nocendum. Nam quia aequalitatem sui ad patrem evidentius expresserat, magis concitati fuerunt; Ier. VIII, 5: *apprehenderunt mendacium, et noluerunt reverti*. Declinat autem eorum saevitiam dominus exiens ab eis; unde dicit *exivit de manibus eorum*. Ubi primo ostenditur quomodo eos dimisit, scilicet exeundo de manibus eorum: et hoc propter duo. Primo, ut ostenderet se non posse detineri nisi quando volebat; Lc. IV, v. 30: *Iesus transiens per medium illorum, ibat*. Supra eodem: *nemo tollit a me animam meam, sed ego ponam a meipso*. Secundo ut daret nobis exemplum declinandi malorum saevitiam, quando sine periculo fidei fieri potest; Eccli. VIII, 14: *ne stes contra faciem contumeliosi*. Secundo ostenditur quo exiens ierit; unde dicit *et abiit iterum trans Iordanem, in eum locum ubi erat Ioannes baptizans primum*. Cuius quidem mystica causa est, quod aliquando iturus esset per apostolos suos ad gentes convertendas. Causa vero litteralis est duplex. Una, quia locus erat vicinus Ierusalem, et iam imminebat tempus passionis, unde nolebat se elongare. Secunda, ut reducat ad memoriam testimonium quod illic perhibuit Ioannes dicens: *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, et testimonium patris et filii Christo perhibitum in Baptismo. Effectus autem declinationis fuit conversio turbarum ad fidem: quae quidem conversio describitur quantum ad tria. Primo quantum ad operationis imitationem; unde dicit *et multi venerunt ad eum*, scilicet per imitationem operum; Matth. XI, 28: *venite ad me*

*omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Secundo quantum ad oris confessionem; unde *et dicebant quia Ioannes quidem nullum fecit signum.* Ubi primo confitentur eminentiam Christi ad Ioannem; unde dicebant *quia Ioannes fecit nullum signum.* Cuius quidem ratio fuit, quia Ioannes missus fuit ut testis Christi, unde oportebat quod fieret fide dignus, et testimonium eius ostenderetur verum: quod quidem fit convenienter per sanctitatem vitae: Christus autem venit ut Deus: et ideo oportebat quod ostenderet in se signa potestatis divinae. Et ideo Ioannes vitae sanctitate pollebat; Christus autem cum hoc exercebat etiam opera potestatem divinam manifestantia. Hic etiam mos servabatur apud antiquas potestates, quod in praesentia potestatis maioris minor potestas non utebatur suae potestatis insigniis; unde in praesentia dictatoris consules insignia deponebant. Non ergo decens fuit ut Ioannes, qui minoris potestatis erat, utpote praecursor et testis, in Christi praesentia, divinae potestatis insigniis uteretur; sed solum Christus. Secundo confitentur veritatem testimonii Ioannis de Christo; unde dicebant *omnia enim quae dixit Ioannes de hoc, scilicet de Christo, erant vera;* quasi dicerent: et si nullum signum fecerit Ioannes, tamen de Christo omnia veraciter dixit. Tertio manifestat cordis fidem; unde dicit *et multi crediderunt in eum.* Ut Augustinus dicit, Christum apprehenderunt permanentem, quem Iudaei volebant apprehendere descendentem, quia per lucernam ad diem venerant: Ioannes enim lucerna erat, et diei testimonium perhibebat.

## Caput 11

### Lectio 1

[87489] Super Io., cap. 11 l. 1. 1 Supra dominus virtutem suam vivificativam ostendit verbo, hic confirmat eam miraculo, quemdam mortuum, scilicet Lazarum, suscitando, et primo ponitur Lazari infirmitas; secundo ipsius iam mortui suscitatio, ibi *ut audivit;* tertio subiungitur suscitationis effectus, ibi *multi ergo ex Iudaeis (...) crediderunt in eum.* Circa primum tria facit. Primo ponitur Lazari aegrotatio; secundo languoris denuntiatio, *miserunt ergo sorores eius ad eum;* tertio assignatur praemissorum ratio, ibi *audiens autem Iesus dixit eis et cetera.* Circa primum tria facit. Primo describit personam aegrotam; secundo languentis locum; tertio personam coniunctam. Persona aegrotata est Lazarus; unde dicit *erat quidam languens Lazarus.* Per hunc fidelis signatur, qui in Deo sperat, et tamen patitur infirmitatem peccati; de qua dicitur in Ps. VI, 3: *miserere mei, domine, quoniam infirmus sum.* Lazarus enim interpretatur auxiliatus a domino, unde eum significat qui spem habet divini auxilii; Ps. CXX, 2: *auxilium meum a domino.* Locus infirmi erat Bethania; unde dicit *a Bethania de castello Mariae et Marthae:* quae quidem Bethania villa quaedam erat prope Ierusalem, ubi dominus consueverat frequenter hospitari, ut frequenter supra dictum est. Et interpretatur domus obedientiae. Per quod datur intelligi, quod si infirmus sit Deo obediens, potest ab eo de facili curari; sicut infirmus obediens medico, facilius ab eo beneficium consequitur sanitatis; IV Reg. V, 13, dixerunt servi Naaman ad eum: *pater, etsi rem grandem dixisset tibi propheta, facere debuisses.* Ista Bethania castellum erat Mariae et Marthae sororum Lazari: per quas duplex vita signatur, activa scilicet et contemplativa, ut sic per hoc detur intelligi quod per obedientiam homo perfectus redditur in vita activa et contemplativa. Persona coniuncta erat Maria; unde dicit *Maria autem erat quae unxit dominum unguento.* Quia enim mentionem fecerat de Maria et plures mulieres huius nominis erant, ideo ne erremus ex nomine, notificat eam ex notissima actione, dicens *quae unxit dominum unguento, et extersit pedes eius capillis suis.* De hac autem Maria diversitas quaedam est inter sanctos. Quidam enim dicunt, ut Hieronymus et Origenes, quod haec Maria soror Lazari non est eadem cum illa quae peccatrix erat, de qua dicitur Lc. VII, 37, quod *attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius, et capillis capitis sui tergebat.* Unde, sicut dicit Chrysostomus, haec non fuit illa meretrix quae in Luca legitur. Haec enim honesta fuit et studiosa circa susceptionem Christi: nam peccatricis illius nomen tacetur. Potuit autem Maria ista erga Christum tempore suae passionis ex devotione et speciali dilectione simile opus fecisse, quod fecit ei peccatrix illa diligens et compuncta: quod quidem factum hic ab Evangelista propter Mariae nominis magnitudinem per anticipationem recitatur. Quidam alii, sicut Augustinus et Gregorius, dicunt quod haec eadem Maria de qua hic agitur, est illa peccatrix de qua agitur Lc. VII. Et argumentum huius ex hoc verbo Augustinus assumit. Nam hic Evangelista dicit antequam Maria ungeret dominum unguento, quia illud fuit imminente passione; infra XII, 3, ubi dicitur: *Maria ergo sumpsit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Iesu.* Unde dicit quod hoc quod hic dicit Evangelista de ea factum, recitatur Lc. VII. Ambrosius autem utramque partem tenet. Secundum ergo opinionem Augustini manifestum est quod peccatrix illa de qua dicitur in

Luca, est Maria ista. *Cuius frater Lazarus infirmabatur*, idest, miserandum corpus eius fornaceis febribus alendum edax incendium assumebat. Hic ponitur infirmitatis denuntiatio a sororibus Lazari, quae languenti aderant, et casu dolentes iuvenis aegrotantis, *miserunt ad eum*, scilicet Iesum, dicentes: *domine, ecce quem amas infirmatur*. In qua quidem denuntiatione tria consideranda occurrunt. Unum est, quod amici Dei quandoque corporaliter affliguntur: unde non est signum quod aliquis non sit amicus Dei, si aliquando corporaliter affligatur, sicut Eliphaz contra Iob falso arguit, Iob IV, 7: *recordare, obsecro, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt?* Et ideo dicunt *domine, ecce quem amas infirmatur*; Prov. c. III, 12: *quem diligit dominus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi*. Secundum est quod non dicunt domine veni, sana eum sed tantum infirmitatem exponentes, dicunt *infirmatur*. In quo signatur quod sufficit amico tantum necessitatem exponere, absque alicuius petitionis additamento. Nam amicus cum velit bonum amici sicut bonum suum, sicut sollicitus est ad repellendum malum suum, ita et ad repellendum malum amici sui. Et hoc maxime verum est de eo qui verissime diligit; Ps. CXLIV, v. 20: *custodit dominus diligentes se*. Tertium est quod istae duae sorores desiderantes curationem fratris languidi, non venerunt personaliter ad Christum, sicut paralyticus, Lc. V, 18, et centurio, Matth. VIII, v. 5: et hoc propter confidentiam quam habebant ad Christum ex speciali dilectione et familiaritate quam Christus erga eas ostenderat: et forte a luctu detinebantur, ut Chrysostomus dicit; Eccli. VI, 11: *amicus si permanserit fixus, erit tibi coaequalis, et in domesticis tuis fiducialiter aget*. Hic ponitur praemissorum ratio, et primo ratio ipsius infirmitatis; secundo quare sorores eius non venerunt ad Christum, secundum Augustinum, ibi *diligebat autem Iesus Martham, et sororem eius Mariam, et Lazarum*. Ratio autem infirmitatis est glorificatio filii Dei; unde dicit *dixit eis Iesus: infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei*. Ubi sciendum est, quod infirmitatum corporalium quaedam sunt ad mortem, quaedam autem non. Illae autem sunt ad mortem quae ad aliquod aliud non ordinantur. Nam omnia mala poenae ex divina providentia infliguntur; Amos III, 6: *si est malum in civitate quod dominus non faciat*. Mali vero culpae Deus ultor est, non tamen auctor. Omnia autem quae a Deo sunt, ordinata sunt; et ideo omnia mala poenae ad aliquid ordinantur: quaedam ad mortem, quaedam ad aliquid aliud. Haec autem infirmitas non est ordinata ad mortem, sed ad gloriam Dei. Sed numquid non fuit mortuus Lazarus ex hac infirmitate? Videtur quod sic. Alias non foeretur quadriduanus in monumento, nec resuscitatio fuisset miraculosa. Responsio. Dicendum quod infirmitas haec non fuit ordinata ad mortem ut ad finem ultimum, sed propter aliud, ut dictum est: ut scilicet ipse qui resuscitatus fuit, quasi castigatus, iuste viveret ad Dei gloriam, et populus Iudaeus videns miraculum, converteretur ad fidem; Ps. CXVII, 18: *castigans castigavit me dominus, et morti non tradidit me*. Unde sequitur *sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam*. Ubi, secundum Chrysostomum, *ly pro* et *ly ut* non tenentur causaliter, sed consecutive. Non enim ideo infirmatus est ut ex hoc Deus glorificaretur; sed aliunde quidem infirmitas haec venit, et ex ea consecutum est hoc, ut glorificaretur filius Dei, inquantum eum resuscitando usus est ea ad gloriam Dei. Hoc autem uno quidem modo veritatem habet, sed alio modo non. Potest enim infirmitatis Lazari duplex causa considerari. Una naturalis; et secundum hanc verificatur dictum Chrysostomi, quia infirmitas Lazari secundum causam naturalem non ordinabatur ad resuscitationem. Alia causa potest considerari divina providentia; et tunc non habet veritatem dictum Chrysostomi, nam ex divina providentia huiusmodi infirmitas ordinabatur ad gloriam Dei. Et secundum hoc *ly pro* et *ly ut* tenentur causaliter; quasi dicat *sed pro gloria Dei*: quia, licet ad hoc non ordinaretur ex intentione causae naturalis, ordinabatur tamen ex intentione divinae providentiae ad gloriam Dei, inquantum facto miraculo crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. Unde dicit *ut glorificetur filius Dei per eam*. Hic manifeste dominus filium Dei se nominat: nam ipse glorificandus erat in resuscitatione Lazari, quia ipse est verus Deus; I Io. ult., 20: *ut simus in vero filio eius*; supra IX, 3: *neque hic peccavit neque parentes eius; sed ut manifestentur opera Dei in illo*. Hic, secundum Augustinum, Evangelista assignat rationem quare duae sorores non venerunt ad Christum: quae scilicet sumitur ex confidentia specialis dilectionis, unde dicit *diligebat autem Iesus Martham, et Mariam sororem eius, et Lazarum*. Quippe qui tristium consolator erat, sorores tristes diligebat; et qui languentium salvator erat, languidum et mortuum Lazarum diligebat; Deut. XXXIII, 3: *dilexit populos: omnes sancti in manu illius sunt*.

## Lectio 2

[87490] Super Io., cap. 11 l. 2 Hic agitur de mortui resuscitatione, et primo ponitur resuscitandi propositum; secundo subditur suscitationis ordo, ibi *venit itaque Iesus* et cetera. Circa primum tria facit. Primo dat dominus

locum morti; secundo praenuntiat propositum de accedendo ad locum ubi mortuus erat, ibi *deinde post haec dicit* etc.; tertio praenuntiat propositum suscitandi, ibi *haec ait, et post haec dicit illis* et cetera. Dat autem locum morti, moram trahendo dominus trans Iordanem: et ideo dicit *ut autem audivit quia infirmabatur, mansit in eodem loco duobus diebus*. Ex quo notatur quod eodem die quo Christus recepit nuntium sororum Lazari, mortuus fuit Lazarus: nam quando Christus venit ad locum ubi mortuus fuit, iam quatruiduanus erat; Christus autem duobus diebus postquam recepit nuntium, remansit in eodem loco, et sequenti die ab illis duobus ivit in Iudaeam. Dedit autem locum morti per tot dies, propter duo. Primo quidem ne ex praesentia eius mors Lazari impedita fuisset: nam ubi vita praesens est, mors locum non habet. Secundo, ut miraculum credibilius redderetur, et nullus posset dicere quoniam nondum defunctum eum suscitavit, sed potius stupefactum. Consequenter cum dicit *deinde post haec dicit discipulis suis*, dominus manifestat propositum accessus sui ad locum, et primo praenuntiat propositum; secundo subditur timor discipulorum, ibi *dicunt ei discipuli* etc.; tertio dominus timorem propellit, ibi *respondit Iesus: nonne duodecim horae sunt diei?* Dicit ergo quantum ad primum *deinde post haec*, scilicet moram contractam, *dixit*, scilicet Iesus, *discipulis suis: eamus in Iudaeam iterum*. Hic quaeritur quare hic solum praedixit apostolis se iterum iturum in Iudaeam, cum hoc alias non fecerit. Sed huius quidem ratio est, quia Iudaei nuper in Iudaea persecuti fuerant Christum, ita ut pene eum lapidassent; unde et propterea inde decesserat: propter quod credendum erat quod, Christo iterato illuc ire volente, discipulorum corda timor invaderet. Et quia praevisa iacula minus feriunt, et mala quae praevidentur, facilius tolerantur, ut Gregorius dicit, ideo dominus, ut eis timorem auferret, eis itineris sui propositum manifestat. Per hoc autem quod iterum revertitur in Iudaeam, mystice datur intelligi, dominum in fine mundi iterum reversurum ad Iudaeos, qui convertentur ad Christum; Rom. XI, 25: *caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret*. Timor discipulorum ponitur cum dicitur *dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc?* Quasi dicant: videtur quod spontaneus vadas ad mortem. Sed timor iste irrationabilis est, quia secum habebant discipuli Deum protectorem, cum quo qui est, timere non debet; Is. I, 8: *stemus simul: quis est adversarius meus?* Ps. XXVI, 1: *dominus illuminatio mea et salus mea: quem timebo?* Hunc timorem expellit dominus confortans eos; unde dicit *respondit Iesus, scilicet discipulis, nonne duodecim horae sunt diei?* Ubi primo ponit conditionem temporis; secundo ostendit quod tempus sit aptum ambulationi; tertio quod non sit aptum. Secundum ibi *si quis ambulaverit in die, non offendit; tertium ibi si autem ambulaverit in nocte, offendit*. Ad intelligentiam autem huius litterae, sciendum est, quod tripliciter exponitur. Uno modo a Chrysostomo sic. *Nonne duodecim horae sunt diei?* Quasi dicat: vos dubitatis ascendere in Iudaeam, quia nuper Iudaei voluerunt me lapidare; sed dies habet duodecim horas, et quod contingit in una, non contingit in alia. Unde licet tunc voluissent me lapidare, in alia hora hoc nollent; Eccle. III, 1: *omnia tempus habent*. Et eiusdem VIII, 6: *omni negotio tempus est et opportunitas*. Sed hic incidit quaestio litteralis: quia aut loquitur de die naturali, aut de die artificiali. Si quidem loquatur de die naturali, tunc falsum est quod dicit; cum non habeant duodecim, sed vigintiquatuor horas. Similiter si loquitur de die artificiali, falsum est quod dicit: quia hoc non est verum nisi in aequinoctiali, quia non omnes dies artificiales habent duodecim horas. Sed ad hoc dicendum, quod intelligendum est de die artificiali: quia omnes dies artificiales habent duodecim horas. Nam horae huiusmodi dierum distinguuntur dupliciter. Quaedam enim sunt aequales, et quaedam sunt inaequales. Aequales autem distinguuntur secundum circulum aequinoctialis: et secundum hoc non omnes dies habent duodecim horas sed aliqui plures, aliqui pauciores; nisi tantum in aequinoctio. Inaequales autem distinguuntur secundum ascensiones zodiaci propter eius obliquitatem: quia non aequaliter ascendit zodiacus in omnibus partibus suis; aequinoctialis autem aequaliter: et de istis horis inaequalibus quilibet dies artificialis habet duodecim horas; quia quolibet die ascendunt sex signa de die, et sex de nocte; sed illa quae ascendunt in aestate, sunt tardioris motus quam illa quae ascendunt in hieme; ascensus autem cuiuslibet signi facit duas horas. *Si quis ambulaverit in die*, idest honeste, et absque conscientia alicuius mali, Rom. XIII, 13: *sicut in die honeste ambulemus, non offendit*, idest, non invenit quod ei noceat. Et hoc ideo *quia lucem huius mundi videt*; idest, lux iustitiae in eo est; Ps. XCVI, 11: *lux orta est iusto, et rectis corde laetitia*; quasi dicat dominus: nos secure possumus ire, cum in die ambulemus. *Si autem ambulaverit in nocte*, scilicet iniquitatum, de facili multa pericula inveniet: de qua nocte I Thess. V, 7: *qui dormiunt, nocte dormiunt*. Et talis *offendit*, idest impingit, *quia lux*, scilicet iustitiae, *non est in eo*. Alio modo exponit quidam Graecus, scilicet Theophylactus, ab illo loco *si quis ambulaverit in die*, dicens, quod dies est praesentia Christi in mundo, nox vero est tempus post passionem eius. Ut sit sensus: non est timendum de Iudaeis, quia quamdiu ego sum in mundo, vobis non imminet periculum, sed mihi. Unde quando Iudaei eum capere voluerunt, infra XVIII, 8, dixit



dominus turbis: *si ergo me quaeritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo quem dixit: quia quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quemquam.* Sed in nocte, id est in tempore post passionem, tunc timendum est vobis ire in Iudaeam, quia patiemini a Iudaeis persecutionem; Zach. XIII, 7: *percutite pastorem, et dispergentur oves.* Alio modo exponit Augustinus sicut per diem intelligatur Christus; supra c. IX, 4: *me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: et quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Huius ergo diei duodecim horae, sunt duodecim apostoli; supra VI, 71: *nonne ego vos duodecim elegi?* Sed timendum est valde quod sequitur: *et unus ex vobis Diabolus est.* Iudas ergo non erat hora huius diei, quia non lucebat. Sed dicendum, quod dominus hoc dixit, non habito respectu ad Iudam, sed ad successorem eius Mathiam. Est ergo sensus *nonne duodecim horae sunt diei?* Quasi diceret: vos estis horae, ego sum dies. Sicut ergo horae consequuntur diem, ita et vos me debetis sequi. Unde si ego volo ire in Iudaeam, vos non debetis me praecedere, nec mutare voluntatem meam; sed debetis me sequi. Simile dicit Petro, Matth. XVI, 23: *vade retro post me, Satanas,* id est, non praecedas me, sed me sequere, voluntatem meam imitando. *Si quis ambulaverit in die,* quasi diceret: non debetis timere periculum, quia vos itis mecum, qui sum dies. Unde sicut qui in die vadit non impingit, id est non offendit; ita nec vos qui mecum itis; Rom. VIII, 31: *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et hoc ideo quia *luxem huius mundi videt,* in me. Si autem ambulaverit in nocte, id est in tenebris ignorantiae et peccati, tunc *offendit;* et hoc ideo *quia lux,* scilicet spiritualis, *non est in eo,* non quidem ex defectu lucis, sed eorum rebellione; Iob XXIV, 13: *ipsi fuerunt rebelles lumini.*

### Lectio 3

[87491] Super Io., cap. 11 l. 3 Supra praenuntiavit dominus propositum de accedendo ad locum defuncti, hic manifestat propositum de defuncti suscitatione, et primo praenuntiat ipsum propositum; secundo discipulorum affectum, ibi *dicit ei Thomas* et cetera. Propositum autem praenuntiat primo quasi implicite et obscure; secundo Evangelista ostendit tarditatem intellectus discipulorum, ibi *dixerunt ergo discipuli;* tertio dominus ipsum propositum denuntiat manifeste, ibi *tunc ergo dixit eis Iesus.* Dicit ergo *haec ait, et post haec dicit illis,* quasi diceret: his, quae supra posita sunt, dictis, postmodum dicit discipulis suis *Lazarus amicus noster dormit.* Quod quidem, secundum Chrysostomum, videtur facere ad secundam rationem excludentem timorem discipulorum: nam prima procedebat ex discipulorum innocentia, quia qui *ambulat in die, non offendit;* ista sumitur ex necessitate imminente, quasi necessarium sit ire. Unde circa hoc tria facit. Primo commemorat pristinam amicitiam defuncti, dicens *Lazarus amicus noster:* amicus scilicet propter multa beneficia et obsequia quae nobis exhibuit; et ideo non debemus in necessitate deficere; Prov. XII, 26: *qui negligit damnum propter amicum fidelem.* Secundo ponit necessitatis instantiam; unde dicit *dormit:* unde oportet quod ei subveniatur; Prov. XVII, 17: *frater in angustiis comprobatur. Dormit,* inquam, ut dicit Augustinus, domino; sed mortuus erat hominibus, qui eum suscitare non poterant. Sciendum est enim, quod somnus accipitur multis modis. Quandoque pro somno naturae; I Reg. III, 9: *dormivit Samuel usque mane.* Et Iob XI, 18: *securus dormias* et cetera. Quandoque pro somno mortis; I Thess. IV, v. 12: *nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent.* Quandoque pro negligentia; Ps. CXX, 4: *ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.* Quandoque vero pro somno culpae; Eph. V, 14: *exurge qui dormis, et exurge a mortuis.* Quandoque pro quiete contemplationis; Cant. V, 2: *ego dormio, et cor meum vigilat.* Quandoque pro quiete futurae gloriae; Ps. IV, 9: *in pace in idipsum dormiam, et requiescam.* Mors autem dicitur somnus propter spem resurrectionis; et ideo mors consuevit appellari dormitio, ab eo tempore quo Christus mortuus est et resurrexit; Ps. III, 6: *ego dormivi, et soporatus sum.* Tertio ostendit suam ad resuscitandum efficaciam, cum dicit *sed vado ut a somno excitem eum.* In quo dat intelligere quod tanta facilitate excitabat eum de sepulcro, quanta excitas dormientem in lecto. Nec mirum: quia ipse est qui suscitavit mortuos et vivificat, supra V; unde ipse dicit ibidem: *venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei.* Tarditatem autem intellectus discipulorum ponit Evangelista cum dicit *dixerunt ergo discipuli eius: domine, si dormit, salvus erit.* Et primo ponit signum tarditatis eorum, scilicet quod non responderunt secundum intentionem domini; secundo ostenditur eorum tarditas manifeste, ibi *dixerat autem Iesus de morte eius.* Circa primum sciendum est, quod id quod dixerat dominus de somno mortis, isti intellexerunt de somno naturae. Et quia solet somnus aegrotantium salutis esse indicium, ideo discipuli dixerunt: *si dormit, salvus erit:* quasi dicant: hoc manifeste salutis est signum, ut per hoc ulterius concludant: domine, si dormit, non videtur utile esse ut tu vadas ad excitandum eum.

Tarditatem autem ipsorum subdit dicens *dixerat autem Iesus de morte eius*, quia rudes erant. Unde dominus dicit eis Matth. XV, 16: *adhuc et vos sine intellectu estis?* De sapiente vero dicitur Prov. I, 6: *animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et aenigmata eorum*. Manifestat autem dominus explicite suscitandi propositum, cum subdit *Lazarus mortuus est; et gaudeo propter vos*. Et primo annuntiat eis Lazari mortem, quod pertinet ad eius scientiam; secundo insinuat suum affectum circa eius mortem, quod pertinet ad eius providentiam; tertio innuit propositum de eundo ad locum ubi mortuus erat, quod pertinet ad eius clementiam. Mortem quidem praenuntiat dicens manifeste *Lazarus mortuus est*, idest, subiit legem communem mortis, quam nullus hominum subterfugere potest; Ps. LXXXVIII, v. 49: *quis est homo qui vivit, et non videbit mortem?* Affectum autem suum ostendit circa eius mortem, dicens *et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi*. Quod potest dupliciter exponi. Uno modo sic. Nos audivimus infirmitatem Lazari, sed ego absens annuntio mortem eius, *et gaudeo propter vos*, idest propter vestram utilitatem, ut ex hoc sumatis experimentum divinitatis meae, quia in absentia video; Hebr. IV, 13: *omnia nuda et aperta sunt oculis eius*. Nec mirum, quia ipse est omnibus praesens; Ier. c. XXIII, 24: *caelum et terram ego impleo*. *Ut credatis*: non ut de novo inciperent credere, sed ut firmius robustiusque crederent: secundum illud Mc. IX, 23: *credo, domine, adiuva meam incredulitatem*. Alio modo sic. *Gaudeo*, scilicet quod mortuus est; et hoc *propter vos*, idest propter vestram utilitatem, scilicet *ut credatis*. Ideo, inquam, *gaudeo (...) quia non eram ibi*: nam si ibi fuisset, non fuisset mortuus; sed quia defunctus est, maius apparebit miraculum cum resuscitabo defunctum putrescentem: et ex hoc vos magis corroboramini in fide. Maius est enim defunctum suscitare quam viventem a morte praeservare. Ex quo datur intelligi quod aliquando mala sunt ratio gaudii, inquantum ordinantur ad bonum; Rom. c. VIII, 28: *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Propositum autem eundi innuit dicens *sed eamus ad eum*: in quo ostenditur Dei clementia, inquantum homines in peccatis existentes et quasi mortuos per se ad eum accedere non valentes misericorditer praeveniando attrahit, secundum illud Ier. XXXI, v. 3: *in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*. Hic ponitur discipulorum affectus: quod potest quidem dupliciter exponi. Uno modo ut importet affectum dubitantis; alio modo ut importet affectum diligentis. Et primo modo exponitur a Chrysostomo. Nam, ut supra dictum est, omnes discipuli timebant Iudaeos, et super alios Thomas. Nam ante passionem infirmior erat aliis, et infidelior; qui tamen postea fortior factus est, et irreprehensibilis, qui solus orbem terrarum percurrit. Unde ex hac dubietate dicit ad condiscipulos *eamus et nos, et moriamur cum illo*, quasi dicat: iste non timet mortem, penitus vult ire, se et nos volens tradere morti. Secundo modo exponit Augustinus. Thomas enim et alii discipuli ita Christum amabant ut vel cum eo praesente vivere, vel cum eo mori vellent, ne post mortem deserti iterum inconsolati remanerent. Unde ex hoc affectu Thomas dicit ad condiscipulos *eamus et nos, et moriamur cum eo*, quasi dicat: ire vult, periculum mortis ei imminet: numquid et nos remanebimus ut vivamus? Absit. Sed *eamus, et moriamur cum illo*; Rom. VIII, 17: *si compatimur, et conregnabimus*; II Cor. V, v. 14: *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*.

#### Lectio 4

[87492] Super Io., cap. 11 l. 4 Postquam praenuntiavit defuncti suscitationem, hic describit Evangelista resuscitationis ordinem, et primo praemittit quaedam praeambula pertinentia ad alios; secundo proponit quaedam quae pertinent ad affectum Christi, ibi *Iesus autem ut vidit eam plorantem* etc.; tertio subdit suscitationis effectum, ibi *Iesus ergo rursum fremens* et cetera. Praeambula autem ad alios pertinentia primo praemittit quantum ad defuncti conditionem; secundo quantum ad Iudaeorum erga sorores consolationem, ibi *erat autem Bethania* etc.; tertio quantum ad sororum devotionem, ibi *Martha autem, ut audivit* et cetera. Defuncti autem conditio describitur quantum ad tempus mortis, quia quadriduanus, unde dicit *venit itaque Iesus, et invenit eum quatuor dies habentem*, et quantum ad locum, quia in monumento. Ex quo apparet, secundum litteram, ut dictum est supra, quod primus dies mortis fuit quando nuntiata fuit ei infirmitas. Per hos autem quatuor dies, secundum Augustinum, signantur quatuor dies quadruplicis mortis. Una dies est peccati originalis, quod homo trahit de mortis propagine; Rom. V, 12: *per unum hominem peccatum intravit in mundum*. Alii tres dies referuntur ad mortem peccati actualis; nam quodlibet peccatum mortale quaedam mors dicitur; Ps. XXXIII, 22: *mors peccatorum pessima*. Et dividuntur secundum transgressionem triplicis legis. Primo quidem legis naturae, quam homines transgrediuntur; et sic est secundus dies mortis, Is. XXIV, 5: *transgressi sunt legem et pactum sempiternum*, idest legem naturae. Secundo legis scriptae, quam etiam homines transgrediuntur; et sic est tertius

dies, supra VII, 19: *nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem?* Tertio legis Evangelii et gratiae, quam homines transgrediuntur; et sic est quartus dies, et gravior ceteris. Hebr. X, 28: *irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiae contumeliam fecerit?* Vel aliter, primus dies est peccatum cordis; Is. I, 16: *auferte malum cogitationum vestrarum* et cetera. Secundus dies est peccatum oris; Eph. IV, 29: *omnis sermo malus de ore vestro non procedat*. Tertius dies est peccatum operis; de quo Is. I, 16: *quiescite agere perverse*. Quartus dies est peccatum perversae consuetudinis; de quo Ier. XIII, 23: *sic et vos poteritis bene facere, cum didiceritis male*. Qualitercumque tamen exponatur, dominus quandoque sanat mortuos quatuor dies habentes, idest legem Evangelii transgredientes, et in consuetudine peccati detentos. Visitantium autem conditio describitur, et quantum ad visitandi opportunitatem, et quantum ad eorum quantitatem. Quantum ad opportunitatem quidem, quia locus defuncti erat prope Ierosolymam; unde dicit *erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim*, quod erat fere milliaria duo: nam milliare habet octo stadia: et sic facilis multis Iudaeorum a Ierosolymis patebat illuc accessus. Mystice autem per Bethaniam quae interpretatur domus obedientiae, et Ierusalem visio pacis, datur intelligi, quod qui sunt in statu obedientiae, sunt propinqui ad pacem vitae aeternae; supra X, 27: *oves meae vocem meam audiunt, et ego vitam aeternam do eis*. Et dicit *quindecim stadiis*, quia qui vult de Bethania, idest de statu obedientiae, ire in Ierusalem caelestem, oportet quod transeat stadia quindecim. Primo quidem septem, quae pertinent ad observantiam veteris legis: nam septenarius numerus pertinet ad legem veterem, quae diem septimum sanctificat; deinde vero octo, idest impletionem novi testamenti, ad quem pertinet numerus octonarius propter octavam resurrectionis. Quantum vero ad quantitatem describitur, quia multi; unde dicit *multi autem ex Iudaeis venerant ad Mariam et Martham*, ut consolarentur eas: quod quidem pietatis erat; Rom. XII, 15: *gaudere cum gaudentibus oportet*. Eccli. VII, 38: *non desis plorantibus in consolationem*. Sorores autem describit Evangelista primo quantum quidem ad Martham; secundo vero quantum ad Mariam, ibi *haec cum dixisset, abiit, et vocavit Mariam*. Martham autem describit quantum ad tria. Primo quantum ad eius occursum quo Christo obviavit; secundo quantum ad devotionis affectum quem Christo exhibuit et tertio quantum ad instructionis profectum ad quem Christus eam erexit. Occursus autem Marthae describitur festinus, quia *Martha, ut audivit quia Iesus venit, occurrit illi*, absque morae dilatione. *Venit* autem praesentis temporis est: forte enim Christo prope castrum existente, aliquis praecessit, et nuntiavit Marthae adventum Christi, quo audito, statim cucurrit. Ratio autem quare Martha primo audivit, et sola occurrit, est quia Martha sollicita erat; unde dominus dicit, Lc. X, 41: *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima*: et ideo occupata circa dispositionem negotiorum discurrebat per domum, et nuntianti facilius occurrit. Maria autem sedebat domi cum illis qui venerant de Ierosolymis; et ideo non ita cito potuit sibi indicari sicut Marthae. Ratio autem quare Martha non statim indicavit Mariae assignatur a Chrysostomo. Quia Maria sedebat cum Iudaeis, et Martha sciebat quod Iudaei persequerentur Christum, et iam conspiraverant in eius mortem; et ideo timens ne, si nuntiaret ei et illa ivisset in occursum Christi, ivissent cum ea: propter hoc ergo sibi nuntiare noluit. Sed si Iudaei conspiraverant contra Christum, quomodo visitabant Lazarum et sorores suas, qui Christi familiares erant, et quasi discipuli? Ad quod respondet Chrysostomus, quod hoc faciebant propter necessitatis calamitatem, et propter nobilitatem harum mulierum, quas spreto principum mandato, consolabantur. Vel quia hi qui aderant, non mali erant, sed bene se habebant ad Christum: multi enim ex populo credebant. Mystice autem signantur per haec vita activa, quae signatur per Martham, quae occurrit Christo ad exhibendum obsequii beneficium membrum eius; et vita contemplativa, quae per Mariam signatur, quae domi sedet quieti contemplationis et puritati conscientiae vacans; Sap. VIII, 16: *intrans in domum meam, conquiescam cum illa*. Affectus autem devotionis in Martha ostenditur praecipuus; unde dicit, *dixit Martha ad Iesum: domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Ubi duo Christo devote proponit: unum quod respicit ad praeteritum, et aliud quod respicit ad futurum. Ad praeteritum quidem respicit quod dicit *domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*: credebatur enim quod praesente Christo mors locum non haberet, cum vidisset mulierem ad solum tactum fimbriae Iesu sanata, Matth. IX, 20. Et quidem rationabiliter movebatur, nam vita contrariatur morti; Christus autem vita est, et lignum vitae; Prov. III, 18: *lignum vitae est his qui apprehenderit eam*. Si ergo lignum vitae poterat praeservare a morte, multo magis Christus. Nihilominus tamen imperfectam habebat fidem, aestimans Christum minus posse absentem quam praesentem; unde dicebat *domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*: quod quidem de virtute limitata et creata dici potest; sed de virtute infinita et increata, quae Deus est, non est dicendum, quia aequaliter se

habet ad praesentia et absentia, immo sibi omnia sunt praesentia; Ier. XXIII, 23: *putasne Deus e vicino ego sum?* et cetera. Ad futurum autem respicit hoc quod subdit *sed et nunc scio quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus*. In quo quidem licet aliquo modo verum dixerit nam Christo secundum quod homo pertinebat a Deo petere; unde et frequenter orasse legitur, et supra IX, 13, dicitur: *si quis Dei cultor est (...) hunc exaudit*: tamen minus dixit: nam per haec verba arbitrari videtur Christum sicut unum sanctum hominem, qui praeteritam mortem orando posset excludere; sicut Eliseus orando mortuum suscitavit. Profectus autem ponitur cum addit *dicit illi Iesus: resurget frater tuus*. Quia enim adhuc imperfecte cognoscebat, ideo dominus ad altiora eam instruendo provehit, et primo praenuntiat fratris resurrectionem; secundo ostendit resuscitationis potestatem, ibi *ego sum resurrectio et vita* et cetera. Circa primum duo facit. Primo praenuntiat futurum miraculum; secundum ponitur intellectus Marthae de resuscitatione, ibi *dixit ei Martha* et cetera. Miraculum autem quod futurum dominus praenuntiat est resuscitatio Lazari; unde dicit *resurget frater tuus*; Is. XXVI, 19: *vivent, et mortui tui resurgent*. Sciendum est autem Christum tres mortuos suscitasse: puellam archisynagogi, ut habetur Matth. XI, 23 ss., filium viduae qui efferebatur extra portam, ut habetur Lc. VII, v. 12 s., et Lazarum quatuor dies habentem in monumento. Sed puellam quidem in domo, iuvenem extra portam, Lazarum in monumento. Item puellam paucis arbitris secum habens, patrem videlicet, et matrem puellae, et tres ex discipulis suis, Petrum scilicet, Iacobum et Ioannem; iuvenem vero magna turba praesente; sed Lazarum assistente multitudine, et cum gemitu. Nam per hos tres suscitatos tria genera peccatorum intelliguntur. Quidam enim peccant per consensum peccati mortalis in corde; et isti signantur per puellam mortuam in domo. Alii vero sunt qui per exteriora signa et actus peccant; et signantur per mortuum qui effertur extra portam. Sed quando per consuetudinem in peccato firmantur, tunc clauduntur in monumento. Et tamen dominus omnes resuscitat. Sed illi qui per consensum solum peccant, et mortaliter peccando moriuntur, facilius suscitantur. Et quia secretum est, ideo secreta emendatione curatur. Quando autem peccatum procedit extra, tunc publico indiget remedio. Intellectus autem Marthae de resuscitatione promissa ponitur cum dicit *dicit ei Martha: scio quia resurget in resurrectione in novissimo die*. Non enim auditum est a saeculo quod quis quatruiduanum foetentem in monumento resuscitaverit, et ideo non poterat cadere in corde Marthae quod statim eum suscitaret a mortuis; sed credebat hoc in communi resurrectione futurum. Unde dicit *scio*, idest certissime teneo, *quod resurget in novissimo die*; supra VI, 40: *ego resuscitabo eum in novissimo die*. Consequenter cum dicit *dixit ei Iesus: ego sum resurrectio et vita*, dominus Martham ad altiora elevans, primo ostendit virtutem et potestatem suam; secundo subdit potestatis effectum, ibi *qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet*; tertio exposcit fidem, ibi *credis hoc?* Potestas autem sua est vivificativa; unde dicit *ego sum resurrectio et vita*; quasi diceret Marthae: credis quod frater tuus resurgat in novissimo die? Totum autem hoc quod homines resurgent, erit mea virtute; et ideo ego, cuius virtute tunc omnes resurgent, possum etiam fratrem tuum suscitare in praesentia. Dicit autem duo: scilicet quod est *resurrectio*, et quod est *vita*. Sciendum est enim, quod effectum vitae aliqui participare indigent. Quidam quidem, quia vitam amiserunt; quidam vero, non quia ipsam amiserunt, sed ut iam habitam conservent. Sic ergo quantum ad primum dicit *ego sum resurrectio*, quia qui vitam per mortem amiserunt, reparantur; quantum ad secundum dicit *et vita*, quia scilicet viventes conservantur. Sciendum est autem, quod hoc quod dicit *ego sum resurrectio*, est locutio causalis; quasi dicat: ego sum resurrectionis causa. Hic autem locutionis modus in illis tantum fieri consuevit qui sunt causa alicuius rei; Christus autem est tota causa resurrectionis nostrae, tam animarum quam corporum, et ideo hoc quod dicit *ego sum resurrectio*, est causalis locutio, quasi dicat: totum hoc quod resurgent in animabus et in corporibus, per me erit; I Cor. XV, 21: *quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum*. Hoc, inquam, quod *sum resurrectio*, est mihi per hoc quod sum *vita*; nam vitae est quod aliqui reparentur ad vitam, sicut ignis est quod aliquod extinctum reignitur. Supra c. I, 4: *in Christo vita erat, et vita erat lux hominum*. Effectus autem potestati respondet, unde dicit *qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet*. Primo ergo agit de effectu qui respondet primae potestati; secundo de effectu qui respondet secundae. Primum autem quod de potestate sua dixerat, est quod ipse sit resurrectio; et huic respondet effectus quod ipse mortuos vivificat: et quantum ad hoc dicit *qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet*. Cuius quidem causa est, quia ego sum resurrectionis causa, cuius causae effectum aliquis consequitur credendo in me. Unde dicit *qui credit in me, vivet, etiam si mortuus fuerit*: nam per hoc quod credit, habet me in se, Eph. III, 17: *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*, qui autem habet me, habet resurrectionis causam: ergo *qui credit in me, vivet*. Quod autem per fidem aliqui resurgant, habetur supra V, 25: *venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, et qui audierint vivent*, vita scilicet spirituali, resurgentes de morte culpae, et etiam vita naturali, resurgentes

de morte poenae. Secundum autem quod de potestate sua dixerat, est quod ipse sit vita; et huic respondet effectus praeservationis in vita; unde dicit *et omnis qui vivit, et credit in me*, vita iustitiae, de qua Hab. II, 4: *iustus meus ex fide vivit, non morietur in aeternum*, idest morte aeterna; sed habebit vitam aeternam; supra VI, 40: *haec est voluntas patris mei, ut omnis qui videt filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam*. Et hoc non est intelligendum quin moriatur ad tempus morte carnis; sed quod aliquando sic morietur, ut tamen resuscitatus vivat in aeternum in anima, donec resurgat caro numquam postea moritura; unde subdit ibidem: *et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Exoscit autem fidem, ut eam perficiat; unde dicit *credis hoc?* Et primo ponitur quaestio domini dicentis *credis hoc?* Non interrogat dominus quasi ignorans, sed sciens fidem eius, quippe qui ipsam fidem sibi infuderat: credere enim a Deo est. Quaerit autem ut fidem quam habebat in corde, confiteatur ore; Rom. X, 10: *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Secundo ponitur responsio mulieris cum dicit *ait illi: utique, domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei vivi*. Quae quidem responsio impertinens videtur ad ea quae dominus dixerat. Dixit enim *ego sum resurrectio et vita* et postea quaesivit utrum hoc crederet. Mulier autem non respondit: credo quod tu es resurrectio et vita; sed *ego credidi quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti*. Quod quidem dupliciter exponitur. Chrysostomus enim dicit quod haec mulier non intelligens alta verba domini, quasi stupefacta respondit dicens: domine, ego non intelligo hoc quod dicis, scilicet quod tu es resurrectio et vita, sed hoc *credidi quia tu es Christus filius Dei vivi*. Augustinus vero dicit, quod mulier respondit hoc ideo quia hoc quod dicit est ratio omnium praemissorum a domino; quasi diceret: quidquid dicis de potestate tua et effectu salutis, totum credo: quia ego credo quod plus est et radix omnium, scilicet *quia tu es Christus filius Dei vivi*. Haec autem confessio Marthae perfecta est. Confitetur enim Christi dignitatem, naturam et dispensationem, scilicet incarnationis. Dignitatem quidem et regiam et sacerdotalem; et hoc, cum dicit: *tu es Christus*. Christus enim Graece, Latine dicitur unctus. Inunguntur autem reges et sacerdotes: est ergo Christus rex et sacerdos. Unde Angelus Lc. II, 11: *natus est nobis hodie salvator, qui est Christus dominus*. Et vere ipse est singulariter Christus, quia alii unguuntur oleo visibili, iste vero oleo invisibili, scilicet spiritu sancto, et ceteris aliis abundantius; Ps. c. XLIV, 8: *unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis*. Ideo prae consortibus, quia, ut dicitur supra III, 34 *non ad mensuram dat ei Deus spiritum*. Naturam autem in Christo confitetur divinam patri aequalem; unde dicit *filius Dei vivi*: nam ex hoc quod singulariter vocat eum filium Dei vivi, veritatem filiationis annuntiat; non autem est verus Dei filius, nisi sit patri connaturalis: unde de Christo dicitur I Io. ult., 20: *ut simus in vero filio eius, Christo. Hic est verus Deus et vita aeterna*. Dispensationis autem mysterium confitetur cum dicit *qui in hunc mundum venisti*, scilicet carnem assumens. Simile confitetur Petrus, Matth. XVI, 16: *tu es Christus filius Dei vivi*; infra XVI, 28: *exivi a patre, et veni in mundum*.

## Lectio 5

[87493] Super Io., cap. 11 l. 5 Postquam Evangelista praemisit conditiones sororum quantum ad Martham, hic describit eas quantum ad Mariam, et primo describit vocationem Mariae; secundo occursum eius ad Christum, ibi *illa, ut audivit*; tertio eius devotionem, quam exhibuit Christo, ibi *Maria ergo cum venisset ubi erat Iesus (...)* *cecidit ad pedes eius*. Vocatur autem Maria per Martham, quae consolata et instructa per Christum, nolens sororem suam esse tantae consolationis expertem, *cum dixisset* verba praedicta cum domino, *abiit*, statim et vocavit Mariam sororem suam silentio, *dicens: magister adest, et vocat te* et cetera. Ubi quidem duo dubitanda occurrunt. Primo de hoc quod dicit *silentio*: nam silentium nihil aliud est quam privatio locutionis vel soni. Non ergo eam silentio vocare potuisset. Responsio. Dicendum, secundum Augustinum, quod silentium suppressam vocem nuncupavit, quasi dicat, vocavit eam submisse, secundum illud Eccle. IX, 17: *verba sapientium audiuntur in silentio*. Ideo autem eam silenter vocat, quia multitudo Iudaeorum erat cum ea, ut dictum est, et forte erant inter eos aliqui qui non diligerent Christum, qui vel recederent, vel, hoc audito, Mariam non sequerentur. Mystice autem per hoc datur intelligi quod ad Christum quis vocat exteriore voce tantum, sed efficacius silenter; unde dicitur Is. XXX, v. 15: *in silentio et spe erit fortitudo vestra*. Secundo dubitatur de hoc quod dicit *magister adest, et vocat te*. Videtur falsum dixisse: non enim dixit dominus Marthae quod vocaret Mariam. Responsio. Dicit Augustinus, quod Evangelista causa brevitatis dat intelligere quod in sua narratione intermiserat: nam forte dominus dixit Marthae quod eam vocaret. Alii autem dicunt, quod Martha ipsam praesentiam vocationem reputavit; quasi diceret: inexcusabile est ut eo praesente tu non exeas obviam ipsi. Consequenter cum dicit *illa, ut*

*audivit, surrexit cito, et venit ad eum*, ponitur occursus Mariae. Et circa hoc duo facit. Primo ponitur promptitudo Mariae ad occurrendum; secundo locus in quo ei occurrit, *ibi nondum enim venerat Iesus in castellum*; tertio comitiva quae eam sequitur, *ibi Iudaei ergo qui erant cum ea in domo (...) secuti sunt eam*. Promptitudo autem Mariae ad occurrendum describitur, quia non distulit propter luctum, non tardavit propter astantes, sed statim *ut audivit, surrexit cito*, de domo in qua erat, *et venit ad eum*, scilicet Iesum. Ex quo patet quod non illam praevenisset Martha, si ei a principio notus fuisset adventus Iesu. Datur etiam per hoc nobis exemplum non tardandi, cum vocamur ad Christum. Eccli. c. V, 8: *ne tardes converti ad dominum, et ne differas de die in diem*; Is. 1, 4: *audiam eum quasi magistrum*. Locus autem ubi Maria Christo occurrit, est idem ille ubi Martha cum Christo locuta fuerat; unde dicit *nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha*; quod ideo ponit Evangelista, ne credatur superfluus occursus Mariae, cum Christus potuerit adeo cito in castellum venire sicut et Martha. Ideo autem Christus in illo loco remansit, ut non videatur seipsum ingerere miraculo; sed dum rogatus et inductus miraculum operatur, confiteantur ipsum mortuum esse, et miraculum nullam calumniam patiatur. Datur etiam per hoc intelligi, quod cum volumus Christo frui, eum venientem anticipemus, non expectantes quod ipse nobis condescendat: sed ut ipsi potius condescendamus ad eum; Ier. XV, 19: *ipsi convertentur ad te, et tu non converteris ad eos*. Comitiva autem quae sequitur Mariam, describitur cum dicit *Iudaei ergo qui erant cum ea in domo (...) secuti sunt eam*. Causam autem quare eam sequebatur ponit, dicens *quia vadit ad monumentum ut ploret ibi*. Credebant enim quod ex impetu doloris hoc faceret: non enim audierant verba quae Martha dixerat Mariae. In quo quidem Iudaei commendandi sunt, quia, ut dicitur Eccli. VII, 38, *non desis plorantibus in consolatione*. Nihilominus divina providentia factum est ut eam sequerentur, ut cum plures essent ibi cum Lazarus suscitatus est, tam grande miraculum quatruiduani resurgentis testes plurimos inveniret, ut dicit Augustinus. Consequenter cum dicit *Maria ergo cum venisset ubi erat Iesus, videns eum cecidit ad pedes eius*, commendatur devotio Mariae ad Iesum, et primo devotio quam exhibuit facto; secundo devotio quam exhibuit verbo, *ibi domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus*. Circa primum nota in Maria securitatem et humilitatem. Securitatem quidem, quia contra mandatum principum, quod nullus confiteretur Christum, non verecundatur turbam, nec suspicionem Iudaeorum de Christo veretur: cum aliqui inimicorum Christi interessent, ad Christum currit; Prov. XXVIII, 1: *iustus quasi leo confidens, absque terrore erit*. Humilitatem autem, *quia cecidit ad pedes eius*, quod non de Martha legitur; I Petr. V, v. 6: *humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis*; Ps. CXXXI, 7: *adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius*. Verbo autem devotionem exhibuit, cum *dixit ei: domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus*. Credebat enim esse vitam, et ubi ipse esset, mortem locum non habere; II Cor. VI, 14: *non est conventio lucis ad tenebras*. Quasi dicat: dum nobiscum praesens fuisti ut Augustinus dicit, non morbus, non infirmitas aliqua apparere ausa est, apud quas vitam noverat hospitari. O infidelis conventio. Te adhuc posito in saeculo, Lazarus amicus tuus mortuus est. Si amicus moritur, inimicus quid patietur? Consequenter cum dicit *Iesus ergo ut vidit eam plorantem (...) infremuit spiritu, et turbavit se*, ponuntur ea quae pertinent ad affectum Christi. Christus enim non respondet eadem Mariae quae respondit Marthae; sed propter astantem turbam nihil loquitur, factis demonstrans suam virtutem. Primo ergo ponitur affectus Christi ostensus Mariae; secundo subditur disceptatio de Christi affectu, *ibi dixerunt ergo Iudaei: ecce quomodo amabat eum*. Circa primum tria facit. Primo ponitur affectus Christi quem corde habuit; secundo quomodo eum verbis expressit, *ibi et dixit, ubi posuistis eum?* Tertio quomodo eum lacrymis demonstravit, *ibi et lacrymatus est*. Dicit ergo quantum ad primum *Iesus ergo, ut vidit eam plorantem* et cetera. Ubi notandum est, Christum verum Deum esse, et verum hominem; et ideo ubique fere in factis suis mixta leguntur humana divinis, et divina humanis: et si quandoque ponitur aliquid humanum de Christo, statim additur aliquid divinum. Nihil enim infirmius de Christo legimus quam eius passionem; et tamen eo in cruce pendente, divina facta patent, quod sol obscuratur, petrae scinduntur, corpora sanctorum qui dormierant resurgunt. In nativitate etiam et eo iacente in praesepio, sidus de caelo fulget, Angelus laudes cecinit, magi et reges munera offerunt. Simile autem habemus in hoc loco: nam Christus secundum humanitatis affectum aliquid infirmum patitur, turbationem quamdam de morte Lazari concipiens; unde dicit *infremuit spiritu, et turbavit semetipsum*. Circa quam quidem turbationem primo quidem attende pietatem, secundo discretionem, tertio potestatem. Pietatem quidem ex causa, quae est iusta. Tunc enim iuste turbatur quis, si ex aliorum tristitia et malo turbetur: et quantum ad hoc dicit *ut vidit eam plorantem*; Rom. XII, 15: *gaudere cum gaudentibus et flere cum flentibus*. Discretionem autem, quia secundum iudicium rationis turbatur; unde dicit *fremuit spiritu*; quasi iudicium rationis servans. In turbatione enim spiritus

dicitur mens, vel ratio, secundum illud Eph. IV, 23: *renovamini spiritu mentis vestrae*. Quandoque autem contingit quod huiusmodi passiones sensitivae partis nec fiunt spiritu, nec servant moderamen rationis, quin potius ipsam perturbant: quod quidem in ipso non fuit, quia *infremuit spiritu*. Sed quid significat fremitus Christi? Videtur quod significet iram; Prov. XIX, 12: *sicut fremitus leonis, ita et ira regis*. Item videtur quod significet indignationem; secundum illud Ps. CXI, 10: *dentibus suis fremet, et tabescet*. Responsio. Dicendum quod hic fremitus in Christo iram quamdam et indignationem cordis significat. Omnis autem ira et indignatio ex aliquo dolore et tristitia causatur. Duo autem hic suberant: unum de quo Christus turbabatur, quod erat mors homini inflictia propter peccatum; aliud autem de quo indignabatur, erat saevitia mortis et Diaboli. Unde, sicut quando aliquis vult repellere hostem, dolet de malis illatis ab ipso, et indignatur ad animadvertendum in eum, ita et Christus doluit et indignatus est. Potestatem autem, quia ipse suo imperio turbavit semetipsum. Nam huiusmodi quidem passiones aliquando insurgunt ex causa indebita; sicut cum aliquis de malis gaudet et de bonis tristatur; Prov. II, 14: *qui laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis*. Et hoc non fuit in Christo; unde dicit *ut vidit eam plorantem (...) turbavit seipsum*. Aliquando insurgunt ex aliqua causa bona, non tamen ratione moderantur: et propter hoc dicit *infremuit spiritu*. Aliquando autem etsi moderentur ab aliquo, praeveniunt tamen iudicium rationis, cuiusmodi sunt subiti motus. Quod quidem in Christo non fuit: quia omnis motus appetitus sensitivi fuit in eo secundum modum et imperium rationis. Et ideo dicit *turbavit semetipsum*, quasi dicat: iudicio rationis hanc sibi tristitiam assumpsit. Sed contra est quod dicitur Is. XLII, 4: *non erit tristis neque turbulentus*. Responsio. Dicendum quod hoc intelligitur de tristitia praeveniente et immoderata. Voluit etiam Christus se turbare et tristari ex triplici causa. Primo quidem ad probandum conditionem et veritatem humanae naturae. Secundo ut dum tristatur et cohibet seipsum, doceat modum servandum esse in tristitiis. Stoici enim dixerunt quod nullus sapiens tristatur. Sed valde inhumanum esse videtur quod aliquis de morte alicuius non tristetur. Aliqui autem sunt qui in tristitiis de malo amicorum, nimis excedunt. Sed dominus tristari voluit, ut significet tibi quod aliquando debeas contristari, quod est contra Stoicos: et modum in tristitia tenuit, quod est contra secundos. Unde apostolus I Thess. IV, 12: *nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut ceteri qui spem non habent*; Eccli. XXII, 10: *super mortuum plora, quia deficit lux eius*, et postea subdit: *modicum plora supra mortuum, quoniam requievit*. Tertia ratio est ut insinuet quod nos pro mortuis corporaliter tristari et plorare debemus: secundum illud Ps. XXXVII, 9: *afflictus sum, et humiliatus sum nimis*. Consequenter dominus affectum sui cordis verbis demonstrat; unde dicit *ubi posuistis eum?* Sed contra. Numquid dominus locum ubi positus erat ignorabat? Videtur quod non: nam sicut virtute divinitatis absens scivit mortem eius, ita scivit etiam locum sepulcri. Quare ergo quaerit quod scivit? Responsio. Dicendum quod non ut ignorans interrogat, sed dum a populo sibi sepulcrum ostenditur, vult eos confiteri Lazarum mortuum et sepultum: ut sic miraculum ab omnium suspicione eripiat. Sunt ad hoc etiam duae rationes mysticae. Una est, quia qui interrogat, videtur nescire ea de quibus interrogat. Per Lazarum autem in monumento, signantur mortui in peccatis. Ostendit ergo dominus se ignorare locum Lazari, dans per hoc intelligere quod quasi nesciat peccatores, secundum illud Matth. c. VII, 23: *non novi vos*, et Gen. III, 9: *Adam, ubi es?* Alia ratio est, quia quod aliqui a peccato resurgant ad statum iustitiae divinae, est ex profundo praedestinationis divinae: quod quidem profundum homines ignorant; Rom. XI, 34: *quis cognovit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Et Ier. XXIII, 18: *quis enim affuit in consilio domini, et vidit, et audivit sermonem eius?* Et ideo dominus hoc innuens, ad modum nescientis se habuit, cum et ipsi hoc nesciamus. Sic ergo ponitur domini interrogatio, et sequitur populi responsio; unde dicit *dicunt ei: domine, veni et vide. Veni miserando, vide, considerando*; Ps. XXIV, 18: *vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea*. Consequenter dominus affectum suum lacrymis demonstrat; unde subditur *et lacrymatus est Iesus*: quae quidem lacrymae non erant ex necessitate, sed ex pietate et causa. Fons enim pietatis erat, et ideo flebat ut ostenderet non esse reprehensibile si aliquis ploret ex pietate; Eccli. c. XXXVIII, 16: *fili, super mortuum produc lacrymas*. Flevit ex causa, ut doceret hominem propter peccatum fletibus indigere, secundum illud Ps. VI, 7: *laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum*. Consequenter cum dicit *dixerunt ergo Iudaei: ecce quomodo amabat eum*, ponit Evangelista disceptionem de affectu Christi: et primo inducit quosdam admirantes Christi affectum; secundo quosdam in dubium revocantes miraculum prius factum, ibi *quidam autem ex ipsis dixerunt* et cetera. Admirantes autem miraculum Christi inducit Evangelista per modum conclusionis, cum dicit *dixerunt ergo Iudaei*, ostensis scilicet signis affectus Christi, tam verbis quam lacrymis, *ecce quomodo amabat eum*: nam amor maxime in tristitiis hominum manifestatur; Prov. XVII, 17: *in tristitia amicus cognitus est*. Mystice autem

per hoc datur intelligi quod Deus homines etiam in peccatis amat, nisi enim eos amasset, non utique diceret: *non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam*: Matth. IX, 13. Unde Ier. XXXI, 3: *in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*. Vertentes autem in dubium miraculum factum, erant ex invidis Iesu; unde dicit *quidam autem ex ipsis, scilicet Iudaeis, dixerunt: non potuit hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur?* Quasi dicant: si sic amabat eum ut etiam pro eius morte lacrymaretur, videtur quod voluisset eum non mori: nam tristitia est de his quae nobis non volentibus acciderunt. Si ergo eo nolente mortuus est, videtur quod non potuit mortem impedire; multo magis videtur quod non potuerit aperire oculos caeci nati. Vel, dicendum quod hoc dixerunt admirando, eo modo loquendi quo Eliseus dixit IV Reg. II, 14: *ubi est Deus Eliae etiam nunc?* Et David in Ps. LXXXVIII, 50: *ubi sunt misericordiae tuae antiquae, domine?*

## Lectio 6

[87494] Super Io., cap. 11 l. 6 Postquam autem Evangelista posuit quaedam praeambula ad suscitationem, hic consequenter agit de ipsa suscitatione: circa quam quatuor agit. Primo de Christi ad monumentum perventione; secundo de lapidis sublacione, ibi *erat autem spelunca* etc.; tertio de Christi oratione, ibi *Iesus autem, elevatis sursum oculis, dixit* etc.; quarto de mortui resuscitatione, ibi *haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras*. Dicit ergo quantum ad primum *Iesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum*. Studiose autem Evangelista frequenter dicit, quod lacrymatus est et quod infremuit, ut Chrysostomus dicit, quia in futuro ostensurus erat suae divinitatis potestatem. Ne ergo dubites de veritate suae humanitatis, infirmiora et humiliora nostrae naturae de Christo asserit. Et sicut Ioannes ceteris Evangelistis expressius divinam naturam et potestatem ostendit, ita etiam quaedam infirmiora de eo loquitur, sicut quod lacrymatus est, quod infremuit, et huiusmodi, quae maxime affectum in Christo demonstrant humanae naturae. Mystice autem infremuit, ut detur intelligere, eos qui a peccatis resurgunt, in continuo debere persistere luctu, secundum illud Ps. XXXVII, 7: *tota die contristatus ingrediebar*. Vel dicendum, quod supra infremuit spiritu, propter mortem Lazari, hic autem rursus in semetipso propter infidelitatem Iudaeorum. Unde Evangelista praemiserat dubietatem miraculi, dicentium *non potuit hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur?* Qui quidem fremitus fuit ex compassione et miseratione ad Iudaeos; Matth. XIV, 14: *videns Iesus turbas, misertus est eis*. Hic agitur de lapidis sublacione, ubi quatuor facit. Primo describit lapidem; secundo subdit mandatum Christi de lapide submovendo; tertio addit disceptationem de lapidis amotione; quarto insinuat mandati impletionem. Lapis autem describitur superpositus monumento; unde dicit *erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei*. Sciendum est enim, quod in partibus illis cavernas quasdam in modum speluncae habent ad hominum sepulturas, ubi possunt plura mortuorum corpora ponere diversis temporibus, et ideo habent foramen quoddam, quod lapide claudunt et aperiunt quando est necesse. Et ideo dicitur hic, quod *lapis erat superpositus ei*, scilicet ostio speluncae. Simile habetur Gen. XXIII, 1-20, ubi Abraham emit agrum et speluncam ad sepeliendum Saram uxorem suam. Mystice autem per speluncam intelligitur profunditas peccatorum, de qua habetur in Ps. LXVIII, 3: *infixus sum in limo profundi, et non est substantia*. Per lapidem superpositum intelligitur lex, quae in lapide scripta est, et peccatum non tollebat, sed tenebat eos in peccato: quia ex hoc gravius peccabant, quod contra legem faciebant; unde dicitur Gal. III, 22: *conclusit Scriptura omnia sub peccato*. Mandatum Christi de lapide submovendo ponit, dicens *ait Iesus, tollite lapidem*. Sed quaeritur, cum maius sit suscitare mortuum quam remove lapidem, quare non etiam simul cum hac virtute lapidem sustulit? Ad quod respondet Chrysostomus, quod hoc factum est ad maiorem certitudinem miraculi, ut scilicet eos testes faciat miraculi, ut non dicant quod in caeco dixerunt: non est hic, qui mortuus fuit. Mystice, secundum Augustinum, remotio lapidis signat amotionem ponderis legalium observantiarum a fidelibus Christi ex gentibus ad Ecclesiam venientibus, quod eis aliqui imponere volebant. Unde dicit beatus Iacobus, Act. XV, 28: *visum est spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris*. Et Petrus dicit eodem: *cur tentatis imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* De hoc ergo dicit dominus, *tollite lapidem*, idest legis pondus, et gratiam praedicate. Vel per lapidem significat eos qui in Ecclesia corrupte vivunt, et offensionem sunt credere volentibus, dum eos a conversione retrahunt; de quo lapide in Ps. XC, 12: *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Qui quidem dominus praecipit ut removeatur; Is. LVII, 14: *auferte offendicula de via populi mei*. Disceptatio autem ponitur ex parte Marthae, et primo ponuntur verba Marthae disceptantis; secundo verba Christi respondentis. Verba quidem Marthae ponit dicens *dixit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: domine, iam foetet, quatrduanus*



*enim est.* Quod quidem ad litteram factum est ad ostensionem veritatis miraculi, quasi iam per putrefactionem inciperent membra resolvi. Mystice autem de illo qui peccare consuevit *iam foetet*, scilicet per pessimam famam, cuius odor deterrimus per peccatum consurgit. Nam sicut ex bonis operibus fragrat odor bonus, secundum quod dicit apostolus II Cor. II, 15: *Christi bonus odor sumus Deo*, ita ex malis operibus foetor et malus odor evaporat: qui etiam recte quadriduanus dicitur, quasi pressus pondere terrenorum peccatorum et cupiditatum carnalium, terra enim est ultimum de quatuor elementis; Ioel. c. II, 20: *ascendet foetor eius, et ascendet putredo eius, quia superbe egit.* Illi autem Christus respondit dicens *nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?* Ubi dominus videtur Martham arguere, quod non memor erat eius quod Christus ei dixerat: *qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet*; nam Martha diffidebat an Christus posset resuscitare mortuum quadriduanum. Licet enim aliquos recenter mortuos suscitasset, impossibile tamen hoc de fratre credebat ob dierum diuturnitatem. Et ideo dominus dixit ei *nonne dixi tibi: si credideris, videbis gloriam Dei?* Idest suscitationem fratris tui, per quam Deus glorificabitur. Sed cum supra dominus hoc miraculum apostolis dixerit futurum ad gloriam suam, inquit *ut glorificetur filius Dei per eam*, scilicet per mortem, hic tamen dicit Marthae hoc miraculum futurum ad gloriam Dei. Et hoc ideo, quia eadem est gloria patris et filii et spiritus sancti. Ideo autem non expressit hic gloriam filii, ne turbaret astantes Iudaeos, ad contradictionem promptos. Innuitur autem in his domini verbis duplex fructus fidei nostrae. Primus est miraculorum operatio, quae debetur fidei; Matth. XVII, 19: *si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc, et transibit; et nihil impossibile erit vobis.* Unde et apostolus I Cor. XIII, 2: *si habuero fidem, ita ut montes transferam.* Et Mc. ult., 20, dicitur: *illi autem praedicaverunt ubique, domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Quae quidem miraculorum operatio est ad gloriam Dei: et ideo dicit *si credideris, videbis gloriam Dei.* Secundus fructus est visio aeternae gloriae, quae debetur fidei pro praemio; unde dicit *videbis gloriam Dei*; Is. VII, 9, secundum aliam litteram: *si non credideritis, non intelligetis.* I Cor. XIII, 12: *videmus nunc per speculum, et in aenigmate, per fidem, tunc autem facie ad faciem.* Impletionem mandati ponit inferens *tulerunt ergo lapidem.* Ubi considerandum est, secundum Origenem, quod mora tollendi lapidem adiacentem, ex sorore defuncti causata est. Et ideo, tamdiu resuscitatio fratris dilata est quamdiu Christum per verba detinuit, sed statim cum Christi mandatum obediendo exequitur, frater resuscitatur. Ut per hoc discamus nihil interponere inter iussa Iesu et ipsorum executionem, si cupimus quod statim salutis sequatur effectus; Ps. XVII, 45: *in auditu auris obedivit mihi.* Hic agitur de Christi oratione, in qua gratias agit: circa quam Evangelista quatuor ponit. Primo ponit orandi modum; secundo orationis efficaciam; tertio excludit orandi necessitatem; quarto subiungit orationis utilitatem. Modum autem orandi ponit congruentem *quia elevatis sursum oculis*; idest, intelligentiam suam erexit, adducens illam per orationem ad excelsum patrem. Nobis autem, si ad exemplum orationis Christi orare volumus, necesse est levare oculos mentis nostrae ad eum, removendo illos a praesentibus rebus, memoria, cogitationibus et intentionibus. Levamus etiam oculos ad Deum quando non confidentes de meritis nostris, de sola misericordia speramus, secundum illud Ps. CXXII, 1: *ad te levavi oculos meos qui habitas in caelis*, et: *sicut oculi ancillae in manibus dominae suae, ita oculi ad dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*; Thren. III, 41: *levemus corda nostra cum manibus ad dominum in caelis.* Orationis autem efficaciam ponit, cum dicit *pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* In quo argumentum habemus, quod Deus facilis est ad largiendum, secundum illud Ps. X, 17: *desiderium pauperum exaudivit dominus*, ut sic desiderium, etiam antequam proferat verba, exaudiat; Is. c. XXX, 19: *ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi*; et LXV, 24: *adhuc illis loquentibus, dicam, ecce adsum.* Multo ergo magis expedit arbitrari de domino salvatore, quod Deus pater praeveniens eius orationem, eum exaudierit: nam lacrymae quas Christus pro morte Lazari fuderat, vicem orationis habuerunt. Per hoc autem quod in principio orationis gratias agit, datur nobis exemplum quod cum orare volumus, antequam futura petamus, pro perceptis beneficiis Deo gratias referamus; I Thess. V, 18: *in omnibus gratias agite.* Quod autem dicit *quoniam audisti me*, si exponatur de Christo, secundum quod homo, non habet difficultatem: sic enim Christus minor patre erat, et secundum hoc competit sibi orare patrem, et exaudiri ab eo. Si vero, ut Chrysostomus vult, exponatur de Christo, secundum quod Deus, tunc verbum difficultatem habet: nam secundum hoc, ei orare non convenit nec exaudiri sed potius aliorum orationes exaudire. Et ideo dicendum, quod tunc aliquis auditur quando voluntas eius impletur. Voluntas autem patris semper impletur, quia, ut dicitur in Ps. CXIII, 3, *omnia quaecumque voluit dominus fecit.* Cum ergo eadem sit voluntas patris et filii, quandocumque pater implet voluntatem suam, implet voluntatem filii. Dicit ergo filius, secundum quod verbum, *quoniam audisti me*, idest, fecisti quae erant in verbo

tuo ut fierent. Dixit enim, et perfecta sunt. Necessitatem autem orandi excludit dicens *ego autem sciebam quoniam semper me audis* et cetera. Ubi quasi obumbrate dominus suam divinitatem ostendit, quasi diceret: ad hoc ut fieret voluntas mea, non indigeo oratione, quia ab aeterno voluntas mea impleta est; Hebr. V, 7: *in omnibus exauditus est pro sua reverentia*. Nam ego *sciebam*, scilicet certitudinaliter, *quoniam semper me*, verbum, *audis*: quia quidquid facis, in me est ut fiat. Item *me*, hominem, *semper audis*, quia voluntas mea semper est conformis voluntati tuae, *sed propter populum qui circumstat, ut credant quia tu me misisti*. In quo datur intelligi quod multa fecit et dixit propter utilitatem aliorum; infra c. XIII, 15: *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*. Nam omnis Christi actio, nostra est instructio. Voluit autem Christus specialiter per istam operationem demonstrare, se non esse alienum a patre, sed recognoscebat eum ut suum principium: et ideo subdit *ut credant quia tu me misisti*; infra XVII, 3: *haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum*; Gal. c. IV, 4: *misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Et in hoc ponitur orationis utilitas. Hic agitur de suscitatione Lazari, et circa hoc tria facit. Primo ponitur vox excitantis; secundo vocis effectus ibi *et statim prodiit qui fuerat mortuus*; tertio mandatum de solutione excitati, ibi *dicit eis Iesus: solvite eum*. Vox autem excitantis ponitur magna, unde dicit *haec cum dixisset*, scilicet Iesus, *voce magna clamavit*: et hoc ad litteram, ut destrueret errorem gentilium et quorundam Iudaeorum, dicentium animas mortuorum commorari in tumulis cum corporibus. Et ideo *clamat*, quasi animam ex longinquo evocans in tumulto non existentem. Vel dicendum, et melius, quod vox Christi magna dicitur propter virtutis eius magnitudinem: nam tanta virtus eius fuit quod suscitavit Lazarum quatruiduanum a morte, quomodo excitaretur dormiens a somno; Ps. c. LXVII, 34: *dedit voci suae vocem virtutis*. Vox etiam ista magna, repraesentativa est illius magnae vocis quae erit in communi resurrectione, per quam omnes de monumentis resuscitabuntur; Matth. XXV, 6: *media nocte clamor factus est* et cetera. Clamat, inquam, dicens *Lazare, veni foras*. Quem ideo ex proprio nomine vocat, quia tanta erat virtus vocis eius quod pariter omnes mortui cogerentur exire, nisi per expressionem nominis virtutem suam ad unum determinasset, ut Augustinus dicit de verbo domini. Datur etiam per hoc intelligi quod Christus vocat peccatores foras exire de conversatione peccati: Apoc. XVIII, 4: *exite de illa, populus meus*. Item de occultatione eius per confessionem ipsum peccatum manifestando; Iob XXX, 33: *si abscondi quasi homo peccatum meum*. Consequenter cum dicit *et statim prodiit qui fuerat mortuus*, ponitur vocis effectus: et primo ponitur mortui resurrectio; secundo resurgentis mortui dispositio. Resurrectio quidem mortui fuit festina ad domini imperium; unde dicit *et statim prodiit qui fuerat mortuus*. Tanta enim erat virtus vocis Christi ut absque temporis dilatione vitam conferret: sicut erit in resurrectione communi, quando in ictu oculi, mortui audientes tubam canentem, *mortui qui in Christo sunt, resurgent primi*, ut dicitur I Thess. IV, 15. Iam enim anticipatur officium Christi, quod dicitur supra V, 25: *venit hora, et nunc est, quando mortui qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et qui audierint vivent*. Sic ergo impletum est quod dixerat dominus: *vado, ut excitem eum*. Quantum autem ad dispositionem resurgentis, dicitur *ligatus*, idest habens ligatas *manus et pedes institis*, idest fasciis, quibus antiqui mortuos involvebant, *et facies eius sudario erat ligata*, ne scilicet horrorem faceret. Ideo autem ligatum et coopertum resurgere iussit, ut miraculum magis approbaretur. Consequenter cum dicit *solvite eum, et sinite abire*, mandat ut solvatur. Cuius quidem ratio est, ut ipsimet qui solverent, fidentiores testes essent miraculi, et eius quod fit tenaciorem memoriam haberent. Similiter etiam dum eum tangunt et sibi appropinquant, videant quod vere est ille. Ideo autem addit *et sinite abire*, ut ostendat miraculum non esse phantasticum. Aliqui enim magi visi sunt aliquando mortuos suscitasse, non tamen ad hoc eos perducere potuerunt ut pristina officia exequerentur: et hoc quidem erat, quia eorum resuscitatio phantastica tantum erat, et non vera. Sciendum est autem, quod hoc totum quod dicitur *et statim prodiit* mystice exponitur ab Augustino; et hoc dupliciter, secundum duplicem modum prodeundi. Prodit namque peccator quando exit poenitendo a consuetudine peccati ad statum iustitiae; II Cor. VI, 17: *exite de medio eorum, et separamini*. Qui tamen habet manus ligatas institis, idest carnalibus concupiscentiis: quia adhuc in corpore constituti, alieni a molestiis esse non possunt, etiam a peccatis surgentes, unde apostolus dicit, Rom. VII, 25: *ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*. Quod autem facies eius sudario tecta erat, hoc est quod in hac vita plenam cognitionem Dei habere non possumus; I Cor. c. XIII, 12: *videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem*. Et ideo solvere eum iubet, et abire: quia post hanc vitam auferentur a peccato surgentibus omnia velamina, ut Deum *facie ad faciem* contemplantur, ut dicitur I Cor. XIII, v. 12. Tunc enim solvetur corruptibilitas corporis, quae est quasi quoddam vinculum ligans et aggravans animam, ab omni huiusmodi plena et clara contemplatione; Is. LII, v. 2:

*solve vincula colli tui, captiva filia Sion.* Sic ergo apparet unus modus spiritualiter prodeundi, qui ponitur ab Augustino, libro LXXXIII quaestionum. Alius modus prodeundi est per confessionem, de quo dicitur Prov. XXVIII, 13: *qui abscondit scelera sua, non dirigitur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Sic enim prodire est ab occultis exeundo, per confessionem manifestari; sed ut confitearis, Deus facit voce, idest gratia, magna vocando. Mortuus autem procedens adhuc ligatus, est confitens adhuc reus. Ut autem solvantur peccata eius, ministris mandatur ut solvant eum, et sinant abire. Nam quem Christus per seipsum interius vivificat, discipuli solvunt, quia ministerio sacerdotum vivificati absolvuntur; Matth. XVI, 19: *quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Dicunt autem quidam hoc mysterium prosequentes, quod sicut Christus Lazarum per seipsum vivificavit, vivificatum a discipulis absolvendum mandavit; ita Deus interius vivificat animam per gratiam, remittendo culpam, et absolvendo a reatu poenae aeternae, sed sacerdotes virtute clavium absolvunt a parte poenae temporalis. Sed haec positio nimis parum attribuit Ecclesiae clavibus. Hoc est enim proprium sacramentorum novae legis quod in eis gratia conferatur. Sacramenta autem in dispensatione ministrorum consistunt, unde in sacramento poenitentiae contritio et confessio se tenent materialiter, ex parte suscipientis sacramentum; vis autem causativa sacramenti est in absolutione sacerdotis, ex virtute clavium, per quas effectum dominicae passionis quodammodo applicat ad eum quem absolvit, ut remissionem consequatur. Si ergo sacerdos non absolveret nisi solum a poena, sacramentum poenitentiae non esset gratiae collativum, per quam culpa remittitur; et per consequens non esset sacramentum novae legis. Est ergo dicendum, quod sicut in sacramento Baptismi sacerdos verba proferens et exterius abluens, ministerium Baptismi exhibet, Christo interius baptizante, ita sacerdos exterius virtute clavium ministerium absolutionis impendit, Christo per gratiam culpam remittente. Sed hoc dubium facere videtur quod ad Baptismum plerumque accedunt pueri, non ante Baptismum iustificati, qui in Baptismo remissionis gratiam consequuntur; sed ad absolutionem consequendam accedunt adulti plerumque antea per contritionem, peccatorum remissionem consecuti: ut sic sequens absolutio nihil facere videatur ad peccatorum remissionem. Sed si quis diligenter consideret, ex utraque parte adultos accipiens, invenietur omnimoda similitudo. Contingit enim aliquos adultos, antequam actu sacramentum Baptismi consequantur, habentes illud in voto, remissionem peccatorum consequi, Baptismo flaminis baptizari; et tamen Baptismus sequens, quantum est de se, remissionem peccatorum operatur, licet in isto cui iam sunt remissa, hoc locum non habeat, sed solum augmentum gratiae consequatur. Si quis autem adultus ante Baptismum non perfecte fuisset dispositus ad consequendum remissionem peccatorum, in ipso actu dum baptizatur remissionem consequitur virtute Baptismi, nisi ponat per fictionem obstaculum spiritui sancto. Et similiter est dicendum in poenitentia. Si quis enim ante absolutionem sacerdotis plene contritus fuerit, consequitur remissionem peccatorum, eo quod habet in voto ut subiiciat se Ecclesiae clavibus, sine quo vera contritio non esset. Si autem antea non plena fuisset contritio sufficiens ad remissionem, in ipsa absolutione remissionem culpae consequitur, nisi ponat obstaculum spiritui sancto. Et similiter est in Eucharistia et extrema unctione, et in aliis sacramentis.

## Lectio 7

[87495] Super Io., cap. 11 l. 7 Postquam Evangelista posuit Lazari mortem et eius resurrectionem, hic consequenter ponit effectum resurrectionis, et primo ponit effectum eius in turba; secundo ponit effectum eius in principibus, ibi *collegerunt ergo pontifices et Pharisei Concilium.* Circa primum duo facit. Primo inducit quosdam credentes, dicens *multi ergo ex Iudaeis qui venerant ad Mariam et Martham, ad eas consolandas, et viderant quae fecit Iesus, crediderunt in eum.* Nec mirum, quia tale miraculum non est auditum a saeculo, quod scilicet mortuus quatruiduanus in monumento resuscitaretur ad vitam. Similiter etiam dominus dicit, miraculum istud se facturum propter populum qui circumstabat, ut scilicet credant in eum: et ideo verbum istud non ivit incassum, sed ex miraculo viso multi crediderunt. I Cor. c. I, 22: *Iudaei signa quaerunt.* Secundo inducit quosdam denuntiantes, dicens *quidam autem ex ipsis venerunt ad Phariseos* et cetera. Quod quidem potest dupliciter intelligi. Uno modo quod dixerunt ea quae Iesus fecit principibus sacerdotum, ut mitigarent eos adversus Iesum, et ut confutarent eos de hoc quod adversus Iesum, qui tam mira faciebat, machinarentur. Alio modo, et melius, quia hoc dixerunt ut concitarent eos contra Christum. Nam infideles erant, et de miraculo scandalizabantur. Et hoc patet ex ipso modo loquendi. Nam cum dixerat *multi ergo ex Iudaeis (...) crediderunt in eum.* Subiungit quasi adversantem, dicens *quidam autem ex ipsis abierunt ad Phariseos* et cetera. Hi sunt de

quibus dicitur infra XII, 37, quod *cum tanta signa fecisset Iesus coram eis, non crediderunt in eum (...)* *dilixerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei*. Consequenter cum dicit *collegerunt ergo pontifices et Pharisei Concilium*, ponit Evangelista effectum miraculi in principibus, et primo ponit malitiam quam contra Christum excogitaverunt; secundo ostendit quomodo Christus eam declinavit, ibi *Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudaeos*. Circa primum tria facit. Primo ponit Concilii congregationem; secundo subdit congregatorum dubitationem, ibi *et dicebant: quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Tertio assignat dubitationis determinationem, ibi *unus autem ex ipsis* et cetera. Ostenditur autem circa primum pontificum nequitia ex tribus. Primo ex personarum conditione, quia non plebei, sed pontifices et Pharisei. Pontifices autem, quia erant principes sacrorum; Pharisei vero, quia speciem religionis habebant, ut sic impleatur quod dicitur Gen. penult., 5: *Simeon et levi fratres, vasa bellantia iniquitatis*. Nam de Simeone fuerunt adinventores sectae Pharisaeorum. Pontifices autem manifestum est de tribu levi fuisse; I Esd. IX, 2: *manus principum prima erat in transgressione hac*. Secundo ex malitiae deliberatione; unde dicit *collegerunt Concilium*, quod est factum ad consiliandum; Gen. penult., 6: *in consilium eorum non veniat anima mea*; Ps. I, 1: *beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* et cetera. Sed, ut dicitur Prov. XXI, 30: *non est consilium contra dominum*. Tertio ex prava intentione, quia adversus Iesum, idest salvatorem; Ps. XL, 8: *adversum me loquebantur inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi*; Jer. XVIII, 18: *venite, cogitemus contra Ieremiam cogitationes*. Consequenter cum dicit *quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Ponit ipsorum dubitationem, et primo ponit dubitationis motivum; secundo dubitationis materiam, ibi *si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*. Movebant autem eos ad dubitandum miracula Christi; unde dicebant *quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Caeci sunt, adhuc eum hominem vocantes, cuius tantam susceperunt divinitatis demonstrationem. Nam, ut ipse dicit supra c. V, 36: *opera quae dedit mihi pater ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me*. Sunt etiam non minus insipientes quam caeci: quia dubitant quid eos facere oporteat, cum nihil aliud eis faciendum erat, quam credere; supra VI, 30: *quod signum facis, ut credamus tibi?* Sed ecce quod multa signa fecit, et adhuc dicunt *quia hic homo multa signa facit. Excaecavit enim eos malitia eorum*: Sap. II, 21. Materia autem dubitationis fuit, quia timebant damna eos secutura. Et ponit duo quantum ad hoc. Primo amissionem principatus spiritualis; et quantum ad hoc dicit *si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*: quod quidem secundum rei veritatem optabile erat omnibus, nam fides quae est ad Christum, salvat et ad vitam aeternam perducit; infra XX, v. 31: *haec scripta sunt ut credatis (...)* *et ut credentes vitam habeatis in nomine eius*. Sed quantum ad eorum pravam intentionem eis horrendum videbatur, cum crederent, nullum eorum qui crederent in Christum, eis obedire. Unde ex eorum ambitione seipsos et alios retrahunt a salute. Unde dicitur in III Canon. Io.: *is quis amat primatum gerere in eis, Diotrefhes, non recipit nos*. Secundo ponit ambitionem possessionis temporalis, cum dicit *et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem*: quod videtur ex hoc sequi, secundum Augustinum: quia si omnes in Christum crederent, nemo remaneret qui adversus Romanos templum Dei defenderet, quia desererent sanctum templum et suas paternas leges, contra quas doctrinam Christi esse sentiebant. Sed hoc non videtur multum ad propositum pertinere, cum adhuc servirent Romanis, nec excogitassent contra eos movere bellum. Et ideo melius videtur dicendum, secundum Chrysostomum, quod ideo hoc dicebant quia videbant Christum honorari a populo tamquam rex. Et quia mandatum Romanorum erat ut nullus nisi per eos rex nominaretur, ideo timebant quod si hoc audirent Romani, quod Christum haberent tamquam regem, reputarent ipsos Iudaeos rebelles et venientes contra eos, destruerent civitatem et gentem; infra XIX, 12: *omnis qui se regem facit, contradicit Caesari*. Sed attende eorum miseriam, quia nihil timent perdere nisi temporalia, de vita aeterna non cogitantes; Deut. XXXIII, 28: *oculus Iacob ad terram*. Sed, ut dicitur Proverb. XVI, 24, *quod timet impius, veniet super eum*. Ideo Romani post passionem domini et glorificationem, tulerunt eis et locum et gentem, expugnando et transferendo. Determinationem autem dubitationis ponit, cum dicit *unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis*. Et primo ponitur determinatio; secundo determinationis expositio, ibi *hoc a semetipso non dixit*; tertio sententiae a congregatione acceptatio, ibi *ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum*. Circa primum duo facit. Primo describit personam sententiantis; secundo ponit verba sententiae, ibi *vos nescitis quidquam* et cetera. Persona sententians describitur ex nomine et ex dignitate. Ex nomine quidem, quia *Caiphas*; quod quidem nomen convenit suae malitiae. Interpretatur enim primo investigans, quod attestatur suae praesumptioni; Prov. XXV, 27: *qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria*. Praesumpsit enim cum dixit: *adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus*. Secundo interpretatur sagax, quod attestatur eius astutiae, quia nititur mortem Christi procurare. Tertio

interpretatur ore vomens, quod attestatur eius stultitiae; Prov. XXVI, 11: *sicut canis qui revertitur ad vomitum*. Ex dignitate autem describitur, quia *pontifex anni illius*. Circa quod sciendum est, quod, ut habetur Lev. VIII, dominus constituit unum summum sacerdotem, cui mortuo unus succederet, qui per totam vitam pontificis officium exerceret. Postmodum autem, crescente ambitione et contentione inter Iudaeos, constitutum est ut plures essent pontifices, et ad omnes vicissim huiusmodi dignitas proveniret, et per annos singulos vicibus ministrarent. Et quandoque etiam hoc sibi pecunia procurabant; ut Iosephus de isto narrat. Et ad hoc ostendendum dicit *anni illius*. Consequenter cum dicit *vos nescitis quidquam* etc., ponit verba determinantis: qui quidem primo exprobrat aliis ignaviam, dicens *vos nescitis quidquam, nec cogitatis*, quasi dicat: vos estis ignavi, et adhuc segnius rem attenditis. Et ideo, secundo, ponit suam malitiam, dicens *expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo*. Quae quidem verba alium intellectum habent, secundum intentionem Caiphae, et alium, secundum expositionem Evangelistae. Ut ergo primo exponatur secundum eius pravam intentionem, sciendum est, quod, ut dicitur Deut. XIII, 1 ss., mandatum est domini: *si fuerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, et voluerit te a domino retrahere, propheta ille, ut fictor somniorum, interficiatur*. Secundum hanc ergo legem credebat iste, quod Christus averteret populum a cultu Dei; Lc. XXIII, 2: *hunc invenimus subvertentem gentem nostram*. Et ideo dicebat iste *vos nescitis*, scilicet legem, *nec cogitatis quia expedit vobis, scilicet ut unus*, idest iste homo, *moriatur*, ne totus populus seducatur; quasi dicat: unius hominis salutem pro communi republica oportet contemnere. Unde sequitur Deut. XIII, 5: *et auferes malum de medio populi tui*; I Cor. V, 13: *auferite malum ex vobis ipsis*. Sed aliter Evangelista exponit, dicens *hoc autem a semetipso non dixit* et cetera. Ubi tria ponit. Primo horum verborum auctorem; secundo ipsorum rectum sensum, ibi *quia Iesus moriturus erat pro gente*; tertio addit Evangelista ad verba Caiphae, ibi *et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum*. Circa primum sciendum est, quod quia posset aliquis credere Caipham instinctu proprio verba dicta protulisse, Evangelista hoc excludens dicit *hoc autem a semetipso non dixit*. In quo datur intelligi, quod aliquis aliquando a semetipso loquitur. Homo enim est illud quod principale est in ipso, hoc autem est intellectus et ratio: unde homo id quod est, per rationem est. Quando ergo homo loquitur ex propria ratione, tunc loquitur a semetipso, sed quando loquitur ab aliquo superiori et exteriori instinctu, non loquitur a semetipso. Dupliciter tamen hoc contingit. Quandoque ut motus a spiritu divino, secundum illud Matth. X, v. 20: *non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*. Quandoque autem ut motus a spiritu maligno, sicut arreptitii: et utique aliquando dicuntur prophetare. Quod quidem moti a spiritu divino prophetent, dicitur II Petr. I, 21: *non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed a spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*. Quod autem moti a spiritu maligno prophetent, habetur Ier. XXIX, 26: *dedit te dominus sacerdotem pro Ioiada sacerdote, ut sis dux in domo domini super omnem virum arreptitium et prophetantem*. Sciendum est etiam, quod aliquando loquitur aliquis instinctu spiritus sancti vel spiritus maligni, qui tamen amittit usum rationis, et arripitur. Aliquando autem manet ei liber usus rationis, nec arripitur. Nam quando superabundant vires sensitivae ex superiori impressione, ligatur ratio, et movetur, et arreptus est. Quia vero Daemon habet potestatem imprimendi in phantasiam, cum sit potentia affixa organo, potest in eam aliquando sic imprimere quod ex impressionis abundantia ratio efficiatur quasi ligata, non tamen quod cogatur ad consensum; et tunc homo arripitur a spiritu maligno. Restat ergo quaestio an Caiphas verba ista instinctu spiritus sancti dixerit, vel maligni. Et videtur quod non dixerit instinctu spiritus sancti: nam spiritus sanctus est spiritus veritatis, ut dicitur Ier. c. XV. Spiritus autem malignus est spiritus mendacii; III Reg. ult., 22: *egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum*. Constat autem quod Caiphas locutus fuerit mendacium, dicens *expedit vobis ut unus moriatur*. Non ergo locutus est instinctu spiritus sancti, ut videtur, sed prophetavit instinctu spiritus maligni arreptitii. Hoc autem non videtur consonare dictis Evangelistae: nam si ita esset, Ioannes non addidisset *cum esset pontifex anni illius*. Ideo ergo Caiphae dignitatem addidit, ut insinuaret eum instinctu spiritus sancti fuisse locutum. Ex quo datur nobis intelligi quod etiam malos in dignitate constitutos spiritus sanctus movet ad loquendum aliqua vera et futura pro utilitate dumtaxat subditorum. Ad illud ergo quod in contrarium dicitur, scilicet falsum esse quod dixit *expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo*, dupliciter responderi potest. Uno modo, quod mors Christi quantum est de se, expediens fuit omnibus, etiam his qui eum occiderunt; I Tim. IV, 10: *qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium*; Hebr. II, 9: *ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*. Alio modo ut dicatur *expedit vobis*, idest populo. Unde Evangelista, ubi Caiphas dicit *ut moriatur pro vobis*, ponit *pro gente*. Sed videtur ex verbis Evangelistae quod fuit propheta, cum dicit *prophetavit*. Si enim prophetat quis, sequitur eum esse prophetam. Sed, secundum Origenem, non sequitur quod

quicumque prophetat sit propheta: sed si propheta est, utique prophetat; nam alicui quandoque conceditur actus alicuius rei, cuius tamen conditio ei non conceditur; sicut non quicumque facit aliquid iustum, est iustus, sed qui iustus est, iusta facit. Notandum est autem, quod duplex actus concurret ad hoc quod aliquis prophetet: scilicet videre; I Reg. IX, 9: *qui nunc dicitur propheta, olim vocabatur videns*. Item annuntiare: I Cor. XIV, 3: *propheta omnibus loquitur ad aedificationem*. Contingit autem quandoque quod utrumque aliquis habet, non tamen proprie dicitur propheta: nam quandoque aliquis habet propheticam visionem, sicut Nabuchodonosor et Pharaos; et similiter ipsam visionem aliis nuntiaverunt; non tamen prophetae dici possunt, quia defuit eis aliquid, scilicet intelligentia visionis, qua opus est in visione, ut dicitur Dan. X, 1. Caiphas autem licet visionem propheticam non habuerit, habuit tamen denuntiationem rei propheticam, in quantum scilicet denuntiavit utilitatem mortis Christi. Quandoque namque spiritus sanctus movet ad totum quod pertinet ad prophetiam, quandoque autem ad aliquid tantum. Caiphae autem nec mentem illuminavit, nec imaginationem; et ideo eius mens et imaginatio ad malum intenta mansit: movit tamen linguam eius, ut proferret modum quo salus populi impleretur. Unde non dicitur propheta nisi in quantum habuit propheticum actum in denuntiatione, imaginatione et ratione eius ad contrarium existente. Ex quo patet quod non magis potest dici propheta quam asina Balaam. Consequenter cum dicit *et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum*, addit Evangelista ad verba pontificis, dicens, quod Iesus non tantum moriturus erat pro gente populi, scilicet Iudaeorum, ut Caiphas dixit, Hebr. ult. 12: *Iesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*, sed addit etiam pro toto mundo; unde subdit *ut filios Dei qui dispersi erant, congregaret in unum*. Ubi cavenda est haeresis Manichaeorum dicentium, animas aliquas esse de substantia divina, et vocari filios Dei; et ad has congregandas in unum dicunt Deum venisse. Sed hoc est erroneum; quia, ut dicitur Ez. c. XVIII, 4: *omnes animae meae sunt*, scilicet creatione. Et ideo quod dicit *ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum*, non est intelligendum quod tunc iam acceperant adoptionis spiritum: quia, ut Gregorius dicit, nec oves eius neque filii Dei adhuc erant per adoptionem. Sed est intelligendum secundum praedestinationem, ut dicatur *ut filios Dei*, scilicet ab aeterno praedestinos, Rom. c. VIII, 29: *quos praescivit conformes fieri imagini filii eius, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, qui erant dispersi, per diversos ritus et gentes, congregaret in unum*, scilicet in unitatem fidei; supra X, 16: *alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere (...) et fiet unum ovile et unus pastor*; Ps. CXLVI, 2: *aedificans Ierusalem dominus, dispersiones Israelis congregabit*. Consequenter cum dicit *ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum*, ponit Evangelista consensum Iudaeorum in mortem Christi. Sed numquid non ante cogitaverunt eum occidere? Videtur quod sic: quia supra in pluribus locis dicitur, quod Iudaei quaerebant eum interficere. Responsio. Dicendum quod ante habuerunt quidem instinctum ad eum occidendum; sed *ab illo die*, concitati ad iram ex verbis Caiphae, tractaverunt firmo proposito eum occidere. Prov. I, 16: *pedes eorum ad malum currunt*.

## Lectio 8

[87496] Super Io., cap. 11 l. 8 Hic Evangelista ponit quomodo Christus eorum malitiam declinavit, et primo ponit modum declinationis ex parte Christi; secundo effectum admirationis ex parte populi, ibi *proximum autem erat Pascha Iudaeorum*. Modus autem declinationis fuit per occultationem, et recessum Christi a Iudaeis. Nam post consilium cautius se observans, *non in palam ambulabat apud Iudaeos*, sed nec ad aliquam civitatem abiit populatam *sed in regionem remotam, iuxta desertum in civitatem quae dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis*. Sed numquid defecerat potentia eius, in qua, si vellet, inter Iudaeos palam conversaretur, et nihil ei facerent? Absit. Sed hoc fecit non propter defectum potentiae sed ut exemplum discipulis demonstraret. In quo apparet non esse peccatum, si fideles eius, oculis persequentium se subtraherent, et furorem sceleratorum latendo potius evitarent, quam se ostendendo eis, magis accenderent: secundum illud Matth. X, 23: *si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Origenes autem dicit, quod nullus debet se periculis ingerere; tamen valde laudabile est quod quando iam pericula imminet, nec Iesu vitare confessionem, nec recusare subire mortem, gratia veritatis. Et hoc propter duas rationes. Primo, quia valde praesumptuosum est periculis se ingerere propter inexperientiam propriae virtutis, quae quandoque fragilis invenitur, et propter futuri eventus incertitudinem; I Cor. X, 12: *qui se existimat stare, videat ne cadat*. Secundo ne nos ingerentes persecutoribus, occasionem praestemus eis, ut magis impii et noxii fiant; I Cor. X, v. 32: *sine offensione estote Iudaeis, et gentibus, et Ecclesiae Dei*. Ponitur effectus admirationis in populo, et primo ponitur admirandi occasio; secundo ponitur ipsa

admiratio; tertio admirationis ratio. Occasio autem quaerendi et admirandi ponitur duplex. Prima quidem ex conditione temporis, quia *proximum erat Pascha Iudaeorum*: in quo recolitur memoria transitus Hebraeorum de Aegypto; Ex. XII, 11: *est enim phase, idest transitus domini*. Addit autem *Iudaeorum*, quia ipsum Pascha Iudaei male et indebite celebrabant: nam quando devote Pascha celebramus, tunc dicitur Pascha Dei, Is. I, 13: *solemnitates vestras non feram*. Secunda vero ex concursu populi, quia *ascenderunt multi Ierosolymam de regione*: nam, ut legitur Ex. XXIII, tribus temporibus in anno, seu festivitibus, filii Israel se debebant domino praesentare, inter quae primum erat Pascha, et ideo magna multitudo ascendeat Ierosolymam, ubi erat templum. Sed quia nondum erat tempus Paschae, quo debebant ascendere, ideo Evangelista consequenter causam ascensus assignat, subdens *ut sanctificarent seipsos*: nullus enim audebat comedere agnum nisi mundus, et ideo praeveniebant tempus Paschae, ut interim purificantes seipsos, possent in Pascha agnum rite comedere. In quo datur nobis exemplum, ut tempore quadragesimali ieiuniis et bonis operibus nos purificemus, ut in Pascha rite sumamus corpus domini nostri. Admiratio autem ponitur ex causa absentiae domini: et hoc est quod dicit *quaerebant ergo Iesum*, non quidem ad honorandum, sed ad occidendum, *et colloquebantur adinvicem in templo stantes: quid putatis, quia non venit ad diem festum istum?* Sed notandum, quod quando dies festus agitur sancte, semper dominus est in die festo; Matth. c. XVIII, 20: *ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Et ideo nos congregati in domo Dei, quaeramus Iesum, mutuo nos consolando et exorando ut veniat ad diem festum nostrum. Quando vero non sancte agitur festum, tunc non venit Iesus; Is. I, 14: *Kalendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea*. Ratio autem admirationis et absentiae Iesu subditur quia *dederant pontifices et Pharisei mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, scilicet Iesus, indicet, ut apprehendant eum*, scilicet ad occidendum. Supra VIII, 21: *quaeritis me, et in peccato vestro moriemini*. Sed, ut Augustinus dicit, nos qui scimus ubi Christus est, quia ad dexteram patris, indicemus eis, ut sic utinam apprehendant eum per fidem.

© 2009 Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem

Iura omnia asservantur

OCLC nr. [49644264](#)

CORPUS THOMISTICUM  
Sancti Thomae de Aquino  
Super Evangelium S. Ioannis lectura  
caput XII

Textum Taurini 1952 editum  
ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas  
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

Caput 12

Lectio 1

[87497] Super Io., cap. 12 l. 1 In praecedentibus Evangelista ostendit divinitatis Christi virtutem per ea quae in vita fecit et docuit; hic autem incipit ostendere virtutem divinitatis ipsius quantum ad passionem et mortem eius; et primo agit de passione et morte eius; secundo de resurrectione ipsius, XX capitulo, ibi *una autem sabbati* et cetera. Prima pars dividitur in tres. In prima ostendit causas sive occasiones passionis et mortis eius; in secunda ponitur praeparatio discipulorum, a quibus per mortem erat corporaliter recessurus, XIII capitulo, ibi *ante diem festum Paschae* etc.; in tertia agitur de ipsa passione et morte eius, XVIII capit., ibi *haec cum dixisset Iesus, egressus est* et cetera. Causa autem, sive occasio passionis Christi fuit duplex: scilicet gloria ipsius Christi, quae invidiam excitavit, et infidelitas Iudaeorum, quae ipsos excaecavit. Primo agit de gloria Christi; secundo de infidelitate Iudaeorum, ibi *cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*. Circa primum tria facit. Primo ostendit quomodo Christus glorificatus est ab hominibus; secundo quomodo glorificatus est a Deo, ibi *nunc anima mea turbata est* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ostendit quomodo glorificatus est a familiaribus et domesticis; secundo quomodo glorificatus est a turba Iudaeorum, ibi *cognovit ergo turba multa* etc.; tertio quomodo glorificatus est a gentilibus, ibi *erant autem gentiles* et cetera. Circa primum duo facit. Primo proponit gloriam Christi in ministerio sibi a familiaribus exhibito; secundo zelum proditoris ex hoc concitatum, ibi *dixit ergo unus ex discipulis* et cetera. Circa primum tria facit. Primo describit tempus; secundo locum, ibi *venit Iesus in Bethaniam* etc.; tertio obsequium Christo exhibitum, ibi *fecerunt autem ei coenam* et cetera. Dicit ergo primo: dictum est, quod Christus ante festum Paschae abiit in regionem iuxta desertum, et quod imminente solemnitate paschali quaerebatur a Iudaeis. Ergo imminente paschali tempore, quo agnus typicus immolabatur, ipse tamquam verus agnus ad locum passionis accessit, pro salute mundi voluntarie immolandus: secundum illud Is. LIII, 7: *oblatus est, quia ipse voluit*. Dicit autem *ante sex dies Paschae*, ut intelligas diem Paschae non quidem quartum decimum diem primi mensis, in qua ad vesperam immolabatur paschalis agnus, ut habetur Ex. XII, sed potius hic dicitur Pascha decimaquinta dies, quae tota erat festiva, et illo anno occurret feria sexta in qua passus est dominus; ita quod sextus dies ante Pascha, fuit prima feria, id est dies dominicus, in qua dominus ramis palmarum Ierosolymam intravit, et in die praecedenti, scilicet sabbato, Christus venit in Bethaniam: et hoc est quod dicitur *ante sex dies Paschae*. Convenit autem hic numerus mysteriis. Primo quidem quantum ad numerum: numerus enim senarius perfectus est, unde et Deus opera creationis perfecit sex diebus, ut dicitur Gen. I. Et propter hoc decuit quod sex diebus quodammodo compleretur opus passionis, quo omnia sunt restaurata, secundum illud Coloss. I, 20: *pacificans per sanguinem suum sive quae in caelis, sive quae in terris sunt* et cetera. II Cor. V, v. 19: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Secundo congruit



mysterio quantum ad figuram. Mandatur enim Ex. XII, quod decima die mensis primi tollat unusquisque per familias suas agnum paschalem immolandum. Unde et dominus decimo die primi mensis, hoc est sexta die ante decimum quintum diem, Ierusalem intrare voluit, quasi ad locum immolationis accedens; ut patet per id quod dicitur infra eodem: *in crastino autem turba multa quae venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Iesus Ierosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei*. Deinde describitur locus: *venit Bethaniam* et cetera. Bethania autem erat vicus prope Ierusalem, et interpretatur domus obedientiae: unde congruit mysterio. Primo quidem quantum ad causam passionis, secundum illud Phil. II, 8: *factus est obediens patri usque ad mortem*; secundo quantum ad fructum passionis, quem consequuntur soli illi qui ei obediunt, secundum illud Hebr. V, 9: *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* et cetera. Signanter autem additur *ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit Iesus*, quia in domo obedientiae illi qui sunt spiritualiter mortui in peccatis, resuscitantur reducti ad viam iustitiae. Rom. V, 19: *per unius hominis obedientiam, iusti constituentur multi*. Sed secundum litteram hoc dicitur ad ostendendum quod Christus in Bethaniam venit ut memoriam resurrectionis Lazari revocaret. Ps. CX, 4: *memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator dominus*. Deinde cum dicit *fecerunt autem ei coenam ibi*, ponit obsequium Christo exhibitum a suis familiaribus, et primo in communi quantum ad omnes; secundo in speciali quantum ad singulos, *ibi et Martha ministrabat*. Convenit autem mysterio, quod *ibi*, idest in Bethania, *fecerunt ei coenam*, quia dominus in domo obedientiae spiritualiter reficitur, delectatus in obedientia nostra, secundum illud Apoc. III, 20: *si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, et coenabo cum illo, et ipse mecum*. Deinde ponuntur tres personae ei assistentes vel ministrantes: scilicet Martha, Lazarus et Maria. Per Martham significantur praelati, qui ad ministerium in Ecclesiis instituuntur, secundum illud I Cor. IV, 1: *sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*. Unde dicitur *et Martha ministrabat*; Lc. X, 40: *Martha autem satagebat circa frequens ministerium*. Per Lazarum autem resuscitatum significantur subditi ministerio praelatorum a peccatis ad statum iustitiae reducti, qui cum aliis iustis spiritualiter cum domino epulantur, unde dicitur *Lazarus autem unus erat ex discumbentibus cum eo*; Ps. LXVII, 4: *iusti epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in laetitia*. Per Mariam significantur contemplativi. Dicitur enim Lc. X, 39, quod *Maria sedens secus pedes domini, audiebat verba illius*. Circa cuius ministerium tria tanguntur, quantum ad litteram pertinet. Primo enim tangitur unguentum in quo obsecuta est; secundo obsequium quod exhibuit, *ibi et unxit pedes Iesu*; tertio effectum obsequii, *ibi et domus impleta est ex odore unguenti*. Circa primum tria tangit. Primo quantitatem unguenti, quia multum fuit, unde dicit *libram unguenti*; Tob. IV, 9: *si multum tibi fuerit, abundanter tribue*. Secundo materiam, quia fuit ex nardo confectum; unde dicit *nardi*; Cant. I, 11: *dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Est autem nardus herba brevis et spicosa et nigra, ex qua fit unguentum, quod vim confortandi habet ex sua aromaticitate. Tertio compositionis formam, in eo quod dicit *pistici pretiosi*. Et, secundum Augustinum, dicitur *pistici* a loco, in quo nardus oriebatur. Sed melius est quod exponatur *pistici*, idest fidelis, hoc est non sophisticati per aliquam admixtionem: nam pistis in Graeco idem est quod fides. Addit autem *pretiosi*, quia confectum erat ex spica nardi, ex qua pretiosum unguentum fit, et forte admixtis aliis pretiosis rebus. In quo docemur quod ea quae pretiosissima sunt apud nos, Deo debemus offerre, secundum illud Ps. LXV, 15: *holocausta offeram tibi cum incenso arietum*. Et Mal. I, 14: *maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, offert domino debile*. Circa obsequium eius primo nota humilitatem in hoc quod dicitur *unxit pedes Iesu*, ad pedes procidens, secundum illud Ps. c. CXXXI, 7: *adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius*. Secundo devotionem, quia *extersit capillis suis*, ut de seipsa quodammodo obsequium offerret. Rom. VI, 13: *exhibete membra vestra arma iustitiae Deo*. Effectus autem obsequii tangitur consequenter, cum dicit *et domus impleta est ex odore unguenti*: per quod insinuatur unguenti bonitas, cuius odor totam domum implevit; Cant. I, 3: *curremus in odorem unguentorum tuorum*. Dubitatur autem utrum haec eadem mulier fuerit de qua dicitur hic quod unxit dominum, et de qua dicitur Lc. VII, v. 37, et Matth. XXVI, 7, et Mc. XIV, 3. Multis quidem videtur, secundum Hieronymum et Chrysostomum, quod mulier peccatrix de qua Lucas narrat, non sit Maria soror Lazari, quae dominum dicitur unxisse. Origenes autem addit, quod non sit eadem etiam de qua Matthaeus et Marcus narrant, sed illa sit quaedam alia tertia: et hoc vult probare ex tribus. Primo quidem ex tempore: nam haec unxit dominum ante sex dies Paschae; illa vero de qua Matthaeus et Marcus narrant, infra biduum ante Pascha. Praemittit enim Matthaeus dominum dixisse: *scitis quia post biduum Pascha fiet*. Marcus autem: *erat Pascha, et azyma post biduum*. Secundo ex loco: nam illa mulier legitur dominum unxisse in domo Simonis leprosi; hoc autem colligitur esse

factum in domo Marthae, ex hoc quod dicitur quod Martha ministrabat, ut etiam Augustinus dicit. Tertio ex ipso facto: nam illa mulier legitur unxisse caput, haec autem pedes. Augustinus vero et Gregorius dicunt, quod una et eadem mulier fuit quam quatuor Evangelistae narrant dominum unxisse, sed bis hoc fecit. Primo quidem in principio suae conversionis intermedio tempore praedicationis Christi, quod Lucas narrat; secundo vero imminente Christi passione hoc fecit, quod tres alii Evangelistae narrant. Unde idem factum est quod hic narratur, et quod habetur Matth. XXVI et Mc. XIV. Ad primum ergo quod dicitur de dissonantia temporis, dicendum est, secundum Augustinum, quod Ioannes ipse servat ordinem historiae; Matthaeus et Marcus per recordationem interponunt quod prius fuerat factum immediate ante prodicionem Iudae, quae ex hoc facto creditur occasionem habuisse. Ad secundum quod obiicitur de dissonantia loci, potest intelligi quod eadem sit domus Simonis leprosi, et etiam Mariae et Marthae, ita quod Simon fuerit paterfamilias domus. Dicitur autem leprosus, quia primo leprosus fuerat et a Christo curatus. Ad tertium quod obiicitur de dissonantia facti, dicendum est, secundum Augustinum, quod mulier unxit et pedes et caput. Et si quis obiiciat quod Marcus dicit, quod, fracto alabastro, effudit super caput ipsius recumbentis, potest dupliciter responderi. Uno modo, quod non fuit ita fractum quin aliquid remanserit, unde pedes possent inungi. Alio modo potest dici quod prius inunxit pedes, postea, fracto alabastro, totum supra caput effudit. Secundum mysterium autem, per libram quam Maria accepit, designatur opus iustitiae: nam ad iustitiam pertinet singula librare et ponderare; Ez. XLV, 11: *iuxta mensuram cori, erit libratio eorum*. Opus autem iustitiae debet quadruplici virtute adiuncta esse perfectum. Primo quidem pietate: unde dicit *unguenti*, quod, quia lenitivum est, misericordiam significat; Iac. II, 13: *iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam*. Secundo humilitate: unde dicit *nardi*, quae, cum sit herba brevis, significat humilitatem; Eccli. III, 20: *quanto magnus es, humilia te in omnibus*. Tertio fide: unde dicit *pistici*, idest fidelis. Habac. II, 4: *iustus autem meus ex fide vivit*. Quarto caritate: unde dicit *pretiosi*, sola enim caritas pretium praestat vitae aeternae; I Cor. XIII, v. 3: *si distribuero pauperibus omnes facultates meas (...) caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Opere autem iustitiae unguuntur pedes Iesu, et caput suum. Per pedes intelligimus mysterium humanitatis; per caput vero divinitatem, secundum illud I Cor. XI, 3: *caput Christi Deus*: ut intelligatur caput et pedes Christi ungere qui divinitatem et humanitatem eius veneratur. Vel per caput possumus intelligere ipsam Christi personam, secundum illud Eph. I, 22: *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*. Per pedes autem, Christi fideles, de quibus Matth. XXV, 40: *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; Is. LII, v. 7: *quam pulchri pedes supra montem annuntiantis et praedicantis pacem*. Unde caput Christi inungit qui ipsum Christum veneratur; pedes autem qui eius fidelibus obsequitur. Quia vero capilli ex superfluitate generantur, pedes domini capillis terguntur, quando aliquis ex ipsis quae sibi superfluunt, defectui subvenit proximorum. Lc. XI, 41: *verumtamen quod superest, date eleemosynam*. Unde Augustinus dicit: si habes superflua, da pauperibus, et domini pedes tersisti. Per hoc autem quod dicitur *et domus impleta est ex odore unguenti*, significatur quod propter opera iustitiae, bona fama totam replet Ecclesiam; II Cor. II, 14: *odorem suae notitiae manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus*. Deinde cum dicit *dixit ergo unus ex discipulis eius* etc., ponitur zelus proditoris ex praedicto ministerio concitatus. Et circa hoc duo facit. Primo ostendit proditoris zelum; secundo ponitur zeli repressio, ibi *dixit ergo ei Iesus* et cetera. Circa primum tria facit. Primo describitur persona proditoris; secundo ponuntur verba eius, ibi *quare hoc unguentum non venit trecentis denariis?* etc.; tertio manifestatur eius malitiosa intentio, ibi *dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat*. Persona autem eius manifestatur ex tribus. Primo quidem ex dignitate, cum dicitur *dixit ergo unus ex discipulis eius*: ut ostendatur quod nullus in quacumque excellentia constitutus de se praesumere debet, quia, ut dicitur Iob IV, 18: *in Angelis suis reperit pravitatem*. Secundo ex nomine, cum dicit *Iudas Iscariotis*, nomine. Interpretatur autem Iudas, confitens, ut significetur quod praeter confessionem virtuosam, de qua Rom. X, 10 dicitur: *confessio fit ad salutem*, est quaedam confessio vituperabilis et mercenaria, de qua dicitur in Ps. XLVIII, 19: *confitebitur tibi cum benefeceris ei*. Tertio describitur ex crimine, cum dicitur *qui erat eum traditurus*; Ps. XL, 10: *qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*. Deinde ponuntur verba ipsius, ex quibus ostenditur quod de bono odore unguenti spiritualiter mortuus erat, secundum illud II Cor. II, 15: *Christi bonus odor sumus: aliis odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam*. Displicebat enim ei quod unguentum non erat venditum, sed effusum in obsequium Christi: unde dicit *quare hoc unguentum non venit, idest venditum est, trecentis denariis?* Sed sicut dicitur II Cor. XI, 15, ministri Satanae transfigurantur velut ministri iustitiae. Unde iniquitatem suam sub specie pietatis occultavit, dicens *et datum est egenis*; Is. XXXII, 6: *cor eius faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem*

*et loquatur ad dominum fraudulententer.* Unde Evangelista eius fraudulentam aperit intentionem, subdens *dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat.* Non enim curabat quod eis subveniretur, quia Prov. XII, v. 10, dicitur: *viscera impiorum crudelia, sed quia fur erat,* consuetudinem furandi habens, dolebat sibi occasionem furandi sublatam per effusionem unguenti, et ex hac avaritia ductus est ad proditionem: dicitur enim Eccli. X, 9: *avaro nihil est scelestius;* et supra X, 10: *fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat.* Unde autem furari consueverit, exponit subdens *et loculos habens,* idest, custos loculorum domini constitutus, *ea quae mittebantur,* scilicet in loculis, donata a fidelibus ad usum Christi et pauperum, *portabat,* ministerio, sed asportabat furto. Ubi duo notantur. Primo quod Christus tamquam pauper de eleemosynis vivebat; Ps. XXXIX, 18: *ego autem mendicus sum et pauper.* Secundo, quod non derogat perfectioni, si eleemosynae in loculis reserventur: unde quod dicitur Matth. VI, v. 34: *nolite solliciti esse in crastinum,* non intelligitur quod nihil in crastinum debeat reservari, cum dominus hoc fecerit, qui fuit summum exemplar perfectionis. Sed quaeritur quare dominus Iudae, quem furem sciebat, custodiam loculorum commisit? Ad quod respondendum est tripliciter. Primo quidem, secundum Augustinum, hoc fecit Christus, ut eius Ecclesia cum fures patitur toleraret: non enim est bonus qui malos tolerare non potuit, unde dicitur Cant. c. II, 2: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Secundo ei loculos dominus commisit, ut perditionis occasionem auferret, cum haberet ex loculis concupiscentiae mitigationem; sed, sicut dicitur Eccl. c. V, 9: *avarus non implebitur pecunia.* Tertio, secundum alios, ut doceret quod spiritualia sunt maioribus committenda, temporalia vero minus dignis; unde dicitur Act. VI, v. 2, ab apostolis: *non est aequum relinquere nos verbum Dei, et ministrare mensis,* sed uni de diaconibus hoc ministerium commiserunt. Quaeritur etiam quomodo hic dicatur quod solus Iudas de hoc unguento effuso dixerit, cum Matthaeus narret discipulos hoc dixisse. Sed dicendum est, quod Matthaeus ponit numerum pluralem pro numero singulari; sicut Matthaei, II, 20, dicitur: *defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri.* Vel potest dici, quod Iudas primo murmuravit, et ab eo sunt postmodum alii provocati ut similia verba proferrent, licet non ex eadem intentione.

## Lectio 2

[87498] Super Io., cap. 12 l. 2 Posito zelo proditoris propter obsequium mulieris, hic consequenter ponitur ipsius zeli repressio, et primo dominus repellit calumniam quam mulieri Iudas iniecerat; secundo excludit piam causam quam praetenderat, ibi *pauperes enim semper habebitis vobiscum* et cetera. Dicit ergo *sinite illam,* idest, ne prohibeatis eam. Sciendum enim, quod multa bona opera fiunt, de quibus si peteretur consilium antequam fiant, non consuleremus quod fierent, quia forte possent fieri meliora; postquam tamen incipiunt fieri, dummodo iam bona sint, non sunt prohibenda. Et, ut Chrysostomus dicit, forte Iesus antequam mulier effudisset unguentum, potius illud dari pauperibus elegisset; nunc vero quia iam factum erat, prohibentes comprimit, dicens *sinite illam.* Prov. III, 27: *nolite prohibere eum qui bene facit: si vales et ipse benefac.* Et subdit *ut in diem sepulturae meae servet illud:* ubi primo praenuntiat suam mortem imminere, et obsequium huius mulieris, quod parata fuit ei impendere in sepultura, nisi praeventa fuisset celeri Christi resurrectione: nam, ut in Marco legitur, Maria Magdalena cum aliis emit aromata, ut venientes ungerent Iesum. Ideo ergo dicit *ut in diem sepulturae meae servet illud,* scilicet non idem quod effusum fuit, sed simile in specie, vel in genere, vel etiam opere; quasi dicat: non prohibeatis eam facere mihi iam vivo quod non poterit facere mortuo: nam, ut dictum est, fuit celeri Christi resurrectione praeventa. Et hoc magis exprimitur Mc. XIV, 8, ibi enim dicitur: *praevenit enim ungerere corpus meum in sepulturam.* Sed numquid praescivit mortem Christi? Dicendum, quod non: non enim intelligebat quod fecit; sed quodam instinctu interiori mota est ad hoc faciendum. Frequenter enim aliqui moventur ad faciendum quod non intelligunt, sicut Caiphas, supra XI, 49, *cum esset pontifex anni illius, dixit eis: vos nescitis quidquam.* Et huiusmodi vocantur praesagia, in quantum primo ante facta aguntur. Consequenter cum dicit *pauperes enim semper habebitis vobiscum* etc. excludit piam causam quam Iudas praetendebat, dicens: *quare hoc unguentum non venditur trecentis denariis, et datur egenis?* Unde dominus subdit *pauperes enim semper habebitis vobiscum.* Ubi sciendum est, quod quandoque faciendum est illud quod minus est necessarium, si remanet locus implendi quod est magis necessarium: et ideo dominus, licet magis necessarium esset quod hoc unguentum daretur pauperibus quam quod ungerentur pedes eius ex eo; quia tamen adhuc potest fieri, cum pauperes semper habeamus nobiscum, ideo dominus permisit fieri istud, quod est minus necessarium. In hoc autem quod dicit *pauperes semper habebitis vobiscum* datur intelligi familiaritas quam divites debent

habere ad pauperes et cetera. Eccli. IV, 7: *congregationi pauperum affabilem te facito. Me autem non semper habebitis*. Sed contra. Matth. ult., 20: *ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*. Responsio, secundum Augustinum. Dominus dicens *me autem non semper habebitis*, loquebatur de praesentia corporis sui, prout in sua specie apparet, secundum quam iturus erat ad caelum; infra XVI, 28: *iterum relinquo mundum*. Sed quantum ad praesentiam divinitatis semper est nobiscum; et etiam sacramentaliter in Ecclesia. Vel aliter. Dicendum quod dominus hoc dicens, intelligit de praesentia divinitatis suae. Quidam enim videntur habere Christum spiritualiter vel in sacramento, vel in confessione fidei, qui tamen non sunt semper eum habituri, cum sint tantum de Ecclesia quantum ad numerum, non quantum ad meritum: et huiusmodi sunt servi. Filii autem semper sunt eum habituri: quia, ut dicitur supra VIII, 35, *filius manet in domo in aeternum*. Dicit ergo Iudae *me autem non semper habebitis*: quia indignum te fecisti ad hoc. Ut autem Chrysostomus dicit, in hoc dominus obiurgat Iudam: nam per hoc quod moleste tulit obsequium Christo impensum, videtur gravari de praesentia Christi: et ideo Christus dicit *me autem non semper habebitis*, quasi diceret: gravis sum tibi et onerosus; sed expecta parum, et abibo. Consequenter cum dicit *cognovit ergo turba multa ex Iudaeis quia illic est* etc., ostendit quomodo Iesus glorificatus est a turbis Iudaeorum, et primo quomodo a turbis Christum visitantibus; secundo quomodo a turbis ei obviantibus, ibi *in crastinum autem* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ponitur devotio turbarum visitantium; secundo exagitur concitatus zelus Pharisaeorum invidentium, ibi *cogitaverunt autem principes sacerdotum*. Prima pars dividitur in duas. In prima ponitur turbarum visitatio; in secunda subditur visitationis occasio. Quantum ad primum dicit *cognovit ergo turba multa ex Iudaeis quia Iesus illic esset*, in Bethania, *et venerunt*, ad quod dominus invitat, Matth. XI, 28: *venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos*. Et ideo ubi scimus esse eum, debemus festinanter accedere. Causa autem visitationis ponitur duplex. Una, ut fruerentur visione et doctrina Christi; alia, ut viderent Lazarum. Et hoc propter duo. Primo, quia illud quod factum erat circa ipsum, in quantum quatruiduanus in monumento suscitatus fuit, valde mirabile erat; et hoc homines videre desiderant. Ps. CXXXVIII, v. 14: *mirabilia opera tua, et anima mea cognoscat nimis*; idest, laborabit ad cognoscendum. Secundo, quia sperabant Lazaro referente, aliquod de alia vita perpendere et audire; cuius cognitionis desiderium innatum est hominibus. Hoc autem est contra illud quod stulti dicunt, Sap. II, 1: *exiguum, et cum taedio est tempus vitae nostrae, et non est refrigerium in fine hominis; et non est qui agnitus sit reversus ab Inferis*. Ecce enim Lazarus, quem suscitavit a mortuis, ab Inferis rediit. Concitatum autem zelum Pharisaeorum invidentium ponit, dicens *cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent*, in quo videbantur obviare Deo: ipse enim vivificavit Lazarum, et isti volebant occidere. Iob XV, 26: *cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est*. Ratio autem zeli ponitur *quia multi propter illum abibant ex Iudaeis, et credebant in Iesum*. Sed contra. Christus multos sanaverat, puta paralyticum, supra V, 5 s. caecum natum supra IX, 1 s., quare Lazarum tantum volebant occidere? Ad quod Chrysostomus quatuor rationes assignat. Unam, quia istud miraculum erat evidentius, coram multis factum, et inopinabile videre mortuum quatruiduanum, ambulans et loquentem. Alia ratio erat, quia Lazarus persona insignis erat, caecus autem persona ignobilis: unde et eiecerunt eum de templo. Tertia ratio est, quia miraculum istud factum est imminente festivitate, quando totus populus Iudaeorum ad diem festum conveniens admirabantur, et dimittentes festivitates, Bethaniam veniebant. Quarta ratio, quia in aliis Christi miraculis nitebantur criminari violationem sabbati, et per hoc ab eo turbas abducere; sed hic nihil tale facere poterant. Unde quia in nullo habebant conqueri contra Iesum, adversus Lazarum faciunt conatum, tamquam haec esset potissima via ad miraculum occultandum. Prov. I, v. 16: *pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem*.

### Lectio 3

[87499] Super Io., cap. 12 l. 3 Hic ponitur devotio turbae obviantis Christo, et primo ponitur obviatio turbarum; secundo zelus Pharisaeorum, ibi *Pharisaei autem dicebant* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ponitur turbae obviatio; secundo adventus domini, ibi *et invenit Iesus asellum* etc.; tertio obviationis causa, ibi *testimonium ergo perhibebat turba*. Obviatio autem describitur quo ad quatuor. Primo quantum ad tempus, quia *in crastinum*, scilicet ab illo die de quo dixerat *ante sex dies Paschae*, qui est decimus dies mensis. Et congruit figurae, Ex. XII, v. 3 ss. ubi dicitur quod agnus paschalis qui immolandus erat quartodecimo die ad vesperam, debebat accipi decimo die mensis. Secundo describitur quantum ad personas obviantes, quia *turba multa quae*

*convenerat ad diem festum*, per quod significatur populorum multitudo qui convertendi erant ad Christum; Ps. VII, 8: *synagoga populorum circumdabit me*. Dicit autem *ad diem festum*, quia ad hoc fideles convertuntur ad Christum ut ad diem festum caelestis Ierusalem perveniant; Matth. VIII, 11: *multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum*. Tertio describitur quantum ad motivum obviandi, quod est auditus de adventu Iesu; unde dicit *cum audissent quia venit Iesus Ierosolymam*. Ad Christum enim omnes fideles convertuntur propter auditum fidei; Rom. X, 17: *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*; Exod. IV, 31: *audierunt filii Israel quod visitasset dominus filios Israel, et credidit populus*. Quarto describitur quantum ad modum obviandi: et primo quantum ad ea quae fecerunt, quia *receperunt ramos palmarum*. Palma enim, quae viriditatem suam conservat, significat victoriam, unde et apud antiquos triumphantibus in signum victoriae dabatur. Et de martyribus triumphantibus legitur Apoc. VII, 9, quod *palmae erant in manibus eorum*. Rami ergo palmarum, secundum Augustinum, laudes sunt, significantes victoriam, quia dominus erat mortem moriendo superaturus, in trophaeo crucis de Diabolo mortis principe triumphaturus. *Et processerunt obviam ei*; Amos, IV, 12: *praeparare in occursum Dei tui, Israel*. Secundo quantum ad ea quae dixerunt, quia *clamabant: hosanna, benedictus qui venit in nomine domini rex Israel*. Ubi ponit petitionem, et laudem. Petitionem quidem cum dicunt *hosanna*, idest, salva obsecro quasi dicant. Hosi, quod est salva et Anna, quod est obsecro. Quod, secundum Augustinum, non est verbum, sed interiectio deprecantis. Recte a domino Iesu salutem petunt, quia dicitur Is. XXXV, 4: *dominus ipse veniet, et salvabit nos*; Ps. LXXIX, v. 3: *excita potentiam tuam et veni*. Laudant autem quantum ad duo, scilicet quantum ad eius adventum, et quantum ad potentiam regni eius. Adventum quidem eius laudant, dicentes *benedictus qui venit in nomine domini*. Unde sciendum est, quod benedicere est bonum dicere. Aliter autem Deus benedicit nobis, aliter nos Deo. Deus enim benedicendo nobis, facit nos bonos, nam dicere suum, est eius facere: *dixit enim, et facta sunt*, Ps. CXLVIII, 5. Nos autem benedicendo Deo, confitemur eius bonitatem; Ps. CXVII, 26: *benediximus vobis de domo domini*. Gen. c. XXVII, 29: *qui benedixerit tibi, sit ille benedictus* et cetera. *Benedictus ergo qui venit in nomine domini*. Christus enim operabatur in nomine Dei; quia omnia opera quae faciebat, ad gloriam Dei ordinabat. Quia vero et pater dominus est, et filius dominus est, ideo hoc quod dicitur *in nomine domini*, potest intelligi dupliciter. Uno modo *benedictus qui venit in nomine domini* idest, in nomine sui ipsius, tamquam dominus; Is. XXXIII, 22: *dominus legifer noster*. Moyses ergo hoc modo non venit in nomine domini, quia venit sicut servus. Hebr. III, 5: *Moyses in omni domo sua tamquam famulus fidelis erat, in testimonium eorum quae dicenda erant*. Sed, secundum Augustinum, melius dicitur *in nomine domini*, scilicet patris. Nam verba eius ad hoc nostrum dirigunt intellectum. Supra V, 43: *ego veni in nomine patris mei* et cetera. Dupliciter autem dicitur venire in nomine patris. Primo quidem in quantum venit ut filius, per quod datur intelligi pater; secundo in quantum venit ut manifestans patrem; infra c. XVII, 6: *manifestavi nomen tuum hominibus*. Potentiam vero regni eius laudant cum dicunt *rex Israel*. Ad litteram enim credebant Iudaei quod venisset regnaturus temporaliter super eos, et redempturus eos a servitute Romanorum, et ideo applaudebant ei tamquam regi; Ier. XXIII, 5: *regnabit rex, et sapiens erit*; Is. XXXII, 1: *ecce in iustitia regnabit rex, et principes in iudicio praeerunt*. Sed sciendum, quod omnia verba praedicta poterant haberi ex Psalmis. Nam cum Psal. CXVII, 22, diceret: *lapidem quem reprobaverunt aedificantes*, subdit *o domine, salvum me fac (...)* *benedictus qui venit in nomine domini*. Ubi Hieronymus, secundum Hebraeam veritatem, transtulit hosanna, benedictus. Sed hoc quod subdunt *rex Israel*, non est in Psalmis, sed est ibi: *Deus dominus, et illuxit nobis*. In quo ex eorum caecitate minuunt eius laudem, quia Psalmus laudat eum tamquam Deum, ipsi vero tamquam regem temporalem. Consequenter cum dicit *et invenit Iesus asellum, et sedit super eum*, ponit domini adventum: et primo ponit modum veniendi; secundo inducit prophetiam; tertio ostendit dispositionem discipulorum circa hoc factum. Notandum est circa primum, quod Ioannes Evangelista Evangelium suum post omnes alios Evangelistas conscripsit, unde omnia Evangelia diligenter perlegerat et quae per alios diffuse dicta erant, ipse compendio tradidit, quae vero omiserant, ipse supplevit. Quia vero diffuse in aliis Evangelistis habetur quomodo dominus misit duos de discipulis suis ut asinam adducerent, ideo hoc Ioannes breviter pertransivit, dicens *et invenit Iesus asellum, et sedit super eum*. Sciendum autem, quod facta Christi sunt quasi media inter facta veteris testamenti et novi: et ideo tam turba quae praecedebat quam quae sequebatur, eum laudabat, in quantum facta Christi sunt regula et exemplar eorum quae fiunt in novo testamento, et praefigurata a patribus veteris testamenti. Asellus autem, quod est animal rude, significat populum gentium, super quem sedit, ut significaret quod ipse redempturus esset gentes; Is. XLIX, 6: *dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae*;

ibid. XXXII, 20: *beati qui seminatis super omnes aquas, mittentes pedes bovis et asinae*, idest, coniungentes in unitatem fidei populum Iudaeorum et gentium. Quia autem Matthaeus Evangelium suum scripsit Iudaeis, mentionem facit de asina, per quam signatur synagoga Iudaeorum, quae fuit quasi mater gentium in spiritualibus, quia *de Sion exhibit lex, et verbum domini de Ierusalem*: Is. II, 3. Alii vero Evangelistae, quia gentibus Evangelia scripsere, faciunt etiam mentionem de pullo et cetera. Consequenter cum dicit *sicut scriptum est* etc., inducit prophetiam quae scripta est Zac. IX, 9, in qua primo dat securitatem; secundo promittit regiam maiestatem; tertio subdit utilitatem regis. Securitatem dat cum dicit *noli timere, filia Sion*. Sion arx erat in Ierusalem, ubi erat habitatio regis. Filia ergo Sion est plebs Ierosolymorum, et Iudaeorum qui subditi erant regi Ierusalem. Iudaeis ergo dicitur *noli timere*, quia dominus defensor tuus; Is. c. LI, 12: *quis tu ut timeas ab homine mortali?* Ps. XXVI, 1: *dominus defensor vitae meae: a quo trepidabo?* In quo excludit Evangelista timorem mundanum et servilem. Regiam autem maiestatem promittit, dicens *ecce rex tuus venit* et cetera. Is. IX, 6: *parvulus datus est nobis*. Et infra, ibid. 7: *super solium David et super regnum eius sedebit*. Dicit autem *tuus*, idest ex te carnem sumens, quia *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae*: Hebr. II, 16. Iterum *tuus*, idest ad utilitatem tuam, unde subdit *venit tibi*; Lc. XIX, 42: *si cognovisses et tu, et quidem nunc quae ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*. Sed tamen ipsi resistendo, eorum utilitatem impediunt. Venit, inquam, tibi, non ad terrorem, sed ad liberationem, unde subdit *sedens super pullum asinae*: in quo signatur regis clementia, quae valde est accepta subditis; Prov. XX, v. 28: *clementia roboratur thronus eius*. Et contra dicitur Prov. XIX, 12: *sicut fremitus leonis, ita et regis ira*. Quasi dicat: non venit in fastu regio, propter quod posset esse odiosus, sed venit in mansuetudine; Eccli. c. XXXII, 1: *rectorem te posuerunt? Noli extolli*. Noli ergo timere regni oppressionem. Vetus autem lex in timore data est, quia lex servitutem generabat. Item signatur in hoc regis potentia, in quantum in humilitate et infirmitate veniens, totum mundum attraxit. I Cor. I, 25: *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Consequenter cum dicit *haec non cognoverunt discipuli eius primum*, ponit dispositionem discipulorum ad prophetiam inductam, in quo Evangelista confitetur ignorantiam et sui et discipulorum, quia, ut dicitur Prov. XVIII, 17, *iustus in principio accusator est sui*. Unde dicit, quod *haec*, quae praedicta sunt, *non cognoverunt discipuli eius primum*, idest ante passionem, *sed quando glorificatus est Iesus*, idest quando virtutem suae resurrectionis ostendit, *tunc recordati sunt quia haec erant scripta de eo, et haec fecerunt ei*. Ideo autem quando glorificatus est cognoverunt, quia tunc receperunt virtutem spiritus sancti, ex qua effecti sunt omnibus sapientibus sapientiores; Iob XXXII, 8: *inspiratio omnipotentis dat intelligentiam*. Hoc autem ideo introducit Evangelista, ut ostendat non fuisse quod factum est, serio a discipulis procuratum. Consequenter cum dicit *testimonium ergo perhibebat turba* etc., ponit causam obviationis, quae fuit exhibitio testimonii, quod *perhibebat turba quae cum eo erat*, de resurrectione Lazari; *quando scilicet vocavit Lazarum de monumento (...) propterea et obviam venit ei turba*; I Cor. I, 22: *Iudaei signa quaerunt*. Istud enim evidentius signum erat, et mirabilius, et ideo ultimo ipsum reservavit, ut magis imprimeretur eorum memoriae. Consequenter cum dicit *Pharisaei ergo dixerunt ad semetipsos* etc., ponit Pharisaeorum zelum, qui concitabatur ex frustratione conatus eorum; unde dicebant *videtis quia nihil proficimus?* etc.: quod quidem est verbum Pharisaeorum invidentium, ut dicant *nihil proficimus*, scilicet in malitia nostra, non valentes eum impedire. Hoc modo accipitur proficere II Tim. III, v. 13: *mali autem homines et seductores proficient in peius, errantes et in errorem mittentes*. Sed quid invidet caeca turba? Quia *post eum abiit mundus*, per quem factus est mundus. Sed tamen signatur per hoc, quod totus mundus eum secuturus erat; Oseae, VI, v. 3: *vivemus in conspectu eius, sequemurque, ut cognoscamus dominum*. Chrysostomus autem vult quod haec sint verba Pharisaeorum credentium, occulte tamen propter metum Iudaeorum. Et dicunt hoc, ut retraherent eos a persecutione Christi, ac si dicerent: quantumcumque insidiamini, tanto hic augetur, et gloria eius intenditur. Quid ergo non desistitis a tantis insidiis? Quod quidem quasi idem est cum consilio Gamalielis, de quo habetur Act. V, 34 ss.

#### Lectio 4

[87500] Super Io., cap. 12 l. 4 Posita gloria quam Christus habuit ex ministerio domesticorum et ex devotione turbarum, hic Evangelista ponit gloriam quam Christus habuit ex devotione gentilium, et primo ponitur gentilium devotio; secundo devotionis ipsorum denuntiatio, ibi *venit Philippus* etc.; tertio passionis Christi praenuntiatio, ibi *Iesus autem respondit: venit hora ut clarificetur filius hominis*. Devotio autem gentilium ponitur quantum ad duo. Primo ponitur quantum ad sacramenta veteris testamenti; secundo quantum ad Christum, ibi *hi ergo*

*accesserunt ad Philippum*. Devotio autem gentilium ad sacramenta veteris testamenti ostenditur per hoc quod templum visitabant. Unde dicit *erant autem gentiles quidam qui ascenderant*, supple in Ierusalem, *ut adorarent in die festo*, quasi dicat: non solum turba Iudaeorum, sed etiam ipsi gentiles honorabant Christum. Ratio autem quare ascendebant, secundum interlinearem quamdam, assignatur, quia erant proselyti, et conversi ad ritum Iudaeorum, ad praedicationem Iudaeorum: quia per mundum habitabant, et conabantur multos ad se convertere: Matth. XXIII, 15: *circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum*. Et ideo secundum ritum Iudaeorum ascendebant cum aliis. Sed melius dicendum est, secundum Chrysostomum, quod, sicut habetur II Mach. III, v. 2 s., templum Dei quod erat in Ierusalem, in veneratione habebatur cunctis populis et regibus universae terrae, ita ut ipsum templum maximis muneribus illustrarent. Et ideo contingebat quod in diebus festivis multi etiam gentiles ascenderent Ierusalem. Simile habetur Act. VIII, 27, de eunucho Candacis reginae Aethiopum, qui venerat adorare in Ierusalem. Unde et Is. LVI, 7, dicitur: *domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus, ait dominus*. Isti autem gentiles ex devotione quam habebant, ad templum ascenderant: in quo praefigurabatur conversio gentilium ad fidem. Devotio autem gentilium ad Christum ostenditur per hoc quod desiderabant eum videre; unde dicit *hi ergo*, scilicet gentiles, *accesserunt ad Philippum* et cetera. Sciendum autem, quod Christus Iudaeis tantum personaliter praedicavit; Rom. XV, 8: *dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum*. Gentibus autem praedicavit per apostolos; Is. ult., 19: *mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes (...) et annuntiabunt gloriam meam gentibus*; Matth. ult., 19: *euntes, docete omnes gentes* et cetera. Hoc ergo hic iam praesagebatur, inquantum gentiles Christum videre volentes, non venerunt immediate ad eum, sed ad unum ex discipulis eius, scilicet ad Philippum. Et hoc congruenter, quia ipse primus praedicavit his qui erant extra ritum Iudaeorum, scilicet Samaritanis, ut habetur Act. VIII, 5: *Philippus autem descendit in civitatem Samariae, et praedicabat illis Christum*. Et hoc convenit ei secundum nominis interpretationem: Philippus enim interpretatur os lampadis. Praedicatores autem sunt os Christi; Ier. XV, 19: *si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris*. Christus autem lampas est; Is. XLII, 6: *dedi te in lucem gentium* et cetera. Convenit etiam ei quantum ad locum qui erat a *Bethsaida*, quae interpretatur venatio, quia praedicatores venantur eos quos ad Christum convertunt; Ier. XVI, 16: *mittam eis piscatores, et piscabuntur eos*. Item *Galilaeae*, quae interpretatur transmigratio, et gentiles ad praedicationem apostolorum transmigrati sunt de statu gentilitatis ad statum fidei; Ez. XII, 3: *fili hominis, fac tibi vasa transmirationis, et transmigrabis per diem coram eis*. Accedentes autem ad Philippum expriment eorum desiderium, dicentes, quia *volumus Iesum videre*, in quo signatur quod gentiles, qui Christum corporaliter non viderant, ministerio apostolorum ad fidem conversi, desiderant eum videre glorificatum in patria; III Reg. X, 24: *omnis terra desiderabat videre faciem Salomonis*. Hic ponitur denuntiatio devotionis gentilium ad Christum: in qua quidem ordo attenditur, quia, ut dicitur Rom. XIII, v. 1, *quae a Deo sunt, ordinata sunt*. Est autem hic divinus ordo, ut inferiora reducantur in Deum per superiora: Andreas autem superior fuit in apostolatu Philippo, quia prius eo conversus fuit; et ideo Philippus non per seipsum tantum, sed per Andream istos gentiles voluit ad Christum adducere, memor forte eius quod dominus dixerat: *in viam gentium ne abieritis*. Et hoc est quod dicit, quod *Philippus dicit Andreae: Andreas et Philippus rursus dixerunt Iesu*. In quo datur nobis exemplum, omnia de consilio maiorum facienda. Sic et Paulus ascendit Ierosolymam, et contulit apostolis Evangelium quod in gentibus praedicabat, ut habetur ad Gal. c. II, 1. Possumus autem in nominibus istorum duorum intelligere duo necessaria praedicatoribus, ut homines ad Christum adducant. Primum est disertitudo ordinatae locutionis, quae notatur in nomine Philippi, quod interpretatur os lampadis. Secundum est virtus bonae operationis, quod notatur in nomine Andreae, quod interpretatur virilis. Ps. XXXII, v. 6: *verbo domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Hic praenuntiatur passio Christi, et primo praenuntiat Christus imminere suae passionis tempus; secundo insinuat passionis necessitatem, ibi *amen, amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit* etc.; tertio inducit necessitatem passionis aliorum, ibi *qui amat animam suam, perdet eam*. Dicit ergo *venit hora ut clarificetur filius hominis*. Ubi notandum est, quod dominus videns gentiles istos properare ad fidem, et intelligens in eis quodammodo conversionem gentium inchoari, praenuntiavit suae passionis tempus imminere, a simili, sicut qui videt segetem dealbatam, dicit: *venit hora ut falx mittatur in messem*; supra IV, 35: *videte regiones, quae albae sunt iam ad messem*. Sic ergo hic dominus loquitur. Ex quo, inquit, *gentes quaerunt me videre, venit hora ut glorificetur filius hominis*. Qui quidem glorificatus est tripliciter. Primo in sua passione, Hebr. V, 5: *non semetipsum glorificavit ut pontifex fieret* (scilicet in ara crucis), *sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et secundum hoc dicit *venit hora ut glorificetur filius*

*hominis*, idest patiat, quia ante eius passionem gentes non convertentur ad eum: in qua quidem passione clarificatus fuit et quantum ad signa visibilia, sicut in obscuritate solis, in scissione veli et aliis huiusmodi; et quantum ad signa invisibilia, sicut in triumpho quo palam in semetipso de Tartareis principibus triumphavit, ut dicitur Col. II. Ideo autem supra dixit: *nondum venit hora mea*, quia nondum parata erat devotio gentium sicut modo. Secundo clarificatus fuit in resurrectione et ascensione. Prius enim oportuit Christum resurgere, et in caelum ascendere, et sic clarificatum mittere spiritum sanctum in apostolos, per quos gentes convertendae erant. Supra VII, 39: *nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*; Ps. LXVII, v. 19: *ascendens Christus in altum, cepit captivitatem*. Tertio glorificatus est per conversionem gentium; Phil. II, 11: *omnis lingua confiteatur quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris*. Consequenter cum dicit *amen, amen dico vobis* etc., insinuat necessitatem suae passionis, et primo ponit eam; secundo eius utilitatem, ibi *si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Necessitas autem suae passionis causatur ex conversione gentium, quae esse non potest nisi filio hominis per passionem et resurrectionem glorificato: et hoc est quod dicit *amen, amen dico vobis*, idest in veritate, *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*. Circa quod quantum ad litteram sciendum est, quod grano frumenti utimur ad duo; scilicet ad panem et ad semen. Hoc autem quod dicitur hic, intelligitur de frumento secundum quod est semen, non prout est materia panis: quia secundum hoc numquam pullulat, ut faciat fructum. Dicit autem *mortuum fuerit*, non quod amittat virtutem seminativam, sed quia mutatur in aliam speciem; I Cor. XV, 36: *tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur*. Sicut autem verbum Dei est semen in anima hominis, secundum quod est voce sensibili indutum, ad fructum bonae operationis producendum, Lc. c. VIII, 11: *semen est verbum Dei*, ita verbum Dei carne indutum, est semen missum in mundum, ex quo maxima seges pullulare debebat: unde et grano sinapis comparatur, Matth. XIII, 31. Dicit ergo: ego veni ut semen ad fructificandum, et ideo vere dico vobis *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*, idest, nisi ego moriar, fructus conversionis gentium non sequetur. Ideo autem grano frumenti se comparat, quia ad hoc venit ut reficeret et sustentaret mentes humanas: hoc autem praecipue efficit panis frumenti; Ps. CIII, 15: *panis cor hominis confirmat*; supra VI, 52: *panis quem ego dabo vobis, caro mea est pro mundi vita*. Sed numquid non erat convertenda multitudo gentium nisi per mortem Christi? Erat quidem secundum Dei virtutem sed non secundum Dei determinationem ordinatam ab ipso ut per hunc modum fieret, utpote qui congruentior erat. Hebr. IX, 22: *sine sanguinis effusione non fit remissio*; infra XVI, 7: *si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. Utilitas autem passionis ponitur cum dicit *si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, quasi diceret: nisi cadens in terram per passionis humilitatem, Phil. II, 8: *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*, nulla utilitas sequitur, quia *ipsum solum manet*. Sed *si mortuum fuerit*, idest mortificatus et occisus a Iudaeis, *multum fructum affert*. Et primo quidem fructum remissionis peccati; Is. XXVII, 9: *hic est omnis fructus ut tollatur peccatum*. Quem quidem fructum attulit passio Christi, secundum illud I Petr. III, 18: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustus, ut nos offerret Deo*. Secundo vero fructum conversionis gentium ad Deum. Infra XV, 16: *posui vos ut eatis, et fructum offeratis, et fructus vester maneat*. Quem fructum attulit passio Christi. Infra eodem: *ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Tertio, fructum gloriae. Sap. III, 15: *bonorum laborum gloriosus est fructus*. Supra IV, 36: *qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam*. Et hunc fructum etiam attulit passio Christi. Hebr. X, 19: *habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, qui iniciavit vobis viam novam, et viventem per velamen, idest carnem suam*. Hic ponit necessitatem mortis aliorum, qui amore Christi passionibus se exponunt, et primo ponit mortis huius necessitatem; secundo ad mortem ipsam hortatur, ibi *si quis mihi ministrat, me sequatur*. Circa primum duo facit. Primo praemittit, subeundam necessitatem mortis propter Christum; secundo subdit mortis huius utilitatem, ibi *et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam*. Dicit ergo quantum ad primum *qui amat animam suam*. Et quidem omnis homo animam suam amat. Sed quidam simpliciter, et quidam secundum quid. Amare enim aliquem est velle ei bonum; ille ergo animam suam amat, qui vult ei bonum. Qui ergo vult animae suae id quod est bonum simpliciter, simpliciter amat eam; qui autem vult ei aliquod particulare bonum, amat eam secundum quid. Bona autem animae simpliciter sunt illa quibus anima fit bona, scilicet summum bonum, quod est Deus. Qui ergo vult animae suae bonum divinum et spirituale, simpliciter amat eam; qui autem vult ei bona terrena, puta divitias et honores, voluptates et huiusmodi, amat eam secundum quid. Ps. X, 6: *qui diligit iniquitatem, odit animam suam*; Eccli. XVIII, 31: *si praestes animae tuae concupiscentias suas, faciet te in gaudium inimicis tuis*. Potest ergo haec littera dupliciter intelligi. Uno modo sic *qui animam suam amat*, supple simpliciter ad



bona aeterna, *perdet eam*, idest, exponet se morti propter Christum. Sed hic non est sensus verus. Et ideo dicitur *qui amat animam suam*, secundum quid, scilicet ad bona temporalia, *perdet eam*, simpliciter scilicet. Matth. XVI, 26: *quid enim proficit homini, si totum mundum lucretur, animae autem suae detrimentum patiatur?* Et veritas huius sensus patet ex hoc quod sequitur: *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam*. Igitur *qui amat animam suam*, in hoc mundo, idest ad bona mundana, *perdet eam*, quantum ad bona aeterna. Lc. VI, 25: *vae vobis qui ridetis, quia flebitis*; et ib. cap. XVI, 25: *recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*. Utilitas autem huius mortis subditur cum dicit *et qui odit animam suam in hoc mundo*, idest, qui denegat bona praesentia animae suae, et sustinet propter Deum quae videntur mala in hoc mundo, *in vitam aeternam custodit eam*; Matth. V, 10: *beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum*; Lc. XIV, 26: *si quis venit ad me, et non odit patrem et matrem (...) adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*. Attendendum autem, quod illud quod supra de grano frumenti dictum est, competit huic sententiae. Nam sicut Christus missus fuit in mundum quasi quoddam semen ad fructificandum; ita, quidquid nobis temporaliter datur a Deo, non confertur nobis ut fructus, sed per illud ad fructum aeternae remunerationis pervenimus. Vita autem nostra est quoddam temporale donum a Deo nobis collatum. Qui ergo eam propter Christum exponit, fructum multum affert. Hic ergo est qui odit animam suam: idest, qui vitam suam exponit, et seminat propter Christum in vitam aeternam; Ps. CXXV, 6: *euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*. Et similiter qui divitias suas et alia bona quae habet, exponit propter Christum, et communicat aliis in vitam aeternam; II Cor. IX, 6: *qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*. Sed quia durum videtur quod homo habeat animam suam odio, ideo dominus ad hoc consequenter hortatur dicens *si quis mihi ministrat, me sequatur*, et primo ponitur exhortatio; secundo exhortationis ratio, ibi *si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus*. Circa primum tria facit. Primo describit suorum fidelium conditionem; secundo inducit ad sui imitationem; tertio subdit imitantium remunerationem. Et quidem attende, quantum ad primum, fidelium Christi dignitatem, quia ministri Christi; II Cor. XI, 23: *ministri Christi sunt, et ego*. Illi ergo Christo ministrant, qui ea quae sunt Christi, quaerunt; qui commoda propria quaerunt, non sunt ministri Christi, sed sui ipsorum; Phil. II, 21: *omnes quae sua sunt quaerunt*. Praelati autem sunt ministri, in quantum eius sacramenta fidelibus dispensant; I Cor. IV, 1: *sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*. Item quilibet fidelis qui mandata Christi servat; II Cor. VI, 4: *in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros* et cetera. Quantum ad secundum, attende fidelium Christi gloriam et nobilitatem, unde dicit *me sequatur*; quasi dicat: homines sequuntur dominos suos, quibus ministrant: *qui ergo mihi ministrat, me sequatur*; ut scilicet sicut ego mortem subeo ut multum fructum afferam, ita et ipse. Sequi autem Christum est magna gloria; Eccli. XXIII, 38: *magna gloria est sequi dominum*; supra X, 27: *oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas et sequuntur me*. Quantum ad tertium attende fidelium beatitudinem, quia *ubi ego sum*, non solum in loco, sed etiam in ipsa participatione gloriae, *illic et minister meus erit*; Matth. XXIV, v. 28: *ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae*; Apoc. III, 21: *qui vicerit, faciam illum sedere mecum in throno meo*. Ratio autem exhortationis subditur cum dicit *si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus*; qui enim ministrat Christo, honorat eum pater. Sed supra, V, 23, dicitur: *ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem*. Idem est ergo honorificare filium et honorificare patrem. Pater autem dicit, I Reg. II, 30: *qui glorificaverit me, glorificabo eum* et cetera. Qui ergo ministrat Iesu, non sua quaerens, sed quae Iesu Christi, honorificabit eum pater Iesu. Non autem dixit ego honorificabo eum, sed *pater meus*, quia nondum opinionem de eo habebant, quod scilicet esset aequalis patri. Vel dicendum, quod haec dicit in signum maioris familiaritatis, in quantum ab eodem honorificabuntur a quo et filius. Nam honorem quem habet filius per naturam, ipsi habebunt per gratiam. Unde Augustinus dicit: maiorem honorem non poterit recipere adoptatus, quam ut sit ubi est unicus. Rom. c. VIII, 29: *quos praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*.

## Lectio 5

[87501] Super Io., cap. 12 l. 5 Supra actum est de gloria Christo exhibita a diversis hominibus; hic agit de gloria Christo exhibita a Deo, et primo ponitur huius gloriae petitio; secundo subditur gloriae promissio, ibi *venit ergo vox de caelo* et cetera. Circa primum duo facit. Primo praemittit animae suae affectionem; secundo proponit

petitionem, ibi *et quid dicam?* et cetera. Sed attende circa primum quod est mirabile quod dicit *nunc anima mea turbata est*. Supra enim fideles suos exhortatus est animam suam in hoc mundo odio habere, et nunc, imminente morte, audivimus ipsum dominum dicentem *nunc anima mea turbata est*. Propter quod Augustinus dicit: *domine, sequi iubes animam meam, turbari video animam tuam: quale fundamentum quaeram, si petra succumbit?* Et ideo videndum est primum quid sit haec turbatio in Christo; secundo quare voluit eam subire. Sciendum est autem quantum ad primum, quod proprie dicitur turbari aliquid quando commovetur: unde et mare commotum, dicimus esse turbatum. Quodcumque ergo aliquid excedit modum suae quietis et tranquillitatis, tunc illud dicitur turbari. In anima autem humana est pars sensitiva, et pars rationalis. In sensitiva quidem parte animae accidit turbatio, quando aliquibus motibus commovetur; puta cum timore contrahitur, spe elevatur, gaudio dilatatur, seu aliqua alia passione afficitur. Sed haec quidem turbatio quandoque quidem sub ratione sistit; quandoque vero limitem rationis excedit, cum scilicet ipsa ratio perturbatur. Quod quidem pluries in nobis contingit, sed in Christo hoc locum non habet, cum sit ipsa sapientia patris; nec etiam in aliquo sapiente: unde sententia Stoicorum est quod sapiens non turbatur, scilicet quantum ad rationem. Secundum hoc ergo est sensus: *nunc anima mea turbata est*; idest, affecta est passionibus timoris et tristitiae, quantum ad sensitivam, quibus tamen ratio non turbabatur nec suum ordinem deserebat; Mc. XIV, 33: *coepit Iesus pavere et taedere*. Huiusmodi autem passiones aliter sunt in nobis, et aliter fuerunt in Christo. In nobis enim sunt ex necessitate, in quantum quasi ab extrinseco commovemur et afficimur; in Christo autem non sunt ex necessitate, sed ex imperio rationis, cum in eo nulla passio fuerit nisi quam ipse concitavit. Nam intantum inferiores vires erant subditae rationi in Christo quod nihil agere et pati poterant, nisi quod eis ratio ordinabat: et ideo dicitur supra XI, 33, quod *Iesus infremuit spiritu, et turbavit semetipsum*; Ps. LIX, 4: *commovisti terram* (idest, humanam naturam) *et turbasti eam*. Sic ergo turbata est anima Christi quod nec contra rationem, sed secundum rationis ordinem turbatio in eo fuit. Quantum ad secundum autem, sciendum est quod dominus turbari voluit propter duo. Primo quidem propter fidei documenta, ut scilicet veritatem humanae naturae approbaret: et ideo iam ad passionem appropinquans omnia humanitus agit. Secundo propter exemplum: nam si omnia constanter egisset, et nullam passionem sensisset in anima, non fuisset sufficiens exemplum ad mortem sustinendam hominibus. Et ideo turbari voluit, ut, cum turbamur, non recusemus mortem sustinere, nec deficiamus; Hebr. IV, 15: *non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, pro similitudine absque peccato*. Unde ex hoc apparet continuatio cum praecedentibus. Quia enim dixerat: *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam*, in quo ad passionem discipulos exhortatus fuerat, ne dicant aliqui: o domine, securus potes disputare et philosophari de morte, qui extra dolores humanos existens, propter mortem non turbaris: et ideo ut hoc excluderet, turbari voluit. Haec autem Christi turbatio naturalis fuit: nam sicut anima naturaliter amat corporis unionem, ita et naturaliter refugit eius separationem, praesertim cum ratio Christi permiserit agere animae et viribus inferioribus quae eis propria erant. Propter hoc etiam quod dicit *nunc anima mea turbata est* etc., destruitur error Arii et Apollinaris dicentium in Christo non esse animam, sed verbum loco eius. Consequenter ponit dominus petitionem gloriae, dicens *et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora*: ubi dominus transfert ad se affectum hominis turbati: ad cuius modum quatuor circa suam petitionem facit: primo enim ponit quaestionem deliberantis; secundo proponit petitionem, quae ex uno motu procedit; tertio per rationem illum motum excludit; quarto ponit aliam petitionem ex alio motu causatam. Quaestionem autem dubitantis proponit, quia naturale est hominibus in angustiis constitutis quod deliberent, unde philosophus in rhetoricis dicit quod timor facit consiliativos. Ideo Christus post manifestationem suae turbationis, statim subdit *et quid dicam?* Quasi diceret; quid faciendum est post turbationem? Simile habetur in Ps. LIV, 6: *timor et tremor venerunt super me*. Et statim sequitur: *quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam?* Nam et angustiati, et passione turbati gravantur, et auxilium quaerunt quo liberentur. Petitionem ex uno motu causatam ponit, quia, cum quis est in ambiguo quid agere debeat, debet recurrere ad Deum; II Paralip. XX, 12: *cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus refugii, ut oculos nostros dirigamus ad te, Deus noster*; Ps. CXX, 1: *levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*. Et ideo ad patrem recurrens, dicit *pater, salvifica me*; idest, libera me a tribulatione quae imminet in hora passionis; Ps. LXVIII, 2: *salvum me fac, domine, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam*. Et, ut Augustinus dicit, idem est quod hic dominus dicit *nunc anima mea turbata est, et pater, salvifica me*, cum eo quod dicit Matth. XXVI, 38: *tristis est anima mea usque ad mortem*. Sed notandum, quod haec petitio non proponitur ex proprio motu rationis, sed ipsa ratio quasi advocata loquitur in persona naturalis affectionis, quae desiderabat non mori: et ideo ratio

designat motum affectionis naturalis in hac petitione. Ex quo solvitur quaestio quae fieri consuevit, quia, ut dicitur ad Hebr. V, 7: *in omnibus exauditus est pro sua reverentia*. Et tamen in hoc quod petiit, non fuit exauditus. Ad quod dicendum, quod in illis est exauditus quae ipsa ratio ex parte sua petebat, et ut exaudienda. Hoc autem quod hic petit, non proponit ex parte sua, nec ut exaudienda, sed ut exprimens naturalem affectum: et ideo, secundum Chrysostomum, legitur interrogative. *Et quid dicam?* Numquid hoc: *pater, salvifica me ex hac hora?* Quasi diceret, non dicam hoc. Petitionem autem hanc ex motu naturalis appetitus propositam repellit, dicens *propterea veni in horam hanc*, quasi diceret: non est iustum ut liberer ex hac hora passionis, quia ideo veni ut paterer, non fatali necessitate ductus, non humana violentia coactus, sed sponte oblat; Is. LIII, 7: *oblatus est, quia ipse voluit*; supra X, 18: *nemo tollet eam*, scilicet animam meam, a me; sed ego pono eam. Petitionem autem suam proponit ratio, cum dicit *pater, clarifica nomen tuum*. Ubi per *nomen tuum* possumus duo intelligere. Scilicet ipsum filium. Nomen enim a notitia dicitur, quasi notamen: unde nomen est quo manifestatur res; filius autem manifestat patrem; infra XVII, 6: *pater, manifestavi nomen tuum hominibus*. Et de hoc nomine dicitur Is. XXX, 27: *ecce nomen domini venit de longinquo*. Est ergo sensus: *pater, clarifica nomen tuum*, idest filium tuum; infra XVII, 5: *clarifica me, pater, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te*. Vel nomen domini est notitia patris; et tunc est sensus: fac hoc, *pater, clarifica nomen tuum*; idest, fac illud quod gloria est tui nominis. Et in idem redit, quia clarificato filio, clarificatum est nomen patris. Ideo autem hoc dicit quia passione filius glorificandus erat; Phil. II, 8: *factus est obediens, patri, usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum*. Quasi dicat: affectus naturalis petit ut salver, sed ratio petit ut clarificetur nomen tuum, idest, ut filius patiat, quia, scilicet passione Christi notitia Dei clarificanda erat. Nam ante passionem Deus notus erat in Iudaea tantum, et in Israel magnum nomen eius; sed post passionem suam nomen eius clarificatum est in gentibus. Consequenter cum dicit *venit ergo vox de caelo* etc., ponitur gloriae promissio, et primo inducitur vox gloriam promittentis; secundo ponitur opinio turbae devotae dubitantis, ibi *turba autem quae stabat et audierat, dicebat tonitruum factum esse*; tertio ponitur expositio prolatae vocis, ibi *respondit Iesus, et dixit: non propter me haec vox venit*. Dicit ergo quantum ad primum: *venit ergo vox de caelo*. Vox ista, vox est Dei patris, sicut illa quae supra Christum baptizatum, Matth. II, 17: *hic est filius meus dilectus*, et similiter quae venit super eum transfiguratum, Matth. XVII, 5. Licet autem omnis talis vox formata sit virtute totius Trinitatis, specialiter tamen formatur ad repraesentandum personam patris, unde et vox patris dicitur: sicut columba formata est a tota Trinitate, ad significandum personam spiritus sancti; et similiter corpus Christi a tota Trinitate formatum est, sed specialiter a persona verbi assumptum, quia ad hoc formatum est ut ei uniretur. Vox ergo ista duo facit. Primo manifestat praeteritum, dicens *et clarificavi*, idest, clarum genui ab aeterno, quia filius non est nisi quaedam claritas et splendor patris; Sap. VII, 26: *candor est lucis aeternae, et speculum sine macula Dei maiestatis*; Hebr. c. I, 3: *qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius*. Vel *clarificavi*, in nativitate, quando Angeli cecinerunt: *gloria in excelsis Deo*, Lc. II, 14, et in miraculis per eum factis. Secundo praenuntiat futurum: *et iterum clarificabo*, in passione, in qua triumphavit de Diabolo, et in resurrectione et ascensione, et in totius mundi conversione; Act. III, 13: *Deus patrum nostrorum clarificavit filium suum Iesum*. Opinio turbae dubitantis de voce ponitur, cum dicit *turba ergo quae stabat, et audierat, dicebat tonitruum esse factum*: in qua quidem turba, et in omni turba, quidam erant grossioris et tardioris intellectus, quidam vero acutioris; quamvis omnes imperfecte se haberent ad ipsius vocis cognitionem. Nam desidiosus et carnalis non perceperunt vocem ipsam nisi quantum ad sonum; et ideo dicebant *tonitruum factum esse*. Sed non usquequaque decipiebantur: vox enim domini tonitruum erat, tum quia mirabilem significationem habebat, tum quia maxima continebat; Iob XXVI, 14: *cum vix parvam scintillam sermonum eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Ps. LXXVI, 19: *vox tonitruum tui in rota*. Acutiores vero perceperunt de ipsa voce quod esset sonus vocis articulatae et significativae: unde dixerunt eam esse locutionem. Sed credentes Christum esse purum hominem, defecerunt, locutionem illam Angelo tribuentes; unde dicebant *Angelus ei locutus est*: qui quidem similia patiebantur Diabolo, qui credebat Christum Angelorum adminiculo indigere; unde dicebat, Matth. IV: *Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te*. Non enim Angelorum custodia indiget et adiutorio, sed ipse Angelos glorificat et custodit. Expositio vocis subditur, cum dicit: *respondit Iesus, et dixit* etc., et primo exponit vocem prolatam; secundo ponit contradictionem, ibi *respondit ei turba*; tertio subdit domini responsionem, ibi *dixit ergo eis Iesus*. Circa primum duo facit. Primo ponit causam vocis; secundo subdit eius significationem, ibi *nunc iudicium est mundi* et cetera. Sciendum est circa primum, quod quia dixerant *Angelus locutus est ei* Angelus autem loquitur alicui revelando ad utilitatem eius qui loquitur,

sicut patet Apoc. I, et Ez. 1, ideo dominus, ostendens se non indigere alicuius vocis, seu angelicae revelationis adminiculo, dicit *non propter me*, scilicet instruendum, *venit haec vox, sed propter vos*. Nihil enim significavit quod ipse ante nesciret, quia *in ipso sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi*: Col. II, v. 3, ita ut noverit omnia quae pater novit. *Sed propter vos venit*, scilicet instruendos. In quo datur intelligi, quod multa dispensative circa Christum propter nos facta sunt, non quod eis Christus indigeret; Rom. XV, v. 4: *quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Consequenter cum dicit *nunc iudicium est mundi*, ponit vocis significationem, et primo ponit iudicium quo erat glorificandus; secundo subdit iudicii effectum, ibi *nunc princeps mundi huius eiicietur foras*, et tertio clarificationis modum, ibi *et si ego exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Dicit ergo *nunc iudicium est mundi*. Sed si hoc est, quid ergo expectamus quod dominus veniat iterum iudicaturus? Ad quod dicendum, quod iam venit ad iudicandum iudicio discretionis, quo discerneret suos a non suis; supra IX, 39: *in iudicium ego in hunc mundum veni*. Et de hoc dicit *nunc iudicium est mundi*. Sed venturus est ad iudicandum iudicio condemnationis, ad quod primo non venit; supra III, 17: *non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. Vel dicendum, quod duplex est iudicium. Unum quo condemnatur mundus, et de hoc non dicitur hic; aliud est iudicium mundi quo iudicatur pro mundo, in quantum mundus a servitute Diaboli liberatur. Hoc modo intelligitur illud Ps. XXXIV, 1: *iudica, domine, nocentes me, expugna impugnantes me* et cetera. Et haec duo in idem redeunt: quia hoc ipso quod iudicatur pro mundo, excluso Diabolo, discernuntur boni a malis. Effectus iudicii est exclusio Diaboli, unde dicit *nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, per virtutem passionis Christi. Unde sua passio est eius clarificatio, ut quasi per hoc exponat quod dicit *et clarificabo*, in quantum scilicet *princeps huius mundi eiicietur foras*, quasi per passionem victoriam de Diabolo habeat; I Io. III, 8: *in hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli*. Sed circa hoc dubitatur de tribus. Primo de hoc quod dicit Diabolum principem huius mundi; ex quo Manichaei dicunt eum creatorem et dominum omnium visibilium. Ad hoc dicendum, quod Diabolus dicitur princeps mundi huius, non naturali dominio, sed usurpatione, in quantum homines mundani, contempto vero domino, se sibi subdiderunt; II Cor. IV, 4: *Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium*. Est ergo princeps mundi huius, in quantum in mundanis hominibus principatur, ut Augustinus dicit, qui toto orbe terrarum diffusi sunt. Nam nomen mundi quandoque accipitur in malam partem pro hominibus mundum amantibus, supra I, v. 10: *mundus eum non cognovit*; quandoque autem in bonam partem pro bonis hominibus sic in mundo viventibus, ut tamen eorum conversatio sit in caelis; II Cor. V, 19: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Secundo dubitatur de hoc quod dicit *eiicietur foras*. Nam si eiectus esset foras, non ita tentaret nunc sicut ante tentabat, cum tamen tentare non desierit: non ergo eiectus est. Ad quod dicendum est, secundum Augustinum, quod licet Diabolus tentet homines qui desierunt esse de mundo, non tamen eo modo tentat quo prius. Quia tunc tentabat et regnabat ab interiori, sed postmodum ab exteriori tantum. Nam quamdiu homines sunt in peccato, tunc regnat ab interiori, et tentat; Rom. VI, 12: *non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius*. Sic ergo eiectus est foras, quia effectus peccati in homine non est ab interiori, sed ab exteriori. Tertio quaeritur de hoc quod dicit *nunc princeps huius mundi eiicietur foras*: ex quo videtur sequi quod ante passionem Christi non erat eiectus foras, et per consequens, cum tunc eiiciatur foras quando homines liberantur a peccatis, quod Abraham, Isaac, et alii veteris testamenti non fuerunt liberati a peccato. Ad quod dicendum est, secundum Augustinum, quod ante passionem Christi eiectus erat a singularibus personis, sed non a mundo, sicut post. Nam illud quod tunc in paucissimis hominibus factum est, nunc in multis magnisque populis Iudaeorum et gentium ad Christum conversis, virtute passionis Christi factum esse dignoscitur. Vel dicendum quod Diabolus eiicitur per hoc quod homines liberantur a peccato; sed ante passionem Christi, omnes iusti liberati erant a peccato, sed non totaliter, quia adhuc detinebantur ne introducerentur in regnum: et quantum ad hoc in eis aliquid iuris habebat, quod tamen per passionem Christi totaliter sublatum est, quando flammeus gladius amotus est, quando dictum est homini: *hodie mecum eris in Paradiso*. Modus autem passionis est per exaltationem, unde dicit *et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Circa quod sciendum, quod Chrysostomus utitur tali exemplo: quod si aliquis tyrannus, qui consuevisset aliquos subditos opprimere, ferire, et in vincula mittere, deinde ex eadem dementia etiam eum qui in nullo sibi subditur eodem modo afficiat, ut in eundem carcerem ducat, merito hoc etiam aliorum qui subiiciebantur dominio privari debet: ita et Christus contra Diabolum fecit. Diabolus enim propter peccatum primi parentis, aliquod ius habebat in hominibus, unde poterat aliquo modo iuste in eos saevire. Quia vero etiam in Christo, in quo nullum ius habebat, similia tentare ausus est, dum eum tentator invasit in quem non habebat

quidquam, ut dicitur infra XIII, ideo dignum fuit ut etiam dominio privaretur per mortem Christi. Et hoc est quod dicit *si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Ubi primo praemittit modum mortis; secundo Evangelista exponit quod dicit, ibi *hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus*. Modus autem mortis est per exaltationem in ligno crucis. Expositio autem est quod in hoc signavit *qua morte esset moriturus*. Sciendum est autem, quod duplici de causa dominus voluit mori morte crucis. Una quidem propter mortis turpitudinem; Sap. II, 20: *morte turpissima condemnemus eum*. Unde et Augustinus dicit: ideo hoc modo dominus mori voluit, ut hominem neque ipsa mortis turpitudine a perfectione iustitiae repellat. Secundo, quia sic mors est per modum exaltationis: unde et dominus dicit *si exaltatus fuero*. Quod quidem genus mortis conveniebat fructui, causae et figurae passionis. Fructui quidem, quia per passionem erat exaltandus. Phil. II, 8: *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen*. Et ideo Ps. XX, 14, dicebat: *exaltare, domine, in virtute tua*. Causae vero passionis conveniebat dupliciter: quia et ex parte Daemonis, et ex parte hominum. Ex parte quidem hominum, quia pro ipsorum salute moriebatur; ipsi autem perierant, quia deiecti et demersi erant ad terrena; Ps. XVI, 11: *statuerunt oculos suos declinare in terram*. Voluit ergo mori exaltatus, ut corda nostra ad caelestia elevaret. Sic enim ipse est via nostra in caelum. Ex parte vero Daemonum, ut scilicet eos qui in aere principatum et potestatem exercebant, ipse elevatus in aere conculcet. Figurae vero conveniebat, quia dominus fieri praecepit serpentem aeneum in deserto, ut habetur Num. XXI, 9. Supra III, 14: *sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis* et cetera. Sic ergo exaltatus *omnia traham*, per caritatem, ad meipsum: Ier. XXXI, 3: *in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans*. In hoc etiam maxime apparet caritas Dei ad hominem, in quantum pro ipsis mori dignatus est; Rom. V, 8: *commendat Deus suam caritatem in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est*. In hoc complevit quod sponsa petit Cant. I, 3: *trahe me post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum*. Notandum est autem quod trahit pater, trahit et filius; supra VI, 44: *nemo potest venire ad me nisi pater, qui misit me, traxerit eum*. Ideo autem dicit hic *omnia traham*, ut ostendat quod eadem est operatio utriusque. Dicit autem *omnia*, non omnes quia non omnes trahuntur ad filium. *Omnia*, inquam *traham*, idest animam et corpus. Vel omnia genera hominum, scilicet gentiles et Iudaeos, servos et liberos, mares et feminas. Vel omnia praedestinata ad salutem. Et notandum, quod hoc ipsum quod dicit *omnia trahere ad seipsum*, est principem huius mundi foras eiicere: non enim est conventio Christi ad Belial, nec lucis ad tenebras.

## Lectio 6

[87502] Super Io., cap. 12 l. 6 Posita promissione de glorificatione domini, et expositione vocis, hic consequenter ponitur dubitatio turbae, ubi primo introducit auctoritatem legis; secundo ex ea dubitationem movet, ibi *et quomodo tu dicis* et cetera. Dicit ergo quantum ad primum *respondit ei turba*, scilicet domino de sua morte loquenti, *nos audivimus ex lege* (lex hic accipitur communiter pro tota Scriptura veteris testamenti) *quod Christus in aeternum manet*. Et hoc potest ex multis locis veteris testamenti haberi, et praecipue Is. c. IX, 7: *multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis*; Dan. VII, 14: *potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur*. Et ex hac auctoritate duas dubitationes formant: unam de facto, aliam de persona. De facto, cum dicunt *quomodo tu dicis: oportet exaltari filium hominis?* Sed cum Christus non dixerit *oportet exaltari filium hominis*, sed *ego si exaltatus fuero* etc., quomodo Iudaei dicunt *oportet exaltari filium hominis?* Sed dicendum, quod Iudaei iam assueti erant verbis domini, unde memoriter tenuerunt quod dicebat se esse filium hominis. Ideo cum dixit: *ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*, pro eodem intellexerunt ac si dixisset: si filius hominis esset exaltatus, ut Augustinus dicit. Vel dicendum, quod licet hic non fecerit mentionem de filio hominis, tamen supra III, 14, hoc dixit: *oportet, inquam exaltari filium hominis*. Sed videtur hoc quod ipsi dicunt *oportet exaltari filium hominis*, in nullo contrariari ei quod dixerat quod *Christus manet in aeternum*. Sed dicendum ad hoc, quod quia dominus consueverat eis parabolice loqui, ideo multa eorum quae dicebantur, intelligebant. Unde et hoc quod dominus dixit, exaltationem in mortem crucis suspicati sunt; supra VIII, 28: *cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum*. Vel dicendum, quod hoc ideo intellexerunt, quia iam id facere cogitabant. Unde eis verborum istorum intellectum non aperuit acumen scientiae, sed simulata conscientia malitiae. Sed attende eorum malitiam, quia non dicunt *nos audivimus ex lege*, quod Christus nihil patitur: nam in multis locis de passione et resurrectione eius

agitur, sicut illud Is. LIII, 7: *tamquam ovis ad occisionem ducetur*, et illud Ps. III, 6: *ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi*. Sed dicunt quoniam Christus manet in aeternum. Cuius ratio est, quia in hoc nulla fuisset contrarietas, cum immortalitati Christi ex passione eius nullum factum fuisset impedimentum. Volebant enim ostendere eum ideo non esse Christum, *quoniam Christus manet in aeternum*, ut Chrysostomus dicit. De persona autem quaestionem movent, cum dicunt *quis est iste filius hominis?* Hoc ideo quaerunt, quia Dan. VII, 13, dicitur: *vidi, et ecce quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit*, quia per illum filium hominis intelligebant Christum; quasi dicerent: dicis, quod oportet exaltari filium hominis, et filius hominis, quem intelligimus Christum, manet in aeternum, *quis est ergo iste filius hominis?* Si non manet in aeternum, nec est Christus. In hoc autem reprehendenda est eorum tarditas: quia adhuc dubitant post tot visa, tot audita, an ipse esset Christus; Eccli. XXII, 9. *Cum dormiente loquitur qui narrat stulto sapientiam*.

Consequenter cum dicit *dixit ergo eis Iesus etc.*, satisfacit dominus eorum dubitationem aliquantulum, et primo commendat bonum quod habebant; secundo hortatur eos ad profectum, ibi *ambulate dum lucem habetis*; tertio admonitionem exponit dicens *dum lucem habetis, credite in lucem*. Dixit ergo eis Iesus: *adhuc modicum lumen in vobis est*. Quod quidem potest dupliciter legi. Uno modo, secundum Augustinum, ut scilicet *modicum* sit adiectivum determinans hoc quod dicit *lumen*, quasi dicat: quoddam lumen in vobis est, in quantum recognoscitis quod Christus manet in aeternum. Haec enim veritas quaedam est: omnis autem manifestatio veritatis est quoddam lumen infusum a Deo. Sed tamen lumen istud quod est in vobis, *modicum est*, quia, licet cognoscatis Christi aeternitatem, eius tamen mortem et resurrectionem non creditis: in quo patet quod non habetis fidem perfectam. Istis ergo convenit quod dictum est Petro, Matth. XIV, 31: *modicae fidei, quare dubitasti?*

Secundum Chrysostomum vero dicitur *adhuc modicum*, scilicet tempus extat, quod *lumen in vobis est*, id est ego, qui sum lumen; quasi diceret: parvo tempore ego lux vobiscum sum; infra XVI, 16: *modicum, et iam non videbitis me*. Et ideo consequenter exhortatur eos ad complementum et profectum boni, et primo ponit suam exhortationem; secundo ostendit periculum imminens, nisi proficiant, ibi *qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat*. Dicit ergo: dico quod modicum lumen habetis, tamen dum illud habetis, *ambulate*; id est accedite et proficite, ut simul cum aeternitate intelligatis moriturum Christum, et resurrecturum. Et hoc secundum primam expositionem. Vel *ambulate dum lucem habetis*, id est, dum vobiscum sum, proficite et satagite sic me habere ut numquam perdatis; Ps. LXXXVIII, 16: *domine, in lumine vultus tui ambulabunt*. Et hoc *ne tenebrae*, infidelitatis, ignorantiae et perpetuae damnationis, *vos comprehendant*, et sic ulterius procedere non possitis.

Tunc enim homo comprehenditur tenebris quando totaliter infidelitate demergitur: quod esset, si eo modo credideritis Christi aeternitatem ut negetis in eo mortis humilitatem; Iob III, 23: *viro cui abscondita est via*; ibid. XXXVII, 19: *omnes involvimur quippe tenebris*. Periculum imminens nisi proficiant, subdit dicens *et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat*. Nam lumen, sive exterius sive interius, dirigit hominem. Exterius quidem dirigit quantum ad exteriores actus corporales, sed interius dirigit ipsam voluntatem. Qui ergo non ambulat in luce, non perfecte credendo in Christum, sed *ambulat in tenebris, nescit quo vadat*, id est, ad quem terminum dirigatur; Ps. LXXXI, 5: *nescierunt neque intellexerunt: in tenebris ambulant*. Quod quidem et ipsis Iudaeis contingit quia nesciunt quid agant, sed, ut in tenebris ambulantes, putant quidem rectam incedere viam, et unde Deo placere credunt magis displicent. Similiter et haeretici errantes, unde mereri credunt lumen veritatis et gratiae, privari potius demerentur; Prov. XIV, 12: *est via quae videtur homini recta; novissima autem eius deducunt ad mortem*. Consequenter cum dicit *dum lucem habetis, credite in lucem*, exponit quod dixit, scilicet quid sit ambulare: et hoc dupliciter, secundum duas praemissas expositiones. Primo, secundum primam, *dum lucem habetis*, id est, dum aliquid habetis de notitia et lumine veritatis, *credite in lucem*, id est in veritatem perfectam, *ut filii lucis sitis*, id est, ut renascamini veritati; I Thess. V, 6: *non sumus noctis neque tenebrarum: igitur non dormiamus*. Vel, secundum aliam expositionem, *dum lucem habetis*, id est me qui sum lux: supra I, 9: *erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, credite in lucem*, id est in me, hoc est, proficite in cognitione mea: *ut filii lucis sitis*, quia ex hoc quod creditis in me, eritis filii Dei; supra I, 12: *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*. Hic Evangelista narrat factum quod fecit Iesus, scilicet quod abscondit se. Sed cum supra VIII, 59 legerimus, Christum hoc idem fecisse, in promptu est ratio, quia tulerunt lapides, ut iacerent in eum; sed hic suae absconsionis nulla ratio assignatur, ut cum nec lapides levarent, nec eum blasphemarent: quare ergo abscondit se? Ad quod dicendum, quod dominus scrutans eorum corda, cognovit furorem et malitiam eorum, quam iam conceperant de eo occidendo. Unde volens eos praevenire, non expectavit ut in opus exirent, sed abscondendo se, eorum invidiam et iracundiam mitigavit. In quo nobis dedit

exemplum, ut cum de aliquorum malitia nobis constat, iam antequam patrare opere tentent, fugere debemus. Nihilominus tamen dominus ostendit factum quod dixit verbo. Dixerat enim: *ambulate dum lucem habetis, ut non tenebrae vos comprehendant*, has tenebras cuiusmodi sint, insinuavit per suam absconsionem; Is. VIII, 17: *expectabo eum qui abscondit se a domo Iacob*.

## Lectio 7

[87503] Super Io., cap. 12 l. 7 Supra Evangelista tractavit multipliciter de gloria Christi, ex qua Iudaei ex invidia commoti sunt ad occidendum eum; hic agit de alia occasione passionis eius, scilicet de infidelitate Iudaeorum, et primo tangitur eorum infidelitas; secundo ipsa reprehenditur a domino, ibi *Iesus autem clamavit* et cetera. Circa primum duo facit. Primo reprehendit infidelitatem omnino non credentium; secundo infidelitatem eorum qui credebant, tamen in occulto, ibi *verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum*. Circa primum duo facit. Primo proponit eorum mirabilem infidelitatis duritiam; secundo ne credatur irrationabiliter vel fortuito factum, inducit prophetiam, ibi *ut sermo Isaiae prophetae impleretur*. Dicit ergo Evangelista, quasi admirans: dictum est, quod dominus multa signa fecit, puta quod aquam mutavit in vinum, supra II, quod paralyticum curavit, supra V, quod illuminavit caecum, supra IX, quod resuscitavit mortuum, supra XI: et tamen *cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*. Consueverunt ergo dicere: *quod signum ostendis nobis, ut credamus tibi?* Sed ecce quod Evangelista dicit *cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*; infra XV, 24: *si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Unde non poterant dicere illud Ps. LXXIII, 9: *signa nostra non vidimus*. Consequenter cum dicit *ut sermo Isaiae prophetae impleretur*, introducuntur ad hoc testimonia prophetarum, et primo introducuntur prophetiae; secundo ostenditur quod de Christo loquuntur, ibi *haec dicit Isaia* et cetera. Circa primum duo facit. Primo inducit prophetiam praedicentem eorum infidelitatem; secundo subdit prophetiam praedicentem infidelitatis causam, ibi *propterea non poterant credere*. Dicit ergo: dico quod non credebant in eum, *ut sermo Isaiae prophetae impleretur* ubi sciendum est, quod Iy ut in sacra Scriptura quandoque accipitur causaliter, sicut illud supra X, 10: *ego veni ut vitam habeant*, quandoque autem tenetur consecutive, et significat eventum futurum: et sic accipitur hic. Non enim ideo non credebant quia praedixerat Isaia, sed quia non erant credituri, ideo praedixit: unde ex non credentibus sermo Isaiae impletur; Lc. ult., 44: *necesse est impleri omnia quae scripta sunt*; Matth. V, 18: *iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant*. Sed si necesse erat ut impleretur sermo Isaiae, videtur quod Iudaei sint excusabiles de eo quod non crediderunt: non enim poterant facere contra prophetiam. Responsio. Dicendum, quod sic prophetatum erat, ut eorum arbitrio uterentur. Deus enim futurorum praescius eorum infidelitatem per prophetiam praedixit, non fecit: non enim propterea Deus quemquam ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam novit. Illud ergo peccatum quod Iudaei fecerunt, dominus, quem nihil latet, facturos eos praedixit. Quid autem propheta dicat, subiungit dicens *domine quis credidit auditui nostro, et brachium domini cui revelatum est?* Ubi sciendum est, quod duplex est modus credendi. Aliquando quidem per instructionem alterius; et hic est communis modus credendi; Rom. X, 17: *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Aliquando autem per revelationem divinam; et hic est singularis modus, de quo apostolus dicit: *neque ab homine didici illud, neque accepi, sed per revelationem Iesu Christi*. Is. LIII, 1 ergo praedixit quidem credentium raritatem, dicens *domine, quis credidit auditui nostro?* Et primo quantum ad modum communem, qui est per instructionem, cum dicit *quis credidit auditui nostro?* Quod quidem habetur loc. cit., et potest dupliciter intelligi. Uno modo ut sit sensus: *quis credidit auditui nostro?* Quod scilicet nos audivimus a te; Abd. 1: *auditum audivimus a domino exercituum* et cetera. Ps. LXXXIV, 9: *audiam quid loquatur in me dominus Deus*. Quasi dicant: nos audivimus a te; sed domine, quis credet nobis quae de nativitate et passione tua te loquente audivimus? Unde et totum illud capitulum Isaiae loquitur de his. Dicit autem propheta audire ut insinuet modum illuminationis prophetarum. Nam per visum accipit homo cognitionem immediate de re visa, sed per auditum non habetur immediate cognitio a re visa, sed ab aliquo signo illius rei. Quia ergo prophetae non immediate videbant essentiam divinam, sed quaedam signa divinorum, ideo dicit eos audire. Num. XII, 6: *si quis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*; quasi per quaedam signa. Filius autem aeternaliter videt ipsam divinam essentiam; supra I, 18: *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit*. Quis ergo credidit auditui nostro? Idest, quis credidit his quae audivimus et narravimus? Is. XXI, 10: *quae audivi a domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis*. Alio modo. Quis

*credidit auditui nostro?* Idest, his quae a nobis audiunt; Ez. XXXIII, 31: *audiunt sermones meos ex ore tuo, et non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos.* Quantum autem ad modum singularem, qui est per revelationem, dicit *et brachium domini cui revelatum est?* Brachium dicitur filius, per quem pater omnia operatur, sicut brachium hominis dicitur per quod homo operatur. Et si homo solo verbo interiori operaretur, tunc verbum eius posset dici brachium suum. Sic ergo dicitur brachium Dei, non quod Deus pater figura determinetur carnis humanae, et brachium habeat corporale; sed quia *per ipsum omnia facta sunt:* supra II, v. 3. Et Iob XL, 4: *si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas?* Lc. I, 51: *fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Notandum ergo, quod ex hoc verbo occasionem sumpsit erroris sui Sabellius, dicens, eandem personam esse patris et filii: et Arius dicens, filium esse patre minorem. Non enim duae personae, sed una est homo et brachium eius; nec brachium homini aequale dici potest. Ad quod dicendum est, quod in talibus non est sufficiens similitudo: nam ea quae in creaturis sunt, non perfecte repraesentant ea quae sunt in Deo. Unde Dionysius dicit quod symbolica theologia non est argumentativa. Non ergo dicitur brachium filius quasi eiusdem personae cum patre sit vel minor eo, sed quia per eum omnia operatur. Dicit ergo *et brachium domini cui revelatum est?* Quasi dicat, paucis, scilicet ipsis apostolis; I Cor. c. II, 10: *nobis autem revelavit Deus per spiritum suum.* Consequenter cum dicit *propterea non poterant credere*, ponit prophetiam praedicentem infidelitatis causam. Et si intendamus haec verba Evangelistae, videntur quidem secundum superficiem litterae habere obscurum intellectum. Et primo, quia si dicatur quod *propterea non poterant credere*, quia hoc dixit Isaias, videntur Iudaei excusabiles esse. Quod enim peccatum est hominis non facientis quod non potest facere? Et, quod gravius est, in Deum culpa retorquetur, quod excaecavit oculos eorum. Tolerabile autem esset, si hoc de Diabolo diceretur, quia, ut dicitur II Cor. IV, 4: *Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium.* Sed hic dicitur de domino nostro. Nam Is. VI, 1, dicit: *vidi dominum sedentem super solium excelsum.* Et sequitur: *excaeca cor populi huius, et aures eius aggravata, et oculos eius claude; ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum.* Sed ad evidentiam huius, primo, exponamus hoc quod dicit *propterea non poterant credere.* Ubi sciendum, quod aliquid dicitur impossibile vel necessarium dupliciter: absolute scilicet, et ex suppositione. Absolute quidem, sicut impossibile est hominem esse asinum; ex suppositione vero, sicut impossibile est me esse extra domum, dum intus in ea sedeo. Secundum hoc ergo dicendum, quod homo excusatur, si non facit ea quae absolute sunt sibi impossibilia: sed si non facit ea si qua sunt sibi impossibilia ex suppositione, non excusatur. Sicut si detur quod aliquis habeat malam voluntatem omnino furandi, et dicat impossibile sibi esse non peccare quamdiu voluntatem obstinatam illam habeat, non excusatur; quia huiusmodi impossibilitas non est simpliciter, sed ex suppositione: potest enim voluntatem malam disponere. Dicit ergo *propterea non poterant credere*, quia scilicet habent voluntatem obscuratam in sua malitia; Ier. XIII, 23: *quomodo scilicet potest Aethiops mutare pellem suam, et pardus varietates suas; et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum;* Matth. XII, 34: *quomodo poteritis bona facere, cum sitis mali?* Et simile est sicut si dicerem de aliquo: ego nullo modo possum eum diligere; sed habeo eum odio. Quantum ad secundum, sciendum, quod excaecatio et induratio Dei non intelligitur quasi Deus immittat malitiam vel ad peccandum impellat, sed per hoc quod non infundat gratiam: quam quidem gratiam infundit ex sua misericordia; sed causa huius quod non infundit, est ex parte nostra, in quantum scilicet in nobis est aliquid gratiae divinae repugnans. Nam ipse, quantum in se est, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* supra I, 9; I Tim. II, 4: *vult omnes homines salvos fieri.* Sed quia nos a Deo recedimus, ideo gratiam suam nobis subtrahit; Oseae IV, 6: *quia tu scientiam repulisti, repellam te;* ibid. XIII, 9: *perditio tua, Israel ex te: tantummodo in me auxilium tuum.* Et est simile sicut si alius clausisset fenestram domus, et diceretur ei: tu non potes videre, quia privaris lumine solis. Sed hoc non esset ex defectu solis, sed quia ipse sibi lumen solare interclusisset. Et similiter hic dicitur quod *non poterant credere*, quia Deus excaecavit eos: quia scilicet ipsi causam praestiterant ut excaecarentur, secundum illud Sap. II, 21: *excaecavit illos malitia eorum.* His ergo visis, consideranda sunt verba prophetiae huius, quae quidem habentur Is. VI, 10, non secundum eadem verba, sed secundum eandem sententiam. In his ergo verbis tria continentur. Primo Iudaeorum induratio et excaecatio; secundo utriusque effectus, ibi *ut non videant;* tertio finis, ibi *et convertantur, et sanem eos.* Circa primum considerandum est, quod dominus inducebat ad fidem dupliciter: scilicet miraculis et doctrina, unde utrumque eis impropere dicens: *si opera non fecissem in eis quae nullus alius fecit, peccatum non haberent.* Et iterum: *si non venissem, et non loquutus fuisset eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Utrumque enim contempserunt. In quantum ergo Christi miracula non attendebant



diligentia debita, dicit *excaecavit oculos eorum*, scilicet cordis: de quibus habetur Eph. I, 18: *illuminatos oculos cordis vestri*; si per intellectum considerarent quod talia miracula fieri non poterant nisi virtute divina: Is. XLII, 20: *qui vides multa, nonne consideras?* Et iterum ibid. 19: *quis caecus, nisi servus meus; et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi?* Quia quantum ad doctrinam Christi non movebantur, subdit *et induravit cor eorum*. Videtur enim durissimum quod forti calore non resolvitur, et divina percussione non conteritur. Verba autem Christi *sunt quasi ignis, et sicut malleus conterens petras*, ut dicitur Ier. XXIII, 29. Ignis quidem, quia inflammant per caritatem; malleus autem, quia terrent per comminationem, et confringunt per manifestissimam veritatem. Et tamen verbum Christi cor Iudaeorum non attendebat. Unde patet quod fuit induratum; Iob XLI: *cor eius indurabitur quasi malleatoris incus*; Rom. IX, 18: *cuius vult miseretur, et quem vult indurat*. Effectus autem excaecationis ponitur cum dicit *ut non videant oculis*, scilicet spiritualibus, intelligendo Christi divinitatem; Ps. CXIII, 5: *oculos habent, et non videbunt*. E contra dicitur Lc. X, 23: *beati oculi qui vident quae vos videtis*. Effectus indurationis ponitur cum dicit contra *nec intelligant corde*: ut subintelligatur, ut non intelligant corde; Iob IV, 20: *et quia nullus intelligit, in aeternum peribit*; Ps. XXXV, 4: *noluit intelligere, ut bene ageret*. Est autem hic advertendum, quod *ly ut* non ponitur hic causaliter, sed consecutive. Finis autem excaecationis et indurationis ponitur consequenter, cum dicit *et convertantur et sanem eos*. Et potest intelligi dupliciter, ut Augustinus dicit in libro de quaestionibus Evangel. Uno modo, ut repetatur haec dictio non, ut sit sensus: *et non convertantur, et non sanem eos*. Via enim salvationis a peccato est conversio ad Deum; Thren. c. V, 21: *converte nos, domine, ad te, et convertemur*, et statim subditur: *innova dies nostros sicut a principio*. Illis autem qui indignos se praestiterunt, quibus remitterentur peccata, non praestat Deus beneficia, quibus convertantur et sanentur, sicut patet de omnibus non approbatis. Alio modo potest intelligi, ut non reiteretur haec dictio non, ut sit sensus: ideo excaecati sunt et indurati ut ad tempus nec viderent nec intelligerent; et sic non videntes et non intelligentes, idest non credentes in Christum, eum occiderent, et postmodum compuncti converterentur et sanarentur. Permittit enim aliquos quandoque cadere in peccatum, ut humiliati ad iustitiam firmius resurgant. Et utraque expositio locum habet in diversis Iudaeis. Prima quidem in illis qui in sua incredulitate finaliter permanserunt: secunda vero in illis qui post Christi passionem sunt ad Christum conversi, qui scilicet compuncti corde ex verbis Petri, dixerunt apostolis: *quid faciemus, viri fratres?* Ut dicitur Act. II, 37. Deinde cum dicit *haec dixit Isaias etc.*, ostendit praedicta ad propositum pertinere; unde dicit *haec dixit Isaias quando vidit gloriam Dei*. Simul enim vidit gloriam Dei et excaecationem Iudaeorum, ut patet Is. c. VI: ubi primo dicitur: *vidi dominum sedentem super solium excelsum*, et postea subditur: *excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava, et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum*. Et quia quod viderat conveniens erat ut testaretur, ut dicitur I Io. c. I, ideo sequitur *et locutus est de eo*, scilicet de Christo, cuius gloriam vidit; secundum illud Act. X, 43: *huic omnes prophetae testimonium perhibent*; Rom. I, 2: *quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo*. Circa prima duo quae hic tanguntur, cavendus est error Arianorum, qui dicunt solum patrem invisibilem omni creaturae, filium autem visum fuisse in visionibus veteris testamenti. Sed cum dicatur infra XIV, 9: *qui videt me, videt et patrem meum*, manifestum est quod uno et eodem modo est filius visibilis ut pater. Videns ergo Isaias gloriam filii, vidit et gloriam patris; immo totius Trinitatis, quae est unus Deus sedens super solium excelsum, cui Seraphim proclamant: *sanctus, sanctus, sanctus*. Non autem ita quod Isaias essentiam Trinitatis viderit, sed imaginaria visione, cum intelligentia, quaedam signa maiestatis expressit, secundum illud Num. c. XII, 6: *si quis fuerit inter vos propheta domini, per somnium aut in visione loquar ad eum*. Per illud vero quod secundo dicitur *et locutus est de eo*, excluditur error Manichaeorum, qui dixerunt nullas prophetias in veteri testamento praecessisse de Christo, ut Augustinus narrat in Lib. contra Faustum, et Theodorum Mopsuestenum, qui dixit omnes prophetias veteris testamenti esse de aliquo negotio dictas, per quamdam tamen appropriationem esse adductas ab apostolis et Evangelistis ad ministerium Christi: sicut ea quae dicunt in uno facto, possunt adaptari ad aliud factum. Omnia autem excluduntur per hoc quod dicitur *et locutus est de eo*, de me sicut de Moyse, supra V, 46, dixit Christus: *de me enim ille scripsit*.

## Lectio 8

[87504] Super Io., cap. 12 l. 8 Supra Evangelista exposuit defectum omnino non credentium; hic exponit defectum credentium in occulto, qui pusillanimes erant, et primo proponit eorum dignitatem; secundo ostendit

eorum defectum, ibi *sed propter Pharisaeos non confitebantur*; tertio insinuat defectus radicem, ibi *dilexerunt enim magis gloriam hominum quam gloriam Dei*. Dignitas autem eorum qui in occulto credebant magna est, quia principes; et quantum ad hoc dicit *veruntamen et ex principibus multi crediderunt in eum*. Quasi dicat: dixi, quod *cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum; quod quidem verum est pro maiori parte, non tamen quin aliqui in eum crederent, quia ex principibus, scilicet populi, multi crediderunt in eum*; quorum unus fuit Nicodemus, qui venit ad Iesum nocte, ut dicitur supra III. Sic impletur quod in Ps. XLVI, 10 dicitur: *principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham*. Sic etiam falsum ostenditur quod Pharisaei dixerunt supra VII, 48: *numquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex Pharisaeis?* Defectus horum principum est pusillanimitas, unde dicit *sed propter Pharisaeos non confitebantur*: ut enim supra IX, v. 22 dictum est, Pharisaei conspiraverunt, *ut si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret*. Licet crederent corde, non tamen confitebantur ore. Sed eorum fides insufficiens erat, quia, ut dicitur Rom. X, 10, *corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem*; Lc. IX, 26: *qui erubuerit me et meos sermones, hunc filius hominis erubescet*. Radix autem defectus istorum est inanis gloria; unde sequitur *dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei*: ex hoc enim quod publice confitebantur, amittebant gloriam hominum; sed ex hoc consequebantur gloriam Dei. Isti autem magis elegerunt privari gloria Dei, nolentes publice confiteri, quam gloria hominum, cupientes in mundanis gloriari. Supra V, 44: *quomodo potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quae a solo Deo est, non quaeritis?* Galat. I, 10: *si adhuc hominibus placerem, servus Christi non essem*. Hic ostendit quomodo Christus Iudaeorum infidelitatem redarguit, et primo ostendit credendi debitum; secundo subdit fidei fructum, ibi *ego lux in mundum veni* etc.; tertio comminatur infidelibus supplicium ibi *et si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non iudico eum* et cetera. Quia autem fidei succedit visio, ideo circa primum primo agit de fide; secundo de visione, ibi *qui videt me, videt eum qui misit me*. Quantum ad primum dicit *Iesus autem clamavit*, et propter magnitudinem dicendorum, et propter libertatem animi ad redarguendum peccata: Is. LVIII, 1: *clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum. Et dixit: qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*, quod quidem videtur contradictionem implicare, dicit enim: *qui credit in me, non credit in me*. Ad cuius intellectum sciendum est primo, secundum Augustinum, hoc esse dictum a domino ad distinguendum in se naturam divinam et naturam humanam. Cum enim proprium obiectum fidei sit Deus, possumus quidem credere creaturam esse, sed non debemus credere in creaturam, sed in Deum solum. In Christo autem est natura creata, et natura increata. Requiritur ergo ad fidei veritatem ut fides nostra tendat in Christum, quantum ad naturam increatam; et secundum hoc dicit *qui credit in me*, scilicet in personam, *non credit in me*, secundum quod homo, *sed in eum qui me misit*, idest in me secundum quod sum missus a patre; supra VII, 16: *mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me*. Secundum Chrysostomum vero notandum est, quod dominus dicit hoc ad insinuandum eius originem tantum. Et est similis modus loquendi, sicut si aliquis hauriens de aqua fluminis dicat: ista aqua non est fluminis, sed est fontis: non est quidem fluminis originalis et cetera. Sic ergo dominus dicit *qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*; quasi dicat: non sum principium mei ipsius, sed divinitas est mihi ab alio, idest a patre: unde *qui credit in me, non credit in me, nisi in quantum sum a patre*. Consequenter cum dicit *et qui videt me, videt eum qui misit me*, agit de visione. Circa quod sciendum est, quod sicut pater misit filium ad convertendum Iudaeos, ita et Christus misit discipulos suos: infra XX, v. 21: *sicut misit me pater, et ego mitto vos*. Nullus autem discipulorum ausus fuit dicere, nec debuit, quod crederetur in eum; quamvis dicere potuisset quod crederetur ei. Quia hoc non potuisset esse sine hoc quod derogaret mittenti, quia si crederent in discipulum desinerent credere in magistrum. Possent ergo Iudaei dicere, quod eodem modo, cum sis missus a patre, qui credit in te, desinit credere in patrem. Et ideo dominus contra hoc ostendit quod qui non credit in eum, non credit in patrem: et hoc est quod dicit *qui videt me, videt eum qui misit me*. Visio hic dicitur non corporalis intuitus, sed veri consideratio, quae est per intellectum. Ideo autem qui videt filium, videt et patrem, quia est in eo per essentiae unitatem. Dicitur enim aliquid videri in aliquo, vel quia sunt idem, vel omnino conformes. Pater autem et filius sunt idem in natura, et omnino conformes: quia filius est imago patris in nullo dissimilis; Col. I, 15: *qui est imago invisibilis Dei*; Hebr. I, 3: *qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius*. Et ideo, sicut credit in patrem, ita et in me; infra c. XIV, 9: *Philippe, qui videt me, videt et patrem. Non credis quia ego in patre, et pater in me est?* Quasi dicat: ista est ratio quare qui videt me videt et patrem, quia pater in me est, et ego in eo. Sic ergo apparet fidei debitum, ut scilicet fides tendat in Christum in quantum Deus, sicut ut in patrem. Fructum autem fidei consequenter ostendit: et primo ostendit suam dignitatem et virtutem, cum dicit *ego lux in mundum*

veni. Quomodo Christus sit lux, expositum est supra I, 9: *erat lux vera, quae illuminat omnem hominem*: et VIII, 12: *ego sum lux mundi*. In hoc etiam ostendit se habere divinam naturam. Esse enim lucem est proprium Dei, alia vero sunt lucentia, idest participantia lucem; sed Deus lux est per essentiam; I Io. I, 5: *Deus lux est, et tenebrae non sunt in eo ullae*. Sed quia, I ad Tim. VI, 16 dicitur, quod *lucem habitat inaccessibilem, quam nemo hominum videt*, non poteramus accedere ad eum: et ideo oportuit quod ipse ad nos veniret. Et hoc est quod subdit *in mundum veni*; scilicet, ego sum lux inaccessibilis, qui ab errore eripio, et intellectuales tenebras solvo. Infra XVI, 28: *exivi a patre et veni in mundum*; supra I, 11: *in propria venit* et cetera. Licet apostoli dicantur lux, Matth. V, v. 14: *vos estis lux mundi*, non tamen ea ratione qua Christus: ipsi enim sunt lux illuminata; quamvis aliquo modo, scilicet ministerio, illuminantes essent. Nec alicui apostolorum convenit dicere *ego lux in mundum veni*: quia, quando in mundum venerunt, adhuc tenebrae erant, et non lux: quia, ut dicitur Iob XXXVII, 19, *omnes involvimur tenebris*. Secundo subdit dicens *ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat*. Illuminatio ergo est effectus fidei; supra VIII, 12: *ut omnis qui credit in me, non ambulet in tenebris*. *In tenebris non maneat*, scilicet ignorantiae, infidelitatis, et damnationis perpetuae: per quod patet quod omnes nascuntur in tenebris culpa; Eph. V, v. 8: *eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino*. Item in tenebris ignorantiae; Iob III, 23: *viro cui abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris*. Et tandem nisi convertantur ad Christum, deducuntur ad tenebras damnationis perpetuae. Qui ergo non credit in me, in tenebris manet; supra c. III, 36: *qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*. Supplicium autem infidelium insinuat dicens *et si quis audierit verba mea, et non custodierit; ego non iudico eum*: quod incurrunt per iudicii condemnationem. Et primo proponit dilationem iudicii; secundo pronuntiat ipsum iudicium futurum esse, ibi *qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui iudicet eum*; tertio ostendit dilationis causam, ibi *sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum novissimo die*. Circa primum duo facit. Primo proponit iudicii dilationem; secundo assignat dilationis rationem. Dicit ergo quantum ad primum *et si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non iudico eum*. Notandum ergo, quod illi beatificantur qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud, credendo interius in corde, et exequendo exterius in opere. Qui vero audiunt istud et custodire non satagunt, magis rei ex hoc efficiuntur; Rom. II, 13: *non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*; et Iac. I, 22: *estote factores, et non auditores tantum*. Et ideo *si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non iudico eum*. Sed hoc videtur contrarium ei quod dicitur supra V, 22: *pater omne iudicium dedit filio*: et ideo intelligendum est *non iudico eum*, scilicet modo. Potuisset enim sibi ad infirmitatem putari, si qui ipsum contemnunt, illos dimittit; et ideo dicit, quod huiusmodi iudicabuntur, sed non modo: nam, ut dicitur Eccle. XII, 14, *omnia quae fecit Deus, adducet in iudicium*; et Iob XIX, 29: *fugite a facie iniquitatis, quoniam ultor iniquitatis est gladius, et scitote esse iudicium*. Causam vero dubitationis dilationis subdit dicens *non veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum*. Duplex enim est adventus filii Dei: unus quo venit ut salvator; alius quo venit ut iudex. Sed cum omnes essent in peccatis, si primo venisset ut iudex, nullum salvasset, quia omnes eramus filii irae: et ideo oportuit ut veniret primo ad salvandum credentes, et postmodum ad iudicandum et fideles et peccatores. Et hoc est quod dicit: ideo scilicet non iudico eum modo, *quia non veni*, scilicet in primo adventu, *ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum*; supra III, 17: *non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. Consequenter cum dicit *qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui iudicet eum*, praenuntiat iudicium futurum; quasi dicat: licet qui verba mea non custodiunt, non iudicentur modo, tamen non evadent impunes, quicumque sint illi, quia *qui spernit me, et non accipit verba mea*, credendo et opere implendo, *habet qui iudicet eum*. Cuius ratio est, quia si non accipit verba eius, contemnit dictum Dei, cuius ipse est verbum, sicut qui non obedit mandato domini sui. Iob XIX, 29: *fugite a facie iniquitatis, quoniam ultor iniquitatis est gladius, et scitote esse iudicium*; Eccle. XII, v. 14: *cuncta quae fecit Deus adducet in iudicium pro omni errato*; Is. XXXIII, 1: *vae qui spernis, nonne et ipse sperneris?* I Reg. c. II, 30: *qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. Consequenter cum dicit *sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die*, assignat causam dilationis iudicii, et primo ponitur causa dilationis iudicii; secundo assignatur sufficientia ipsius causae, ibi *quia ego ex meipso non sum locutus*. Dicit ergo: dico quod qui est huiusmodi, habet qui iudicet eum. Quis autem hic erit? *Sermo*, inquit, *quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die*. Quod tantum valet, ut dicit Augustinus, ac si dixisset: ego iudicabo eum in novissimo die. Seipsum quippe Christus expressit in suo sermone, seipsum annuntiavit. Ipse ergo est sermo quem locutus est: quia de se locutus est; supra VIII, 14: *et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni et quo vado*. Quasi dicat: hoc ipsum quod locutus sum eis, et tamen

contempserunt, iudicabit eos. Act. c. X, 42: *hic est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum: huic omnes prophetae testimonium perhibent*. Sufficientiam autem causae ostendit, dicens *quia ex meipso non sum locutus*, et primo ostendit eam ex origine sermonis; secundo ex dignitate ipsius, *ibi et scio quia mandatum eius vita aeterna est*. Circa primum duo facit. Primo excludit falsitatem; secundo adstruit veritatem. Falsitas quidem est quod filius aliquid operetur vel loquatur vel sit a seipso tantum et non ab alio: hoc enim esset ponere quod filius non sit a patre. Et hoc est quod dicit: ideo dico, quod verbum quod ego locutus sum, iudicabit eos, quia ego *ex meipso non sum locutus*; supra V, 19: *non potest filius a se facere quidquam*; et infra XIV, 10: *a meipso non loquor*. Idem autem est *ex meipso non sum locutus*, quod ego non ex me sum natus, sed ex patre, quasi dicat: iudicabo eum in novissimo die, in forma servi apparens; supra V, 27: *potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*. Sed tamen non iudicabo ex potestate humana, quia scilicet filius sum hominis, sed ex potestate divina, quia sum filius Dei. Non ergo iudicabo ex meipso, sed ex patre, ex quo virtutem iudicandi habeo. Veritatem astruit, dicens *sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar*. Ex quibus quidem verbis, nisi pie intelligantur, patet locus duplici errori. Primo quidem, quia mandans maior est eo cui mandat: filio ergo maior est pater. Deinde, quia illud quod datur alicui, non habebatur ab eo antequam sibi daretur; et per consequens nesciebat illud. Si ergo pater dat mandatum filio, sequitur quod filius quandoque illud non habuerit, et per consequens ignoraverit: ergo est ei aliquid additum. Non igitur filius eius est verus Deus. Ad quod sciendum est, quod omnia mandata divina sunt in mente patris, cum ipsa mandata nihil aliud sint quam rationes agendorum. Sicut ergo in mente patris sunt rationes omnium creaturarum quae a Deo producuntur, quas ideas vocamus, ita et in ea sunt rationes omnium per nos agendorum. Sicut ergo a patre derivantur in filium, qui est sapientia patris, rationes omnium rerum, ita et rationes omnium agendorum. Sic ergo dicit filius: *sed qui misit me pater, ipse mihi dedit*, in quantum Deus, *mandatum*, idest per aeternam generationem communicavit, *quid dicam*, interius, *et quid loquar*, exterius: sicut etiam nostrum verbum (si vera fateri volumus) ea profert quae suggerit mens. Chrysostomus autem haec omnia, scilicet *si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non iudico eum* etc., aliter exponit, et planius; ut dicatur *si quis audierit verba mea, et non custodierit, non iudico eum*. Dupliciter enim potest dici aliquis aliquem condemnare: vel sicut iudex, vel sicut causa condemnationis. Homicidam enim condemnat ad suspendium et iudex qui profert sententiam, et ipsum homicidium perpetratum quod est causa suae condemnationis. Dicit ergo *ego non iudico eum*, idest, non sum causa suae condemnationis, sed ipse; Osee XIII, 9: *perditio tua, Israel, ex te* (scilicet est); *tantummodo in me auxilium tuum*. Et hoc ideo, quia *non veni ut iudicem mundum*, idest, non sum missus ad condemnandum, sed ad salvandum. Sed numquid talis non iudicabitur? Immo, quia *qui spernit me et non accepit verba mea habet qui iudicet eum*. Quis autem sit iste qui iudicat, ostendit dicens *sermo quem locutus sum*, auditus a nobis, qui stabit in ordine accusatoris, *ille iudicabit eum in novissimo die*; infra XV, 22: *si non venissem, et eis locutus non fuisset, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Quod autem sermo quem locutus est, iudicabit eos, ostendit dicens *quia ego ex meipso non sum locutus*. Quod quidem non ponitur causaliter, sed quasi materialiter, ut sit sensus: dicis, quod sermo tuus iudicabit eum; sed quis est iste sermo? Ille scilicet quem dixi quia *ego ex meipso non sum locutus*, idest, quem ego locutus sum a patre, et ea quae mihi dedit ut dicerem et loquerer: alias si fuisset locutus contrarium patri, vel quae ab eo non habuerim, et non credidissent mihi, excusationem haberent; sed quia sic locutus sum, certum est quod non solum me, sed etiam patrem meum contempserunt. Et secundum hanc expositionem, hoc quod dixit *qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar*, ostendit sufficientiam causae ex parte dignitatis ipsius sermonis. Et primo ponitur eius dignitas, secundo concluditur ipsius sermonis executio. Dignitas quidem, cum dicit *et scio, quia mandatum eius est*, inquam, *vita aeterna*; I Io. ult., 20: *hic est verus Deus, et vita aeterna*. Ipse enim filius est mandatum patris. Vel est vita aeterna, idest ducens in vitam aeternam; Matth. XIX, 17: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Quia ergo pater dedit mihi mandatum, quod quidem mandatum est vita aeterna, ego autem ad hoc veni ut homines ducam in vitam aeternam: ideo mandatum patris per omnia exequor. Et hoc est quod dicit *quae ergo ego loquor; sicut dixit mihi pater, sic loquor*. Quod, secundum Chrysostomum, planum est, ut sit sensus: *quae ego loquor*, exterius praedicando, *sicut dixit mihi pater, sic loquor*, idest, in quantum accepi notitiam ab eo: ut intelligantur de Christo secundum quod homo. Sed si intelligantur, secundum Augustinum, de Christo secundum quod filius Dei: quomodo dicit ei pater, cum ipse sit verbum? Ad quod dicendum, quod non ita dixit ei quasi per verba locutus sit unico verbo suo, sed sic dixit pater filio sicut generavit eum pater, et sicut dedit ei

vitam habere in semetipso; Ps. II, 7: *dominus dixit ad me: filius meus es tu.*

© 2006 *Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem*  
*Iura omnia asservantur*  
OCLC nr. [49644264](#)

CORPUS THOMISTICUM  
Sancti Thomae de Aquino  
Super Evangelium S. Ioannis lectura  
a capite XIII ad caput XVII

Textum Taurini 1952 editum  
ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas  
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

Caput 13

Lectio 1

[87505] Super Io., cap. 13 l. 1 Supra Evangelista posuit quasdam occasiones passionis et mortis Christi; in parte ista ostendit quomodo Christus discipulos suos praeparat ante suam passionem, et primo ostendit quomodo informavit eos exemplo; secundo quomodo confortavit verbo, et hoc infra XIV capit. *non turbetur cor vestrum*; tertio quomodo praemunivit eos orationum suffragio, infra XVII *haec locutus est Iesus, et sublevatis oculis in caelum, dixit* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ponit exemplum quod Christus praebuit suis discipulis imitandum; secundo discipulorum defectum, qui nondum erant idonei ad sequendum, ibi *cum haec dixisset Iesus, turbatus est*. Circa primum tria facit. Primo ponit exemplum; secundo subdit exempli utilitatem, ibi *venit ergo ad Simonem Petrum*; tertio ad imitandum inducit, ibi *postquam ergo lavit pedes eorum (...) dixit eis*. Circa primum duo facit. Primo proponit Christi, exemplum dantis, affectum; secundo innuit factum in quo dedit exemplum, ibi *et coena facta* et cetera. Circa primum tria tanguntur. Primo quidem festum praesens; secundo mors Christi imminens; tertio Christi dilectio fervens. Festum praesens, Pascha erat; et hoc est quod dicit *ante diem festum Paschae* et cetera. Hic notandum est, quod hoc nomen Pascha quidam dicunt esse Graecum, ita quod dicatur a passione, quasi inde festum istud vocetur Pascha, quia tunc celebratur passio dominica; et quidem concordat cum Graeco, nam Pascha in Graeco idem est quod pati prima autem origo huius vocabuli ex Hebraeo habetur: Pascha enim dicitur quasi phase, idest transitus domini, ut dicitur Ex. c. XII, 11. Interpretatur autem hic isto modo Evangelista propter duplicem transitum. Unum qui praecessit, scilicet Angeli percutientis primogenita Aegypti, et salvantis primogenita Hebraeorum; alium, qui sequitur, filiorum Israel transeuntium mare rubrum. Et ideo bene factum est ut vocetur Pascha festum istud. Et sic possumus dicere, quod Pascha nostrum habet significationem utriusque linguae, Hebraeae scilicet, et Graecae, quia in ipsa passione domini fuit transitus Christi ex hoc mundo ad patrem; Act. X, v. 38: *pertransivit benefaciendo et sanando*. Item transitus omnium nostrum, sequendo Christum, vel per poenitentiam et martyrium, secundum illud Ps. LXV, 12: *transivimus per ignem et aquam; et eduxisti nos in refrigerium*, vel mentis desiderio ad caelestia anhelando, secundum illud Eccli. XXIV, v. 26: *transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini*. Hoc autem quod dicit *diem festum*, antonomastice dicitur. Nam, ut legitur Ex. XXIII, 14 ss., tres dies anni solemnes erant, in quibus Iudaei convenire debebant in locum quem elegerat dominus: scilicet phase, quando immolabatur Pascha, et Pentecosten, et festum tabernaculorum, scilicet Scenopegiae. Sed dies Paschae inter alios celeberrimus erat. Sed dubium hic incidit de hoc quod dicit *ante diem festum Paschae*: nam dies festus Paschae dicitur ille dies in quo immolabatur agnus, quod erat luna quartadecima. Cum ergo dicat quod hoc fuit ante diem festum Paschae, videtur quod hoc fuerit factum luna tertiadecima, quae praecedebat quartadecimam lunam. Quod

quidem Graeci sequentes, dicunt quod dominus passus est luna quartadecima quando Iudaei suum Pascha celebrare debebant: et ideo dominus sciens sibi imminere passionem, praevenit celebrationem Paschae, et in praecedenti die celebravit Pascha suum, ante festum Paschae Iudaeorum. Sed quia Ex. XII, 18 praecipitur ut a decimaquarta die ad vesperam usque ad vigesimam primam diem mensis non inveniretur fermentum apud Hebraeos, dicunt ulterius, quod dominus confecit non in azymis, sed in fermentato: nam *ante diem festum Paschae*, idest tertiadecima luna, inveniebatur fermentatum apud Hebraeos. Huic autem sententiae tres alii Evangelistae contrariantur: nam ipsi dicunt, scilicet Matth. XXVI, 17, Mc. XIV, 12, Lc. XXII, 7, quod fuit prima die azymorum quando debebat immolari Pascha. Ex quo sequitur quod coena domini eo die facta fuit quo immolabatur Pascha Iudaeorum. Ad quod quidem Graeci respondent dicentes, alios Evangelistas non vere narrasse hoc factum, et ideo Ioannes, qui ultimum Evangelium scripsit, eos correxit. Sed haereticum est dicere, quod aliquid falsum, non solum in Evangeliiis, sed etiam in quacumque canonica Scriptura inveniat: et ideo necessarium est dicere, quod omnes Evangelistae dicunt idem, et in nullo discordant. Ad huius igitur evidentiam sciendum est, quod, sicut habetur Lev. XXIII, 5, solemnitates Iudaeorum incipiebant a vespera praecedentis diei. Cuius ratio est, quia numerabant dies secundum lunam, quae de sero primo apparet, unde et diem computabant de uno sero in alium. Et sic apud eos solemnitas Paschae incipiebat a vespera praecedentis diei, et terminabatur in vespere diei Paschae; sicut et apud nos festa celebrantur. Sic ergo aliquid factum apud nos in vigilia natalis domini, potest dici factum esse in festo natalis. Quem quidem modum servant, alii Evangelistae dixerunt coenam esse factam primo die azymorum, quia facta fuit die praecedenti ad vesperam, quia iam pertinebat ad primum diem azymorum. Ioannes autem Evangelista hic diem festum Paschae accipit pro illo die qui totus celebris erat, non autem pro illo cuius vespere solum erat celebre, qui erat dies praecedens Pascha: et ideo dicit *ante diem festum Paschae*. Patet ergo quod coena domini facta est luna quartadecima ad vesperam. Mors autem Christi imminens, erat transitus eius ex hoc mundo per passionem; et quantum ad hoc dicit *sciens Iesus quia venit hora eius*: nam illa solemnitas Iudaeorum, figura erat passionis Christi, *omnia enim in figura contingebant illis*: I Cor. c. X, 11, et ideo statim ponit veritatem, scilicet passionem Christi. Et quasi exponens quod Pascha dicatur a phase, idest transitu, mentionem facit de transitu *ut transeat, inquit, ex hoc mundo ad patrem*. Ubi tria ponit circa passionem Christi. Primo, quod fuit praevisa; secundo, quod fuit congrua, tertio, quod fuit promotiva et exaltativa. Praevisa quidem fuit, non casualis, et quantum ad hoc dicit *sciens Iesus*; quasi dicat: non invitus, non inscius, sed *sciens* et voluntarius passus est etc.; infra XVIII, 4: *sciens Iesus omnia quae ventura erant*. E converso dicitur de nobis, Eccle. VIII, 6: *multa hominis afflictio: quia nescit praeterita, et quae ventura sunt nullo modo scire potest*. Congrua autem fuit quantum ad tempus, et quantum ad hoc dicit *quia venit hora eius*, idest ipse dies Paschae, quo transiret per crucem; Eccle. VIII, 6: *omni negotio tempus est et opportunitas*. Haec est hora illa de qua dicitur supra II, 4: *nondum venit hora mea*. Nec est intelligenda hora ista fatalis, quasi subiecta cursui et dispositioni stellarum, sed determinata dispositione et providentia divina. Ideo, inquam, determinata in Pascha Iudaeorum, quia congruebat solemnitati Iudaeorum ut veritas sequeretur figuram, dum quando agnus, qui figurabat Christum, immolaretur Christus, qui est vere agnus Dei; I Petr. I, 18: *non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis; sed pretioso sanguine agni immaculati Christi, et incontaminati*. Congruiebat etiam negotiis. Iam enim Christus clarificatus erat; infra eodem: *nunc clarificatus est filius hominis, et Deus clarificatus est in eo*. Iam patrem manifestaverat mundo; infra XVII, 6: *pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*. Restabat ergo ut consummaret opus passionis et humanae redemptionis, de quo dicitur infra XIX, 30: *consummatum est*, et sequitur: *inclinato capite, emisit spiritum*. Promotiva fuit passio Christi et exaltativa, et non oppressiva: quia *ut transeat ex hoc mundo ad patrem*, idest, faciendo humanam naturam participem paternae gloriae; infra XX, 17: *ascendo ad patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum*. Non autem intelligendum est quod transeat de loco ad locum, cum Deus pater non comprehendatur loco; Ier. XXIII, 24: *caelum et terram ego impleo*. Sed, sicut Christus dicitur venisse a patre non eum deserendo sed assumendo naturam inferiorem similem nobis, ita et intantum dicitur ad eum rediisse in quantum etiam secundum humanitatem factus est consors paternae gloriae; Rom. VI, 10: *quod autem vivit, vivit Deo*; Phil. II, 11: *omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris*. Consequenter cum dicit *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, commendatur fervens Christi dilectio, et hoc quantum ad quatuor. Primo quantum ad hoc quod fuit praeveniens, secundum illud I Io. IV, 10: *non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*. Et quantum ad hoc dicit *cum dilexisset suos*, quasi antea: dilexit, inquam, antequam crearet; Sap. XI, 25: *diligis omnia quae*

*sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti. Dilexit antequam vocaret; Ier. XXXI, 3: in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Dilexit antequam redimeret; infra XV, 13: maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Secundo commendatur eius dilectio quantum ad hoc quod fuit congrua, quia dilexit suos. Ubi sciendum est quod secundum quod aliqui diversimode sunt sui, secundum hoc a Deo diversimode diliguntur. Sunt autem aliqui sui tripliciter. Primo creatione; et hos diligit conservando eis bona naturae; supra I, v. 11: in propria venit, et sui, per creationem, eum non receperunt. Aliqui vero sunt sui dedicatione, qui scilicet dati sunt a Deo patre per fidem; infra XVII, 6: tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt. Et hos diligit conservando in bonis gratiae. Aliqui vero sunt sui speciali devotione; I Paral. XI, 1: tui sumus, o David, et caro tua. Hos diligit specialiter consolando. Tertio commendatur dilectio Christi quantum ad hoc quod fuit necessaria, quia dilexit suos qui erant in mundo. Nam aliqui sunt sui, qui iam erant in gloria patris, quia etiam antiqui patres sui erant, in quantum speraverunt liberari per eum; Deut. XXXIII, 3: omnes sancti in manu illius sunt. Sed isti non tantum indigent huiusmodi dilectione quantum hi qui erant in mundo; et ideo dicit qui erant in mundo, corpore scilicet, sed non mente. Quarto commendatur quantum ad hoc quod fuit perfecta, unde dicit in finem dilexit eos. Finis autem dicitur dupliciter: quia finis intentionis, et finis executionis. Illud quidem est finis intentionis ad quod nostra ordinatur intentio; et huiusmodi finis debet esse vita aeterna, secundum illud Rom. VI, 22: habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam. Iterum finis huiusmodi Christus debet esse; Rom. X, 4: finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et haec duo sunt unus finis: quia nihil est aliud vita aeterna quam fruitio Christi, secundum divinitatem; infra XVII, 3: haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum. Secundum hoc ergo dicit in finem dilexit eos; ut perduceret in se finem, vel in vitam aeternam, quae nihil aliud est; Ier. c. XXXI, 3: in caritate dilexi te, propterea attraxi te, miserans. Illud autem est finis executionis quod est terminus rei; et sic mors potest dici finis, ut dicatur in finem dilexit eos, idest in mortem: quod potest habere triplicem sensum uno modo, secundum Augustinum, ut quodam humano modo dicatur Christus dilexit suos usque ad mortem tantum, et non ultra. Sed hic sensus est falsus: absit enim ut dilectionem morte finierit qui non est in morte finitus. Alio modo potest intelligi, ut ly in indicet causam; et sic est sensus: in finem dilexit eos, idest, usque ad mortem illum dilectio ipsorum perduxit; Gal. II, v. 20: dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis. Tertio modo potest intelligi ut sit sensus: in finem, idest, cum multa signa dilectionis ostenderit eis ante, in finem, idest circa mortem, maioris eis signa dilectionis ostendit; infra XVI, 5: haec ab initio vobis non dixi, quia vobiscum eram, quasi diceret: non tunc necessarium fuit vobis, ut ostenderem quantum vos diligerem, nisi in recessu, ut sic amor et memoria mei in cordibus vestris profundius imprimeretur. Consequenter cum dicit et coena facta, innuit factum, in quo dabat exemplum, et primo describit horam facti; secundo subdit dignitatem facientis, ibi sciens itaque Iesus quod omnia dedit ei pater in manus etc.; tertio prosequitur de facti humilitate, ibi surgit a coena. Tempus autem describit ex duobus. Ex uno quod pertinebat ad eius caritatem, et ex alio quod exaggerabat Iudae iniquitatem, ibi cum Diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotes. Dicit ergo quantum ad primum et coena facta. Ubi sciendum est, quod aliter dicitur esse factum in permanentibus, et aliter in successivis. In permanentibus autem dicitur aliquid esse factum quando pervenit ad perfectionem propriae speciei et formae, sicut domus dicitur esse facta quando habet propriam formam. In successivis vero dicitur aliquid esse factum quando iam est consummatum; sicut mundus factus esse dicitur quando completus. Hoc etiam modo aliquid factum esse dicitur quando accipit propriam speciem. Cum ergo dicit et coena facta, non intelligendum est quod coena fuerit completa et peracta: quia postquam lavit pedes discipulorum, recubuit, et bucellam tradidit Iudae. Est ergo intelligendum coena facta, idest parata, et ad propriam speciem iam perducta: iam enim coenare inceperant, et postea surrexit. Unde inter coenandum lavit pedes discipulorum. De ista coena habetur Lc. XIV, 16: homo quidam fecit coenam magnam. Differt autem prandium a coena. Prandium enim dicitur quod fit in prima parte diei, coena vero quae fit in ultima. Sic ergo spiritualis refectio dicitur prandium, secundum quod congruit incipientibus; coena vero, secundum quod congruit perfectis. Consequenter cum dicit cum Diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotes, describit tempus, ex eo quod exaggerat iniquitatem proditoris: quod quidem describit Evangelista propter duo. Primo quidem ut ostendatur magis iniquitas Iudae, qui inter tot caritatis indicia, et tot humilitatis officia, tantam iniquitatem committere cogitabat; Ps. XL, 10: qui manducat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Secundo vero ut reddatur magis admirabilis caritas Christi, qui licet hoc sciret, tamen ei caritatis et humilitatis praebens officium, eius pedes lavit; Ps. CXIX, 6: cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Sed numquid Diabolus aliquid*



mittere potest in cor hominis? Videtur quod sic. In Ps. LXXVII, 49 enim dicitur: *immissiones per Angelos malos*. Sed ad hoc dicendum, quod id dicitur esse in corde hominis quod est in cogitatione et voluntate eius, unde quod dicitur *cum iam misisset in cor* etc. intelligendum est, idest, in voluntate eius. Sed sic mittere in cor, potest esse dupliciter. Directe; et sic solus ille potest aliquid mittere in cor hominis qui habet potestatem movendi interius voluntatem eius: et hoc potest solus Deus; et ideo solus ipse potest directe in voluntatem hominis imprimere; Prov. XX, 1: *cor regum in manu*, idest in potestate, *domini; quocumque voluerit inclinabit illud*. Quia vero voluntas movetur ab exteriori obiecto sicut a bono apprehenso, inde est quod qui suggerit aliquid esse bonum, dicitur illud mittere in cor hominis, indirecte faciendo ipsum apprehendere aliquid ut bonum, ex quo voluntas movetur. Sed hoc contingit dupliciter, quia, aut suggerendo exterius: et hoc modo etiam homo potest in cor aliquid mittere; aut suggerendo interius: et hoc modo immittit Diabolus. Nam vis imaginativa cum sit corporalis, quando Deus permittit, subiecta est potestati Daemonis. Unde, sive vigilando sive dormiendo, format in ea aliquas species, ex quibus apprehensis movetur voluntas hominis ad aliquid appetendum. Sic ergo immittit Diabolus in cor hominis, non directe per modum moventis, sed indirecte per modum suggerentis. Consequenter cum dicit *sciens quia omnia dedit ei pater in manus*, agit de dignitate facientis. Quia Eccli. III, 20, dicitur: *quanto maior es, humilia te*, ideo Evangelista dicturus de Christi humilitate, praemittit eius maximam dignitatem; et hoc quantum ad quatuor. Primo quantum ad scientiam; et quantum ad hoc dicit *sciens quia omnia dedit ei pater in manus*. Talia enim sunt spiritualia dona, quod data non ignorantur; I Cor. II, 12: *nos spiritum non huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis*. Et ideo Christus sciebat ea quae sibi data erant a Deo. Hoc autem ideo dicit ut humilitas magis sit commendabilis. Quandoque enim contingit quod aliquis magnae dignitatis est, et tamen, propter simplicitatem suam, dignitatem suam non recognoscit. Talis ergo si faceret aliquid humile, non reputaretur sibi ad magnam laudem, secundum illud Cant. I, 7: *si ignoras te, pulcherrima inter mulieres*. Sed si aliquis cognoscit suae dignitatis statum, et tamen affectus eius ad humilia inclinatur, eius humilitas est commendanda. Et ideo dicit Evangelista *sciens quia omnia dedit ei pater in manus*, tamen non omisit quae humilia sunt facere. Secundo quantum ad potestatem *quia omnia dedit ei pater in manus*, idest, in potestate eius. Dedit Deus Christo homini ex tempore, quae tamen fuerant in potestate filii ab aeterno; Matth. ult., 18: *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*. Dicit autem *omnia dedit ei pater in manus*, propter duo: ut ostendat quod Christus non invitatus patiebatur. Nam si omnia erant in manu eius, idest in potestate, manifestum est quod eius adversarii inde nihil ei contra eius voluntatem facere poterant. Secundo, quia quando aliquis parvi momenti exaltatur, de facili superbit, nec aliquid humile facit, ne videatur derogare suae dignitati; sed qui in magno statu existens exaltatur, non negligit humilia: et ideo de dignitate Christi mentionem facit. Tertio quantum ad nobilitatem eius, et quantum ad hoc dicit *quia a Deo exivit, et ad Deum vadit*; Sap. VIII, 3: *contubernium habens Dei*. Quarto quantum ad sanctitatem, quia *ad Deum vadit*. In hoc est sanctitas hominis quod ad Deum vadat. Et hoc ideo ponit infra, quia ex quo ipse ad Deum vadit, proprium est sibi alios ad Deum reducere: quod quidem specialiter fit per humilitatem et caritatem; et ideo humilitatis et caritatis eis exemplum praebuit.

## Lectio 2

[87506] Super Io., cap. 13 l. 2 Postquam Evangelista commendavit Christi maiestatem hic commendat eius humilitatem, quam ostendit in pedum ablutione. Et primo praemittitur praeparatio Christi ad humilitatis obsequium; secundo describitur ipsum obsequium, ibi *deinde misit aquam in pelvim* et cetera. Circa primum sciendum est, quod Christus in humilitatis obsequio se ministrum exhibet, secundum illud Matth. XX, v. 28: *filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis*. Ad bonum autem ministrum tria requiruntur. Primo quod sit circumspectus ad omnia videnda quae deesse possunt ministerio, et hoc maxime impediretur si sederet vel iaceret: unde ministrorum est stare; et ideo dixit *surgit a coena*. Luc. XXII, 27: *quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat?* Secundo, quod sit expeditus ut possit omnia congrue peragere quae necessaria sunt ministerio: et ad hoc multum impedit vestium multitudo; et ideo dominus *ponit vestimenta sua*. Quod quidem significatum est Gen. XVII, 23, quod Abraham elegit expeditos vernaculos. Tertio, quod sit promptus ad serviendum, ut scilicet omnia habeat quae ad ministerium necessaria sunt. Lc. X, v. 40, dicitur de Martha, quod *satagebat circa frequens ministerium*. Et inde est quod dominus *cum accepisset linteum praecinxit se*, ut sic paratus esset non solum ad lavandum pedes, sed etiam ad tergendum: ex

quo universum conculcat tumorem, dum is qui ad Deum vadit et a Deo exivit, pedes lavit. Mystice autem potest hoc factum ad duo referri: scilicet ad incarnationem Christi, et ad passionem eius. Si quidem referatur ad incarnationem, sic tria hic accipiuntur de Christo. Primo quidem voluntas subveniendi humano generi, in hoc quod *surgit a coena*. Nam Deus quamdiu patitur nos tribulari, residere videtur; sed cum nos a tribulatione eripit, videtur exurgere; Ps. XLIII, 26: *exurge, domine, adiuva nos*. Secundo, exinanitio eius: non quidem quod suae dignitatis maiestatem deponeret, sed eam occultaret, parvitatem assumendo; Is. XLV, v. 15: *vere tu es Deus absconditus*. Et hoc signatur in hoc quod *ponit vestimenta sua*; Phil. II, 7: *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*. Tertio, assumptio nostrae mortalitatis in hoc quod *praecinxit se linteo*; Phil. II, 7: *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. Si vero referatur ad passionem Christi, tunc ad litteram vestimenta deposuit quando milites exuerunt eum, *et super vestem suam miserunt sortem*, infra XIX, 24. Tunc etiam linteo praecinctus est in sepulcro. In passione etiam deposuit vestimenta nostrae mortalitatis, et assumpsit linteum, idest candorem immortalitatis; Rom. VI, 9: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi ultra non dominabitur*. Consequenter cum dicit *deinde misit aquam in pelvim* etc., ponit Christi obsequium: in quo commendatur eius humilitas quantum ad tria. Primo quidem quantum ad obsequii genus; quod fuit valde humile, ut dominus maiestatis se ad lavandum pedes servorum inclinaret. Secundo quantum ad obsequii multitudinem, quia misit aquam in pelvim, lavit pedes, et tersit et cetera. Tertio quantum ad faciendi modum, quia non per alios, nec aliorum subsidio, sed per seipsum. Eccli. III, v. 20: *quanto maior es, humilia te in omnibus*. Mystice autem per haec, tria possunt intelligi. Nam primo per hoc quod aquam misit in pelvim, signatur effusio sanguinis eius in terram. Sanguis enim Iesu aqua dici potest, quia habet vim ablutivam; Apoc. I, 5: *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Et inde est quod simul exivit aqua et sanguis de latere eius, ut daretur intelligi quod sanguis ille peccatorum ablutivus esset. Vel per aquam potest intelligi passio Christi: nam in Scriptura aqua tribulationes significat, Ps. LXVIII, 2: *salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam*, idest tribulationes. *Misit ergo aquam in pelvim*, idest, memoriam passionis fidelium animabus impressit per fidem et devotionem; Thren. III, 19: *recordare paupertatis meae et transgressionis meae, absinthii et fellis*. Secundo per hoc quod dixit *et coepit lavare*, insinuat humana imperfectio: nam apostoli post Christum perfectiores erant, et tamen lotionem indigebant aliquas habentes immunditias. Ut sic detur intelligi quod quantumcumque homo sit perfectus, nihilominus tamen magis perfici indiget, et aliquas immunditias contrahit, secundum illud Prov. XX, 9: *quis potest dicere: mundum est cor meum, et purus sum a peccato?* Sed tamen huiusmodi immunditias habent in pedibus tantum. Quidam autem non solum in pedibus, sed etiam totaliter sunt infecti. Illi enim totaliter terrenis immunditiis sordidantur qui supra eas iacent: unde qui totaliter et secundum affectum et secundum sensum amori terrenorum inhaerent, totaliter immundi sunt. Sed illi qui stant, idest mente et desiderio tendunt ad caelestia, immunditiam contrahunt solum in pedibus. Sicut enim hominem stantem oportet ad minus pedibus terram contingere, ita quamdiu vivimus in hac vita mortali, quae rebus terrenis ad sustentationem corporis indiget, ad minus ex parte sensualitatis aliquid contrahimus. Et ideo dominus praecepit discipulis, Lc. IX, 5 quod excuterent pulverem de pedibus eorum. Dixit autem *coepit lavare*, quia ablutio affectuum terrenorum hic incipit, et in futuro consummatur. Tunc enim implebitur quod dicitur Is. XXXV, 8: *via sancta vocabitur*. Sed attendendum, secundum Origenem, quod discipulorum pedes imminente passione coepit lavare, quia si diu ante lavisset eos, fuissent iterum sordidati. Unde tunc incepit quando post modicum abluturus erat eos aqua spiritus sancti, scilicet post passionem; Act. I, 5: *vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies*. Sic ergo apparet sanguinis eius effusio per hoc quod misit aquam in pelvim; et peccatorum nostrorum ablutio per hoc quod coepit lavare pedes discipulorum. Apparet, tertio, poenarum nostrarum in seipso susceptio: non enim solum maculas nostras lavit, sed poenas pro eis debitas in seipso assumpsit. Non enim poenae et poenitentiae nostrae sufficerent, nisi fundarentur in merito et virtute passionis Christi. Quod quidem apparet in hoc quod extersit pedes discipulorum linteo, scilicet corporis sui: I Petr. II, 21. Consequenter cum dicit *venit ergo ad Simonem Petrum* etc. ponit exempli utilitatem per quamdam concertationem discipuli et magistri: in qua quidem concertatione dominus ostendit de isto exemplo, primo quod sit mysticum et quod sit necessarium, ibi *dixit ei Petrus: non lavabis mihi pedes*; secundo quod sit congruum, ibi *dixit ei Simon Petrus: domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput*. Circa primum duo facit. Primo ponitur occasio verborum Christi: secundo ipsa verba Christi subduntur, ibi *respondit Iesus, et dixit ei* et cetera. Occasio quidem verborum Christi fuit recusatio Petri recusantis suscipere humilitatis exemplum: et hoc est quod dicit *venit ergo ad Simonem Petrum* et cetera. Quod quidem tripliciter

exponitur. Primo quidem, secundum Origenem, quod dominus coepit lavare ab ultimis. Et hoc ideo, quia sicut medicus plurimorum aegrorum intentus curae, ab his qui magis indigent, propriam curam incipit; sic et Christus, qui pedes abluit discipulorum foedos, exorditur ab his qui erant magis foedi, et sic venit ad Petrum quasi minus aliis indigentem; Matth. XX, v. 8: *incipiens a novissimis usque ad primos*. Et hoc quidem sonare videntur verba Evangelii: *coepit lavare pedes discipulorum*, et postmodum sequitur *venit ergo ad Simonem Petrum*. Ex quo videtur quod prius lavit pedes aliorum. Si vero quaeratur quare Petrus hoc prae aliis recusavit, respondet Origenes, quia hoc fecit propter nimium fervorem amoris quem habebat ad Christum. Alii vero discipuli cum timore quodam reverebantur Christum, et ideo absque discussione omne factum sustinebant. Petrus vero eis ferventior secundum illud Ioan. ult., 15: *Simon Iona, diligis me plus his? Dicit ei: etiam, domine, tu scis quia amo te ex amore fiduciam assumens, ferre recusat factum et causam inquit; Eccli. VI, 11: amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coaequalis, et in domesticis tuis fiducialiter aget*. Et ideo Petrus invenitur in Scriptura frequenter inquirere, et prompte proferre quae sibi meliora videntur. Secundo exponitur, secundum Chrysostomum, ut scilicet Christus inceperit prius lavare pedes a primis apostolorum. Sed quia proditor ille stultus erat et superbus, scilicet Iudas, prior ad pedum abluitionem recubuit ante Petrum. Nullus enim aliorum ausus fuisset Petrum praevenire. Unde de Iuda loquitur Evangelista, dicens *coepit lavare pedes discipulorum*, scilicet Iudae, qui quidem utpote superbus et stultus, in nullo renisus est, nec recusavit ferre quod dominus faciebat. Sed postquam venit ad Petrum, qui reverebatur et diligebat magistrum, cum timore recusat, et causam facti inquit: et simile fecisset quilibet aliorum. Tertio vero exponitur, secundum Augustinum, quod ex verbis Evangelistae non debemus intelligere quod dominus laverit prius pedes aliis discipulis, et postmodum venerit ad Petrum; sed quod Evangelista, secundum consuetudinem suam, primo ponit factum, et postmodum narrat ordinem facti, sicut et supra VI, facit. Unde primo insinuat totum factum, scilicet quod lavit pedes discipulorum; et postmodum si quaeratur quomodo factum fuit, dicit quod primo venit ad Simonem Petrum. Et ideo primo ipse recusavit dicens *domine tu mihi lavas pedes?* Quae quidem verba magnum pondus habent. *Domine*, inquit, *tu*, qui es filius Dei vivi, *mihi lavas pedes?* Qui sum Simon Bariona, idest Simon Iona, Matth. XVI, 17. Item: *domine, tu*, qui es agnus incontaminatus, speculum sine macula, et candor lucis aeternae, *mihi lavas pedes*, qui homo peccator sum? Secundum illud Lc. V, 8: *exi a me, quia homo peccator sum*. *Domine, tu*, qui es creator, *mihi lavas pedes*, qui sum creatura, et modicae fidei? Haec dicebat Petrus territus ex consideratione maiestatis Christi, secundum illud Hab. III, 1: *consideravi opera tua, et expavi*. Consequenter cum dicit *respondit Iesus* etc. ponuntur verba Christi, ex quibus ostenditur factum illud esse mysticum. Unde dixit ei *quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea*. Quod quidem factum, exemplum est et mysterium. Exemplum quidem humanitatis exhibendae; infra eodem *exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*. Mysterium autem interioris mundationis. Infra eodem: *qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet* et cetera. Dupliciter ergo potest intelligi hoc quod dicit *quod ego facio*. Uno modo, *quod ego facio*, idest, quomodo ego facio in exemplum, *tu nescis modo*, idest non intelligis, *scies autem postea*, tunc scilicet quando exposuit eis dicens: *scitis quid ego fecerim vobis?* Infra eodem. Alio modo, *quod ego facio, tu nescis modo*; idest, hoc mysterium est, et secretum est, et significat interiorem mundationem, quae non potest fieri nisi per me, quod non intelligis modo, *scies autem postea*, scilicet recipiens spiritum sanctum; infra XVI, 12: *multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Consequenter cum dicit *dixit ei Petrus* etc., ostendit factum illud esse mysticum, et primo ponit verba Petri praestantia occasionem verbis Christi; secundo subiungit Christi verba. Dicit ergo primo Petrus *non lavabis mihi pedes in aeternum*, idest numquam. Quasi diceret: absit a me ut hoc sustineam a magistro, domino et Deo meo. Et licet Petrus hoc ex zelo faceret, eius tamen zelus indiscretus et inordinatus erat; Rom. X, 2: *zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*. Qui quidem zelus inordinatus erat propter tria: quia recusat quod utile erat et necessarium: nam, sicut dicitur Rom. III, 26, *quid oremus, sicut oportet, nescimus*; et ideo indiscrete recusamus recipere quod Deus nobis largitur, etiam si contrarium videatur. Sic etiam et Paulus petebat remotionem stimuli, II Cor. XII, 8, qui tamen ei utilis erat. Item, quia videtur quamdam irreverentiam ad Christum importare in hoc quod eius ordinationem infringere vult. Item, quia videtur vergere in derogationem sociorum, dum quod alii, secundum Origenem, a Christo absque contradictione susceperant, ipse accipere recusabat, dicens *non lavabis mihi pedes in aeternum*. Et ideo redarguit eum dominus dicens *si non laveris te, non habebis partem mecum*: quod quidem ad duo referri potest, videlicet ad factum quod Christus faciebat, et ad signatum eius. Sed si quidem referatur ad signatum, tunc planum est quod dicitur. Nullus enim aeternae haereditatis particeps fieri

potest et Christi cohaeres, nisi spiritualiter sit mundatus: quia hoc dicitur Apoc. XXI, 27: *nihil coinquinatum intrabit*. In Ps. XIV, 1: *domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Et respondens subdit: *innocens manibus, et mundo corde*. Quasi ergo dicat *si non laveris te*, non eris mundus, et, si non es mundus, *non habebis partem mecum*. Sed si referatur ad factum, tunc dubium est utrum haec ablutio sit de necessitate salutis. Ad quod dicendum est, quod sicut quaedam sunt prohibita quia mala, et quaedam mala quia prohibita, ita quaedam sunt praecepta quia necessaria, et quaedam necessaria quia praecepta. Hoc ergo ablutionis factum de quo dominus dicit *si non laveris te, non habebis partem mecum*, in se consideratum non est necessarium ad salutem, sed, supposito quod mandetur a Christo, iam factum est necessarium I Reg. XV, 22: *melior est obedientia quam victima*; et ita: *quasi scelus idolatriae nolle acquiescere*. Hic ostendit factum illud esse congruum. Et ponuntur primo verba Petri; secundo subditur responsio Christi. Sed in verbis Petri insinuatur ferventissimus amor eius ad Christum. Nam supra, quando dominus dixit ei: *quod ego facio, tu nescis modo*, dederat ei intelligere hoc factum utile fore; tamen, hac utilitate neglecta, induci non poterat ad pedum ablutionem recipiendam. Sed quando dominus comminatus est separationem suam ab ipso, dicens: *non habebis partem mecum*, non solum ad illa, sed ad ulteriora recipienda se obtulit, dicens *domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput*. In hac enim responsione territus totum se offert ad abluendum, amore turbatus et timore. Ut enim legitur in itinerario Clementis, Petrus adeo afficiebatur ad Christi corporalem praesentiam, quam ferventissime dilexerat, quod post Christi ascensionem cum dulcissimae praesentiae et sanctissimae conversationis memor erat, totus resolvebatur in lacrymas, ita ut genae eius viderentur adustae. Sciendum est autem, quod in homine tria sunt: caput, quod est summum; pedes, qui sunt infimi; manus, quae sunt mediae. Et similiter in interiori homine, scilicet in anima, est caput, ratio scilicet superior, qua anima inhaeret Deo, I Cor. XI, 3: *caput mulieris vir*, idest superior ratio; manus autem, idest inferior ratio, quae vacat operibus activae; pedes autem sunt sensualitas. Sed dominus sciebat discipulos suos mundos quantum ad caput, quia Deo coniuncti erant per fidem et caritatem; et quantum ad manus, quia eorum sancta opera: sed quantum ad pedes, aliquos affectus terrenorum ex sensualitate habebant. Petrus autem timens Christi comminationem, consentit non solum ad ablutionem pedum, sed etiam manus et capitis, dicens *domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput*. Quasi dicat: nescio an indigeam ablutione manus et capitis, *nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum*: I Cor. V, 4, et ideo paratus sum lavare *non tantum pedes*, idest affectus inferiores, Cant. V, 3: *lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos, sed et manus*, idest opera, Ps. XXV, 6: *lavabo inter innocentes manus meas, et caput*, idest rationem superiorem, Matth. VI, 17: *faciem tuam lava*. Consequenter cum dicit *dixit eis Iesus*, ponitur responsio domini, et primo dat quoddam generale documentum; secundo adaptat illud ad propositum, ibi *et vos mundi estis, sed non omnes*; tertio Evangelista exponit verba Christi, ibi *sciebat enim quisnam esset qui traderet eum*. Dicit ergo primo: *qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet; sed est mundus totus*; supple, praeter pedes, quibus terram tangit. Per quod datur intelligi quod apostoli iam baptizati erant. Dicit enim *qui lotus est* etc., et postea subdit *vos mundi estis* etc., quia scilicet baptizati erant. Sed quidam dicunt, quod baptizati erant solum Baptismate Ioannis: quod non videtur verum, quia sic non erant loti, nam Baptisma Ioannis non mundabat interius a culpa. Et ideo dicendum, quod baptizati erant Baptismo Christi, secundum Augustinum. Et si obiicis, quod Christus non baptizabat, sed discipuli eius, ut dicitur supra IV, 2, dico quod non baptizabat turbas; sed discipulos suos sibi familiares et domesticos baptizavit. Sed cum Baptismus abstergat etiam sordes pedum, videtur quod qui lotus est, idest baptizatus, non indiget ut pedes lavet. Sed ad hoc dicendum, quod si statim post Baptismum transirent de mundo non utique indigerent hac ablutione, quia cum sint mundi toti, statim evolarent. Sed qui post Baptismum vivunt in hac vita mortali non possunt ad tantum culmen perfectionis ascendere quin etiam inordinati motus sensualitatis de affectibus terrenis insurgant: et ideo oportet quod pedes lavent vel per martyrium, quod est Baptismus sanguinis, vel per poenitentiam, quae est Baptismus fluminis, ut evolare possint. Consequenter cum dicit *et vos mundi estis, sed non omnes*, adaptat dominus ad propositum generale documentum. Sed si mundi erant, quare iterum dominus eos abluerat? Ad quod Augustinus dicit, quod mundi erant quantum ad manus et caput sed indigebant quantum ad pedes. Chrysostomus vero dicit, quod mundi erant non quidem simpliciter, quia nondum mundi erant ab immunditia originali: cum nondum Christus passus esset, nondum solutum esset pretium nostrae redemptionis; sed quantum ad aliquid, mundi erant, scilicet ab erroribus Iudaeorum. Origenes vero dicit, quod mundi erant, sed adhuc maiori mundatione opus erat, quia semper ratio aemulari debet charismata meliora, semper debet virtutum alta conscendere, iustitiae candore nitescere; Apoc. ult., 2: *qui sanctus est, sanctificetur adhuc*. Sed non omnes: quia unus eorum et caput et manus immundas

habebat. Et ideo consequenter Evangelista ponit verba domini, dicens *sciebat enim quisnam esset qui traderet eum*, quasi dicat: ideo dixit *non omnes*, quia sciebat immunditiam Iudae proditoris. Duo enim hominem universaliter emundant: scilicet eleemosyna et misericordia in pauperes, Lc. XI, 41: *date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*, et amor Dei: Lc. VII, 47: *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; Prov. X, 12: *universa delicta operit caritas*. Haec enim duo deficiebant Iudae. Misericordia quidem, quia fur erat, et oculos habens, et defraudabat eleemosynas pauperum. Item amor ad Christum, quia iam Diabolus miserat in cor eius ut traderet eum principibus sacerdotum ad crucifigendum et cetera.

### Lectio 3

[87507] Super Io., cap. 13 l. 3 Postquam dominus ostendit humilitatis obsequium esse necessarium hic consequenter inducit ad imitationem, et primo praemittit circumstantias admonitionis; secundo ipsam admonitionem proponit, ibi *scitis quid fecerim vobis?* et cetera. Circa primum duo facit. Primo insinuat Evangelista admonitionis ordinem; secundo manifestat admonentis dispositionem, ibi *accepit vestimenta sua* et cetera. Ordo autem admonitionis est ut quod primo fecit opere, doceat sermone; et quantum ad hoc dicit *postquam ergo lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua* et cetera. Act. I, 1: *coepit Iesus facere et docere*; Matth. V, 19: *qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum*. Dispositio autem admonentis insinuatur et quantum ad habitum, et quantum ad situm. Ad habitum quidem: quia diversus habitus diversis personis convenit, secundum propriorum actuum diversitatem; Eccli. XIX, 27: *amictus hominis annuntiat de illo*. Alius ergo habitus competit ministro, alius doctori. Ministro autem, quia debet esse expeditus ad obsequium, competit ut vestium impedimenta deponat; et ideo Christus cum ministrare voluit, *surgit a coena, et ponit vestimenta sua*. Doctori autem, qui debet esse gravis, et auctoritate praeeminens, competit vestium decens ornatus: et ideo dominus docere volens, *accepit vestimenta sua*. Quantum ad situm vero, quia ministrare volens, surrexit, unde dicit: *surrexit a coena*: nunc autem volens docere, recumbit, unde dicit *et cum recubisset iterum, dixit eis*: et hoc ideo, quia doctrina debet esse in tranquillitate. Sedendo enim et quiescendo anima fit sapiens et prudens. Possunt haec tria habere mysterium. Cum enim Christus perfectam doctrinam discipulis praebuerit, quando spiritum sanctum eis misit; infra XIV, 26: *Paraclitus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ipse vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis*. Tria praecesserunt ipsam missionem. Scilicet peccatorum ablutio per passionem; Apoc. c. I, 5: *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Et quantum ad hoc dicit *postquam ergo lavit pedes eorum*, idest, impleta purgatione per sanguinem. Item resurrectio. Christus enim ante passionem suam mortale corpus habuit, quae quidem mortalitas non competebat ei ex parte personae filii Dei sed ex parte humanae naturae assumptae, sed postquam surrexit ex virtute divinitatis, accepit corporis immortalitatem: et quantum ad hoc dicit *accepit vestimenta sua*, idest, surgens factus est immortalis. Et dicit *sua*, quia sua virtute accepit; Rom. VI, v. 10: *quod autem vivit, vivit Deo*, idest virtute Dei. De istis vestimentis dicitur Apoc. c. III, 5: *qui vicerit, vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen eius de libro vitae*. Item praecessit sessio, et hoc in ascensione; infra XVI, 7: *si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos* et cetera. Et quantum ad hoc dicit *cum recubisset iterum*, scilicet ad dexteram patris residens et sedens; Marc. ult., 19: *et dominus quidem Iesus postquam locutus est, assumptus est in caelis, et sedet a dextris Dei*. Et dicit *iterum*, non quod in quantum filius Dei unquam sedere desierit, quinimmo ab aeterno est in sinu patris, sed quia in quantum homo exaltatus est ad potiora bona patris; Phil. II, 9: *propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen*. Sic ergo antequam spiritum sanctum perfecte docentem infunderet, lavit sanguine fuso; accepit vestimenta, resurgendo; recubuit, in gloria ascendendo. Consequenter cum dicit *scitis quid fecerim vobis?* Proponit ipsam admonitionem, et primo interrogat; secundo assumit; tertio concludit; quarto conclusionem confirmat. Interrogat quidem, cum dicit *scitis quid fecerim vobis?* Quasi dicat: facta quidem vidistis, sed tamen quare hoc fecerim, non intelligitis: et ideo sic quaerit ut ostendat facti magnitudinem, et ad considerandum inducat. Opera enim Dei consideranda sunt, quia profunda; Ps. XCI, 6: *quam magnificata sunt opera tua, domine. Nimis profundae factae sunt cogitationes tuae*. Vix enim sufficienter opera Dei scire possumus secundum illud Eccli. VIII, 17: *intellexi quod rationem operum Dei nullam possit homo invenire*. Sunt etiam delectabilia ad considerandum; Ps. XCI, 5: *delectasti me, domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo*. Sunt etiam utilia, quia ducunt in cognitionem auctoris; Sap. XIII: *si operibus intendissent etc.*; supra V, 36: *opera enim quae dedit mihi pater ut faciam, ipsa*

*sunt quae testimonium perhibent de me.* Potest etiam, secundum Origenem, hoc quod dicitur *scitis quid fecerim vobis* accipi imperative; quasi dicat: sciatis quid fecerim vobis. Et tunc hoc dicit dominus, ut eorum erigat intellectum. Assumit eorum confessionem, dicens *vos vocatis me magister et domine*, et primo proponit eorum confessionem; secundo commendat eam, ibi *et bene dicitis*. Circa primum sciendum est, quod apostolus, I Cor. I, duo dicit de Christo; scilicet quod sit Dei virtus et Dei sapientia. In quantum est virtus Dei, omnibus dominatur, ut enim dicit Ambrosius, *dominus nomen est potestatis*, in quantum est Dei sapientia, omnes instruit, et ideo discipuli vocabant eum dominum, supra VI, 69: *domine, ad quem ibimus?* Et magistrum; supra c. IV, 31: *Rabbi, manduca*. Et merito: ipse enim dominus est solus creans et recreans; Ps. XCIX, 3: *scitote quoniam ipse est dominus*, ipse solus est magister interius docens: Matth. XXIII, 10: *magister vester unus est Christus, omnes autem vos fratres estis*. Consequenter cum dicit *et bene dicitis*, commendat eorum confessionem. Circa quod sciendum est, quod aliquid redditur commendabile dupliciter. Uno modo si id quod dicitur conveniat rei de qua dicitur; quod fit per veritatem, quia si sit falsum, non convenit ei; unde bene dicitur Eph. IV, 25: *deponentes mendacium, loquimini veritatem*. Adeo enim vitanda sunt mendacia, ut etiam si cedere videantur ad laudem Dei, non sunt dicenda. Quantum ad hoc ergo dicit *bene dicitis*; et hoc ideo, quia verum est quod dicitis, quia competit mihi, *sum etenim*, scilicet magister et dominus. Magister, inquam, propter sapientiam quam doceo verbis; dominus propter potentiam quam ostendo miraculis. Alio modo redditur commendabile, si quod dicitur conveniat personae dicentis. Aliqui enim sunt qui vocant Christum magistrum et dominum, quibus non competit, cum non subiiciant se disciplinae et mandato Dei: et isti non bene dicunt. Unde Matth. XXV, 12, illis qui dicunt, *domine, aperi nobis*, respondetur: *amen, amen dico vobis, nescio vos*, quia hoc non corde dicunt, sed ore tantum. Istud apostoli bene dicebant, quia hoc eis competeat; unde dicit eis *et bene dicitis*, id est verum, *sum etenim*, scilicet vobis magister et dominus: nam me auditis ut magistrum, supra VI, 69: *ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes*, sequimini ut dominum; Matth. XIX, 27: *ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te*. Sed contra hoc est quod dicitur Prov. XXVII, 2: *laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua*. Videtur ergo quod dominus non bene fecerit laudando se. Sed ad hoc respondet Augustinus dupliciter. Uno modo, quia vituperabile est quod quis se commendat propter periculum superbiendi: nam periculosum est sibi placere cui cavendum est superbire. Ubi ergo non imminet periculum superbiendi, non est vituperium propria commendatio. In Christo autem hoc periculum non timebatur, ille enim qui super omnia est, quantumcumque se laudet, non se extollit excelsius. Alio modo, quia aliquando laudabile est quod homo se commendat, quando scilicet cedit ad utilitatem fidelium: et sic apostolus commendat se, II Cor. XI. Sed valde nobis utile est, et per omnem modum necessarium, ut Deum cognoscamus, cum in hoc consistat tota perfectio nostra; unde expedit nobis ut revelet nobis magnitudinem suam, alioquin nullo modo eam scire possemus, si non indicet se ipse qui novit. Et ideo oportet quod ipse se nobis laudet, quia, ut dicit Augustinus, si non se laudando quasi arrogantiam vitare voluerit, nobis sapientiam denegabit; Eccli. XXIV, 1: *sapientia laudabit animam suam*. Concludit vero cum dicit *si ergo ego lavi pedes vestros dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes*. Ubi arguit ab eo quod minus videtur ad id quod magis. Minus enim videtur quod maior debeat facere aliquod humile, quam minor; et secundum hoc concludit *si ergo ego*, qui sum maior, quia magister et dominus, *lavi pedes vestros, et vos*, multo magis, qui estis minores, qui estis discipuli et servi, *debetis alter alterius lavare pedes*; Matth. XX, 26: *qui maior est vestrum, sit vester minister (...)* nam *filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*. Sed contra, videtur quod hoc quod dicitur *vos debetis alter alterius lavare pedes*, habeat rationem praecepti: sed qui negligit praeceptum peccat mortaliter; ergo et cetera. Responsio. Dicendum, secundum Augustinum, quod omnis homo debet lavare pedes alterius vel corporaliter vel spiritualiter; et multo melius est, et sine controversia verius, ut aliquis faciat opere, ne dedignetur quod fecit Christus, facere Christianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel si iam inerat, confirmatur humilitatis affectus. Quod si non fiat opere, saltem hoc corde facere debemus. In lotionem enim pedum datur intelligi lotio macularum. Tunc ergo spiritualiter lavas pedes fratris tui, cum, quantum in te est, abluis maculas eius. Et hoc fit tripliciter: remittendo scilicet ei offensam, secundum illud Col. III, 13: *donantes invicem vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et dominus donavit vobis, ita et vos*. Item orando pro peccatis eius, secundum illud Iacob. ult., 16: *orate pro invicem ut salvemini*. Et iste duplex lavandi modus communis est omnibus fidelibus. Tertius modus pertinet ad praelatos, qui lavare debent remittendo peccata auctoritate clavium, secundum illud infra XX, 22: *accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Possumus etiam dicere, quod hoc in facto dominus ostendit omnia opera misericordiae. Nam qui dat panem

esurienti, pedes eius lavat, similiter qui eum hospitio recipit, et qui operit nudum, et sic de aliis; Rom. XII, 13: *necessitatibus sanctorum communicantes*. Confirmat autem conclusionem cum dicit *exemplum enim dedi vobis* etc.: et hoc quidem ex quatuor. Primo quidem ex sua intentione; secundo vero ex auctoritate, ibi *amen, amen dico vobis*; tertio ex praemio quod ipsi operi debetur, ibi *si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea*; quarto ex dignitate eorum quibus pedes lavat, ibi *amen, amen dico vobis: qui accipit si quem misero, me accipit*. Dixit ergo, quod hoc ideo feci ut darem vobis exemplum; et ideo *debetis alter alterius lavare pedes*, quia hoc in facto illo intendebar. Nam in actibus hominum plus movent exempla quam verba. Id enim homo agit et eligit quod videtur ei bonum: unde magis ostendit esse bonum quod ipsemet eligit, quam quod docet esse eligendum. Et inde est quod quando aliquis dicit aliquid, et tamen aliud facit, magis suadet aliis quod facit, quam illud quod docet: et ideo maxime necessarium est ex ipso facto exemplum dare. Sed exemplum quidem puri hominis humano generi non erat sufficiens ad imitandum, tum quia ratio humana ab omni consideratione deficit, tum quia in ipsa rerum consideratione decipitur: et ideo datur nobis exemplum filii Dei, quod est infallibile, et ad omnia sufficiens. Unde dicit Augustinus: quia superbia non sanatur, si humilitate divina non sanatur similiter quae avaritia, et sic de aliis. Sed attende, quod satis convenienter filius Dei est nobis in exemplum virtutum. Ipse enim est ars patris, ut sicut fuit exemplar creationis, esset etiam exemplar iustificationis; I Petr. II, 21: *Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius*. Iob XXIII, 11: *vestigia eius secutus est pes meus: viam eius custodivi, et non declinavi ex ea*. Consequenter cum dicit *amen, amen dico vobis: non est servus maior domino suo* etc., confirmat conclusionem ex auctoritate: et primo tangit discipulorum conditionem; secundo ipsorum officium. Conditio autem discipulorum est quod sunt servi; Lc. XVII, 10: *cum omnia bene feceritis, dicite quia servi inutiles sumus*. Officium autem eorum est quod sint apostoli; Lc. VI, 13: *elegit duodecim, quos apostolos nominavit*. Sic ergo dicit: dico, quod *debetis alter alterius lavare pedes, sicut et ego lavi*, quia *non est servus maior domino suo*, quantum ad primum, *neque apostolus*, id est missus, *maior eo qui misit illum*. Licet autem ipse filius Dei, qui est apostolus confessionis nostrae, ut dicitur ad Hebr. III, v. 1, sit aequalis illi qui misit eum, scilicet patri, de omnibus tamen aliis verum est quod hic dicitur *neque apostolus maior est eo qui misit illum*. Sed contra: infra enim XV, 15, dominus dicit discipulis suis: *iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus eius*. Respondeo. Dicendum quod duplex est servitus. Una, quae procedit ex timore filiali, quae facit bonum servum; secundum illud Matth. XXV, 23: *euge serve bone et fidelis: et hoc modo dominus vocat eos servos*. Alia est servitus quam facit timor servilis; de qua dicitur Matth. XVIII, 32: *serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me*. Et de hac dicit dominus: *iam non dicam vos servos* et cetera. Consequenter cum dicit *si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea*, confirmat conclusionem ex praemio, et primo proponit praemium; secundo excipit aliquem ab eo, ibi *non de omnibus vobis dico*. Dicit ergo *si haec scitis*, quasi dicat: tu haec dicis nobis, quae quidem non ignoramus. Quare ergo dicis nobis? Ideo, inquam, quia et *si haec scitis*, quod quidem est omnium, tamen *beati eritis, si feceritis ea*, quod est paucorum. Et dicit *si scitis et feceritis*, scilicet quia, ut dicitur Lc. XI, 28, *beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud*. Et Ps. CX, 10: *intellectus bonus omnibus facientibus eum*. E contra dicitur Iacob. IV, 17: *scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi*. Excipit autem quemdam, cum dicit *non de omnibus vobis dico*, et primo proponit exceptionem; secundo assignat exceptionis rationem, ibi *sed ut impleatur Scriptura*; tertio assignat rationem quare ponit exceptionem, ibi *amodo dico vobis priusquam fiat*. Circa primum duo facit. Primo ponit exceptionem; secundo respondet tacitae quaestioni. Exceptionem ponit cum dicit *non de omnibus vobis dico* etc., quasi dicat: beati eritis, tamen non omnes, quia *non dico de omnibus vobis*, quod ad beatitudinem perveniat; I Cor. IX, 24: *omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*. Est enim aliquis inter vos, id est Iudas, qui non erit beatus; neque faciet ea. Sed, secundum Origenem, dominus non dicit *beati eritis* absolute, sed apposuit conditionem, dicens *si feceritis ea*: quod quidem verum est in omnibus, etiam in Iuda; si enim Iudas fecisset ea, beatus fuisset. Unde vult quod magis excipiat hoc quod dicit *non est servus maior domino suo* etc., quasi diceret: dico quod estis servi et apostoli; *non tamen de omnibus hoc dico*: Iudas enim dum esset servus peccati, non erat servus divini verbi, neque apostolus, Diabolo ingresso in cor eius. Sed quia posset aliquis dicere: ex quo non dicit de omnibus ut sint beati, vel eius apostoli, ergo ex improvise aliquis est de eius collegio periturus. Ideo dominus ad haec respondens, dicit *ego scio quos elegerim*, quasi diceret: electi non peribunt; sed non omnes sunt electi. Ille ergo peribit qui electus non est, scilicet Iudas; infra XV, v. 16: *non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Sed contra est quod dicitur supra VI, 71: *nonne ego vos elegi duodecim?* Cum ergo Iudas esset unus ex duodecim, videtur quod fuerit electus. Sed dicendum, quod duplex est electio. Una est ad praesentem

iustitiam, et ad hanc electus fuit Iudas; alia electio est ad finalem gloriam, et secundum hanc Iudas non fuit electus. Ratio autem huius exceptionis est *ut impleatur Scriptura*: quae hic praedicit, non quod cogat, sed quia hoc quod futurum erat, non tacuit; Lc. ult. 44: *oportet impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et Psalmis de me*; Matth. c. V, 18: *iota unum aut unus apex non praeteribit a lege donec omnia fiant*. Quae quidem Scriptura dicit *qui manducat panem mecum, levabit contra me calcaneum suum*. Hoc est secundum aliam translationem, ubi nos habemus: *etenim homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*. Ubi ostenditur Iudae ad Christum familiaritas, cum dicit *qui manducat panem mecum*. Iudas enim panem cum aliis discipulis cum Christo comedit, etiam consecratum. Item ostenditur eius malignus conatus contra Christum, cum dicit *levabit contra me calcaneum suum*; id est, conabitur ad meam conculcationem. Calcaneo enim comprimimus hostes; Gen. III, 15: *ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*. Tunc ergo dicitur aliquis levare calcaneum suum contra aliquem, quando conatur eum opprimere. Sed hoc Iudas non poterit: quia unde ipse credit me opprimere, inde exaltabor; supra XII, 32: *ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. In quo habemus exemplum, ut si quando a famulis aut ab aliquibus vilioribus patiamur aliquod malum, non scandalizemur, respicientes Iudae exemplum, qui infinitis potitus bonis, in contrarium remuneravit benefactorem. Ideo autem dominus Iudam, quem futurum noverat esse malum, elegit, ut daret intelligere quod nulla societas hominum sine alicuius mali admixtione futura erat: Cant. II, 2: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Unde Augustinus dicit in quadam epistola: non audeo mihi arrogare quod domus mea sit melior coetu apostolorum. Item ut si contingat quod aliquis ab aliquo praelato in societatem Ecclesiae assumptus, malus efficiatur, non sit in condemnationem ipsius praelati. Ecce enim quod Iudas electus a Christo, proditor efficitur. Sic etiam Act. VIII, 13 Philippus assumpsit Simonem magum; Ier. c. XVIII, 20: *numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animae meae?* Matth. X, 36: *inimici hominis, domestici eius*. Consequenter cum dicit *amodo dico vobis priusquam fiat*, assignat causam quare exceptionem posuit; quasi dicat: diu tacui eius malitiam sed quia tempus est ut prodeat in publicum, ideo *dico vobis*, id est manifesto, *antequam fiat, ut credatis quia ego sum* qui futura praedico, et occulta cordis manifesto; quod est proprium Dei; Ier. c. XVII, 9: *pravum est cor hominis et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego dominus scrutans cor, et probans renes*; Is. LXI, v. 23: *secutura quoque annuntiate nobis, et sciemus quia dii estis vos*. Vel: *ego sum qui sum*, Ex. III, 14. Consequenter cum dicit *amen, amen dico vobis* etc., confirmat conclusionem inductam ex dignitate eorum quibus pedes lavit: quorum tanta est dignitas ut obsequia eis impensa quodammodo videantur redundare in Deum, sed tamen secundum quemdam gradum: quia quae fiunt fidelibus per Christum, redundant in Deum patrem. Ostendit ergo primo quomodo ea quae fiunt discipulis Christi, redundant in Christum. Et quantum ad hoc dicit *amen, amen dico vobis*; quasi diceret: vere, debetis lavare pedes, quia *qui recipit si quem misero, me accipit*, id est, obsequium quod exhibetur his quos ego mitto, mihi attribuo factum; Matth. X, 40: *quis vos recipit, me recipit*. Secundo ostendit quomodo obsequium Christo exhibitum redundat in patrem, dicens *qui autem me accipit, accipit eum qui me misit*; supra V, 23: *ut omnes honorificent filium sicut honorificant patrem*. Secundum autem Origenem, potest intelligi dupliciter. Uno modo connexim; et sic est sensus: *qui accipit si quem misero, me accipit* etc. id est, qui recipit missos a me, recipit et patrem. Qui ergo recipit si quem misero, recipit patrem. Alio modo distinctim; et sic est sensus: *qui recipit si quem misero, me accipit*: verum est corporaliter, *sed qui recipit me*, scilicet spiritualiter ad animas venientem, secundum illud Eph. III, 17: *habitare Christum per fidem in cordibus vestris, accipit eum qui me misit*, scilicet patrem. Non tantum ego in eo manebo, sed et pater; infra XIV, 23: *ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Sed ex hoc Arius errorem suum confirmare nititur hoc modo. Dominus dicit, quod qui recipit ipsum, recipit patrem: ergo eadem est comparatio patris mittentis ad filium, quae est filii mittentis ad discipulos; sed Christus mittens, est maior discipulis missis: ergo pater est maior filio. Sed ad hoc dicendum, secundum Augustinum, quod in Christo fuerunt duae naturae, humana scilicet, et divina: et secundum hoc loquitur ex una parte secundum humanam naturam, dicens *qui accipit si quem misero, me*, hominem, *accipit*, qui communico cum eis in una natura; et ex alia parte loquitur secundum divinitatem *qui autem me*, Deum, *accipit, accipit eum qui me misit*, qui cum eo sum unius naturae. Vel *qui accipit eum* quem ego mitto, *accipit me*, cuius auctoritas est in eis; et *qui me accipit*, accipit patrem, cuius auctoritas est in me; ut sic in verbis istis importetur quasi mediatio Christi inter Deum et hominem, secundum illud I Tim. II, 5: *mediator Dei et hominum homo Christus Iesus*.



## Lectio 4

[87508] Super Io., cap. 13 l. 4 Supra ostendit exemplum Evangelista quod Christus praebuit suis discipulis ad imitandum; hic ostendit defectum discipulorum, quem praenuntiat eis Iesus, qui nondum erant idonei ad sequendum, et primo ponit defectum discipuli qui eum tradidit; secundo defectum discipuli qui eum negavit, ibi *dixit ei Simon Petrus: domine, quo vadis?* Circa primum duo facit. Primo denuntiat discipuli proditorem; secundo eius separationem, ibi *cum ergo exisset dixit Iesus* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ponitur praenuntiatio futurae proditorem; secundo ipsius proditorem executio, ad veritatem praenuntiantis comprobata, ibi *quod facis, fac citius*. Circa primum duo facit. Primo praenuntiat scelus proditorem; secundo personam proditoris, ibi *aspiciebant ergo discipuli ad invicem*. Circa primum, primo praemittit praenuntiantis affectum, secundo ponit praenuntiatum effectum. Praenuntians ergo Christus est, qui afficitur ad turbationem: et quantum ad hoc dicit *cum hoc dixisset Iesus*, reinvitans eos ad caritatem, qua privatum videbat proditorem discipulum, *turbatus est spiritu*. Circa quod sciendum est, quod turbatio designat commotionem quamdam: et hoc apparet per hoc quod habetur supra V, 4: *Angelus domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua*, et postea sequitur: *domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*: quod pro eodem accipit aquam turbari, et moveri. Secundum hunc etiam modum dicimus mare turbatum, quando est commotum. Turbatio ergo animi, eius commotionem designat. Sed sunt quidam actus animae sine commotione corporis, idest actus intellectivae partis. Actus autem appetitus sensitivi sunt cum corporis commotione; unde affectiones appetitus sensitivi, passionem dicuntur. Inter omnes autem affectiones seu passionem appetitus sensitivi, tristitia magis vim commotionem habet. Delectatio enim, cum dicat quietem in bono praesenti, magis rationem quietis habet quam commotionem. Timor etiam, cum sit de malo futuro, minus movet quam tristitia, quae est de malo praesenti. Et inde est quod turbatio animi praecipue dicitur tristitia. Turbatus est ergo Iesus, idest tristatus. Sed attendendum, quod quidam philosophi fuerunt, scilicet Stoici, dicentes, quod huiusmodi turbatio et huiusmodi passionem in sapientem non cadunt; quamvis enim sapiens secundum eos timeat, gaudeat, et desideret, nullo modo tamen tristatur. Sed horum falsitas manifeste apparet ex hoc quod Iesus, qui est summa sapientia, turbatur. Sciendum tamen, quod duplex est turbatio. Quaedam procedit ex carne, quando scilicet quis turbatur praeter iudicium rationis ex apprehensione sensuali, quae quidem turbatio quandoque quidem consistit intra limites rationis, in nullo eam obnubilans. Quae non perfecta passio, sed propassio dicitur a Hieronymo; et haec in sapientem cadit. Quandoque autem rationis limitem excedit, et eam turbat, et est non solum passio, sed etiam turbatio; et haec in sapientem non cadit. Alia est turbatio quae procedit ex ratione, quando scilicet ex rationis iudicio et deliberatione turbatur quis in appetitu sensitivo. Et haec turbatio fuit in Christo: unde signanter dicit Evangelista, quod *turbatus est spiritu*, idest turbatio quae fuit in appetitu sensitivo, in Christo fuit ex iudicio rationis. Unde supra XI, 33, dicit quod *turbavit semetipsum*. In Christo enim omnia ex deliberatione rationis etiam in inferiori appetitu sensitivo proveniebant: unde nec subiti motus sensualitatis in Christo fuerunt. Voluit autem hic Iesus turbari propter duo. Primo quidem propter fidei nostrae instructionem. Nam imminabat ei passio, et mors, quam naturaliter refugit natura humana, et, cum eam sibi sentit imminere, tristatur tamquam de malo et nocivo sibi praesente. Ut ergo ostenderet se veram naturam humanam habere, voluit turbationis affectum ex iudicio rationis etiam quantum ad ipsam animam pati. Per quod excluditur error Apollinaris dicentis, in Christo non fuisse animam, sed verbum loco animae. Secundo, propter nostram aedificationem. Videbat enim, secundum Augustinum, quod proditor ille exiturus erat, ut Iudaeos qui eum caperent, adduceret: ex quo separabatur a collegio sanctorum, et sententiam mortis contra se accipiebat. Et ideo ex quodam pietatis affectu ad eum tristabatur, dans per hoc exemplum praelatis, quod si duram sententiam quandoque contra subditos proferre contingat, cum dolore cordis proferant, secundum illud Ps. CXL, 5: *corripiet me iustus in misericordia*. Nam ipse proditorem Iudae aliis manifestare volens, *turbatus est spiritu, et protestatus est*, ne scilicet quasi ignorans proderetur, *et dixit: amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet*. Signanter autem dicit *unus ex vobis* electis scilicet ad sanctum collegium, ut det intelligere quod nullum futurum foret adeo sanctum collegium quin aliquis peccator et malus in ipso inveniat; Iob I, 6: *cum venissent filii Dei ut assisterent coram domino, affuit inter eos etiam Satan*. Dicit autem *unus*, non duo vel plures, ne collegium detestari videatur, sed proditorem ex collegio. Nam propter unum malum ex collegio, collegium malum reputari non debet. Ideo autem si plures mali essent, collegium posset malum reputari. *Unus*, inquit, *ex vobis*, numero, non merito, et spiritus vinculo: I Io. II, 19: *ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; me tradet*. Ecce enuntiatio: *me*, inquam, magistrum, me dominum, me salvatorem. Consequenter cum dicit

*aspiciebant ergo ad invicem discipuli etc.*, occulte designat personam proditoris, et primo ponitur designationis occasio; secundo personae designatio, ibi *respondit Iesus: ille est cui intinctum panem porrexero*, tertio designationis effectus, ibi *et post buccellam introivit in eum Satanus*. Est autem designationis duplex occasio. Una discipulorum communis haesitatio; alia fuit praedicta interrogatio. Primo ergo ponit primam, secundo secundam, ibi *erat ergo recumbens*. Sciendum est circa primum, quod boni discipuli habebant ad Christum maximam caritatem, et maximam fidei firmitatem. Ex caritate quidem praesumebat quilibet ex se, quod nullus eum erat negaturus; sed ex fidei firmitate certissime tenebant quod verbum Christi falsum esse non poterat. Et ideo, licet nullius sibi ipsis conscii essent mali, tamen praenuntiationem Christi propriis cogitationibus veriolem et credibilem esse putabant. Unde se homines esse memores, et alterabilem esse affectum, etiam ad hoc provectorum, ita ut contrarium velit ei quod prius voluit, magis de se dubitabant quam de Christi veritate: et ideo *aspiciebant ad invicem haesitantes de quo diceret*, I Cor. X, 12: *qui se existimat stare, videat ne cadat*; Iob IX, 30: *si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimae manus meae: tamen sordibus intinges me*. Consequenter cum dicit *erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu*, ponitur inquisitio discipuli, et primo describitur eius ad Christum familiaritas; secundo excitatio eius ad interrogandum ibi *innuit huic ergo Simon Petrus*; tertio subditur eius interrogatio, ibi *itaque cum recubisset ille supra pectus Iesu, dicit ei*. Familiaritas autem discipuli ad Christum ostenditur in hoc quod super eum recumbit, unde dicit *erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu*. Discipulus iste Ioannes Evangelista fuit, qui hoc Evangelium scripsit, et de se in persona alterius loquitur, volens vitare iactantiam, secutus morem aliorum qui sacras Scripturas conscripserunt. Sic enim Moyses in libris suis de se sicut de quodam altero loquitur, dicens *locutus est dominus ad Moysen dicens* et cetera. Sic et Matthaeus: *vidit hominem sedentem in telonio Matthaeum nomine* et cetera. Et Paulus II Cor. XII, 2: *scio hominem in Christo (...) raptum huiusmodi usque ad tertium caelum*. Tria autem hic Ioannes de se tangit. Primo quidem amorem quo quiescebat in Christo, dicens, quod *erat recumbens*, idest quiescens; Iob XXII, 26: *tunc super omnipotentem deliciis afflues, et elevabis ad Deum faciem tuam*; Ps. XXII, 2: *super aquas refectionis educavit me*. Secundo secretorum notitiam, quae ei Christus revelabat, et specialiter in conscriptione huius Evangelii, unde dicit quod recubuit *in sinu Iesu*: per sinum enim secretum significatur; supra I, v. 18: *unigenitus, qui est in sinu patris ipse enarravit*. Tertio specialem dilectionem qua eum Christus diligebat, unde dicit *quem diligebat Iesus*: non quidem singulariter, sed quasi quodammodo excellentius prae aliis dilexit. Quomodo autem eum excellentius prae aliis dilexerit, magis in fine huius libri dicitur. Quantum ad praesens autem sciendum, quod Ioannes fuit magis dilectus a Christo propter tria. Primo quidem propter munditiam puritatis: quia virgo est electus a domino, et virgo in aevum permansit. Et Prov. c. XXII, 11: *qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem*. Secundo propter sublimitatem suae sapientiae, quia ceteris altius arcana divinitatis intuitus est: unde et aquilae comparatur; Prov. XIV, 35: *acceptus est regi minister intelligens*. Tertio propter vehementem fervorem affectus sui ad Christum; Prov. c. VIII, 17: *ego diligentes me diligo*. Consequenter cum dicit *innuit ergo huic Simon Petrus*, ponitur excitatio ad interrogandum. Sed cum innuere sit absque verbo insinuare, ad quid est hoc quod dicit: *innuit ergo (...) et dicit*? Ad hoc dicendum, quod nos dicimur aliquid innuere quando aliquid interius cogitamus; secundum illud Ps. LII, 1: *dixit insipiens in corde* et cetera. Multo ergo magis dicimur aliquid dicere innuendo iam exterius quibuscumque vel qualibuscumque signis, quod fuerat corde conceptum. Et sic est sensus: *innuit (...) et dicit*; idest, innuendo dicit. Vel potest dici, quod primo innuit signo, et postea dicit verbo, hoc scilicet quod sequitur: *quis est de quo dicit*? Quod scilicet eum tradet. Sed cum Petrus ubique in Evangeliiis semper audax, et primus ad respondendum propter amoris fervorem inveniatur, quid est quod hic tacet? Quid est quod alteri interrogationem committit? Cuius quidem ratio potest esse triplex, secundum Chrysostomum. Una, quia cum supra est reprehensus a domino de hoc quod lavari sibi pedes non patiebatur a domino, et audivisset *si non laveris te, non habebis partem mecum*: dubitabat nunc de hoc dominum molestare. Alia ratio est, quia Petrus nolebat quod dominus hoc publice, ita quod alii possent audire, manifestaret. Unde, quia ipse remotus erat a Christo, nec ipse tantum audivisset, Ioannem, qui proximus erat Christo, ad interrogandum excitat. Habet etiam rationem mysticam. Per Ioannem enim contemplativa, per Petrum activa vita signatur. Petrus vero mediante Ioanne instruitur a Christo: quia vita activa de divinis instruitur mediante contemplativa: *Maria enim sedens secus pedes domini audiebat verba illius; sed Martha satagebat circa frequens ministerium*: Lc. X, 39. Consequenter cum dicit *itaque cum recubisset ille supra pectus Iesus, dicit ei etc.*, ponitur interrogatio. Sed notandum, quod cum Petrus innuit ut interrogaret, recumbebat Ioannes in sinu Iesu; nunc vero eum interrogat

Ioannes, qui supra pectus eius recumbit. Pectus enim vicinius est ori quam sinus. Ioannes ergo secretius audire volens responsum, et magis silenter, de sinu conscendit ad pectus. Mystice autem per hoc datur intelligi, quod quanto magis homo vult divinae sapientiae secreta capere, tanto magis conari debet ut propinquior fiat Iesu, secundum illud Ps. XXXIII, 6: *accedite ad eum, et illuminamini*. Nam divinae sapientiae secreta illis praecipue revelantur qui Deo iuncti sunt per amorem; Iob XXXVI, 33: *annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit*; Prov. c. XVIII, 17: *venit amicus eius, et investigavit eum*. Consequenter cum dicit *respondit Iesus* etc. designat personam proditoris: et primo verbo, secundo facto. Verbo quidem, cum dicit *ille est cui intinctum panem porrexero*: quod potest duo significare, secundum quod potest dupliciter accipi. Quia si accipiatur hic in malum, significat Iudae simulationem. Nam sicut panis intinctus infectus est ex eo quod intingitur, et mutat colorem, ita et simulator, dum aliud gerit in corde et aliud praetendit ore: et sic erat Iudas, qui exterius praetendebat se magistrum diligere, in corde prodicionem tractabat; Ps. XXVII, 3: *loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*. Si vero accipiatur in bonum, sic ponitur ad exaggerandam eius malignitatem. Panis enim intinctus magis sapidus est. Ut ergo ostendat quod licet multa bona a Christo receperit Iudas, eorum tamen immemor prodit eum, panem sibi intinctum porrigit; Ps. LIV, 14: *tu vero homo unanimes, dux meus, et notus meus, qui dulces simul mecum capiebas cibos*. Facto autem ostendit, cum dicit *et cum intinxisset panem, dedit Iudae Simonis Iscariotae*. Hinc aliqui dicunt, hunc panem fuisse corpus Christi consecratum. Sed hoc, secundum Augustinum, non est verum. Nam, sicut ex aliis Evangeliiis habetur. Dominus cum coenaret, discipulis corpus suum dedit: et ideo patet quod Iudas cum aliis discipulis simul corpus Christi accepit in coena. Christus autem postquam aliquantulum in coena processerat, surrexit a coena, et lavit pedes discipulorum, quibus lotis resedit, et postmodum panem tinctum Iudae tradidit. Unde patet quod non erat corpus Christi. Sequitur designationis effectus, cum dicit *et post buccellam introivit in eum Satanas*. Sed quaeritur hic quomodo Satanas in hominem intrat? Ad quod dicendum, quod Satanam intrare in hominem, potest intelligi dupliciter. Quia intrare potest in corpus hominis, sicut patet in his qui corporaliter a Daemonio vexantur; et sic potest Diabolus essentialiter in hominem intrare. Vel potest intelligi intrare in mentem, ita quod menti Daemon essentialiter illabatur. Et sic nullus potest intrare in hominem nisi solus Deus. Anima enim rationalis non habet dimensiones quantitatis, ut aliquid in ea esse dicatur, quasi infra eius dimensionem contentum sit. Nihil potest in ea esse nisi quod ei dat esse, quod est ibi per virtutem suam. Ubi autem est virtus Dei, ibi est et essentia Dei: in Deo enim idem est essentia et virtus. Manifestum est ergo quod Deus essentialiter est in anima. Dicitur tamen Diabolus illabi menti humanae per effectum et affectum malitiae, in quantum scilicet homo ab eo seductus, sequitur eum ad perpetrandum malum. Sed cum supra dixerit: *cum Diabolus iam misisset in cor ut traderet eum Iudas*, hic autem dicit *introivit in eum Satanas*: videtur aliud esse mittere et intrare. Sed ad hoc dicendum, quod hoc non est dictum ad significandum differentiam, sed ad insinuandum augmentum malitiae. Tunc enim dicitur Diabolus immittere aliquod malum in cor hominis cum homo praebet ei assensum ad malum, tamen cum quadam trepidatione an hoc facere debeat; sed tunc intrat in cor quando homo totaliter dat se ad sequendum eius instinctum, et in nullo ei resistit. Intravit ergo in eum Satanas, ut plenius possideret, et ad perpetrandum malitiam duceret, in quem prius miserat ut deciperet. Quaeritur quare Lc. XXII, 3, dicatur, quod intravit Satanas in eum, quod quidem fuit antequam buccellam acciperet. Et hoc est contra illud quod Ioannes hic dicit, scilicet quod *post buccellam introivit Satanas in eum*. Responsio. Dicendum, quod tunc introivit ad prodicionem faciendam, sed nunc introivit ad eam exequendam et complendam. Sed numquid buccellam dare Iudae, post quam introivit in eum Satanas, fuit malum? Responsio. Dicendum quod non. Sed ipse Iudas cum esset malus, bono usus est male. Sic cum quis indigne accipit Eucharistiam, quod bonum est et optimum, male accipit, et vertitur sibi in malum, quia *iudicium sibi manducat et bibit*: I Cor. XI, 29.

## Lectio 5

[87509] Super Io., cap. 13 l. 5 Posita praenuntiatione futurae prodicionis hic ponitur consummatio ipsius rei praenuntiatae, scilicet perpetratio prodicionis, et primo permittit Iudae adimplere quod dixerat; secundo ostendit quomodo adimpleretur, ibi *cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo*. Circa primum tria facit. Primo ponit verba domini permittentis; secundo manifestat ipsorum verborum obscuritatem; tertio subdit quomodo illa verba fuerunt ab apostolis intellecta. Verba autem domini sunt ista *quod facis, fac citius*. Quae quidem verba non sunt praecipientis, seu consulentis, cum peccatum cadere non possit sub praecepto et consilio divino, quia dicitur

in Ps. XVIII, 9: *praeceptum domini lucidum illuminans oculos*, sed sunt verba permittentis. Nam, ut dictum est, Diabolus miserat in cor Iudae ut traderet eum, scilicet Iesum, quod iam tractaverat cum principibus; sed implere non poterat nisi ipse Christus permitteret: quia supra X, 18: *nemo tollet a me animam meam: sed ego pono eam a me ipso*; Is. LIII, 7: *oblatus est quia ipse voluit*. Sunt etiam verba crimen proditoris exprobrantis, ut ostenderet quod dum ille conferret beneficia, iste intentaret mortem; Ps. c. XLIX, 21: *arguam te et statuam contra faciem tuam*. Sunt etiam verba ad opus nostrae redemptionis anhelantis, ut Augustinus dicit. Non tamen praecepit facinus, sed praedixit, non tam in perniciem perfidi saeviendo, quam ad salutem fidelium festinando; Lc. XII, 50: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor donec perficiatur?* Verba autem domini obscura erant tantum ad discipulos; et ideo dicit *hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit*. In quo datur intelligi quod verba Christi adeo profunda sunt et humanum intellectum excedentia, quod non plus inde capere possumus nisi quantum ipse revelat; Prov. XXV, 2: *gloria domini est celare verbum*. Sed hic oritur quaestio. Cum enim Ioanni dominus personam proditoris designasset, dicens: *ille cui intinctum panem porrexero*, et dedisset panem intinctum Iudae: nimium videntur rudes fuisse discipuli, quod verbum domini non intellexerunt. Ad quod dicendum est, quod dominus verba illa occulte dixerat Ioanni tantum, ut non fieret proditor manifestus. Cuius ratio est, quia Petrus ita fervidus erat in amore Christi quod si pro certo scivisset Iudam fuisse Christum traditurum, statim occidisset eum. Sed cum Ioannes unus esset ex discumbentibus, adhuc incidit alia quaestio, cur dixerit, quod *nemo scivit discumbentium*. Ad quod dicendum est, quod consuetudo boni animi et innocentis est ut etiam alios procul ab iniquitate esse credat, a qua seipsos noverunt immunes. Quia igitur Ioannes innocentissimus erat, et a proditoris iniquitate semotus, nequaquam suspicabatur quod discipulus in tantum iniquitatis prodiret. Quid autem discipuli veram causam verborum ignorantes de ipsis verbis aestimarent, subdit Evangelista, dicens *quidam autem ex ipsis*, scilicet discipulis, *putabant, quia loculos habebat Iudas* et cetera. Ubi sciendum est, quod dominus Deus caeli, qui dat escam omni carni, loculos habuit, non quod possideret aliquid terrenum, sed a fidelibus oblata conservans, suis necessitatibus et aliis indigentibus subveniret: quos quidem loculos Iudas conferebat. In quo datur exemplum, ut Augustinus dicit, quod Ecclesia potest habere pecuniam et reservare pro necessitatibus imminentibus. In quo etiam instruimur, quod ecclesiastica pecunia sit expendenda solum in duobus. Primo quidem in his quae pertinent ad cultum divinum; unde dicit *eme ea quae opus sunt nobis ad diem festum*, idest quibus Deum colere possumus in die festo; Malach. c. III, 10; *inferte omnem decimam in horreum meum, et sit cibus in domo mea*. Deinde vero in his quae pertinent ad pauperum sustentationem, ut subdit *aut egenis aliquid daret*. Sed si obiicias contra id quod dicit dominus, Matth. VI, 34: *nolite cogitare in crastinum*, ad hoc respondet Augustinus, et dicit, quod hoc non fuit praeceptum a domino ad hoc ut nihil pecuniae seu aliarum rerum unius diei a sanctis servetur in crastinum; sed ideo dominus dixit, *nolite cogitare in crastinum*, ne scilicet praedicaremus et alia Dei servitia faceremus ut provideatur nobis in posterum: vel ne desistamus ab his quae virtutis sunt, propter diei crastini sollicitudinem. Ex quo patet quod dominus dicens, *nolite solliciti esse de crastino*, duo prohibet. Unum, ut non faciamus bona propter crastinum; aliud, ut non retrahamur a bonis propter timorem crastinae inopiae et cetera. Chrysostomus autem planius exponit dicens: *nolite cogitare de crastino*; idest, curam quae incumbit diei crastino, nolite anticipare in diem hodiernum: *sufficit enim diei malitia sua*. Dubitatur etiam hic, quod dominus praecepit discipulis suis, Lc. X, 4: *nolite portare in via sacculum, neque peram neque calceamenta*. Quomodo ergo ipse loculos habebat? Sed, secundum Chrysostomum, dominus loculos ferebat ad inopum ministerium, ut hinc discas quod quantumcumque pauperem et mundo crucifixum, oportet de pauperibus curam habere: secundum illud Ps. CXI, 9: *dispersit, dedit pauperibus* et cetera. Vel dicendum, quod hoc quod dicit, *nihil tuleritis in via* etc., referendum est ad singulares praedicatores et apostolos, qui nihil portare debent quando ad praedicandum vadunt. Non autem referendum est ad totum collegium, quod oportet aliquid habere et pro seipsis et pro egenis. Consequenter cum dicit *cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo*, ponitur adimpletio rei praenuntiatae, et primo ponitur executio; secundo temporis determinatio. Executio quidem festina: quia *cum buccellam accepisset, exivit continuo*. Ubi attende, secundum Origenem, quod non dicit Evangelista, cum comedisset buccellam, sed *accepisset*: quod potest dupliciter intelligi. Uno modo quod proditor in hoc tantum sollicitus obedire magistro, accepto pane non comederit eum; sed forte in mensa dimisso, nullam traxit moram, vadens ad proditionem perpetranda. Cuius quidem ratio esse potest, quod Diabolus, qui iam intraverat in cor Iudae, timens ne si panem comederet, eum cedere oporteret, non valentem in eodem loco cum Iesu esse, non permisit Iudam panem comedere; II Cor. VI, 15: *quae conventio Christi ad Belial?* I Cor. X, v. 21: *non potestis simul esse participes mensae domini et*

*mensae Daemoniorum*. Alio modo potest intelligi, quod panem acceptum comedit; et sic est sensus *cum ergo accepisset ille buccellam*, non solum in manu, sed etiam comedendo, sic *exivit continuo*, male utens bono. Sicut et qui indigne manducat panem domini, aut bibit eius calicem, in praeiudicium sibi manducat atque bibit et magis aggravatur peccatis; sic panis a Iesu datus Iudae, fuit in damnum, ut post panem intraret in eum Satanas. Tempus autem seu hora determinatur tenebrosa; unde dicit *erat autem nox*: quod quidem determinat propter duo. Primo ad eius malitiam aggravandam, quae intantum invaluerat in cor eius, ut nec propter temporis inopportunitatem usque mane perstitisset; Iob XXIV, 14: *mane primo consurgit homicida (...) et de nocte efficitur fur*. Secundo ad designandam mentis qualitatem *erat enim nox*: quia mens Iudae proditoris obscura erat a luce divina. Supra XI, 9: *qui ambulat in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt; qui autem ambulat in nocte, offendit, quia lux non est in eo*.

## Lectio 6

[87510] Super Io., cap. 13 l. 6 Post egressum Iudae ad mortem domini procurandam, agit dominus de recessu suo ad gloriam, et primo annuntiat eis gloriam ad quam vadit, ut inde consolentur; secundo praenuntiat eis suum recessum, ibi *filioli, adhuc modicum vobiscum sum* et cetera. Gloria autem ad quam vadit est glorificatio et exaltatio Christi in quantum est filius hominis: et hoc est quod dicit *cum ergo exisset*, scilicet Iudas, *dixit Iesus*, discipulis suis, *nunc clarificatus est filius hominis* et cetera. Ubi sciendum est, quod clarificari idem est quod glorificari: gloria enim dicitur quasi clara. Unde secundum Ambrosium, *gloria est clara cum laude notitia*. Unde expositores ubi in Graeco est clarificare, transferunt glorificare, et e converso. Et sic idem est quod hic dicitur *nunc clarificatus est filius hominis*, quod glorificatus. Potest ergo exponi quadrupliciter, scilicet referendo ad quadruplicem gloriam Christi. Primo quidem ad gloriam crucis; secundo ad gloriam iudiciariae potestatis; tertio ad gloriam resurrectionis; quarto ad gloriam cognitionis Christi in fide populorum. Hanc enim quadruplicem gloriam Scriptura attribuit Christo. Primo ergo Christus clarificatus fuit in crucis exaltatione, unde etiam Paulus in ipsa cruce gloriam suam dicit esse, Gal. ult., 14: *mihi absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi*. Et de hac gloria exponit Chrysostomus. Unde circa hoc dominus quatuor tangit de gloria crucis. Primo ipsam gloriam, secundo gloriae fructum, tertio gloriae auctorem, quarto gloriae tempus. Quantum ad primum dicit *nunc clarificatus est filius hominis* et cetera. Sciendum est enim, quod quando aliquid incipit fieri, videtur quasi esse factum. Iuda autem exeunte ad ducendum milites, videtur negotium passionis Christi, per quam glorificandus erat, inchoatum esse, et ideo dicit *nunc clarificatus est filius hominis* etc., idest incipit passio in qua glorificabitur. Clarificatus est enim Christus per passionem crucis, quia per eam de inimicis, scilicet morte et Diabolo, triumphavit; Hebr. II, 14: *ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium*. Item quia per eam coniunxit terrena caelestibus; Coloss. I, 20: *pacificans per sanguinem crucis sive quae in terris, sive quae in caelis sunt*. Item quia per eam omnia regna obtinuit. Ps. XCV, 9, secundum aliam litteram: *dicite in gentibus, quia dominus regnavit a ligno*. Item quia in ea multa miracula ostendit: nam velum templi scissum est, mota est terra, petrae sunt scissae, et sol obscuratus est, et multa corpora sanctorum surrexerunt, ut dicitur Matth. XXVII, 51 s. Propter hoc ergo imminente passione dicit *nunc clarificatus est filius hominis*: quasi, nunc incipit passio mea, quae est mea glorificatio. Fructus autem huius gloriae est quod inde Deus glorificetur; et ideo dicit *et Deus clarificatus est in eo*; idest, in filio hominis glorificato: quia gloria passionis ad hoc tendit, ut Deus inde glorificetur. Si enim Deus glorificatur de morte Petri, infra ult., 19, *hoc dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum*, multo magis clarificatus est per mortem Christi. Auctor autem huius gloriae non est Angelus neque homo, sed ipsemet Deus: et ideo dicit *si Deus glorificatus est in eo*; idest, si tanta est gloria quod Deus inde glorificetur, non debuit per alium clarificari; sed *ipse Deus clarificavit ipsum in semetipso*, idest per semetipsum; infra XVII, 5: *clarifica me, pater, claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te*. Tempus autem huius gloriae est festinum, quia *continuo*, idest statim, *clarificabit eum*; idest, dabit ei clarificationem crucis. Crux enim, licet gentibus et his qui pereunt sit stultitia, nobis tamen credentibus est maxima Dei sapientia, et Dei virtus: I Cor. I, 30. Secunda autem gloria Christi, est gloria iudiciariae potestatis; Mc. XIII, 26: *tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus, cum virtute multa et gloria*. Et de hac gloria exponit Augustinus, ut in Glossa tangitur. Unde secundum hoc quatuor hic facit. Primo ponit gloriam iudiciariae potestatis; secundo ostendit meritum quo ad hanc pervenitur; tertio hoc exponit; quarto demonstrat huius gloriae principium. Dicit ergo quantum ad primum *nunc clarificatus est filius hominis*. Ubi sciendum est, quod in sacra Scriptura res

significatae appellantur nomine rerum significantium, significatione non expressa, secundum illud I Cor. X, 4: *petra autem erat Christus*. Ubi non dicit, petra significat Christum. In hoc autem facto quod Iudas exivit ab apostolis repraesentatur figura futuri iudicii, ubi mali separabuntur a bonis, cum statuet oves a dextris, haedos autem a sinistris, ut habetur Matth. XXV, 33. In hoc ergo quod Iudas exivit, quia futurum iudicium figurabatur; ideo dominus post exitum Iudae agit de gloria iudiciariae potestatis, qua iudicaturus est, dicens *nunc clarificatus est filius hominis*, idest, per eius exitum repraesentata est gloria filii hominis quam habebit in iudicio, ubi malorum nullus erit ubi bonorum nullus perit. Non autem dicitur: nunc significata est glorificatio filii hominis; sed *nunc clarificatus est filius hominis*, more Scripturae sacrae praedicto. Meritum autem huius glorificationis est ut Deus glorificetur in eo. In illis enim clarificatur Deus qui quaerunt facere voluntatem eius, non suam; talis autem erat Christus; supra VI, 38: *non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me*. Et ideo *Deus clarificatus est in eo*. Exponit autem hoc cum dicit *si Deus clarificatus est in eo*, idest, si voluntatem Dei faciens, Deum clarificat, *merito Deus clarificabit eum in semetipso*, ut scilicet natura humana quae a verbo aeterno suscepta est, etiam immortalitate donetur; et ideo *in semetipso*, idest in gloria sua; Phil. II, 9: *propter quod exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen*. Ipsa ergo glorificatio qua Deus glorificatus est in Christo, est meritum in quo Christus secundum quod homo glorificatus est *in semetipso*, idest in gloria Dei. Et hoc fuit quando humana natura, deposita infirmitate per mortem crucis, accepit gloriam immortalitatis in resurrectione. Inde ipsa resurrectio fuit principium quo inchoata est ista gloria. Ideo dicit *et continuo clarificabit eum*, in resurrectione, quae scilicet statim erit, secundum illum Ps. CVII, 3: *exurgam diluculo*. Et alibi, Ps. XV, 10: *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Tertia Christi gloria, est gloria resurrectionis de qua dicitur Rom. VI, 4: *quomodo surrexit Christus per gloriam patris; ita et nos in novitate vitae ambulemus*. Et de hac gloria exponit hic Hilarius, et etiam partim Augustinus. Et secundum hoc primo praenuntiat Christus hanc suam gloriam, dicens *nunc clarificatus est filius hominis*. Et loquitur de futuro per modum praeteriti: quia quae statim fieri credimus, quasi facta habemus. Gloria autem resurrectionis in proximo imminebat; et ideo dicit *nunc clarificatus est*, quasi corpus naturae divinae consociatione, gloriam quodammodo divinitatis adeptum est. Secundo subiungit causam huius glorificationis, et valde subtiliter: nam, ut ipse dicit, humanitas Christi in resurrectione glorificata est ex coniunctione divinae naturae eam assumptis in persona verbi, quia hoc dicitur in Ps. XV, 10: *non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis sanctum tuum, qui est sanctus sanctorum, videre corruptionem*. Debetur etiam Christo homini talis gloria in quantum est Deus. Nos etiam intantum gloriam resurrectionis habebimus, in quantum participes sumus divinitatis; Rom. VIII, 11: *qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, resuscitabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis*. Et ideo dicit, quod *filius hominis*, scilicet Christus, secundum humanam naturam, *clarificatus est*, per resurrectionem. Et quis clarificabit eum? *Deus*, inquit, *clarificabit eum in semetipso*, ut scilicet Christus homo, qui regnat in gloria quae ex Dei gloria est, et ipse exinde in Dei gloriam transeat, scilicet mansurus totus in Deo; quasi deificatus ex ea qua homo est dispensatione. Sicut si dicerem: lampas clara est, quia ignis clarescit in ea. Illud ergo quod emittit radios claritatis ad humanitatem Christi, est Deus: et sic humanitas Christi clarificatur a gloria divinitatis eius, et humanitas Christi inducitur in gloriam divinitatis, non per transmutationem naturae, sed per participationem gloriae, in quantum ipse Christus homo adoratur tamquam Deus; Phil. II, 9: *propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur*. Et ideo dicit *et Deus clarificatus est in eo*; idest, si ita est quod gloria divinitatis ad gloriam humanitatis redundet, *Deus clarificavit eum*, idest, fecit eum participem suae gloriae, eum ad suam gloriam assumendo. Phil. II, 11: *omnis lingua confiteatur quia dominus Iesus in gloria est Dei patris*. Et sic duplex est gloria Christi. Una quae est in humanitate eius a divinitate derivata; alia est divinitatis, ad quam quodammodo assumitur humanitas, ut dictum est: sed aliter et aliter. Nam prima gloria habuit principium temporis, et ideo de ipsa loquitur in praeterito dicens *et Deus clarificavit eum in semetipso*, quod fuit in die resurrectionis. Secunda gloria est perpetua, quia ab aeterno verbum Dei est Deus, ad quam humanitas Christi assumpta in perpetuum glorificabitur; unde de ista loquitur in futuro dicens *et continuo clarificabit eum*; idest, semper faciet eum in illa gloria in perpetuum esse. Quarta gloria Christi est gloria cognitionis in fide populorum; et de hac exponit Origenes. Ubi notandum est, quod gloria, secundum eum, aliter accipitur in communi usu hominum, et aliter in Scriptura. Nam secundum communem usum, gloria nihil aliud est quam a pluribus collata praeconia, vel *clara cum laude notitia*, ut Ambrosius dicit; in sacra Scriptura gloria importat aliquod divinum indicium super homines. Unde Ex. XL, 32: *gloria domini apparuit super tabernaculum*, idest, aliquod divinum indicium

requievit super ipsum. Et similiter illud quod dicitur de facie Moysi, quod glorificata esset. Et sicut gloria corporaliter dicit aliquod divinum indicium super homines, ita etiam et spiritualiter intellectus hominis dicitur glorificari quando ita deificatus, et transcendens omnia materialia, elevatur ad Dei cognitionem: per hoc enim efficitur particeps gloriae ipsius, II Cor. III, 18: *nos autem revelata facie gloriam domini specularantes in eandem imaginem transformamur*. Si ergo quicumque cognoscit Deum, glorificatur, et particeps gloriae effectus est, manifestum est quod Christus, qui perfectissime Deum cognovit, utpote totius divinae gloriae splendor existens, Hebr. I, 3, et totius gloriae divinae fulgorem capere valens; si, inquam, ita est; Christus perfectissime est glorificatus, et etiam omnes qui Deum cognoscunt, hoc a Christo habent. Sed Christum sic glorificatum esse in perfectissima cognitione et participatione divinitatis nondum homines cognoscebant: et ideo, licet in se glorificatus esset, non tamen glorificatus erat in notitia hominum. Sed hanc gloriam incepit habere in resurrectione et in passione, in quibus homines cognoscere coeperunt suam virtutem et suam divinitatem. De hac ergo sua glorificatione dominus hic loquens, dicit *nunc clarificatus est filius hominis*, scilicet, secundum humanitatem, in sua passione, quae imminerebat, clarus effectus est in notitia hominum; *et Deus*, scilicet pater, *glorificatus est in eo*. Filius enim non solum revelat se, sed etiam patrem; infra XVII, 6: *pater, manifestavi nomen tuum*: et ideo non solum clarificatus est filius, sed etiam pater; Matth. XI, 27: *patrem nemo novit nisi filius, et cui voluerit filius revelare*. Et dicit *in eo*, quia qui videt filium, videt et patrem: infra XIV, 9. Maioris autem est ut aliquid maius rependat, et ideo subdit *et si Deus clarificatus est in eo*, idest si ex claritate filii hominis quodammodo crescit gloria Deo patri, inquantum magis ab omnibus cognoscitur, *et Deus clarificavit eum in semetipso*, idest, notificavit, quod Christus Iesus est in sua gloria. Et hoc non differtur, quia *continuo clarificabit eum*, idest statim et cetera.

## Lectio 7

[87511] Super Io., cap. 13 l. 7 Supra posuit dominus claritatem quam adepturus erat per suum recessum; hic ipsum suum recessum praenuntiat eis, et primo praenuntiat eis suum recessum; secundo ostendit quod nondum discipuli idonei erant ad eum sequendum, ibi *quaeretis me*; tertio docet quomodo idonei fiant, ibi *mandatum novum do vobis*. Recessum autem futurum in brevi praenuntiat eis, dicens *filioli, adhuc modicum vobiscum sum*. Et utitur verbo filiationis ad maiorem inflammationem. Nam quando amici ab invicem discedunt, tunc maxime affectu amoris inardescunt. Supra eodem *cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Sed dicit *filioli mei*, in diminutivo, ut ostendat eorum imperfectionem, nondum enim erant perfecte filii, quia nondum perfecte diligebant: nondum erant in caritate perfecti; Gal. IV, 19: *filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. Nihilominus tamen satis creverant in perfectione, quia ex servis facti sunt filii, ut hic habetur, et fratres, infra XX, 17: *vade ad fratres meos, et dic eis* et cetera. Notandum tamen, quod hoc quod dicitur *adhuc modicum*, tripliciter exponi potest, secundum quod Christus est tripliciter cum suis discipulis. Christus enim cum suis discipulis erat corporaliter. Corpus autem eius potest considerari dupliciter. Primo secundum similitudinem conditionis naturae humanae, nam Christus secundum corpus mortalis erat, sicut et ceteri homines; et sic *ly modicum* accipitur pro tempore quod erat inter verba sermonis huiusmodi, et mortem suam. Ut sit sensus *adhuc modicum vobiscum sum*, idest, modicum temporis extat quod capiar et moriar, et tunc resurgam, deinceps immortalis, etiam secundum corpus, existens; Rom. VI, v. 9: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Et ideo dicitur Lc. ult., 44: *haec dicebam vobis, dum adhuc essem vobiscum* et cetera. Secundo fuit cum eis praesentia corporali, sed secundum quod corpus eius erat iam glorificatum; et sic *ly modicum* accipitur pro tempore quod erat usque ad ascensionem; infra XVI, 16: *modicum, et iam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad patrem*; Aggaei II, 7: *adhuc modicum, et ego movebo caelum et terram et mare et aridam*. Tertio exponitur secundum quod Christus fuit cum eis spiritualiter secundum suae divinitatis praesentiam, et in sacramentis; et sic *ly modicum* accipitur pro tempore quod existebat usque ad consummationem saeculi: quod quidem tempus dicitur esse modicum in comparatione ad aeternitatem; I Io. II, 18: *filioli mei, novissima hora est*. Et sic est sensus *modicum vobiscum sum*, idest, licet a vobis corporaliter discedam, tamen spiritualiter adhuc *sum vobiscum modicum* istud temporis quod extat usque ad consummationem saeculi; Matth. ult., 20: *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*. Sed haec expositio non congruit secundum praesentiam divinitatis suae, quia non solum usque ad consummationem saeculi, sed etiam in perpetuum erit cum eis. Et ideo Origenes aliter exponit,

dicens, quod Christus cum perfectis non peccantibus mortaliter, est semper, sed cum imperfectis non est, quia cum peccant, recedit ab eis. Discipuli vero post modicum tempus recessuri erant a Christo, et scandalum passuri, et eum relicturi; Matth. c. XXVI, 31: *omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*. Et sic Christus spiritualiter recedebat ab eis; et quantum ad hoc dicit *adhuc modicum vobiscum sum*, idest, modicum temporis est quod vos fugietis, me relicto, et sic non ero vobiscum. Consequenter cum dicit *quaeritis me* etc., ostendit eorum insufficientiam ad sequendum: et primo ponit eorum conatum, dicens *quaeritis me*, quem spiritualiter dereliquistis, et fugientes et negantes. *Quaeritis*, inquam, per poenitentiam, sicut Petrus qui flevit amare; Is. LV, 6: *quaerite dominum dum inveniri potest*; Oseae VI, 1: *in tribulatione sua mane consurgent ad me*. Vel, *quaeritis me*, idest praesentiam corporalem per desiderium; Lc. XVII, 22: *venient dies in quibus desiderabitis videre unum diem filii hominis, et non videbitis*. Secundo eorum defectum ostendit dicens *et sicut dixi Iudaeis: quo ego vado, vos non potestis venire*. Sed aliter et aliter: quia cum inter Iudaeos essent aliqui qui numquam convertendi erant, de illis dictum est simpliciter, quod non poterant ire quo Christus ibat. Sed iam Iuda egresso, nullus erat inter discipulos a Christo separandus, et ideo non dixit simpliciter *non potestis venire*, sed addidit *vobis dico modo*. Quasi dicat: Iudaeis dixi, quod numquam, scilicet quantum ad obstinatos; sed *vobis dico*, quod *modo* non potestis me sequi, quia non estis perfecti in caritate, ut velitis mori pro me: ego enim per mortem discessurus sum. Item ego iturus sum ad gloriam patris, ad quam nullus venire potest, nisi sit caritate perfectus. Item ego sum glorificandus modo, quia, ut dictum est, *nunc clarificatus est filius hominis*, sed nondum est tempus quod corpora vestra glorificentur: et ideo *quo ego vado, vos non potestis venire*. Consequenter cum dicit *mandatum novum do vobis*, docet quomodo idonei efficiantur ad sequendum, et primo ponit conditionem mandati; secundo ostendit causam quare illud debeant implere, ibi *in hoc cognoscent omnes quod mei discipuli estis*. Circa primum tria facit. Primo ponit mandati qualitatem; secundo eius tenorem; et tertio tenoris exemplum. Sed qualitas mandati commendatur ex novitate, unde dicit *mandatum novum*. Sed numquid in veteri testamento vel lege datum non est mandatum de dilectione proximi? Datum quippe est, quia Matth. c. XXII, 37, Christus interrogatus a legisperito quod esset primum mandatum, respondit: *diliges dominum Deum tuum*, et subditur: *et proximum tuum sicut teipsum*. Quod habetur Lev. XIX, 18: *diliges proximum tuum sicut teipsum*. Specialiter autem mandatum istud dicitur novum propter tria. Primo propter effectum innovationis quem efficit; Col. III, 9: *exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creavit illum*. Haec autem novitas est per caritatem, ad quam hortatur Christus. Secundo istud mandatum dicitur novum propter causam quae hoc efficit, quia est a novo spiritu. Est enim duplex spiritus, scilicet vetus et novus. Vetus quidem est spiritus servitutis; novus autem spiritus amoris; ille generat servos, hic filios adoptionis; Rom. VIII, v. 15: *non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*; Ezech. XXXVI, 26: *dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri*. Et hic spiritus inflammat ad caritatem: quia *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum*; Rom. V, v. 5. Tertio per effectum quem constituit, scilicet novum testamentum. Nam brevis differentia novi et veteris testamenti est timor et amor; ut enim dicit Ier. XXXI, 31: *feriam domui Israel foedus novum*. Quod autem mandatum istud in veteri testamento ex timore et amore sancto erat, pertinebat ad novum testamentum: unde hoc mandatum erat in veteri lege, non tamquam proprium eius, sed ut praeparativum novae legis. Tenor autem mandati est mutua dilectio; unde dicit *ut diligatis invicem* et cetera. De ratione enim amicitiae est quod non sit latens, alias enim non esset amicitia, sed benevolentia quaedam. Et ideo oportet ad veram amicitiam et firmam, quod amici se mutuo diligant; quia tunc amicitia iusta est et firma, quasi duplicata. Dominus ergo volens inter suos fideles et discipulos perfectam amicitiam esse, dedit eis praeceptum de mutua dilectione; Eccli. VI, 17: *qui timet Deum, habebit amicitiam bonam*. Exemplum tenoris ponit cum dicit *sicut dilexi vos*. Tripliciter enim dilexit nos Christus: gratuite, efficaciter et recte. Gratuite, quia ipse incepit, nec expectavit quod nos inciperemus amare; I Io. IV, 10: *non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*. Sic et nos debemus prius diligere proximos, nec expectare praeveniri, seu beneficiari. Efficaciter autem dilexit, quod patet per opus: *probatio enim dilectionis exhibitio est operis*. Maius autem quod homo pro amico potest facere, est ut det seipsum pro eo, quod et Christus fecit; Eph. V, 2: *dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis*; unde dicebat, infra XV, 13: *maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Nos ergo huius exemplo efficaciter et fructuose invicem diligamus; I Io. III, 18: *non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate*. Recte vero, quia cum omnis amicitia fundetur super aliquam communicationem (similitudo enim est causa amoris), illa est recta amicitia quae est propter similitudinem, seu communicationem in bono.



Christus autem intantum dilexit nos, inquantum similes sumus ei per gratiam adoptionis, diligendo secundum hanc similitudinem, ut ad Deum traheret. Ier. XXXI, 3: *in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*. Sic ergo et nos in amato non tantum quod beneficii est, seu delectationis, sed quod Dei est, debemus diligere. Et in tali dilectione proximi includitur etiam dilectio Dei. Consequenter cum dicit *in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis* etc. ponitur rationem implendi hoc praeceptum. Sciendum est autem, quod quicumque connumeratur militiae alicuius regis, debet portare eius insignia. Insignia autem Christi sunt insignia caritatis. Quicumque ergo vult annumerari militiae Christi, debet caritatis caractere insigniri; et hoc est quod dicit *in hoc cognoscent omnes quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*: dilectionem, inquam, sanctam; Eccli. XXIV, 24. *Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei*. Attende autem, quod cum apostoli multa dona receperunt a Christo, sicut vita, et intellectus, et bona habitudo corporis: quaedam vero spiritualia, sicut opera miraculorum; Lc. XXI, 15: *ego dabo vobis os et sapientiam* etc.; omnia ista non sunt signa discipulatus Christi, cum possint esse communia bonis et malis. Sed speciale discipulatus Christi signum est caritas, et mutua dilectio; II Cor. I, 22: *signavit nos et dedit spiritum*.

## Lectio 8

[87512] Super Io., cap. 13 l. 8 Posito defectu discipuli, scilicet Iudae tradentis, hic ponit defectum discipuli, scilicet Petri negantis, et primo ponitur praenuntiandi occasio; secundo negationis praenuntiatio, ibi *respondit Iesus: animam tuam pro me pones?* Circa primum duo facit. Primo ponit Petri desiderium; secundo ponit eius fiduciam, ibi *dicit ei Petrus: quare non possum te sequi modo?* Circa primum duo facit. Primo ponit desiderii ostensionem; secundo dilationem, ibi *respondit Iesus: quo ego vado, non potes me modo sequi*. Ostenditur autem Petri desiderium in prompta interrogatione, cum dicit *dicit ei Simon Petrus: domine, quo vadis?* Audierat enim a domino quod adhuc modicum cum eis esset: ex quo sollicitus est de Christi recessu ab eis, et ideo quaerit dicens *quo vadis?* Ubi Chrysostomus dicit: magnus profecto est Petri amor, et ipso igne vehementior, cuius nulla prohibitio promptum impetum impedire potest. Et inde est quod etiam Christo dicente: *quo ego vado, vos non potestis venire*, ipsum Petrus sequi volebat; et ideo interrogabat quo iret, quasi una de adolescentulis quaerentibus in Cant. V, 17: *quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum, quo abiit? Et quaeremus eum tecum*. Dilatio autem huius desiderii est, quia ad praesens impeditur a sequendo; et hoc est quod dicit *quo ego vado non potes me modo sequi: sequeris autem postea*; quasi dicat: adhuc imperfectus es, et ideo non potes me modo sequi; postea autem, quando perfectus eris, sequeris me. Simile est quod dicit infra ult., 18: *amen dico tibi, cum esses iunior, quasi imperfectus, cingebas te (...) cum autem senueris, et perfectionis arcem conscenderis, extends manus tuas, et alius te cinget*. Consequenter cum dicit *dicit ei Petrus* etc., ponit Petri fiduciam. Intellexerat enim Petrus quod dominus verba praedicta dixerat, quasi de perfectione sui amoris diffidens. Perfectus autem amor est cum quis seipsum pro amicis exponit morti; infra XV, v. 13: *maiolem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Quia ergo Petrus paratus erat pro Christo mori, ostendebat se in amore perfectum, cum dicit *animam meam ponam pro te*, idest, paratus sum pro te mori. Hoc dicebat, quantum sibi videbatur, non ficto animo. Sed tamen nescit homo virtutem affectus sui, tunc potissime cum periculum imminet; I Cor. c. IV, 4: *nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum*. Consequenter cum dicit *respondit ei Iesus* etc., negationem Petri praenuntiat, et primo redarguit praesumptionem; secundo praedicat negationem, ibi *amen, amen dico tibi: non cantabit gallus, donec ter me neges*. Circa primum sciendum est, quod Petrus de se praesumens, Christo sibi dicente *non potes me modo sequi*, dicebat se eum sequi posse, et mori pro ipso: et ideo dominus eum reprimens, dicit *animam tuam pro me pones?* Quasi diceret. Considera quid loquaris. Magis scio quid in te sit, quam tu scias; tu non scis ponderare amoris tui pondus. Noli ergo de te ultra modum praesumere; Rom. XI, 20: *noli altum sapere, sed time*. Et huiusmodi ratio assignatur Matth. XXVI, 41: *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Permisit autem dominus Petrum tentari et cadere, ut exaltatus ad principatum Ecclesiae, discat de se humilia sentire, et peccantibus subditis compati; Hebr. IV, 15: *non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine, absque peccato*. Sed in Petro invaluit tentatio usque ad culpam; in Christo autem fuit intentatio usque ad similitudinem poenae: quia peccatum non fecit. Negationem praedicat, dicens *amen, amen dico tibi: non cantabit gallus, donec ter me neges*. Hic primo dubitatur de hoc quod dicit *non cantabit gallus, donec ter me neges*. Videtur enim esse falsum: quia statim, post primam negationem Petri, gallus cantavit, ut habetur Mc.

XIV, 68. Sed ad hoc Augustinus respondet dupliciter. Uno modo, ut dominus magis affectionem Petri, quam actus expresserit: nam animam Petri tantus timor invaserat quod paratus erat ad primum cantum galli, non solum semel, sed ter negare; et sic est sensus: *antequam gallus cantet*, paratus eris ter me negare. Alio modo, ut referatur ad negationis initium: quia aliquid dicitur fieri ante aliud, etiam si incipiat tantum fieri. Dominus autem praedixit trinam negationem, quae incepit ante primum galli cantum, licet non ante perfecta fuerit; et tunc est sensus *non cantabit gallus, donec ter me neges*, idest, trinam negationem incipies antequam gallus cantet. Item quaeritur de loco ubi haec verba fuerunt; nam et Matthaeus et Marcus dicunt, quod dominus dixit haec verba Petro postquam exiverat de loco ubi cum discipulis coenaverat; Lucas autem et Ioannes dicunt quod haec verba dixit in loco ubi coenaverat. Nam post sermonem istum dominus dixit infra XIV, 31: *surgite, eamus hinc*. Ad hoc autem dicendum, quod verum est dominum haec verba dixisse in loco in quo coenaverat; Matthaeus autem et Marcus sequuntur ordinem memoriae, non historiae. Potest autem dici, secundum Augustinum, quod dominus haec verba ter dixit. Nam si quis diligenter consideret verba domini, ex quibus processum est ad praenuntiationem negationis Petri, inveniet tripliciter esse dicta: nam in Matthaeo et Marco habetur, quod dixit dominus: *omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista*. Et Petrus respondet: *et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor*. Et ait illi Iesus: *quia hodie in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis*. In Luca autem, habetur: *dixit eis Iesus: ecce Satan expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Et tunc Petrus dixit ei: *domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire*. Et dominus illi: *dico tibi, Petre: non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse me*. Hic autem cum Petrus quaereret a domino *quo vadis?* etc., dixit ei dominus *amen, amen dico tibi: non cantabit gallus, donec ter me neges*. Unde colligitur quod pluries dominus negationem Petri praedixerat.

## Caput 14

### Lectio 1

[87513] Super Io., cap. 14 l. 1 Supra dominus informavit discipulos suos exemplis, hic confortat eos verbis, et primo ponitur multiplex verborum exhortatio; secundo ipsorum quae dicta sunt explicatio, cap. XVI *haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini*. Circa primum sciendum est, quod duo imminebant discipulis, de quibus conturbari poterant. Unum de praesenti, scilicet recessus Christi imminens; aliud de futuro, scilicet tribulationes quas passuri erant. Primo ergo confortat eos contra primum, scilicet contra eius recessum; secundo contra tribulationes quas passuri erant, XV, cap., *ego sum vitis vera* et cetera. Circa primum duo facit. Primo confortat eos ex parte ipsorum remanentium; secundo ex parte sui recedentis, ibi *non turbetur cor vestrum, neque formidet*. Circa primum tria facit. Primo praemittit suum accessum ad patrem; secundo promittit eis donum spiritus sancti, ibi *si diligitis me, mandata mea servate*; tertio suam praesentiam, ibi *non relinquam vos orphanos*. Circa primum duo facit. Primo praemittit suum accessum ad patrem; secundo agit de via per quam accessurus erat, ibi *et quo ego vado scitis, et viam scitis*. Circa primum tria facit. Primo excludit turbationem; secundo innuit sui potestatem, ibi *creditis in Deum, et in me credite*; tertio subiungit promissionem, ibi *in domo patris mei mansiones multae sunt*. Circa primum sciendum est, quod discipuli perturbari poterant ex verbis domini supradictis de prodicione Iudae, et negatione Petri, et recessu suo. Et vere omnia turbationem et dolorem ingerebant; Ps. LIX, 4: *commovisti terram, scilicet cordium discipulorum, et conturbasti eam*. Et ideo dominus sanare volens eorum contritionem, dicit *non turbetur cor vestrum*. Sed contra; Act. I, 1: *coepit Iesus facere et docere*. Sed supra XIII, 21, dicitur: *turbatus est Iesus spiritu* et cetera. Quomodo ergo docet non turbari qui primo turbatus est? Responsio. Dicendum quod non docuit contrarium eius quod fecit. De eo autem dicitur quod turbatus est spiritu, non quod spiritus eius sit turbatus. Hic autem non prohibet quin turbentur spiritu, sed prohibet quod eorum cor, idest spiritus, non turbetur. Est enim quaedam turbatio ex spiritu, ex ratione procedens, quae laudabilis est, nec prohibetur. II Cor. VII, 10: *quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur*. Alia est tristitia seu turbatio ipsius rationis; quae non est laudabilis, quia abducit a propria rectitudine; et prohibetur Ps. XXXVI, v. 24: *iustus non conturbabitur, quia dominus supponit manum suam*. Non enim turbari potest qui Deum semper habet. Et ideo dominus suae divinitatis potestatem subiungit, dicens *creditis in Deum, et in me credite*: ubi unum supponit, et aliud praecipit. Supponit quidem eorum fidem in Deum, dicens *creditis in Deum*: in hoc enim iam instructi erant ab ipso; Hebr. XI, 6: *accedentem ad Deum oportet credere*. Praecipit autem ut credant in ipsum, dicens *et in me credite*. Si enim in

Deum creditis, ego autem sum Deus: consequens est quod in me credatis. Et tenet haec consequentia, sive *ly Deus* teneatur essentialiter, cum ipse filius sit Deus, sive *ly Deus* supponat pro persona patris. Nullus enim potest in patrem credere nisi credat in filium; supra V, 23: *qui non honorificat filium, non honorificat patrem*. In hoc autem quod dicit *et in me credite*, contestatur se verum esse Deum; nam etsi homini vel creaturae credere liceat, in nullum tamen nisi in Deum credere debemus. Est ergo in Christum credendum sicut in Deum. I Io. ult., 20: *ut sitis in vero filio eius Christo. Hic est verus Deus et vita aeterna*; supra VI, 29: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*. Consequenter cum dicit *in domo patris mei mansiones multae sunt*, subiungit promissionem quae est ut per Christum accedant, et introducantur ad patrem. Promissio autem de accessu aliorum ad aliquem locum duo includit: unum est praecedens, scilicet loci praeparatio; aliud sequens, scilicet in locum introductio. Et ideo dominus duas hic promissiones facit: unam quae pertinet ad loci praeparationem, aliam ad loci introductionem. Prima autem non est necessaria, cum iam locus sit praeparatus; sed secunda: et ideo circa hoc duo facit. Primo excludit necessitatem primae promissionis; secundo ponit secundam promissionem, ibi *et si abiero, et praeparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum*. Circa primum duo facit. Primo excludit necessitatem praeparationis; secundo ostendit facultatem suam ad praeparandum, si necesse esset, ibi *si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum*. Dicit ergo *in domo patris mei mansiones multae sunt*. Ubi sciendum est, quod cum uniuscuiusque domus sit in qua habitat, illa dicitur domus Dei in qua habitat Deus; Deus autem habitat in sanctis; Ier. XIV, 9: *tu in nobis es, domine et cetera*. Sed in quibusdam quidem per fidem; II Cor. VI, 16: *inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos*. In quibusdam vero per fruitionem perfectam, I Cor. XV, 28: *ut sit Deus omnia in omnibus*. Duplex est ergo domus Dei. Una est militans Ecclesia, scilicet congregatio fidelium; I Tim. III, 15: *ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, inhabitat Deus per fidem*; Apoc. XXI, 3: quae est Ecclesia Dei vivi. Et hanc *ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabo in illis*. Alia est triumphans, scilicet sanctorum collectio in gloria patris; Ps. c. LXIV, 5: *replebimur in bonis domus tuae. Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate*. Sed domus patris dicitur non solum illa quam ipse inhabitat, sed etiam ipsemet, quia ipse in seipso est. Et in hac domo nos colligit. Quod autem ipse Deus sit domus, habetur II Cor. V, 1: *domum habemus a Deo, non manufactam, aeternam in caelis*. Et haec domus est gloriae, quae est ipse Deus; Ier. c. XVII, 12: *solum altitudinis gloriae tuae a principio, locus sanctificationis nostrae*. Manet autem homo in hoc loco, scilicet Deo, quantum ad voluntatem et affectum per fruitionem caritatis I Io. IV, 16: *qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*; et quantum ad intellectum per notitiam veritatis; infra XVII, 17: *sanctifica eos in veritate*. In hac ergo domo, idest in gloria, quae Deus est, *mansiones multae sunt*, idest diversae participationes beatitudinis ipsius; quia qui plus cognoscit, maiorem locum habebit. Diversae ergo participationes divinae cognitionis et fruitionis, sunt diversae mansiones. Sed hic est quaestio utrum unus possit esse beator alio. Videtur quod non. Beatitudo enim est finis; et perfectum non recipit maius et minus: ergo non potest magis et minus haberi. Responsio. Dicendum quod aliquid dicitur perfectum dupliciter: absolute, et secundum quid. Perfectio quidem beatitudinis absoluta est solius Dei: quia solus ipse tantum cognoscit se et amat quantum cognoscibilis est et amabilis (infinite enim cognoscit, et amat infinitam veritatem et bonitatem suam). Et quantum ad hoc, ipsum summum bonum, quod est beatitudinis obiectum, et causa, non potest esse maius et minus: non enim est nisi unum summum bonum, quod est Deus. Secundum quid autem, idest secundum aliquas condiciones temporis, naturae et gratiae; et sic unus potest esse beator alio secundum adeptionem huius boni, et capacitatem uniuscuiusque hominis. Quia quanto homo magis est eius capax, tanto magis participat ipsam, in quantum scilicet est melius dispositus et ordinatus ad eius fruitionem: ad quod disponitur dupliciter. Consistit enim beatitudo in duobus: scilicet in divina visione, et ad hanc disponitur per munditiam: et ideo quanto quis habet cor magis elevatum a terrenis, tanto magis et perfectius Deum videbit. Item in fruitionis delectatione, et ad hanc disponitur per amorem: et ideo qui habet cor magis fervens amore Dei, magis delectabitur in divina fruitione. De prima dicitur Matth. V, 8: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Item quaeritur de hoc quod dicitur Matth. XX, quod unus denarius datur omnibus laborantibus. Hic autem denarius nihil aliud est quam mansio in domo patris. Non ergo sunt multae mansiones. Responsio. Dicendum quod merces vitae aeternae et una est, et multae. Multae quidem secundum diversam capacitatem participantium, secundum quam sunt diversae mansiones in domo patris; una vero tripliciter. Primo quidem propter unitatem obiecti: idem enim est quod omnes beati vident, et quo omnes fruuntur; et ideo unus denarius, sed diversimode videbitur et amabitur; Iob c. XXII, 26: *tunc super omnipotentem deliciis affluens*; Is. XXVIII, 5: *in illo die erit dominus exercituum sceptrum exultationis residuo*

*populi sui, et corona gloriae.* Et simile est ac si aliquis praerberet alicui fontem, ut ad libitum omnes biberent; de quo qui maius vas haberet, plus acciperet, et qui minus, minus. Unus ergo fons ex parte sua est, sed non eadem mensura recipientium. Et haec est sententia beati Gregorii, XXII Moral. Secundo propter eandem aeternitatis mensuram, secundum Augustinum: quia omnes habebunt aeternam beatitudinem, quia ibunt iusti in vitam aeternam, sed diversae sunt propter capacitatem. Tertio propter caritatem, quae omnia unit, gaudia singulorum faciens omnium, et e converso; Rom. XII, 15: *gaudere cum gaudentibus* et cetera. Sed notandum, quod ex hoc verbo Pelagiani acceperunt occasionem errandi. Dicunt enim, quod pueri non baptizati decedentes, erunt in domo Dei salvati, sed non in regno; quia supra III, 5, dicitur: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei.* Sed contra hoc dicit Augustinus quod mansiones huiusmodi sunt in domo Dei. Nihil autem magis est in regno quam domus: nam regnum constituitur ex civitatibus, civitates autem ex vicis, vici autem ex domibus. Si ergo mansiones sunt in domo, manifestum est quod sunt in regno. Consequenter cum dicit *si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum*, ostendit facultatem suam ad praeparandum eis locum, si necesse esset. Posset enim aliquis dicere: verum est quod in domo patris sui mansiones multae paratae sunt: quod si non esset, non posset eas parare. Et ideo dominus hoc excludens dicit, quod *si minus*, idest mansiones non essent paratae, *dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Ubi videndum est quid est hoc quod dixit *parare vobis locum.* Paratur autem locus dupliciter. Uno modo cum in se disponitur, puta cum purgatur vel ampliatur locus; Is. LIV, 2: *dilata locum tentorii tui.* Alio modo cum datur alicui facultas intrandi; unde Ps. LXX, 3, petebat: *esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum;* quasi diceret: semper sit mihi facultas intrandi. Et secundum hoc potest dupliciter intelligi. Si enim locus iste esset tale aliquid quod defectum haberet, aut quodcumque creatum, subiaceret meae potestati ut perficerem illum: nam omnis creatura potestati verbi subiecta est; supra, I, 3: *omnia per ipsum facta sunt.* Si ergo ita esset, quod haberet defectum, *dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Sed locus in se paratus est. Locus enim iste est ipse Deus, ut dictum est, in quo est omnium perfectionum excellentia. Sed forte non est vobis facultas intrandi, et ideo *si quo minus*, idest si non haberetis facultatem intrandi, et non essetis praedestinati ad locum illum, *dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Nam in potestate mea est ut praedestinarem vos ad locum illum. Nam ipse cum patre et spiritu sancto praedestinavit eos ad vitam aeternam; Eph. I, 4: *elegit nos in ipso.* Sed quia supra dixerat: *quo ego vado, vos non potestis me modo sequi:* ne crederent se finaliter ab eo abscissos esse, ideo subiungit *et si abiero, et praeparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum:* ubi ponit secundam promissionem, scilicet inductionem in regnum. Ubi videtur esse verborum contrarietas. Dixit enim: *si quo minus, dixissem quia vado parare vobis locum:* ubi innuit quod non vadit ad parandum locum. Hic autem dicitur *si abiero, et praeparavero vobis locum:* ubi innuit, quod vadit ad parandum locum. Sed dicendum quod uno modo posset legi coniunctim ut sit sensus: *si quo minus*, idest si necesse esset, *dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Et iterum: *si quo minus*, idest *si abiero et praeparavero vobis locum.* Secundum Augustinum autem legitur distinctim, ut scilicet haec sit alia clausula ab illa. Dominus praeparavit ab aeterno praedestinando, praeparavit exequendo. Praeparavit autem per recessum suum. Unde illud quod primo dixit, quod mansiones paratae erant, hoc intelligitur quantum ad primam praeparationem ab aeterno: quod autem hic dicit *si abiero et praeparavero* intelligitur quantum ad executionem aeternae praedestinationis. Praeparavit autem dominus per recessum suum nobis locum quinque modis. Primo quidem dando locum fidei. Fides enim cum sit eorum quae non videntur, non erat de Christo apud discipulos, quando eum personaliter videbant. Subtraxit ergo se eis, ut quem habebant praesentia corporali, et videbant oculis corporis, haberent praesentia spirituali, et cernerent oculo mentis: quod est habere per fidem. Secundo demonstrando eis viam ad locum eundi; Mich. I, v. 13: *ascendit pandens iter ante eos.* Tertio pro eis orando; Hebr. VII, 25: *accedens per semetipsum ad Deum salvare potest;* Deut. XXXIII, 26: *ascensor caeli auxiliator tuus.* Quarto sursum attrahendo; Cant. I, v. 3: *trahe me post te;* Coloss. III, 1: *si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite.* Quinto spiritum sanctum eis mittendo; supra VII, 39: *nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus.* Complementum autem glorificationis Christi fuit in eius ascensione: et ideo statim cum ascendit, spiritum sanctum misit discipulis suis. Sic ergo praedixit eis corporalem recessum, dicens *si abiero et praeparavero vobis locum;* deinde promittit eis spirituales reditus, dicens *iterum veniam et recipiam.* Veniam in fine mundi, Act. I, 11: *quemadmodum vidistis eum ascendentem in caelum, sic veniet. Et accipiam vos ad meipsum,* glorificatos in anima et corpore; I Thess. IV, 16: *similiter rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera.* Sed numquid spiritus apostolorum non accipiuntur a Christo usque in finem mundi? Ad quod dicendum est, quod Graecorum

opinio est, quod sancti non vadunt ad Paradisum usque ad diem iudicii. Sed si hoc esset, tunc apostolus frustra haberet desiderium esse cum Christo, Phil. c. I, 23. Et ideo dicendum, quod statim dissoluta huius habitationis domo, quantum ad animam sumus cum Christo. Et sic hoc quod dicit *iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum*, potest exponi de adventu spirituali, quo Christus semper visitat Ecclesiam fidelium, et quemlibet sanctorum vivificat in morte. Ut sit sensus: *iterum veniam*, ad Ecclesiam spiritualiter continue, *et accipiam vos ad meipsum*: idest firmabo in fide et dilectione mea; Cant. VI, 1: *dilectus meus ascendit ad areolam aromatum*, idest ad congregationem sanctorum, *ut pascatur*, idest delectetur in virtutibus, *et lilia colligat*, idest, animas puras ad se trahat, cum vivificat sanctos in morte. Deinde subdit fructum, dicens *ut ubi ego sum et vos sitis*, idest, ubi est caput, sint membra; ubi magister, sint discipuli; Matth. XXIV, 28: *ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae*; supra XII, 26: *ubi ego sum, illic et minister meus erit*.

## Lectio 2

[87514] Super Io., cap. 14 I. 2 Supra dominus confortavit discipulos de suo recessu, promittens eis quod accessum haberent ad patrem, hic consequenter agit de via per quam ad patrem accedunt. Via autem non cognoscitur sine termino; et ideo etiam agit de termino, et primo proponit viam et terminum, ut eis nota; secundo quae proposuit manifestat, ibi *dicit ei Thomas domine, nescimus quo vadis*. Circa primum sciendum, quod dominus dixerat: *si abiero et praeparavero vobis locum, iterum veniam ad vos*. Quia forte discipuli quaerent ab eo quo iret, sicut supra XIII, 36, quaesivit Petrus: *domine, quo vadis?* Ideo dominus haec sciens, dixit eis *et quo ego vado scitis, et viam scitis*. Vado enim ad patrem, quem scitis per me vobis manifestum; infra XVII, 6: *manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi*. Via autem per quam vado, sum ego, quem scitis; supra I, 14: *vidimus gloriam eius*. Recte ergo dixit *quo ego vado scitis, et viam scitis*: quia patrem sciebant per Christum, et Christum per suam conversationem et praesentiam noverant. Consequenter cum dicit *dicit ei Thomas* etc., manifestat dominus quae proposuit, et primo praemittitur manifestationis occasio; secundo subditur propositorum manifestatio, ibi *dicit eis Iesus: ego sum via, veritas et vita*. Occasio autem manifestationis fuit dubitatio Thomae interrogantis. Unde *dicit ei Thomas: domine, nescimus quo vadis*, et cetera. Ubi attende, quod Thomas utrumque negat, quod dominus affirmavit: nam dominus dixit, eos et viam et terminum viae scire; Thomas autem negat se scire viam et terminum: tamen utrumque verum est. Verum est enim quod sciebant, tamen nesciebant se scire. Multa enim sciebant de patre et filio, quae a Christo didicerant; sed ignorabant patrem esse ad quem Christus iret, et filium esse viam qua iret. Difficile enim est quod eatur ad patrem. Nec mirum, si ignorabant: quia licet Christum perfecte secundum hominem scirent, eius tamen divinitatem imperfecte cognoscebant; Iob XXVIII, v. 7: *semitam eius ignoravit avis*. Et subdit *quomodo possumus viam scire?* Cognitio enim viae dependet ex cognitione termini: quia ergo terminus ignotus est nobis, I Tim. VI, 16: *lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, ideo via eius est nobis investigabilis, secundum illud Rom. XI, 33: *investigabiles viae eius*. Consequenter cum dicit *dicit eis Iesus: ego sum via, veritas et vita*, ponitur quaesitorum manifestatio. Duo autem dominus manifestanda proposuerat eis. Primo quidem viam et terminum eius; secundo quod utrumque scirent. Primo ergo manifestat primum; secundo secundum, ibi *si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis*. Circa primum duo facit. Primo manifestat quid sit via; secundo quid sit terminus, ibi *nemo venit ad patrem nisi per me*. Via autem, ut dictum est, est ipse Christus: et ideo dicit *ego sum via* et cetera. Quod quidem satis habet rationem: nam per ipsum accessum habemus ad patrem, ut dicitur Rom. V, 2. Competit etiam proposito quo intendit declarare dubitationem discipuli dubitantis. Sed quia ista via non est distans a termino, sed coniuncta, addit *veritas et vita*; et sic ipse simul est via, et terminus. Via quidem secundum humanitatem, terminus secundum divinitatem. Sic ergo secundum quod homo, dicit *ego sum via*; secundum quod Deus, addit *veritas et vita*. Per quae duo terminus huius viae convenienter designatur. Nam terminus huius viae finis est desiderii humani, homo autem duo praecipue desiderat: primo quidem veritatis cognitionem, quae est sibi propria; secundo sui esse continuationem, quod est commune omnibus rebus. Christus autem est via perveniendi ad veritatis cognitionem, cum tamen ipse sit veritas; Ps. LXXXV, 11: *deduc me, domine, in veritate, et ingrediar in via tua*. Christus etiam est via perveniendi ad vitam cum tamen ipse sit vita; Ps. XV, 11: *notas fecisti vias vitae*. Et ideo huius viae terminum per veritatem et vitam designavit: quae duo supra I de Christo dicta sunt. Primo quidem quod ipse sit vita: unde *in ipso vita erat*, deinde quod sit veritas, quia *erat lux hominum*; lux autem veritas est. Sed notandum,

quod haec duo proprie et per se Christo conveniunt. Veritas enim convenit ei per se quia ipse est verbum. Nihil enim aliud est veritas quam adaequatio rei ad intellectum, quod fit quando intellectus concipit rem prout est. Veritas ergo intellectus nostri pertinet ad verbum nostrum, quod est conceptio eius. Sed tamen licet verbum nostrum sit verum, non tamen est ipsa veritas, cum non sit a seipso, sed ex hoc quod rei conceptae adaequatur. Veritas ergo intellectus divini pertinet ad verbum Dei. Sed quia verbum Dei est verum a seipso, cum non mensuretur a rebus, sed res intantum sint verae inquantum ad similitudinem eius accedunt: inde est quod verbum Dei est ipsa veritas. Et quia nullus potest veritatem cognoscere nisi adhaereat veritati, oportet omnem qui veritatem cognoscere desiderat, huic verbo adhaerere. Vita autem proprie convenit sibi: quia omne quod aliquam operationem ex se habet, dicitur vivens; non viventia autem dicuntur quae ex seipsis motum non habent. Inter operationes vitae praecipuae sunt operationes intellectuales: unde et ipse intellectus dicitur vivens, et actio eius est vita quaedam. In Deo autem idem est intelligere et intellectus: unde manifestum est quod filius, qui est verbum intellectus patris, est vita sua. Sic ergo Christus seipsum designavit viam, et coniunctam termino: quia ipse est terminus habens in se quidquid desiderari potest, scilicet existens veritas et vita. Si ergo quaeras, qua transeas, accipe Christum, quia ipse est via; Is. XXX, v. 21: *haec est via, ambulate in ea*. Et Augustinus dicit: *ambula per hominem, et pervenies ad Deum. Melius est enim in via claudicare, quam praeter viam fortiter ambulare*. Nam qui in via claudicat, etiam si parum proficiscatur, appropinquat ad terminum; qui vero extra viam ambulat, quanto fortius currit, tanto magis a termino elongatur. Si vero quaeras quo vadis, adhaere Christo, quia ipse est veritas, ad quam desideramus pervenire; Prov. VIII, 7: *veritatem meditabitur guttur meum* et cetera. Si quaeris quo permanes, adhaere Christo, quia ipse est vita. Prov. VIII, 35: *qui me inveniet, inveniet vitam, et hauriet salutem a domino*. Adhaere ergo Christo, si vis esse securus: non enim poteris deviare, quia ipse est via. Unde qui ei adhaerent, non ambulant in invio, sed per viam rectam; Prov. IV, v. 11: *viam sapientiae monstrabo tibi*. E contra dicitur de quibusdam: *viam veritatis habitaculi non invenerunt*. Item non potest decipi, quia ipse est veritas, et docet omnem veritatem; infra XVIII, 37: *in hoc natus sum, et ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati*. Item non potest perturbari, quia ipse est vita et vitam dans; supra X, 10: *ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant*. Nam, ut Augustinus dicit, dominus dicit *ego sum via, veritas et vita*, tamquam diceret qua vis ire? *Ego sum via*. Quo vis ire? *Ego sum veritas*. Ubi vis permanere? *Ego sum vita*. Non enim, ut Hilarius dicit, in erratica ducit ille qui est via, nec illudit per falsa qui veritas est, neque in mortis relinquit errore qui vita est. Vel aliter. Tria sunt in homine quae ad sanctitatem pertinent, scilicet actio et contemplatio et intentio: et ista perficiuntur a Christo. Nam activam exercentibus Christus est via; in contemplativa vero perseverantibus Christus est veritas: sed activorum et contemplantium intentionem dirigit ad vitam, scilicet aeternam. Docet enim ire, et praedicare pro futuro saeculo. Sic ergo dominus est nobis via qua imus ad ipsum, et per ipsum ad patrem. Sed cum ipsemet qui via est, vadit ad patrem, numquid ipse est sibi via? Sed, ut Augustinus dicit, ipse est via, et qui vadit per viam, et quo vadit: unde ipse per seipsum ad seipsum vadit. Nam ipse inquantum est homo, via est: unde per carnem venit, manens ubi erat; et per carnem vadit, non relinquens quo venerat; per carnem etiam ad se redit veritatem et vitam: nam Deus venerat per carnem ad homines, veritas ad mendaces, vita ad mortales. *Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax*: Rom. III, 4. Cum autem se ab hominibus abstulit, atque illuc ubi nemo mentitur, carnem suam levavit, idem ipse qui verbum caro factum est, per carnem suam ad veritatem, quae est ipse, remeavit. Et simile est si dicerem: et mens mea, dum loquor aliquibus, ad eos exit, nec tamen me relinquit: cum autem tacuero, quodammodo ad me redeo, et cum illis quibus loquor, maneo. Sic ergo Christus, qui nobis est via, etiam sibi ipsi, idest carni, factus est via, ut ad veritatem et vitam iret. Consequenter cum dicit *nemo venit ad patrem nisi per me*, manifestat quod quaesitum fuerat quantum ad terminum viae. Via autem, quae est Christus, ut dictum est, ducit ad patrem. Sed quia pater et filius sunt unum, ideo haec via ducit etiam ad seipsum. Et ideo dicit Christus se esse terminum viae. *Nemo*, inquit, *venit ad patrem nisi per me*. Sed sciendum quod, sicut apostolus dicit, *nemo novit quae sunt hominis, nisi spiritus eius qui in ipso est*, quod intelligendum est nisi inquantum homo vult se manifestare. Secretum autem suum manifestat quis per verbum suum: et ideo nullus potest venire ad secretum hominis nisi per verbum hominis. Quia ergo et *quae Dei sunt nemo novit nisi spiritus Dei*, nullus potest venire ad notitiam patris nisi per verbum suum, quod est filius eius; Matth. XI, 27: *neque patrem quis novit nisi filius*. Et sicut homo volens revelare se verbo cordis, quod profert ore, induit quodammodo ipsum verbum litteris vel voce, ita Deus, volens se manifestare hominibus, verbum suum conceptum ab aeterno, carne induit in tempore. Et sic nullus ad notitiam patris pervenire potest nisi per filium. Unde supra X, 9, dicit: *ego sum ostium. Per me si quis introierit salvabitur*. Sed notandum, secundum

Chrysostomum, quod supra VI, 44, dominus dicit: *nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum*, hic autem dicit *nemo venit ad patrem nisi per me*. In quo ostenditur aequalitas filii ad patrem. Patet ergo quae sit via, quia Christus; quis terminus, quia pater. Consequenter cum dicit *si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis*, ostendit quod discipuli utrumque cognoscunt, scilicet quo vadit, et viam, et primo proponit manifestationem; secundo excludit emergentem dubitationem, ibi dicit ei *Philippus: domine, ostende nobis patrem*. Circa primum duo facit. Primo ostendit concomitantiam notitiae habitae de filio ad notitiam habitam de patre; secundo manifestat quomodo discipuli se habeant ad notitiam patris, ibi *et amodo cognoscetis eum*. Dicit ergo primo: dixi quod sum via, et quod scitis viam, scilicet me: ergo et quo vado scitis, quia notitia de me non potest haberi sine notitia patris. Et hoc est quod dicit *si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis*. Supra VIII, 19, Iudaeis dicit: *si me sciretis, et patrem meum forsitan sciretis*. Quid est ergo quod dicit *si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis*: ibi autem dicit forsitan? Videtur quod ibi dubitaverit de eo quod hic asserit. Sed dicendum, quod ibi loquebatur Iudaeis quos increpabat; et ideo addit *forsitan*, non dubitans, sed increpans eos. Hic autem loquitur discipulis quos instruit; et ideo veritatem eis cum assertionem proponit, dicens *si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis*; quasi dicat: si sciretis meam gratiam et dignitatem, et eam utique quae patris est sciretis. Per nihil enim aliud res melius scitur quam per verbum et imaginem suam; filius autem est verbum patris; supra I, 1: *in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum*; ibid. 14: *verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre*. Filius etiam est imago patris; Col. I, 15: *qui est imago invisibilis Dei*; Hebr. I, 3: *qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius*. In filio ergo cognoscitur pater, ut in verbo et imagine propria. Sed notandum, quod in quantum aliquid accedit ad similitudinem paterni verbi, intantum in ipso cognoscitur pater, et similiter in quantum habet de imagine patris. Cum autem omne verbum creatum sit aliqua similitudo illius verbi, et in qualibet re inveniatur similitudo divinitatis, vel imaginis vel vestigii, sed imperfecta: inde est quod per nullam creaturam et a nulla intelligentia et conceptione intellectus creati potest cognosci perfecte idipsum quod Deus est; sed solum verbum unigenitum quod est perfectum et perfecta imago patris, ipsum quod quid est patris cognoscit et comprehendit. Unde, secundum Hilarium, possunt haec verba aliter continuari. Nam cum dominus dicit *nemo venit ad patrem nisi per me*, interrogatus Arius, quomodo itur ad patrem per filium, respondet, quod per doctrinae admonitionem, in quantum scilicet filius sua doctrina instruit homines de patre, secundum illud infra XVII, 6: *pater, manifestavi nomen tuum hominibus*. Sed dominus hoc excludens dicit *si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis*; quasi dicat: Arius vel alius quicumque homo annuntiare quidem potest de patre, sed nullus est tantus quod eo cognito, cognoscatur pater, nisi solus filius, qui est eiusdem naturae cum ipso. Consequenter cum dicit *et amodo cognoscetis eum*, ostendit quomodo discipuli se habeant ad cognitionem patris. Dixerat autem dominus supra discipulis, quod patrem cognoscunt, *quo*, inquires, *vado scitis*. Et hoc Thomas negavit, dicens: *domine, nescimus quo vadis*. Et ideo hic dominus ostendit quod aliquo modo cognoscunt patrem, ut ostendat verbum suum verum esse, et aliquo modo non cognoscunt, ut verbum Thomae sit verum. Et ponit ad hoc duplicem patris cognitionem: unam quae erit in futuro; aliam quae fuit in praeterito. Dicit ergo, quod *amodo cognoscetis eum*. Dicit autem *amodo*, quia duplex cognitio habetur de patre. Una perfecta, quae est per immediatam eius visionem, quae erit in patria; I Io. III, 2: *cum apparuerit, similes ei erimus*; alia est imperfecta, quae est per speculum et in aenigmate, quam habemus per fidem; I Cor. XIII, 12: *videmus nunc per speculum et in aenigmate*. Potest ergo hic intelligi de utraque; ut sit sensus: *amodo cognoscetis eum*, cognitione perfecta in patria, infra XVI, 25: *palam de patre meo annuntiabo vobis*, quasi dicat: verum est, quod non cognoscitis eum perfecta cognitione, sed *amodo cognoscetis eum*, peracto mysterio passionis meae. Vel *amodo*, idest post resurrectionem meam et ascensionem et missionem spiritus sancti, *cognoscetis eum*, cognitione fidei perfecta, quia, cum venerit spiritus Paraclitus, *ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixerit vobis*: infra XIV, 26. Sic ergo verum dicis, quod nescis eum cognitione perfecta; sed ego verum dico, quia *vidistis eum*; Baruch III, v. 38: *post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*. Viderunt enim Christum, secundum carnem assumptam, in qua erat verbum, et in verbo pater: unde in ipso viderunt patrem; supra VIII, 29: *qui me misit, mecum est*. Sed attende, quod pater non erat in carne per unitatem personae, sed erat in verbo incarnato per unitatem naturae, et in Christo incarnato videbatur pater; supra I, v. 14: *vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre*.

### Lectio 3

[87515] Super Io., cap. 14 l. 3 Hic dominus solvit emergentem dubitationem discipuli, et primo ponitur ipsius dubitantis positio; secundo dubitationis remotio, ibi *dicit ei Iesus* et cetera. Circa primum sciendum, quod dominus supra discipulis promisit quoddam futurum, scilicet perfectam Dei cognitionem, cum dixit: *amodo cognoscetis eum*: aliud praeteritum, scilicet quod viderunt eum. Quod audiens Philippus, credebat se vidisse patrem; sed petit eius cognitionem, dicens *domine, ostende nobis patrem*: ut petitio huius ostensionis non referatur ad visionem, sed ad cognitionem, *et sufficit nobis*. Nec mirum, quia visio patris est finis omnium desideriorum et actionum nostrarum, ita ut nil amplius requiratur; Ps. XV, 11: *adimplebis visionem vultus tui*; Ps. CII, 5: *qui replet in me laetitia cum vultu tuo*, idest, in bonis desiderium tuum. Hic removetur dubitatio, et primo ponitur dubitationis remotio; secundo subditur dictorum manifestatio, ibi *verba quae ego loquor vobis, a meipso non loquor*. In prima primo arguit tarditatem; secundo instruit veritatem, ibi *Philippe, qui videt me, videt et patrem*; tertio reprobatur petitionem, ibi *quomodo tu dicis: ostende nobis patrem?* Dicit ergo primo *tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?* Quasi dicat: ex diuturna conversatione qua tanto tempore vobiscum conversatus sum, debuissetis me cognoscere. Et si cognovissetis me, cognosceretis utique et patrem. Ex hoc ergo quod tu non cognoscis patrem, das intelligere quod tu non cognoscis me: in quo arguendus es tarditatis; Matth. XV, 16: *adhuc et vos sine intellectu estis?* Hebr. V, 12: *cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis ut vos doceamini*. Sed hic incidit dubitatio: quia supra dominus dixit discipulis, quod eum sciebant, cum dixit, *viam scitis* etc., hic autem videtur dicere contrarium, dicens *si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis*. Sed dicendum, secundum Augustinum, quod inter discipulos aliqui erant qui Christum secundum quod erat verbum Dei, cognoscebant: quorum unus erat Petrus, ubi dixit: *tu es Christus filius Dei vivi*. Alii erant qui vere eum non cognoscebant, intra quos erat Philippus. Quantum ergo ad primos dicit dominus: *quo ego vado scitis*; sed quantum ad secundos dicit *si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis*. Vel aliter. Christus dupliciter cognosci poterat: scilicet secundum humanam naturam, et sic omnes sciebant; et quantum ad hoc dicit: *et quo ego vado, scitis, et viam scitis*. Et secundum divinam, et sic eum nondum perfecte cognoverant; et quantum ad hoc dicit *si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis*. Et hoc patet per hoc quod subdit *Philippe, qui videt me, videt et patrem*; quasi diceret: si cognosceretis me, cognosceretis patrem; et sic non diceret *ostende nobis patrem*, quia iam vidisses eum, me viso; supra VIII, 19: *si me sciretis, forsitan et patrem meum sciretis*. Sed ex hoc Sabellius erroris sui fulcimentum sumit, dicens: quid est hoc quod dixit *qui videt me, videt et patrem*, nisi quia idem ipse sit pater et filius? Ad hoc dicit Hilarius: si hoc ita esset, dominus dixisset *qui videt me, videt patrem*, nulla coniunctione apposita; sed quia coniunctionem addidit, dicens *videt et patrem*, distinctionem ostendit. Et est similis modus loquendi, secundum Augustinum, sicut quis de duobus similibus loquens dicit: si vidisti istum, vidisti et illum. In filio autem est perfectissima similitudo patris; et ideo dicit *qui videt me, videt et patrem*. Sed adhuc in filio est maior similitudo quam in hominibus, quia in eis numquam potest esse similitudo secundum eandem formam vel qualitatem numero, sed solum secundum speciem: in filio autem est eadem natura numero, quae est in patre; et ideo magis in visione filii videtur pater, quam in visione alicuius hominis, quantumcumque simillimi videantur. Sed notandum, quod ex verbis quae hic dicuntur, excluditur error Aarii quantum ad duo. Primo quantum ad hoc quod negabat consubstantialitatem. Impossibile est enim quod in visione substantiae creatae possit videri substantia increata, sicut per cognitionem substantiae unius generis non potest haberi cognitio substantiae alterius generis. Manifestum est ergo quod filius non est substantia creata, sed est consubstantialis patri: alias qui videt filium, non videret patrem. Secundo quantum ad hoc quod dicunt super illud I Tim. I, 17: *regi saeculorum immortalis, invisibilis, soli Deo*, scilicet quod solus pater est invisibilis, filius vero in sua natura multoties sit visus: quod si esset, sequeretur etiam quod pater visus esset frequenter, quia qui videt filium, videt et patrem. Cum ergo pater invisibilis sit secundum suam naturam, impossibile est quod filius secundum suam naturam sit visus. Sed obiicit aliquis, cur dominus reprehenderit Philippum, qui videns filium, quaerebat videre patrem, cum non sit reprehendendus quispiam qui videns imaginem, videre velit rem imaginatam? Ad quod Chrysostomus respondet dicens, quod Philippus audiens de visione patris et cognitione eius, volebat ipsum patrem corporeis oculis videre, sicut et ipsum filium aestimabat vidisse: et ideo hoc dominus improbavit, ostendens ei quod neque ipsum filium in sui natura vidit oculo corporali. Augustinus autem dicit, quod dominus non improbavit petitionem, sed petentis animam. Nam Philippus dicit *ostende nobis patrem, et sufficit nobis*, quasi dicat: nos cognoscimus te, sed hoc non sufficit. Et sic credebat quod in cognitione filii non esset perfecta sufficientia, sed



in cognitione patris. Ex quo videbatur sentire filium esse minorem patre. Et hoc dominus increpavit, ostendens quod in cognitione filii sit eadem sufficientia quae est in cognitione patris, dicens *qui videt me, videt et patrem*. Et ideo consequenter cum dicit *quomodo tu dicis: ostende nobis patrem?* Improbat primo eius petitionem; secundo radicem petitionis. Petitionem improbat quidem dicens *quomodo tu dicis: ostende nobis patrem?* Ex quo scilicet pater in filio videtur. Poterat quidem Philippus dicere, quod habetur Iob c. XXXIX, 34: *qui leviter locutus sum, respondere quid possum? Manum meam ponam super os meum*. Radicem petitionis improbat cum dicit *non credis quia ego in patre, et pater in me est?* Quasi dicat: tu vis habere patrem, credens in eo habere sufficientiam; sed si ita credis, *non credis quia ego in patre et pater in me est*. Nam si hoc crederes, sperares quod in me haberes omnem sufficientiam quam in patre. Hoc autem quod dicit *ego in patre et pater in me est*, dicitur propter essentiae unitatem, de qua dicitur supra X, 30: *ego et pater unum sumus*. Sciendum est enim, quod essentia aliter se habet in divinis ad personam et aliter in hominibus. Nam in hominibus essentia Socratis non est Socrates, quia Socrates est quid compositum; sed in divinis essentia est idem personae secundum rem, et sic essentia patris est pater, et essentia filii, filius. Ubi cumque ergo est essentia patris, est ipse pater; et ubi cumque est essentia filii, est ipse filius. Essentia autem patris est in filio, et essentia filii est in patre. Ergo filius est in patre, et pater in filio. Et sic exponit Hilarius. Hic dominus manifestat suam responsionem, et primo per opera quae facit per seipsum; secundo per opera quae facturus erat per discipulos, ibi *amen, amen dico vobis: qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet*. In prima ergo praemittit opera quae ipse facit; secundo concludit fidei conclusionem, ibi *non creditis quia ego in patre et pater in me est?* Fides autem de Christo quod esset Deus, poterat ex duobus manifestari: scilicet ex eius doctrina, et ex miraculis. Et haec duo, infra, dominus dicit: *si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*: quantum ad primum. *Et si non venissem et locutus eis non fuisset, peccatum non haberent*, et, supra VII, 46, *numquam sic locutus est homo*: quantum ad secundum. Supra IX, 32, dixit de eo caecus: *a saeculo non est auditum, quod quis aperuit oculos caeci nati*. Ex his duobus dominus divinitatem suam ostendit. Quantum ad primum dicit *verba quae ego loquor vobis*, scilicet organo humanitatis, *a meipso non loquor*, sed ab eo qui est in me, scilicet a patre; supra VIII, 26: *ego quae audivi a patre meo haec loquor in mundo*. Pater ergo qui in me loquitur est in me. Sed quia quidquid homo loquitur, necesse est quod a primo verbo hoc habeat: primum autem verbum, scilicet verbum Dei, est a patre; ergo necesse est quod omnia verba quae loquimur sint a Deo. Cum ergo quis loquitur verba quae habet a patre, pater est in eo. Quantum ad secundum dicit *pater in me manens ipse facit opera*, quia nullus opera quae ego facio posset facere; supra V, 19: *non potest filius a se facere quidquam*. Sed quaerit Chrysostomus quomodo Christus a verbis incipiens venit ad opera. Dixit enim: *verba quae ego loquor vobis, a meipso non loquor*, et postea dicit: *ipse facit opera*. Sed hoc solvitur dupliciter. Uno modo secundum Chrysostomum, qui dicit, secundum coniunctionis modum praedictum, quod primo loquitur de doctrina, et postea loquitur de miraculis. Secundum Augustinum, dicendum, quod verba quae dominus loquebatur, vocat opera: supra VI, 29: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*. Ideo cum dicit *ipse facit opera*, dat intelligere quod verba ipsius sunt quaedam opera. Sed nota, quod ex his duobus distinctim duae haereses fulcimentum suum sumunt: quia quod dicit: *ego in patre*, sumit pro se Sabellius dicens, eundem esse patrem et filium; quod autem dicit: *a me ipso non loquor*, assumit Arius, concludens ex hoc filium esse minorem patre. Sed per ipsa eadem dictae haereses excluduntur. Nam si idem esset pater et filius, ut Sabellius fingit, non diceret filius *verba quae ego loquor vobis, a meipso non loquor*. Si vero filius esset minor patre, ut blasphematur Arius, non diceret *pater in me manens, ipse facit opera*. Quia ergo ex duobus praedictis manifestatur fides Trinitatis, ideo contra concludit fidem ipsam, dicens *non creditis quia ego in patre, et pater in me est?* Hoc quidem quomodo intelligendum sit, expositum est supra. In Graeco habetur *credite*, scilicet mihi, *quia ego in patre, et pater in me est*. Vel mirum, quia non creditis, *quia ego in patre, et pater in me est*. Sed attende, quod antea locutus est solum Philippo; sed ab eo loco ubi dicit, *verba quae ego loquor etc.*, loquitur omnibus apostolis simul. Quod si non sufficiunt ad ostendendum consubstantialitatem verba quae ego dico, saltem *propter opera ipsa credite*. Supra V, v. 36: *opera quae dedit mihi pater ut faciam ea, ipsa testimonium perhibent de me*; et X, 38: *si mihi non creditis, operibus credite*. Postquam dominus manifestavit ea quae dixerat, per opera quae faciebat per seipsum, hic manifestat ea per opera quae facturus erat per discipulos, et primo proponit opera discipulorum; secundo insinuat modum operandi, ibi *quodcumque petieritis*. In prima primo proponit opera discipulorum; secundo assignat rationem dicti, ibi *quia ad patrem vado*. Dicit ergo primo *amen, amen dico vobis*, quasi dicat: opera quae ego facio, adeo magna sunt quod praebent sufficienter argumentum divinitatis

meae; sed si haec vobis non sufficiant, respiciatis ad opera quae per alios facturus sum. Potissimum enim signum magnae virtutis est ut homo non solum per se, sed etiam per alios eximia operetur; et ideo dicit *amen, amen, dico vobis: qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet*: quae verba non solum monstrant virtutem divinitatis in Christo, sed etiam virtutem fidei, et coniunctionem Christi cum fidelibus. Sicut enim filius operatur propter patrem in se manentem per unitatem naturae, ita et fideles operantur propter Christum in se manentem per fidem; Eph. III, 17: *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Opera autem quae Christus fecit et discipuli faciunt virtute Christi sunt opera miraculorum; Mc. ult., 17: *signa autem eos qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo Daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent et cetera*. Sed mirabile est quod subdit *et maiora horum faciet*. Uno modo ut dicamus quod dominus per apostolos plura et maiora facit quam per seipsum. Maximum enim inter miracula Christi fuit quod ad tactum fimbriae eius sanabantur infirmi, ut habetur Matth. IX, 20. Sed de Petro legitur Act. V, 15 quod ad eius umbram sanabantur infirmi. Magis autem est quod sanet umbra quam fimbria. Alio modo, ut dicamus, quod Christus plura fecit per verba discipulorum, quam per sua. Loquitur enim hic dominus de operibus quae facta erant per verba, ut Augustinus dicit, quae opera tunc dicebat ubi verba quae loquebatur, et eorundem verborum fructus erat fides illorum. Legitur enim de Christo Matth. XIX, 22, quod adolescens non fuit inductus ad vendendum quae habebat, et eum sequendum. Nam cum diceret adolescenti: *vade, et vende omnia quae habes, et da pauperibus*, subditur: *abiit tristis*. Sed de Petro et aliis apostolis legitur Act. IV, quod eis praedicantibus vendebant possessiones et omnia quae habebant, et afferebant pretium earum ad pedes apostolorum. Sed obviat aliquis, quod dominus non dicit quod apostoli maiora facient, sed *qui credit in me*. Numquid ergo qui non fecit maiora quam Christus, non est computandus inter credentes in Christum? Absit. Durum enim esset hoc. Ideo dicendum est aliter, quod Christus duplex opus facit. Unum sine nobis, videlicet creare caelum et terram, suscitare mortuos, et huiusmodi; aliud operatur in nobis, sed non sine nobis: quod est opus fidei, per quod vivificatur impius. De istis ergo loquitur hic dominus, quae sunt communia credenti. Et hoc est opus quod facit Christus in nobis, sed non sine nobis; quia eadem facit quicumque credit: quia quod fit in me per Deum, fit in me etiam per meipsum, scilicet per liberum arbitrium. Unde dicit apostolus: *non autem ego, supple, solus, sed gratia Dei mecum*. Et de istis dicit *opera quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet*: quia maius est iustificare impium quam creare caelum et terram. Nam iustificatio impii, quantum est de se, perseverat in aeternum; Sap. I, 15: *iustitia perpetua est et immortalis*. Caelum autem et terra transibunt, ut dicitur Lc. XXI, 33. Item, quia opus corporale ordinatur ad spirituale: caelum autem et terra opus corporale est, iustificatio vero impii opus spirituale. Sed hic incidit dubium. Nam in creatione caeli et terrae includitur creatio etiam sanctorum Angelorum. Numquid ergo maiora facit qui cooperatur Christo ad suam iustificationem quam creare Angelum? Quod Augustinus non determinat sed dicit: iudicet qui potest utrum maius sit iustos creare Angelos quam impios homines iustificare: certe si aequalis est utrumque potentiae, haec maioris est misericordiae. Si autem diligenter attendamus de quibus operibus dominus hic loquatur non praeferimus creationem Angelorum iustificationi impii. Non enim per hoc quod dicit *et maiora horum faciet*, oportet nos intelligere omnia opera Christi; sed illa tantum fortassis quae tunc faciebat. Tunc autem verbo fidei faciebat: et utique minus est verba iustitiae praedicare, quod fecit praeter nos, quam impios iustificare, quod ita facit in nobis ut faciamus et nos. Consequenter assignat rationem dicti, ideo *maiora faciet*, dicens *quia ad patrem vado*. Quod potest tripliciter adaptari. Uno modo secundum Chrysostomum. Ego operor quamdiu sum in mundo, sed, me recedente, vos eritis loco mei: et ideo quae ego facio, vos facietis, et etiam maiora *quia ego vado ad patrem*, et ultra per meipsum nihil operor, scilicet praedicando. Alio modo, ut sit sensus; Iudaei credunt quod me occiso fides mea extinguatur; et hoc non est verum, immo magis approbabitur, et vos maiora facietis *quia vado ad patrem*; idest, non pereo, sed in propria maneo dignitate, et in caelis ero; supra XIII, 31: *nunc clarificatus est filius hominis, et Deus clarificatus est in eo*. Tertio modo: maiora facietis, et hoc, *quia vado ad patrem*; quasi diceret: dum ero magis glorificatus, decet me maiora facere, et etiam dare vobis virtutes maiora faciendi. Unde, antequam Iesus esset glorificatus, spiritus non fuit datus discipulis in ea plenitudine in qua datus est postmodum; supra VII, v. 39: *nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. Hic insinuat modum operandi, et primo ponit intentum; secundo rationem assignat, ibi *ut glorificetur pater in filio* et cetera. Circa primum sciendum est, quod cum dominus dixerit *et maiora horum faciet*, ut ex magnitudine operum cognoscatur magnitudo facientis, posset aliquis credere quod qui credit in filium Dei, esset maior ipso futurus: et ideo hoc dominus excludit ex modo faciendi, quia filius facit ipsa opera auctoritate propria, sed qui credit in eum, facit ipsa cum interpellatione: et ideo dicit *et*

*quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.* Ubi excluditur aequalitas credentium ad filium tripliciter. Primo quidem quia ipsi, ut dictum est, faciunt interpellando: unde dicit *quodcumque petieritis*; Matth. VII, 8: *omnis qui petit, accipit*. Secundo, quia faciunt in virtute filii: unde dicit *in nomine meo*, id est in virtute nominis mei; Act. IV, 12: *non est aliud nomen datum sub caelo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Hoc enim nomen est super omne nomen; Ps. CXIII, 9: *non nobis, domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam* tertio quia ipse filius in eis et per eos omnia opera facit: unde dicit *hoc faciam*. Et attende, quod pater petitur, et filius facit: quia indivisibilia sunt opera patris et filii; supra V, 19: *quaecumque pater facit, haec similiter et filius facit*. Omnia enim pater facit per filium; supra c. I, 3: *omnia per ipsum facta sunt*. Sed quid est quod dicit *quodcumque petieritis hoc faciam*, cum videamus eius fideles petere et non accipere? Sed, secundum Augustinum, considerandum est hic primo, quod dicit *in nomine meo*, deinde quod subdit *hoc faciam*. Nomen enim Christi est nomen salutis; Matth. I, 21: *vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Qui ergo petit aliquid pertinens ad salutem, petit in nomine Christi. Contingit autem quod aliquis petit non pertinens ad salutem ex duobus. Scilicet ex prava affectione; puta cum petit aliquid ad quod afficitur, quod tamen si haberet, salutem suam impediret. Et ideo qui sic petit, non exauditur, quia male petit; Iac. IV, 3: *petitis et non accipitis, eo quod male petatis*. Cum enim quis ex pravo affectu male usus est eo quod vult accipere, domino potius miserante non accipit, quia non exaudivit ad votum, sed ad utilitatem magis. Nam bonus dominus saepe negat quod petimus, ut tribuat quod malleamus. Secundo ex ignorantia, dum quis aliquando petit quod credit sibi expedire, et tamen non expedit. Sed istis potius consulendo. Deus quae petunt non facit. Nam Paulus qui plus omnibus laboravit, ter dominum rogavit ut discederet ab eo stimulus carnis, nec tamen quod rogavit obtinuit, quia non erat sibi expediens. II Cor. XII, 8, et Rom. VIII, 26: *nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; Matth. XX, 22: *nescitis quid petatis*. Patet ergo quod cum petimus in nomine eius, scilicet in nomine Iesu Christi, ipse hoc faciet. Dicit autem *hoc faciam*, in futuro, non autem, hoc facio, in praesenti, quia quandoque differt facere quod petimus, ad augendum desiderium nostrum, et ut tempore congruo fiat; Levit. XXVI, 3: *dabo vobis pluviam temporibus suis*; Is. XLIX, 8: *in die salutis exaudivi te*. Contingit etiam aliquando quod petimus pro aliquo, pro quo fortassis non exaudimur, tunc scilicet quando eius merita obstant; Ier. VII, 16: *tu ergo noli orare pro populo isto, quia non exaudiam te*; et XV, 1: *si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*. Consequenter cum dicit *ut glorificetur pater in filio*, ponit rationem. Et hoc sic legitur ab Augustino: *quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam*; ut hic sit punctus. Et resumit *ut glorificetur pater in filio, si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*; quasi diceret: ideo, faciam quod petieritis in nomine meo, *ut glorificetur pater in filio* etc., et omnia quae facit filius, ordinantur ad gloriam patris; supra VIII, 50: *non quaero gloriam meam*. Sic etiam et nos omnia opera nostra ad gloriam Dei ordinare debemus; I Cor. X, 31: *omnia in gloriam Dei facite*.

#### Lectio 4

[87516] Super Io., cap. 14 l. 4 Supra consolatus est dominus discipulos de suo recessu promittens eis accessum eorum ad patrem sed quia posset videri eis longum quod ad patrem accederent, et interim sine magistro esse dolerent, ideo consolatur eos, promittens eis spiritum sanctum. Et ponitur primo ad receptionem spiritus sancti praeparatio; secundo promittitur spiritus sancti donatio, ibi *et alium Paraclitum dabit vobis*; tertio exponitur spiritus sancti promissio, ibi *ut maneat vobiscum in aeternum*. Praeparatio autem ad receptionem spiritus sancti una quidem erat necessaria ex parte discipulorum, alia ex parte Christi. Ex parte quidem discipulorum necessaria erat duplex praeparatio, scilicet amor cordis, et obedientia operis. Quorum unum dominus supponit eos habere. Et quantum ad hoc dicit *si diligitis me*; et hoc apparet, quia tristamini de meo recessu; infra XV, 27: *vos me amastis, quia ab initio mecum estis*. Aliud vero imperat futurum: et quantum ad hoc dicit *mandata mea servate*, quasi dicat: non ostendatis amorem quem habetis ad me in fletu, sed in obedientia mandatorum meorum: hoc enim est manifestum dilectionis signum; infra XIV, 23: *si quis diligit me, sermonem meum servabit*. Haec ergo duo praeparant ad receptionem spiritus sancti. Cum enim spiritus sanctus sit amor, non datur nisi amantibus; Prov. VIII, v. 17: *ego diligentes me diligo*. Item datur obedientibus; Actor. III, 15: *nos huius rei testes sumus* et cetera. Is. LXVI, 2: *super quem requiescit spiritus meus* et cetera. Sed numquid obedientia discipulorum et amor eorum ad Christum praeparant ad spiritum sanctum? Videtur quod non: quia dilectio qua diligimus Deum,

est per spiritum sanctum; Rom. V, 5: *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Obedientia autem est nobis a spiritu sancto; Rom. c. VIII, 14: *qui spiritu Dei aguntur hi filii Dei sunt*; et in Ps. CXVIII, 32: *viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Sed posset aliquis dicere, quod per dilectionem filii promeremur spiritum sanctum; quo habito, amamus patrem. Sed huic repugnat, quia idem est amor patris et filii. Et ideo aliter dicendum est, quod hoc est in donis Dei, ut qui bene utitur dono sibi concesso, amplioris gratiae et doni acceptionem mereatur; et qui male utitur, hoc ipsum quod accepit, auferatur ab eo. Nam, ut legitur Matth. XXV, 24 ss., servo pigro ablatum est talentum quod acceperat a domino suo, quia non bene usus eo fuit, et datum est ei qui acceperat quinque, cum quibus lucratus fuerat alia quinque. Sic ergo est et de dono spiritus sancti. Nullus enim potest Deum diligere nisi habeat spiritum sanctum; non enim nos praevenimus gratiam Dei, sed ipsa praevenit nos. *Ipsa enim prior dilexit nos*, ut dicitur I Io. IV, 10. Et ideo dicendum, quod apostoli primo quidem receperunt spiritum sanctum, ut diligere Deum, et obedirent mandatis eius; sed necesse erat ad hoc ut ampliori plenitudine spiritum sanctum reciperent, quod bene uterentur, diligendo et obediendo, dono spiritus sancti prius accepto. Et secundum hoc est sensus *si diligitis me*, per spiritum sanctum, quem habetis, et obeditis mandatis meis, recipietis spiritum sanctum, quem habebitis in ampliori plenitudine. Alia praeparatio necessaria erat ex parte Christi; et quantum ad hoc dicit *ego rogabo patrem et cetera*. Ubi sciendum est, quod dominus noster Iesus Christus, in quantum homo, mediator est Dei et hominum, ut dicitur I Tim. II, 5. Unde in quantum est homo, accedens ad Deum, impetrat nobis dona caelestia, et veniens ad nos elevat nos, et reducit ad Deum. Quia ergo iam ad nos venerat, et dando nobis mandata Dei reduxit credentes ad ipsum, restabat ut rediret ad patrem, et impetraret dona spiritualia; Hebr. VII, 25: *accedens per semetipsum ad Deum salvare in perpetuum potest*. Et hoc facit rogando patrem. Et hoc est quod dicit *ego rogabo patrem* etc.; Eph. IV, v. 8: *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus*. Sed attende, quod idem est qui rogat ut detur, et qui dat Paraclitum. Rogat in quantum homo, dat in quantum Deus. Dicit autem *et rogabo*, ut eorum repellat tristitiam de suo recessu, quoniam ipse recessus est ratio ut acciperent spiritum sanctum. Hic ponitur spiritus sancti promissio. Sed attende, quod hoc nomen Paraclitus est Graecum, et significat consolatorem; et ideo dixit *alium Paraclitum dabit vobis*, scilicet pater, non tamen sine filio, id est spiritum sanctum, qui est consolator, cum sit spiritus amoris; amor autem facit spiritualem consolationem et gaudium; Gal. V, v. 22: *fructus spiritus est caritas, gaudium et cetera*. Ipse est interpellator etc., Rom. VIII, 26: *nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Hoc autem quod dixit *alium*, designat distinctionem personalem in divinis contra Sabellium. Sed obiicitur: quia hoc quod dicitur *Paraclitus*, importat actionem spiritus sancti: ergo in hoc quod dixit *alium Paraclitum*, videtur designare alietatem naturae: nam alietas operationis designat alietatem naturae: est ergo spiritus sanctus alterius naturae a filio. Responsio. Dicendum quod spiritus sanctus est consolator et advocatus, et filius similiter. Quod enim filius sit advocatus, dicitur I Io. II, 1: *advocatum habemus apud patrem Iesum Christum*. Quod consolator, Is. LXI, 1: *spiritus domini (...) misit me ut ponerem consolationem lugentibus Sion*. Tamen alia et alia ratione est consolator et advocatus, filius et spiritus sanctus, si accipiamus per appropriationem personarum: nam Christus dicitur advocatus in quantum secundum quod homo interpellat pro nobis ad patrem; spiritus autem sanctus in quantum nos postulare facit. Item spiritus sanctus dicitur consolator in quantum est amor formaliter; filius vero in quantum est verbum. Et hoc dupliciter: quia per doctrinam, et in quantum ipse filius dat spiritum sanctum, et incendit amorem in cordibus nostris. Sic ergo ly *alium* non designat alietatem naturae in filio et spiritu sancto; sed designat alium modum, quo uterque est consolator et advocatus. Hic ponitur promissio, et primo quantum ad ipsam dationem; secundo quantum ad ipsum donum; tertio quantum ad recipientes donum. Sed donatio est vera, quia perpetua; unde dicit *ut maneat vobiscum in aeternum spiritum veritatis*. Alicui enim datur aliquid ad tempus tantum, et haec non est vera donatio; sed tunc est vera quando datur ad semper habendum; et ideo spiritus sanctus vere datur, quia ut maneat cum eis in aeternum: hic quidem illustrans et docens et suggerens, post ad videndam speciem introducens; I Reg. XVI, 13: *directus est spiritus domini in David a die illa et deinceps*. Iudas autem licet acceperit eum, non tamen semper cum ipso mansit: quia non accepit ut maneret cum ipso in aeternum, sed tantum secundum praesentem iustitiam. Secundum Chrysostomum autem dici potest, quod dominus haec dicit ad excludendum carnalem quamdam suspicionem discipulorum. Possent enim suspicari quod ille Paraclitus eis datus, postmodum per passionem ab eis recederet, sicut ipse; et hoc excludit dicens *ut maneat vobiscum in aeternum*; quasi dicat: non patietur mortem ut ego, nec a vobis recedet. Sed contra. Supra I, 33, hoc dictum est Ioanni Baptistae: *super quem videris spiritum descendere et*

*manere, hic est qui baptizat.* Ex quo videtur proprium Christi ut spiritus sanctus semper maneat cum ipso; quod non est verum, si cum discipulis manet in aeternum. Responsio. Secundum Chrysostomum dicendum, quod spiritus sanctus dicitur in nobis manere per dona sua. Donorum autem spiritus sancti quaedam sunt necessaria ad salutem: et haec sunt communia omnibus sanctis, et semper in nobis manent, ut est caritas, quae *numquam excidit*, ut dicitur I Cor. XIII, 8, quia etiam in futuro erit. Quaedam autem non sunt de necessitate salutis, sed dantur fidelibus ad manifestationem spiritus; I Cor. XII, 7: *unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Sic ergo quantum ad prima dona. Spiritus sanctus manet cum discipulis et sanctis in aeternum; sed quantum ad secunda dona, sic est proprium Christo ut maneat cum eo semper: quia semper in plenitudine potestatis suae habet ut possit miracula facere et prophetare, et alia huiusmodi. Sed non sic est de aliis; quia, ut dicit Gregorius, spiritus prophetarum non sunt prophetis subiecti. Donum autem est excellentissimum, quia *spiritus veritatis.* Spiritum quidem dixit, ut ostendat naturae subtilitatem. Spiritus enim dicitur aliquid occultum et invisibile, unde quod invisibile est, spiritus dici consuevit. Sic et spiritus sanctus occultus est et invisibilis: supra III, 8: *spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat.* Item ut ostendat eius virtutem, quia movet nos ad bene agendum et operandum. Spiritus enim impulsione quamdam insinuat, unde et ventum spiritum appellamus; Rom. VIII, 14: *qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt;* Ps. CXLII, 10: *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Addit autem *veritatis*, quia a veritate procedit, et veritatem dicit. Spiritus enim sanctus nihil aliud est quam amor. Quando ergo quis impellitur ad amandum terrena et mundum, tunc impellitur a spiritu mundi; I Cor. II, 12: *nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* Quando vero impellitur ad opera carnis, tunc non impellitur a spiritu sancto; Ez. XIII, 3: *vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum.* Sed iste spiritus ducit ad cognitionem veritatis, quia procedit a veritate, quae dicit supra eodem: *ego sum via, et veritas, et vita.* Nam, sicut in nobis ex veritate concepta et considerata sequitur amor ipsius veritatis, ita in Deo concepta veritate, quae est filius, procedit amor. Et sicut ab ipsa procedit, ita in eius cognitionem ducit; infra c. XVI, 14: *ille me clarificabit, quia de meo accipiet* et cetera. Et ideo dicit Ambrosius, quod omne verum a quocumque dicatur a spiritu sancto est. I Cor. XII, 3: *nemo potest dicere, dominus Iesus, nisi in spiritu sancto;* infra XV, 26: *cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis spiritum veritatis.* Manifestare autem veritatem convenit proprietati spiritus sancti. Est enim amor qui facit secretorum revelationem; infra XV, 15: *vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a patre meo, nota feci vobis;* Iob c. XXXVI, 33: *annuntiat de ea (scilicet veritate) amico suo.* Recipiunt autem spiritum sanctum credentes, et quantum ad hoc dicit *quem mundus non potest accipere, et primo ostendit qui sunt quibus non datur; secundo ostendit quibus datur, ibi vos autem cognoscetis* et cetera. Primo autem ostendit quod non datur mundo; secundo autem assignat causam quare non detur. Quantum ad primum dicit *quem mundus non potest accipere.* Mundum hic mundi dilectores vocat dominus. Hi quidem quamdiu mundum diligunt, spiritum sanctum non possunt accipere, est enim amor Dei: non potest autem quis finali dilectione Deum et mundum diligere: I Io. II, 15: *si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo.* Nam Gregorius dicit, V Moral. 20: *spiritus sanctus omne quod repleverit ad desiderandum invisibilia accendit. Et quoniam mundana corda sola visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda invisibilia non assurgit. Saeculares etenim mentes quanto se foras per desideria dilatant, tanto ad receptionem illius sinum cordis angustant.* Sap. I, 5: *spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum.* Quantum ad secundum dicit *quia non videt eum, nec scit eum.* Nam dona spiritualia non accipiuntur nisi desiderata, Sap. VI, 14. *Praeoccupat*, scilicet divina sapientia, *eos qui se concupiscunt*, nec desiderantur nisi aliquantulum cognita. Quod autem non cognoscantur, ex duobus contingit. Primo quidem ex hoc quod homo non ponit intentionem suam ad eorum cognitionem; secundo vero quia quis non potest esse capax illius cognitionis. Hoc autem mundani non habent. Nam primo non intendunt ad ea desideranda, et quantum ad hoc dicit *quia non videt eum;* idest, non ponit intentionem suam ad eum cognoscendum; Ps. XVI, 11: *oculos suos statuerunt declinare in terram.* Item non possunt ea cognoscere, unde dicit *nescit eum:* nam, ut Augustinus dicit, *non habet invisibiles oculos mundana dilectio: per quos videri spiritus sanctus nisi invisibiliter non potest.* I Cor. c. II, 14: *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei.* Sicut lingua infecta non sentit bonum saporem propter corruptionem humoris, sic anima infecta a corruptione mundi, caelestium dulcedinem non gustat. Vel, secundum Chrysostomum, dico, quod *alium Paraclitum dabit vobis, spiritum veritatis;* sed hoc non assumet carnem, quia *mundus non videt eum, nec scit eum,* idest, non accipiet eum, sed solum vos. Hic ostendit primo quibus datur spiritus sanctus; secundo rationem assignat. Datur autem fidelibus: unde dicit *vos autem, qui movemini a spiritu sancto, cognoscetis eum:* I Cor. II,

12: *nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* Et hoc ideo, quia mundum contempnitis; II Cor. IV, 18: *non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur.* Ratio autem huius est, *quia apud vos manebit.* Ubi primo nota spiritus sancti ad apostolos familiaritatem *quia apud vos manebit*, idest ad utilitatem vestram; Ps. CXLII, v. 10: *spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam*; Sap. XII, 1: *o quam bonus spiritus tuus, domine, est in omnibus.* Secundo quamdam eius intimam inhabitationem, quia *in nobis erit*, idest in intimo cordis nostri; Ez. XI, 19: *et spiritum novum tribuam in visceribus eorum.*

## Lectio 5

[87517] Super Io., cap. 14 l. 5 Supra dominus promisit spiritum sanctum consolatorem. Sed quia apostoli non multum ad notitiam spiritus sancti conscenderant, et ad Christi praesentiam valde detinebantur, huiusmodi consolatio eis parva videbatur: et ideo in parte ista promittit eis primo reditum suum; secundo dona sua, ibi *haec locutus sum vobis apud vos manens* et cetera. Circa primum primo promittit eis iteratam visitationem; secundo assignat rationem, ibi *qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me*; tertio excludit discipuli dubitationem, ibi *dicit ei Iudas* et cetera. Circa primum primo manifestat eis suum reditum; secundo manifestat redeundi modum, ibi *adhuc modicum, et mundus me iam non videt*; tertio praedicat reditus fructum, ibi *in illa die vos cognoscetis* et cetera. Circa primum primo ostendit necessitatem redeundi; secundo promittit reditum. Necessitas autem redeundi est ut discipuli orphani non remaneant; et hoc est quod dicit *non vos relinquam orphanos*. Orphanus enim in Graeco, pupillus in Latino; et dicuntur hi parvuli patre carentes, secundum illum Thren. ult., 3: *pupilli facti sumus absque patre, matres nostrae quasi viduae*. Considerandum est autem, quod homo potest habere triplicem patrem. Scilicet patrem originis, Heb. XII, 9: *patres quidem habuimus carnis nostrae* et cetera. Item pravae imitationis; supra VIII, 44: *vos ex patre Diabolo estis*. Item gratuita adoptionis; Rom. VIII, v. 15: *accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Sed eos qui imitantur patrem Diabolum, Deus non adoptat in filios: quia non est conventio lucis ad tenebras, ut dicitur II Cor. VI, v. 15. Similiter nec illos qui nimium afficiuntur carnaliter ad parentes: quia hoc dicitur Matth. X, 37: *qui amat patrem suum aut matrem suam plusquam me, non est me dignus*. Qui ergo fuerit orphanus, idest destitutus affectu peccati, et deserens affectum carnalem ad parentes, illum Deus sibi adoptat in filium; Ps. XXVI, 10: *quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me; dominus autem assumpsit me*. Multo autem magis qui relinquit eos; Ps. XLIV, 11: *obliscere populum tuum et domum patris tui; et concupiscet rex decorem tuum*. Sed notandum, quod Christus exhibet se discipulis suis ut patrem: quamvis enim hoc nomen pater personaliter acceptum, sit proprium personae patris, essentialiter tamen acceptum competit toti Trinitati. Unde supra c. XIII, 33, dixit eis: *filioli mei, adhuc modicum vobiscum sum*. Adventum suum promittit eis dicens *veniam ad vos*. Venerat iam Christus ad eos, carnem assumendo, I Tim. I, 15: *Christus Iesus in hunc mundum venit*. Restabat ergo triplex adventus eius, quorum duo sunt corporales: unus scilicet post resurrectionem et ante ascensionem, quando scilicet recedens ab eis per mortem, post resurrectionem venit Iesus, et stetit in medio discipulorum, ut dicitur infra XX. Alius erit in fine mundi, de quo dicitur Act. I, 11: *quemadmodum vidistis eum euntem in caelum, ita veniet*; Lc. XXI, 27: *videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate*. Sed tertius est spiritualis et invisibilis; quando scilicet venit ad fideles suos per gratiam in vita vel in morte; Iob IX, 11: *si venerit ad me, non videbo eum*. Dicit ergo *veniam ad vos*, post resurrectionem quantum ad primum adventum; infra XVI, 22: *iterum autem videbo vos*. Item in fine mundi; Is. III, 14: *dominus ad iudicium veniet*. Item in morte ad suscipiendum vos ad me; supra eodem *veniam ad vos, et tollam vos ad meipsum*. Item, *veniam ad vos* spiritualiter visitando. Infra eodem *ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Hic exponit visitationis modum ostendens hanc visitationem apostolis singulariter exhibendam. Et quia possent credere quod adhuc ad eos rediret mortalis existens, ideo consequenter excludit hoc, dicens *adhuc modicum, et mundus me iam non videt*. Ut primo exponamus de reditu post resurrectionem; tunc est sensus: *adhuc modicum*, idest modicum tempus vobiscum sum in hac carne mortali, et tunc crucifigam, sed post *mundus iam me non videt*. Et hoc quia post resurrectionem non omnibus manifestavit se, sed testibus praeordinatis a Deo, scilicet discipulis suis, Act. I, 8, et ideo dicit *vos autem videbitis me*, scilicet in corpore glorificato et immortalis. Rationem horum assignat dicens *quia ego vivo, et vos vivetis*. Ubi removet dubitationem. Possent enim discipuli dicere: quomodo videbimus te, qui morieris, et nos etiam moriemur tecum? Et ideo dicit quod hoc non erit ita, *quia ego vivo*; idest, vivam post resurrectionem, Apoc. I, 18: *fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum. Et vos vivetis,*

quia non occidemini modo mecum; infra XVIII, 8: *si me quaeritis, sinite hos abire*. Vel *ego vivo*, per resurrectionem, et *vos vivetis*, idest gaudebitis inde, quia, infra XX, 20: *gavisi sunt discipuli viso domino*. Hoc modo accipitur vivere Gen. XLV, 27: *cum audisset Iacob quod Ioseph regnaret in terra Aegypti, revixit spiritus eius*, scilicet propter gaudium. Sed contra hanc expositionem obiicit Augustinus: quia ex hoc quod dominus dicit *adhuc modicum, et mundus me iam non videt*, sequitur quod homines mundi numquam sint eum visuri: quod est falsum, quia in iudicio videbunt eum, secundum illud Apoc. I, 7: *videbit eum omnis oculus*. Ad quod posset dici, quod verum est quod homines mundi: (...) adhuc modicum mundus non videbit eum in ista carne mortali; et propter hoc Augustinus exponit hoc *adhuc modicum*, referens ad secundum adventum, in quo veniet ad iudicandum. Et dicitur istud tempus modicum usque ad iudicium, in respectu ad aeternitatem. *Nam mille anni ante oculos tuos quasi dies hesterna quae praeteriit*: Ps. LXXXIX, 4. Et hoc modo apostolus Hebr. XII, 26 s. vocat istud tempus modicum, exponens illud Aggaei II, v. 7: *adhuc modicum, et ego movebo caelum et terram et cetera*. *Et mundus me iam non videt*; quia ulterius post iudicium homines mundi amatores et pravi eum non videbunt, euntes in ignem aeternum. Unde Is. c. XXVI, 10, secundum aliam litteram, dicitur: *tollatur impius, ne videat gloriam Dei*. *Vos autem*, qui secuti estis me, et permansistis mecum in tentationibus meis, *videbitis me* in aeternitate perpetua; Is. XXXIII, v. 17: *videbunt regem in decore suo*; I Thess. c. IV, 16: *semper cum domino erimus*. Et hoc ideo, *quia vivo, et vos vivetis*; quasi diceret: sicut ego habeo vitam gloriosam in anima et in corpore, ita et vos; Phil. III, 21: *reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae*. Et hoc ideo dicit, quia vita nostra gloriosa creatur ex vita gloriosa Christi; I Cor. XV, 22: *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*. Sed de se dicit in praesenti, *vivo*, quia sua resurrectio differenda non erat post mortem eius, sed statim secutura; secundum illud Ps. CVII, 3: *exurgam diluculo*, quia, ut dicitur in Ps. XV, 10: *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Sed de discipulis dicit *vivetis*, in futuro, quia resurrectio corporum eorum differenda erat usque in finem mundi, secundum illud Is. XXVI, 19: *vivent mortui tui, interfecti mei resurgent*. Hic ponitur visitationis fructus, qui est cognitio eorum quae apostoli ignorabant. Ut enim supra dictum est, Petrus ignorabat quo Christus iret; unde dicebat: *domine, quo vadis?* Etiam Thomas hoc ignorabat, et viam per quam iret; unde dicebat: *nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire?* Philippus autem patrem ignorabat; unde petebat dicens: *domine, ostende nobis patrem, et sufficit nobis*. Quae quidem causabantur ex ignorantia unius rei: ex hoc scilicet quod ignorabant quomodo pater in filio, et filius in patre; unde et Philippo dixit: *non credis quia ego in patre, et pater in me est?* Huius ergo notitiam promittit eis dominus, dicens hic *in illa die vos cognoscetis quia ego in patre meo sum* et cetera. Ex quo omnis dubietas a cordibus discipulorum excluditur. Potest autem exponi de adventu tempore resurrectionis, et de adventu ad iudicium. Sed distinguenda est duplex cognitio mysteriorum divinitatis. Una est imperfecta, quae habetur per fidem; alia perfecta, quae habetur per speciem; de quibus dicitur I Cor. c. XIII, 12: *videmus nunc per speculum in aenigmate*, quantum ad primum, *tunc autem facie ad faciem*, quantum ad secundum. Dicit ergo *in illa die*, post resurrectionem meam, *cognoscetis quia ego sum in patre*: et hoc cognitione fidei, quia tunc videntes eum resurrexisse, et esse cum eis, certissimam fidem de eo habuerunt, praecipue qui acceperunt spiritum sanctum, qui omnia eos docebat. Vel *in illa die*, ultimae resurrectionis in iudicio, *cognoscetis*, scilicet manifeste per speciem; I Cor. XIII, 12: *tunc cognoscam sicut et cognitus sum*. Sed quid cognoscent? Duo quae dicit supra: unum scilicet quod *pater in me manens ipse facit opera*; et quantum ad hoc dicit *quia ego sum in patre meo*, scilicet per consubstantialitatem naturae. Aliud quod dicit se facturum opera per discipulos, dicens: *qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet*: et quantum ad hoc dicit *et vos in me, et ego in vobis*. Ubi attendendum est, quod quia hic dominus videtur similem habitudinem ponere sui ad patrem et discipulorum ad ipsum, volebant Ariani, quod sicut discipuli sunt minores Christo, et non consubstantiales ei, ita esset filius minor patre, et alterius substantiae ab ipso. Et ideo dicendum est, quod hoc quod dicit *ego sum in patre meo*, dicitur per consubstantialitatem naturae; supra X, 30: *ego et pater unum sumus*; et supra I, 1: *verbum erat apud Deum*. Hoc autem quod dicit *et vos in me* etc., intelligitur, uno modo, quod discipuli sunt in Christo. Nam illud quod protegitur ab aliquo, dicitur esse in eo, sicut contentum in continente: et hoc modo dicitur quod in rege sunt ea quae sunt in regno. Et secundum hoc dicitur Act. XVII, 28: *in ipso vivimus, movemur et sumus*. *Et ego sum in vobis*, manendo interius, et operando, et inhabitando interius per gratiam; Eph. III, 17: *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*; et II Cor. XIII, 3: *an experimentum eius quaeritis qui in me loquitur Christus?* Alio modo secundum Hilarium. *Vos in me*, supple: in me eritis per naturam vestram, quam assumpsit: assumendo enim naturam nostram, assumpsit nos omnes; Hebr. c. II, 16: *nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen*

*Abrahae apprehendit. Et ego sum in vobis, per mei sacramenti sumptionem: quia qui sumit corpus Christi, Christus est in eo; supra cap. VI, 57: qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Alio modo vos in me, et ego in vobis, supple: sumus, per mutuam dilectionem: quia hoc dicitur I Io. IV, 16: Deus caritas est: et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. Et haec vobis ignota erant, sed tamen in illa die ea cognoscetis. Hic assignatur visitationis ratio. Et ponit dominus duplicem rationem quare a fidelibus dominus videatur, et non a mundo. Prima est vera eorum dilectio ad Deum; secunda vero dilectio Dei ad eos, ibi qui autem diligit me, diligitur a patre meo. Quantum ad primum dicit qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. Ubi notandum est, quod illa est vera dilectio quae se prodit et probat in opere; nam per exhibitionem operis dilectio manifestatur. Cum enim diligere aliquem sit velle ei bonum et desiderare quae ipse vult, non videtur vere diligere qui non facit voluntatem amati, nec exequitur quae scit eum velle. Qui ergo non facit voluntatem Dei, non videtur eum vere diligere; et ideo dicit qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me, idest qui habet veram dilectionem ad me. Sed nota, quod aliquis habet mandata Dei primo quidem in corde per memoriam et iugem meditationem; Ps. CXVIII, v. 11: in corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Sed hoc non sufficit, nisi servet in opere; Ps. CX, 10: intellectus bonus omnibus facientibus eum. Quidam vero habent in ore, dicendo et exhortando; Ps. CXVIII, v. 103: quam dulcia faucibus meis eloquia tua. Et hi etiam debent ea servare in opere: quia qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum: Matth. V, 19. Unde vituperantur a Deo illi qui dicunt et non faciunt, Matth. XXIII. Quidam autem habent in aure, ea libenter et diligenter audiendo; supra VIII, 47: qui est ex Deo, verba Dei audit. Nec hoc sufficit, nisi servant: quia non auditores legis, sed factores iustificabuntur: Rom. II, 13; supra VI, 27: operamini non cibum qui perit; sed qui permanet in vitam aeternam. Ergo qui sic habet mandata Dei, aliquantulum servat ea, sed adhuc imponitur ei ut servet perseverando. Unde dicit Augustinus: qui habet in memoria et servat in vita, qui habet in sermonibus et servat in moribus, qui habet audiendo et servat faciendo, qui habet faciendo et servat perseverando, ipse est qui diligit me. Quantum ad secundum dicit qui autem diligit me, diligitur a patre meo. Sed hoc in primo aspectu videtur absurdum. Numquid enim Deus diligit nos, quia diligimus eum? Absit. Dicitur enim I Io. IV, v. 10: non quasi dilexerimus Deum sed quoniam ipse prior dilexit nos. Et ideo dicendum quod intellectum huius habemus ex his quae dicta sunt supra, scilicet, qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. Non enim ibi dicitur quod ideo diligit quia servat mandata; sed quia diligit, ideo mandata implet. Et hoc modo dicendum est hic, quod ideo quis diligit Christum quia diligitur a patre, et non ideo diligitur quia diligit. Diligimus ergo filium, quia pater diligit nos. Habet enim hoc verus amor ut amatos ad amantis dilectionem trahat; Ier. c. XXXI, 3: in caritate perpetua dilexi te, ideo, attraxi te, miserans. Sed quia amor patris non est sine amore filii, cum idem sit amor utriusque, quaecumque enim pater facit, haec et filius similiter facit: supra V, 19, ideo subdit et ego diligam eum. Sed cum pater et filius omnia diligant ab aeterno; quare dicit diligam, in futuro? Dicendum est ergo, quod dilectio considerata prout est in divina voluntate, sic est aeterna; sed considerata secundum quod manifestatur in executione operis et effectus, est temporalis. Et ideo est sensus et ego diligam eum, idest effectum dilectionis ostendam, quia scilicet manifestabo ei me ipsum: quia ad hoc diligam ut manifestem. Sciendum est autem, quod dilectio alicuius ad aliquem aliquando est secundum quid, aliquando simpliciter. Secundum quid quidem, quando vult ei aliquod bonum particulare; simpliciter autem, quando vult ei omne bonum. Deus autem omnia causata diligit secundum quid, quia omni creaturae vult aliquod bonum, etiam ipsis Daemonibus, ut scilicet vivant et intelligant et sint; quae sunt quaedam bona. Simpliciter autem diligit illos quibus vult omne bonum, scilicet ut habeant ipsum Deum, quem habere est habere veritatem, quia Deus veritas est. Sed veritas tunc habetur quando cognoscitur. Illos ergo vere et simpliciter diligit quibus manifestat seipsum, qui est veritas. Et hoc est quod dicit manifestabo ei me ipsum, scilicet in futuro per gloriam, quod est ultimus futurae beatitudinis effectus; Iob XXXVI, v. 33: annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit. Sap. VI, 14: praeoccupat eos qui se concupiscunt. Sed posset quis dicere: numquid pater non manifestabit se? Immo et pater et filius: nam filius et patrem simul et se manifestat, cum sit verbum eius; Matth. XI, v. 27: neque patrem quis novit nisi filius et cetera. Et tamen si interim filius manifestat se alicui aliquo modo, hoc est signum divinae dilectionis. Unde et haec potest esse ratio quare mundus eum non videbit, quia scilicet non manifestabit ei seipsum; et hoc quia non diligit eum.*



[87518] Super Io., cap. 14 l. 6 Supra promisit dominus discipulis suam visitationem hic removet discipuli dubitationem, et primo ponitur discipuli dubitatio; secundo Christi responsio, ibi *respondit Iesus* et cetera. Sciendum est circa primum, quod sanctorum et humilium consuetudo est ut cum magna de se audiunt, stupeant et admirentur. Audierant autem discipuli dominum dicentem *adhuc modicum et mundus me iam non videt; vos autem videbitis me* etc., ex quo videbatur apostolos toti mundo praeferre: et ideo Iudas frater Iacobi, cuius epistola inter canonicas legitur, in admirationem et stuporem positus, dicit *domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis te ipsum?* Quasi diceret: quae causa erit? Numquid nos supra totum mundum sumus? Simile dixit David II Reg. VII, v. 18: *quis ego sum, aut quae est domus mea?* Matth. XXV, 37, dicunt iusti: *domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te?* Consequenter cum dicit *respondit Iesus* etc., ponitur Christi responsio, ubi primo assignat causam suae manifestationis discipulis, et non mundo; secundo manifestat quoddam quod dixit, ibi *et sermonem quem audistis non est meus*. In primo ostendit quare manifestaturus est se discipulis; secundo ostendit quare non manifestaturus est se mundo, ibi *qui non diligit me, sermones meos non servat*. Et in prima primo ponitur idoneitas discipulorum ad Christi manifestationem habendam; secundo insinuatur processus manifestationis et ordo, ibi *et pater meus diligit eum*. Circa primum duo ponit, quae reddunt hominem idoneum ad Dei manifestationem. Primum est caritas; secundum est obedientia. Quantum ad primum dicit *si quis diligit me*. Tria enim necessaria sunt homini volenti Deum videre. Primo ut Deo appropinquet; Deut. XXXIII, 3: *qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius*. Secundo ut ad eum videndum oculos elevet; Is. XL, 26: *levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit haec*. Tertio ut visioni vacet: nam spiritualia videri non possunt, nisi quis vacet a terrenis; Ps. XXXIII, 9: *vacate, et videte, quoniam suavis est dominus*. Et haec tria facit caritas. Nam ipsa animam hominis Deo coniungit; I Io. IV: *qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*. Ipsa ipsum intuitum ad Deum erigit; Matth. VI, 21: *ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum*. Unde dicitur: *ubi est amor tuus, ibi oculus*. Ipsa enim a mundanis vacare facit; I Io. II, 15: *qui diligit saeculum, non est perfecta caritas Dei in illo*. Ergo, e contrario, qui perfecte Deum diligit, non est in illo amor saeculi. Ex caritate autem sequitur obedientia; unde dicit *sermonem meum servabit*. Ut dicit Gregorius: *probatio dilectionis, exhibitio est operis. Numquam est Dei amor otiosus; operatur enim magna si est, si autem operari renuit, amor non est*. Voluntas enim, et maxime quae est de fine, movet alias potentias ad actus suos: non enim quiescit homo nisi faciat ea per quae ad finem intentum perveniat, praecipue si est intensa ad ipsum. Quando ergo voluntas hominis intensa est ad Deum, qui est finis eius, movet omnes vires ad faciendum ea quae ad ipsum ducunt. Intenditur autem in Deum per caritatem; et ideo caritas est quae nos servare mandata facit; II Cor. V, 14: *caritas Christi urget nos*; Cant. VIII, 7: *lampades eius, lampades ignis*. Et per obedientiam homo efficitur idoneus ad videndum Deum; Ps. CXVIII, 104: *a mandatis tuis, scilicet a me servatis, intellexi*. Et iterum: *super senes intellexi*. Consequenter cum dicit *et pater meus diligit eum*, ponitur processus et ordo manifestationis. Tria autem sunt per quae fit homini divina manifestatio. Primum est divina dilectio; et quantum ad hoc dicit *pater meus diligit eum*. Supra est dictum quare dicit *diligit* in futuro, quantum videlicet ad effectum dilectionis, qui tamen ab aeterno dilexit quantum ad voluntatem benefaciendi; Mal. I, 2: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Non autem dicit, ego diligam eum, quia hoc iam eis patuit supra. Prov. VIII, 17: *ego diligentes me diligo*. Restabat ergo ut insinuaret eis quia pater diligeret eos; Deut. IV, 37: *dilexit populos: omnes sancti in manu eius sunt*. Secundum est divina visitatio; et quantum ad hoc dicit *et ad eum veniemus*. Sed contra. Venire mutationem localem significat; sed Deus non mutatur; ergo et cetera. Responsio. Deus dicitur venire ad nos non quod ipse moveatur ad nos, sed quia nos movemur ad ipsum. Dicitur enim aliquid venire in locum in quem prius non fuit: hoc autem Deo non convenit, cum sit ubique; Ier. XXIII, 24: *caelum et terram ego impleo*. Dicitur etiam venire in aliquem, in quantum est ibi novo modo, secundum quem prius non fuerat ibi, scilicet per effectum gratiae: et per hunc effectum gratiae facit nos ad se accedere. Sed attendendum, secundum Augustinum, quod tribus modis Deus venit ad nos, et iisdem nos imus ad eum. Primo quidem venit ad nos implendo suis effectibus, et nos imus ad eum capiendo ipsos; Eccli. c. XXIV, 26: *transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini*. Secundo illuminando, et nos imus ad eum considerando; Ps. XXXIII, 6: *accedite ad eum, et illuminamini*. Tertio vero adiuvando, et nos ad eum obediendo: quia nec obedire possumus nisi adiuti a Christo; Is. II, v. 3: *venite, ascendamus ad montem domini*. Sed quare non fecit mentionem de spiritu sancto? Augustinus dicit, quod non dicitur hoc, quod ipse sit excludendus adveniente patre et filio, quia supra dicitur: *ut maneat vobiscum in aeternum*. Sed cum in Trinitate sint duo: scilicet personarum distinctio, et essentiae unitas: aliquando quidem fit mentio de tribus personis, ad

insinuandum distinctionem personarum: aliquando vero facit mentionem de duabus sine tertia, ad insinuandum essentiae unitatem. Vel dicendum, quod cum spiritus sanctus nihil sit aliud quam amor patris et filii, posito patre et filio intelligitur spiritus sanctus. Tertio ad Dei manifestationem necessaria est perseverantia utriusque, scilicet in dilectione Dei, et in eius visitatione; et quantum ad hoc dicit *et mansionem apud eum faciemus*. In quo duo tangit. Primo quidem firmitatem adhaesionis ad Deum cum dicit *mansionem*. Nam Deus venit ad quosdam per fidem, sed, non manet, *quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt*: Matth. VIII, 13. Ad quosdam venit per peccati compunctionem, non tamen manet cum eis, quia revertuntur ad peccata; Prov. c. XXVI, 11: *sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam*. Sed in suis praedestinati permanet semper; Matth. ult., 20: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*. Secundo ostendit familiaritatem Christi ad homines: quia *apud eum*, scilicet diligentem ad obediendum, in quantum scilicet delectatur nobiscum, et facit nos delectari in ipso. Prov. c. VIII, 31: *deliciae meae esse cum filiis hominum*; Is. VI, 5: *gaudebit super te dominus Deus tuus*. Chrysostomus autem referens hoc ad aliam intentionem, dicit, quod Iudas audiens *non relinquam vos orphanos* etc., *vos autem videbitis me* etc., existimavit, quod Christus post mortem venturus esset ad eos, sicut mortui veniunt ad nos in somno; unde quaerit: *quid est factum quia nobis manifestaturus es te ipsum, et non mundo?* Quasi diceret: vae nobis, quoniam morieris et ut mortuus debes nobis assistere. Ut ergo hoc excludat, dicit: ego et pater *ad eum veniemus*, idest, sicut pater manifestat se ipsum, ita et ego, *et mansionem apud eum faciemus*: quod somniorum non est, in quibus nulla mora contrahitur. Hic ponit causam quare non est manifestaturus se mundo: quae quidem causa est remotio eorum per quae dicit se hominibus manifestaturum. Remota enim causa removetur effectus; sed ipsi non habent causam ut divina eis manifestatio fiat: ergo mundo et mundanis Deus non est manifestaturus se ipsum. Quod non habeant causam, apparet, quia mundus *non diligit me*; et quantum ad hoc dicit *qui non diligit me*. Iterum non obedit mihi: unde dicit *sermones meos non servat*. Ut enim Gregorius dicit: *de dilectione conditoris lingua et mens et vita requiritur*. Patet ergo causa quare suis manifestaturus est se, et non alienis; quia hi quidem diligunt: dilectio namque sanctos discernit a mundo; Iob XXXVI, 32: *immanibus, scilicet superbis, abscondit lucem; et ita annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit*; ibid. c. XXVIII, 14: *abyssus dicit: non est in me; mare, idest turbulentus: non est mecum*. Consequenter cum dicit *et sermonem quem audistis, non est meus*, manifestat hoc quod supra dixit *si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et pater meus diligit eum* et cetera. Posset enim aliquis dicere, quod hoc dictum nullam rationem habet, quin potius rationabilius dixisset: ego diligam eum, et ad eum veniam. Et ideo hoc excludit dicens *et sermonem quem audistis, non est meus*; idest non est mihi a meipso, sed est mihi ab alio, scilicet a patre, qui me misit. Quasi diceret: non me solum, sed nec patrem amat qui hunc non audit sermonem. Et ideo qui eum diligit et patrem, utriusque manifestationem meretur. Dicit ergo *et sermonem*, sive sermo, *quem audistis*, a me homine prolatum, est quidem meus, in quantum ipsum pronuntio, et *non est meus*, in quantum est mihi ab alio; supra VII, 16: *mea doctrina non est mea*; supra eodem: *verba quae ego loquor vobis, a meipso non loquor*. Sed attende, secundum Augustinum, quod cum loquitur dominus de sermonibus suis, pluraliter dicit, *sermones meos*; ubi autem loquitur de sermone patris, loquitur in singulari, dicens *et sermonem quem audistis, non est meus*; quia per verbum patris se ipsum intelligi voluit, qui est unicum verbum eius. Unde nec suum se esse dicit, sed patris, quia nec sua imago est, nec suus filius, sed patris. Sermones autem omnes in cordibus nostris sunt ab unico verbo patris. Hic dominus promittit discipulis suis dona. Promiserat eis spiritum sanctum et se ipsum, et ideo hic primo ostendit quid consequentur ex adventu spiritus sancti; secundo quid consequentur ex ipso, ibi *pacem relinquo vobis*. Ex adventu spiritus sancti magna consequentur, scilicet intellectum omnium verborum Christi. Et ideo circa hoc primo commorat eis sua documenta; secundo promittit eis intellectum eorum, ibi *Paraclitus autem spiritus sanctus (...) vos docebit omnia*. Dicit ergo quantum ad primum *haec*, scilicet quae dixi, *locutus sum vobis*, organo humanitatis, *manens apud vos*, praesentia corporali. Et hoc quidem maximum beneficium est ut ipse filius nobis loquatur, et nos doceat; Hebr. I, 1: *multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in filio*; Deut. V, 26: *quae est omnis caro ut audiat dominum suum?* Intellectum autem ipsorum documentorum promittit eis per spiritum sanctum se daturum; unde dicit *Paraclitus autem (...) vos docebit omnia*. Ubi tria facit circa spiritum sanctum. Primo describit ipsum; secundo eius missionem; tertio eius effectum. Ipsum quidem describit multipliciter: quia Paraclitum, spiritum et sanctum. Paraclitus quidem est, quia consolatur nos et quantum ad tristitias de turbationibus huius mundi, de quibus nos consolatur, II Cor. c. VII, 5: *foris pugnae, intus timores*; II Cor. c. I, 4: *qui consolatur nos in omni tribulatione*

*nostra*. Et hoc facit in quantum est amor, faciens nos amare Deum, et eum pro magno habere: propter quod cum gaudio contumelias patimur, secundum illud Act. c. VIII, 39: *ibant apostoli gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*; Matth. V, v. 12: *gaudete et exultate, quia merces vestra copiosa est in caelis*. Item consolatur nos contra tristitias de peccatis praeteritis: de quibus dicitur Matth. V, 5: *beati qui lugent*. Et hoc facit in quantum dat nobis spem veniae; infra XX, 23: *accipite spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; Is. LXI, 3: *ut ponerem consolationem lugentibus in Sion*. Spiritus quidem est, quia movet corda ad obediendum Deo. Is. LIX, 19: *cum venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus domini cogit*; Rom. VIII, 14: *qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*. Sanctus autem est, quia consecrat nos Deo; omnia autem consecrata dicuntur sancta; I Cor. VI, 19: *nescitis quoniam corpora nostra templum sunt spiritus sancti*? Ps. XLV, v. 5: *fluminis impetus laetificat civitatem Dei* et cetera. Consequenter cum dicit *quem mittet pater in nomine meo*, agit de eius missione. Non est autem intelligendum quod per motum localem ad nos veniat, sed quia quodam novo modo in eis esse debeat, quo prius non fuerat; Ps. CIII, 30: *emitte spiritum tuum, et creabuntur*, scilicet in esse spirituali. Sed attende, quod spiritus sanctus a patre et filio mittitur: et ideo ad hoc ostendendum, quandoque dicit quod pater mittit eum, sicut hic; quandoque quod ipse, infra c. XVI, 7: *quem ego mittam vobis* et cetera. Sed numquam dicit eum a patre mitti, quin faciat commemorationem de seipso; unde dicit *quem mittet pater in nomine meo*. Nec dicit eum mitti a se filio, quin commemoret patrem; unde dicit *quem ego mittam vobis a patre*. Sed quid est hoc quod dicit *in nomine meo*? Numquid spiritus sanctus nominabitur filius? Posset dici, quod hoc dicitur pro tanto, quia spiritus sanctus dabatur fidelibus ad invocationem nominis Christi. Sed melius est ut dicamus, quod sicut filius venit in nomine patris, supra V, 44: *ego veni in nomine patris mei*, ita et spiritus sanctus venit in nomine filii. Filius autem in nomine patris venit, non quod esset pater, sed quod esset filius patris: similiter spiritus sanctus venit in nomine filii, non quod diceretur filius, sed quod esset spiritus filii; Rom. VIII, 9: *si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius*; Gal. IV, 6: *misit Deus spiritum filii sui in corda vestra*: non quod diceretur filius, sed quod esset spiritus filii; Rom. c. VIII, 29: *praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui*: et hoc quidem propter consubstantialitatem filii ad patrem, et spiritus sancti ad filium. Item sicut filius veniens in nomine patris, fideles suos patri subiecit: Apoc. V, 10: *fecisti nos Deo nostro regnum etc.*: ita spiritus sanctus configuravit nos filio, in quantum adoptat nos in filios Dei; Rom. VIII, 15: *accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba, pater*. Consequenter agit de effectu spiritus sancti: dicens *ille vos docebit omnia*. Nam, sicut effectus missionis filii fuit ducere ad patrem, ita effectus missionis spiritus sancti est ducere fideles ad filium. Filius autem, cum sit ipsa sapientia genita, est ipsa veritas; supra XIV, 6: *ego sum via, veritas et vita*. Et ideo effectus missionis huiusmodi est ut faciat homines participes divinae sapientiae, et cognitores veritatis. Filius ergo tradit nobis doctrinam, cum sit verbum; sed spiritus sanctus doctrinae eius nos capaces facit. Dicit ergo *ille vos docebit omnia*, quia quaecumque homo doceat extra, nisi spiritus sanctus interius det intelligentiam, frustra laborat: quia nisi spiritus adsit cordi audientis, otiosus erit sermo doctoris, Iob XXXII, 8: *inspiratio omnipotentis dat intelligentiam*; et intantum, quod etiam ipse filius organo humanitatis loquens, non valet, nisi ipsemet interius operetur per spiritum sanctum. Sed attende, quod supra VI, 43, dicit: *omnis qui audivit a patre, et didicit, venit ad me*. Hic expendit quid sit, quia non discit non docente spiritu sancto, quasi: ille qui recipit spiritum sanctum a patre et filio, ille patrem cognoscit, et filium, et ad eos venit. Facit autem nos scire omnia interius inspirando, dirigendo, et ad spiritualia elevando. Sicut enim qui habet gustum infectum non habet veram cognitionem de saporibus, ita et qui infectus est amore mundi, non potest gustare divina: secundum illud I Cor. II, 14: *animalis autem homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*. Sed cum suggerere sit minorum, puta officialium in divinis, numquid spiritus sanctus, qui suggerit nobis, est nobis minor? Ideo dicendum, secundum Gregorium, quod spiritus sanctus suggerere dicitur, non quod nobis scientiam ab imo inferat; sed ab occulto subministrat vires ad cognoscendum. Vel docet, in quantum nos facit participare sapientiam filii. Suggestit, in quantum nos impellit prout est amor. Vel *suggestet vobis omnia*; id est ad memoriam reducet; Ps. XXI, v. 28: *reminiscentur et convertentur ad dominum universi fines terrae*. Sciendum est enim, quod eorum quae Christus dixit discipulis, quaedam non intellexerunt, quorundam autem memoriam non habebant. Dicit ergo dominus *ille vos docebit omnia*, quae intelligere nunc non potestis, *et suggestet vobis omnia*, quae non potestis memoriae commendare. Quomodo enim Evangelista Ioannes post quadraginta annos potuisset omnium verborum Christi, quae in Evangelio scripsit, habere memoriam, nisi ei spiritus sanctus suggestisset?

## Lectio 7

[87519] Super Io., cap. 14 l. 7 Supra promisit dominus discipulis suis quid consecuturi erant ex praesentia spiritus sancti, hic promittit donum quod consecuturi erant ex adventu et praesentia sua. Sciendum tamen, quod si consideretur proprietas personarum, scilicet filii et spiritus sancti, videtur dominus alternare dona. Cum enim filius sit verbum, ad eum appropriate pertinere videtur sapientiae et cognitionis donum. Spiritui vero sancto, cum sit amor, qui est causa pacis, pax appropriatur. Verumtamen quia spiritus sanctus est filii, et hoc quod dat spiritus sanctus, habet a filio; ideo spiritui sancto attribuit hoc donum cognitionis, ubi dicit *ille vos docebit omnia* etc., quod tamen appropriatur filio. Quia vero spiritus sanctus a filio procedit, ideo quod spiritus sanctus appropriate facit, attribuitur filio. Et secundum hunc modum Christus attribuit sibi pacem, dicens *pacem relinquo vobis*: ubi primo promittit donum pacis, quam relinquit; secundo distinguit pacem istam a pace mundi, ibi *non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Dicit ergo *pacem relinquo*. Sciendum est, quod pax nihil aliud est quam tranquillitas ordinis: tunc enim aliqua dicuntur pacem habere quando eorum ordo inturbatus manet. In homine autem est triplex ordo: scilicet hominis ad seipsum, hominis ad Deum, et hominis ad proximum: et sic est triplex pax in homine. Quaedam intrinseca secundum quam pacificatur sibi ipsi, absque perturbatione virium; Ps. CXVIII, v. 165: *pax multa diligentibus legem tuam*. Alia est per quam homo pacificatur Deo, totaliter eius ordinationi subiectus; Rom. V, 1: *iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum*. Tertia pax est ad proximum; Hebr. c. XII, 14: *pacem sequimini cum omnibus sanctis et sanctimoniam*. Sed notandum, quod in nobis tria ordinari debent: scilicet intellectus, voluntas et appetitus sensitivus: ut videlicet voluntas dirigatur secundum mentem, seu rationem; appetitus vero sensitivus secundum intellectum et voluntatem. Et ideo Augustinus in Lib. de verbis domini, pacem sanctorum definiens dicit: pax est serenitas mentis, tranquillitas animae, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium caritatis: ut serenitas mentis referatur ad rationem, quae debet esse libera, non ligata, nec absorpta aliqua inordinata affectione; tranquillitas animi referatur ad sensitivam, quae debet a molestatione passionum quiescere; simplicitas cordis referatur ad voluntatem, quae debet in Deum obiectum suum totaliter ferri; amoris vinculum referatur ad proximum; consortium caritatis ad Deum. Hanc autem pacem hic sancti habent et habebunt in futuro; sed hic quidem imperfecte, quia nec ad nos nec ad Deum nec ad proximum pacem sine perturbatione aliqua possumus habere; sed in futuro habebimus eam perfecte, quando sine hoste regnabimus: ubi numquam poterimus dissentire. Et utramque hic dominus nobis promittit. Primam cum dicit *pacem relinquo vobis*, in hoc scilicet saeculo, ut hostem vincatis, et ut invicem diligatis; quod est quasi testamentum servandum nobis statutum a Christo; Eccli. XLV, 30: *statuit illi testamentum pacis, et principem fecit eum*. Sicut Augustinus dicit, non poterit ad haereditatem domini pervenire, qui testamentum eius noluerit observare: nec potest concordiam habere cum Christo qui discors esse voluerit cum Christiano. Secundam vero, cum dicit *pacem meam do vobis*, scilicet in futuro; Is. ult., v. 12: *declinabo super eam*, scilicet Ierusalem caelestem, *quasi flumen pacis*. Sed cum sive in mundo, sive in patria, tota pax sanctorum perveniat eis per Christum; infra XVI, 33: *in me pacem habebitis*, quare dominus loquens de pace sanctorum in via, non dicit, *pacem meam do vobis*: sed tantum cum loquitur de pace sanctorum in patria? Ad quod dicendum, quod utraque pax, scilicet praesens et futura, est Christi; sed praesens ut auctoris tantum; futura autem est eius ut auctoris et possessoris: nam ipsam semper habuit, quia semper fuit absque contradictione. Pax autem praesens, ut dictum est, est cum contradictione aliqua: et ideo licet eam faciat, non tamen eam possidet. Et, secundum praedicta, expositio procedit de pace temporis et pace aeternitatis. Sed, secundum Augustinum, potest utrumque exponi de pace temporis: et dicit *pacem relinquo vobis*, exemplo, sed *do pacem meam*, potestate et virtute. Consequenter cum dicit *non quomodo mundus dat, ego do vobis*, ipsam pacem a pace mundi distinguit. Distinguitur autem pax sanctorum a pace mundi quantum ad tria. Primo quantum ad intentionem: nam pax mundi ordinatur ad quietam et pacificam fruitionem temporalium, quo fit ut quandoque cooperetur hominibus ad peccandum; Sap. XIV, 22: *in magno viventes inscientiae bello tot et tam magna mala pacem appellant*. Sed pax sanctorum ordinatur ad bona aeterna. Est ergo sensus: *non quomodo mundus dat, ego do*; idest non ad eundem finem: quia mundus dat quantum ad exteriora quiete possidenda, ego vero do quantum ad aeterna adipiscenda. Secundo vero quantum ad simulationem et veritatem: quia pax mundi est simulata, quia tantum exterius: Ps. XXVII, 3: *loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*; pax vero Christi est vera, quia est interius et exterius. Et sic est sensus: *non quomodo mundus dat*, idest non simulatam pacem do; sicut mundus, sed veram. Tertio quantum ad perfectionem: quia pax mundi est imperfecta, cum sit tantum quantum ad quietem exterioris hominis et non interioris; Is. LVII, 21: *non est pax impiis, dicit dominus*: sed pax Christi quietat interius et exterius; Ps.

CXVIII, 165: *pax multa diligentibus legem tuam*. Et est sensus: *non quomodo mundus dat* idest, non ita imperfectam.

## Lectio 8

[87520] Super Io., cap. 14 l. 8 Supra dominus consolatus est discipulos suos rationibus acceptis ex parte ipsorum discipulorum, promittendo eis accessum ad patrem, adventum spiritus sancti, et suum reditum; hic vero consolatur eos rationibus acceptis ex parte sui ipsius, ex quo poterat eis esse duplex causa consolationis. Una, ex utilitate fructus, qui sequebatur ex recessu Christi; alia ex causa mortis. Et ideo primo ponit primam; secundo secundam, ibi *iam non multa loquar vobiscum*. Fructus autem qui sequebatur ex recessu Christi, erat exaltatio sua etc., unde discipuli poterant consolari. Mos enim amicorum est ut cum amicus ad suam exaltationem vadit, de eius recessu minus desolentur: et ideo dominus hanc causam ponit ad eorum consolationem. Et primo excludit cordis dubitationem; secundo commemorat quoddam quod eos in parte consolabatur, et in parte turbabat; tertio subdit causam totaliter consolantem; quarto respondet cuidam tacitae quaestioni. Turbationem quidem cordis excludit dicens *non turbetur cor vestrum* et cetera. Turbatio ad tristitiam refertur; formido ad timorem. Tristitia autem et timor in aliquo quidem conveniunt, in hoc scilicet quod utrumque est de malo; sed differunt, quia tristitia est de malo praesenti, formido autem de malo futuro. Dicit autem dominus *non turbetur cor vestrum*, de malo praesenti, Ps. CXI, 6: *iustus non commovebitur: neque formidet*, scilicet de futuro; Is. LI, 12: *quis tu ut timeas ab homine mortali?* Quod intelligendum est de timore humano: nam timorem divinum non excludit. Consequenter cum dicit *audistis quia ego dixi vobis: vado, et venio ad vos*; turbantur enim ex recessu Christi sed in parte consolabantur, quod subdit *et venio ad vos*; supra: *vado, et venio ad vos*. Non tamen ex hoc consolabantur totaliter, timentes ne forsitan gregem lupus hoc intervallo invaderet in pastoris absentia: secundum illud Zach. XIII, 7: *percutite pastorem, et dispergentur oves*. Dicit ergo *non turbetur, quia vado*, sed nec formidet, *quia venio ad vos*. Vadit quidem sua potestate moriendo, et venit resurgendo; Matth. XX, 18: *filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte (...) et tertia die resurget*. Ivit ascendendo; Is. LXIII, 1: *iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae*. Veniet ad iudicandum; Lc. XXI, 27: *videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate*. Totaliter autem consolatur eos cum dicit *si diligeretis me, gauderetis utique*; quasi dicat: si diligitis me, non debetis contristari, sed potius debetis gaudere de recessu meo, quia vado ad exaltationem meam, *quia scilicet, vado ad patrem, qui maior me est*. Sed ex hoc Arius insultat dicens patrem maiorem esse filio. Cuius error ex ipsis verbis domini excluditur. Nam ex intellectu eius, quomodo intelligitur *vado ad patrem*, ex eodem intelligitur *pater maior me est*. Filius autem non vadit ad patrem nec venit ad nos in quantum est filius Dei, secundum quod cum patre fuit ab aeterno; supra I: *in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum*. Sed dicitur ire ad patrem, secundum humanam naturam. Sic ergo hoc quod dicit *maior me est*, non dicit in quantum filius Dei, sed in quantum filius hominis, secundum quod non solum est minor patre et spiritu sancto, sed etiam ipsis Angelis; Hebr. II, 9: *eum autem qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum*. Item quibusdam hominibus, scilicet parentibus, subditus erat quantum ad aliquid, ut legitur Lc. II, 51. Sic ergo minor est patre secundum humanitatem, aequalis secundum divinitatem; Phil. II, 6: *non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*. Potest etiam dici, secundum Hilarium, quod pater etiam secundum divinitatem maior est filio, sed tamen filius non est minor, sed aequalis. Est enim pater maior filio non potestate, aeternitate et magnitudine: sed donantis seu principii auctoritate. Nam pater nihil ab alio accipit, filius autem naturam, ut ita dicam, a patre accipit per aeternam generationem. Est ergo pater maior, quia dat; sed filius non est minor, sed aequalis, quia totum quod pater habet, accipit; Phil. II, 9: *dedit ei nomen quod est super omne nomen*. Minor enim iam non est donante, cui unum esse donatur. Chrysostomus autem ita exponit dicens, quod dominus loquitur secundum suspicionem apostolorum, qui nondum noverant quid sit resurrectio, nec eum aequalem patri existimabant. Et ideo dicit eis: et si non creditis mihi quod non possum mihi assistere, nec confiditis quod post crucem rursus vos videbo; tamen credatis mihi, *quia vado ad patrem, qui maior me est*. Respondet autem tacitae quaestioni, dicens *et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis*. Possent enim quaerere quare ista diceret et ideo praeveniens dicit *nunc dixi vobis* et cetera. Sed quaerit Augustinus: cum fides sit de his quae non videntur, non debet homo credere postquam factum est, sed ante. Sed dicendum, quod aliud videbant, et aliud credebant.

Viderunt ante mortem Christi et eius resurrectionem, quo viso, crediderunt quod ipse esset Christus filius Dei. Unde cum factum fuit, non crediderunt fide nova, sed aucta; aut certe cum mortuus esset, defecta; cum surrexisset, refecta, ut Augustinus dicit. Consequenter cum dicit *iam non multa loquar vobiscum*, ponit aliam causam consolationis ex parte recessus sui, quae sumitur ex causa mortis. Sciendum est autem, quod causa mortis quaedam est inducens dolorem, cum quis pro culpa occiditur; quaedam est inducens consolationem, cum quis scilicet moritur pro bono virtutis; I Petr. IV, 15: *nemo vestrum patiat ut fur aut homicida (...). Si autem ut Christianus, non erubescat*. Circa hoc ergo primo ostendit dominus quod peccatum non fuit causa suae mortis; secundo quod eius causa fuit virtus obedientiae et caritatis, ibi *sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem*. Dicit ergo *iam non multa loquar vobiscum*, propter temporis brevitatem; supra XIII, 33: *filioli, adhuc modicum vobiscum, sum*. Vel quia nondum capaces estis; infra XVI, 12: *adhuc multa habeo vobis loqui, sed non potestis portare modo*. Vel ideo *non multa loquar vobiscum*, quia in uno brevi sermone explicabo vobis quod non moriar ex culpa mea. Et hoc facit consequenter cum dicit *venit enim princeps mundi huius, et in me non habet quidquam*, scilicet Diabolus, qui dicitur princeps, non ratione creationis, neque per naturalem potestatem, ut Manichaei blasphemant, sed ratione culpae huius, idest amatorum mundi: unde dicitur princeps mundi et peccati. Eph. ult., v. 12: *non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus rectores et principes tenebrarum harum*. Non ergo est princeps creaturarum, sed peccatorum et tenebrarum; Iob XLI, 25: *ille est rex super omnes filios superbiae*. Hic ergo princeps venit ad persequendum: intravit enim in cor Iudae ut proderet, Iudaeorum vero ut occiderent; sed *in me non habet quidquam*: nam in nobis non habet potestatem nisi propter peccatum; supra VIII, v. 34: *qui facit peccatum, servus est peccati*. In Christo autem nullum peccatum erat, neque secundum animam: I Petr. II, 22: *qui peccatum non fecit* etc. neque secundum carnem, quia ex virgine absque originali peccato de spiritu sancto conceptus; Lc. I, 35: *quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*. Quia ergo Diabolus Christum, in quo nullum ius habuit, etiam invasit, perdere meruit quod iuste possidebat; Mc. V, 7: *quid nobis et tibi, Iesu fili Dei altissimi?* Sic ergo patet quod causa mortis suae non fuit culpa; sed nec erat cur moreretur, si non habet peccatum. Consequenter veram causam adiungit, quae est bonum virtutis; et ideo dicit *sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem*: quod, secundum Augustinum sic punctatur: *sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem, et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio*, suspensive, *surgite, eamus hinc*. Ubi sciendum est, quod duo moverunt Christum ad mortem sustinendam, scilicet amor Dei et dilectio proximi; Eph. V, 2: *ambulate in dilectione*. Et hoc probat per indicium, quia mandata sua implet; supra: *si diligitis me, mandata mea servate*. Et quantum ad hoc dicit *sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem* etc.; et hoc efficaciter, quia scilicet morior; unde subdit *et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio*: quod est secundum quod pater movit eum ad mortem suscipiendam, scilicet obedientia, quae ex amore causatur. Mandatum autem hoc dedit pater non filio Dei, qui cum sit verbum, est etiam mandatum patris; sed dedit filio hominis, in quantum animae eius inspiravit necessarium esse saluti humanae ut Christus in humana natura moreretur. Ut ergo hoc mundus cognoscat, *surgite*, de loco ubi coenaverant, *et eamus*, ad locum ubi ego sum tradendus, ut videatis quod non ex necessitate, sed ex caritate et obedientia morior; Iob XXXIX, 21: *audacter in occursum pergite armatis*. Secundum Chrysostomum autem aliter legitur: ut in hoc scilicet quod dicit *sic facio*, sit finis sententiae; et in hoc quod resumit: *surgite, eamus hinc*, sit principium alterius: ut sit sensus: non morior, quasi princeps mundi huius habeat in me quidquam, sed *quia diligo patrem*, ideo hoc facio. Vos autem *surgite et eamus hinc*. Videbat enim eos formidare et propter tempus, quia nox profunda erat, et propter locum, quia in villa manifeste sistebant, ita ut semper circumvolverent ad ostium oculos, quasi expectando hostes eos invadentes, et propter hoc non attendentes his quae dicebantur. Et ideo ut melius verba quae diciturus erat intelligerent, ducit eos in locum alium secretum, ut aestimantes se securos esse, attentius audiant quae diceret eis; Oseae II, 14: *ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius*.

## Caput 15

### Lectio 1

[87521] Super Io., cap. 15 l. 1 Dominus in hoc sermone specialiter intendebat animos discipulorum confortare contra duo: scilicet contra unum quod imminebat in praesenti, quod erat passio eius; et aliud quod timebatur futurum, scilicet tribulatio eis superventura. Unde contra ista duo dixerat eis *non turbetur cor vestrum*, quantum ad primum, *neque formidet*, quantum ad secundum. Postquam ergo confortavit eos de recessu suo, hic confortat

eos contra tribulationes eis superventuras, et primo proponit eis quamdam similitudinem; secundo ex illa procedit ad propositum, ibi *iam vos mundi estis*. Similitudo autem est de vite et agricola. Unde primo proponit vitem; secundo introducit agricolam; tertio studium agricolae circa palmites commendat. Sed vitis est ipse; unde dicit per quamdam similitudinem, *ego sum vitis*, quia sicut vitis, licet despecta videatur, omnia tamen ligna excedit in dulcedine fructus, ita Christus etsi mundo despectus videretur, quia pauper erat et ignobilis videbatur et ignominiam sustinens, tamen dulcissimos fructus protulit; secundum illud Cant. II, 3: *fructus eius dulcis gutturi meo*. Et ideo Christus est vitis afferens vinum interius inebrians, quod est vinum compunctionis; Ps. LIX, 5: *potasti nos vino compunctionis*. Iterum vinum confortans, scilicet nostrae refectionis; supra VI, 56: *sanguis meus vere est potus*. Sic enim supra comparavit se grano frumenti, quia caro eius vere est cibus. Haec est vitis illa de qua dicitur Gen. XL, v. 9: *videbam coram me vitem habentem propagines tres*, idest Christum, in quo sunt tres substantiae, scilicet corpus et anima et divinitas. Haec est etiam vitis de qua Iacob dicit Gen. penult., 11: *ligabis ad vitem, fili mi, asinam tuam*, idest Ecclesiam. Sed haec vitis est vera. Ubi sciendum, quod verum aliquando dividitur contra similitudinarium, sicut homo verus ab homine picto; aliquando a corrupto, sicut acetum a vino, quia est vinum corruptum. Hoc ergo quod dicitur *ego sum vitis vera*, accipitur secundo modo, ut discernat se a vite corrupta, scilicet a populo Iudaeorum, de quo dicitur Ier. II, 21: *quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena?* Et hoc ideo, quia non faciebat uvas sed labruscas; Is. V, 4: *expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas*. Sed notandum, quod in Christo est duplex natura, divina scilicet et humana: et secundum humanam convenit nobiscum, et minor est patre; secundum divinam convenit cum Deo, et est supra nos. Est ergo vitis vera secundum hoc quod est caput Ecclesiae, homo Christus Iesus. Et hoc insinuat introducens agricolam, qui est pater, unde dicit *et pater meus agricola est*. Si enim est vitis secundum divinam naturam, pater vitis esset sicut et filius: quia ergo secundum humanam naturam vitis est, ideo pater se habet ad ipsum sicut agricola ad vitem. Ipse etiam secundum quod Deus agricola est. Dicitur autem agricola a cultura: unde et vinitor in quantum colit agricola est. Sed cum colere sit studium impendere, dupliciter aliquid colimus. Vel ut id quod colimus melioretur: et hoc modo colimus agrum, vel aliquid tale. Alio modo ut nos melioremur per ipsum; et hoc modo homo colit sapientiam. Deus ergo colit nos, ut nos ex eius opere melioremur, in quantum extirpat mala semina de cordibus nostris. Aperit cor nostrum aratro sermonis; plantat semina praeceptorum; colligit fructum pietatis, ut dicit Augustinus. Nos autem colimus eum ut nos per ipsum melioremur, sed hoc adorando, non arando; supra IX, 31: *si quis Dei cultor est (...) hunc exaudit*. Est ergo pater agricola huius vitis ad bonum alterius. Ipse enim plantat; Ier. II, 21: *ego te plantavi vineam electam, omne semen verum*. Ipse augmentat; I Cor. III, 6: *ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*, quia solus Deus interius augmentat et fructificare facit: quantumcumque homo cooperetur exterius, ipse custodit et conservat; Matth. XXI, 33 et Is. V, 2 dicitur, quod aedificavit in vinea turrim et sepem circumdedit. Studium autem agricolae est circa duo: circa vitem et circa palmites. Sed vitis de qua hic agitur, perfecta erat, non indigens agricolae studio; unde totum studium agricolae erat circa palmites impendendum, et ideo dicit *omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum*. Palmites autem sunt de natura vitis: unde adhaerentes Christo sunt palmites huius vitis; Ez. XVII, 6: *facta est vitis in palmites*. Circa hoc ergo duo facit. Primo ponit studium huius agricolae circa palmites malos; secundo circa palmites bonos. Studium autem eius circa malos est ut scindantur a vite; unde dicit *omnem palmitem*, idest omnem fidelem, *non ferentem fructum*, scilicet in vite, *in me*, sine quo nihil fructificare potest, *tollet eum*, scilicet a vite. Ex quo apparet quod non solum a Christo rescinduntur aliqui quia mala faciunt, sed etiam quia bona facere negligunt; II Cor. VI, 1: *hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Unde de se dicebat apostolus, I Cor. XV, 10: *gratia Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit*. Et Matth. XXV, 28 dicitur, quod ablatum est talentum ei qui ex eo non fructificavit, sed abscondit illud; Lc. XIII, 7, dominus ficum sterilem praecepit abscondi. Studium autem eius circa bonos palmites est ut foveantur ad magis fructificandum; unde dicit *et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*. Ad litteram enim in vite naturali contingit quod palmes multos surculos habens, minus fructificat propter humoris diffusionem ad omnes, et ideo cultores, ut magis fructificet, purgant eum a superfluis surculis. Ita est in homine. Nam homo bene dispositus et Deo coniunctus, si suum affectum ad diversa inclinet, virtus eius minoratur, et magis inefficax fit ad bene operandum. Et inde est quod Deus, ut bene fructificet, frequenter praescindit huiusmodi impedimenta et purgat, immittens tribulationes et tentationes, quibus fortior fiat ad operandum. Et ideo dicit *purgabit eum*, etiamsi purus existat: quia nullus est adeo purus in hac vita ut non sit magis magisque purgandus; I Io. I, 8: *si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est*. Et hoc *ut plus fructum*

*afferat*, idest crescat in virtute, ut tanto sint fructuosiores quanto sunt mundiores; Apoc. ult., 11: *qui iustus est, iustificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc*; Coloss. I, 6: *verbum Evangelii fructificat et crescit*; Ps. LXXXIII, 8: *ibunt de virtute in virtutem*. Hic ex similitudine prosequitur intentum. Duo autem in praedicta similitudine tangebantur in comparatione palmitum ad vitem. Unum est palmitum ad vitem inhaesio; secundum est palmitum purgatio. Primo ergo agit de inhaesione; secundo de purgatione, ibi *si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*. Circa primum primo monet discipulos ut viti inhaereant; secundo rationes inhaesionis adducit, ibi *sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso* etc.; tertio modum inhaesionis assignat, ibi *sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos*. Circa primum duo facit. Primo commemorat eis susceptum beneficium; secundo monet ut in eo permaneant, ibi *manete in me, et ego in vobis*. Beneficia susceperunt mundationis, unde dicit *iam vos mundi estis*; quasi dicat: talia dixi de palmitibus; sed vos estis palmites praeparati purgari ad fructum ferendum, et hoc *propter sermonem quem locutus sum vobis*. Verbum enim Christi mundat primo quidem ab erroribus, instruendo; ad Tit. I, 9: *amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere*. Et hoc ideo quia in verbis Dei nulla falsitas invenitur; Prov. VIII, 9: *recti sunt sermones mei*. Dicit ergo *mundi estis*, ab erroribus Iudaicis. Secundo mundat corda a terrenis affectibus, ad caelestia inflammando. Verbum enim Dei cor hominis ad terrena depressum concutit sua virtute, ex quo inflammatur; Ier. XXIII, 29: *numquid non verba mea sunt quasi ignis?* Tertio mundat sermo Dei a peccatis, invocatus in Baptismo. Nam homines in Baptismo purgantur, quia in aqua verbum mundat; quia, ut dicit Augustinus: *detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*. Verbum ergo facit ut aqua corpus tangat, et cor abluat. Verbum, inquam, non quia dicitur, sed quia creditur. Hoc enim verbum fidei tantum valet in Ecclesia ut etiam ipsos parvos infantes mundet, quamvis credere non valentes ex fide credentium, offerentium, benedicientium, et tangentium prolatum; Matth. ultimo, 19: *baptizantes eos in nomine patris, et filii, et spiritus sancti*. Quarto mundat per virtutem fidei; Act. XV, 9: *fide purificans corda eorum*. Dicit ergo eis *vos*, iam instructi, iam commoti, iam baptizati, iam in fide firmati, *mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*. Supra eodem: *vos mundi estis, sed non omnes*. Sed cum supra dixerit officium agricolae esse purgare, manifeste ostendit se esse agricolam, dicens sermonem suum purgativum. Et vere ipse, in quantum Deus, mundator est palmitum, et agricola. Hic inducit eos ad perseverantiam; quasi diceret: quia mundi estis, et tantum beneficium recepistis, debetis in eo perseverare. Unde dicit *manete in me*, per caritatem, I Io. IV, 16: *qui manet in caritate, in Deo manet*, et per sacramentorum participationem, supra VI, 57: *qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet*. Dicit ergo *manete in me*, gratiam suscipiendo, *et ego in vobis*, vos adiuvando. Consequenter cum dicit *sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis*, inducit rationes inhaesionis, quae sunt quatuor. Prima sumitur ex haerentium sanctificatione; secunda ex non haerentium punitione, ibi *si quis in me non manserit mittetur foras*; tertia ex voluntatis inhaerentium assecutione, ibi *si manseritis in me (...) quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis*; quarta ex Dei glorificatione, ibi *in hoc clarificatus est pater* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ostendit quod inhaesio ad Christum est necessaria ad fructificandum; secundo quod est efficax, ibi *qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum*. Circa primum duo facit. Primo proponit similitudinem; secundo ostendit eam esse convenientem. Dicit ergo quantum ad primum: dico, quod debetis in me manere ad hoc quod fructificetis, quia *sicut palmes*, ad litteram, palmes materialis, *non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite*, ex cuius radice humor ad vegetationem palmitum ascendit, *ita et vos*, supple: non potestis ferre fructum, *nisi in me manseritis*. Mansio ergo in Christo est ratio fructificationis. Unde de his qui in Christo non manent, dicitur Rom. c. VI, 21: *quem ergo fructum habuistis in his in quibus nunc erubescitis?* Iob XV, 34: *congregatio hypocritarum sterilis*. Haec autem similitudo conveniens est: quia *ego sum vitis, et vos palmites*, quasi diceret: talis est comparatio vestrum ad me, qualis palmitum ad vitem. De istis palmitibus dicitur in Ps. LXXIX, 12: *extendit palmites suos usque ad mare*. Hic ostendit quod mansio in Christo sit efficax, et primo ostendit eius efficaciam; secundo subdit efficaciae causam. Dicit ergo primo: dico, quod non solum necessaria est hominis mansio in me ut fructificet, sed etiam est efficax; quia *qui manet in me*, credendo, obediendo, perseverando, *et ego in eo*, illuminando, subveniando, perseverantiam dando, *hic*, et non alius, *fert fructum multum*. Fert, inquam, triplicem fructum in vita ista. Primus est abstinere a peccatis; Is. XXVII, v. 4: *hic est omnis fructus, ut tollatur peccatum*. Secundus est vacare operibus sanctitatis; Rom. VI, 22: *habetis fructum vestrum in sanctificatione* et cetera. Tertius fructus est vacare aedificationi aliorum; Ps. CIII, 13: *de fructu operum tuorum satiabitur terra*.



Fert etiam quartum fructum in vita aeterna; supra IV, 36: *fructum congregat in vitam aeternam*. Hic est ultimus et perfectus fructus laborum nostrorum; Sap. III, 15: *bonorum laborum gloriosus est fructus*. Ratio autem huius efficaciae est, *quia sine me nihil potestis facere*. In quo et corda instruit humilium, et ora obstruit superbiorum, et praecipue Pelagianorum, qui dicunt bona opera virtutum et legis sine Dei adiutorio ex seipsis facere posse: in quo dum liberum arbitrium asserere volunt, eum magis praecipitant. Ecce enim dominus hic dicit, quod sine ipso non solum magna, sed nec minima, immo nihil facere possumus. Nec mirum quia nec Deus sine ipso aliquid facit; supra, I, 3: *sine ipso factum est nihil*. Opera enim nostra aut sunt virtute naturae, aut ex gratia divina. Si virtute naturae, cum omnes motus naturae sint ab ipso verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciendum moveri potest sine ipso. Si vero virtute gratiae: cum ipse sit auctor gratiae, quia *gratia et veritas per Iesum Christum facta est*, ut dicitur supra I, v. 17: manifestum est quod nullum opus meritorium sine ipso fieri potest; II Cor. III, v. 5: *non quod sufficientes simus aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*. Si ergo nec etiam cogitare possumus nisi ex Deo, multo minus nec alia. Hic ponitur secunda ratio inhaesionis, quae sumitur ex comminatione poenae; quia nisi manserimus in ipso, non evademus poenam. Et ponit quinque quae poenam illam exaggerant: quorum quaedam pertinet ad poenam damni, scilicet expulsio a gloria; unde dicit *mittetur foras*. Sed aliquando videmus, quod in vite materiali aliquis palmes manet per exteriorem coniunctionem, non autem per humoris participationem: sic et aliqui manent in Christo solum per fidem, non tamen participant humorem vitis, quia non sunt in caritate. Unde tales mittentur foras, idest, separabuntur a societate bonorum; Ezech. c. XXXIV: *stabo, et separabo* et cetera. Secunda poena damni est arefactio; unde dicit *et arescet*. Unde si quid habebat a radice, amittet denudatus eius auxilio et vita. Nam mali Christiani viriditatem aliquam habere videntur; sed quando a sanctis et a Christo separabuntur, eorum ariditas apparebit; Ps. XXI, 16: *aruit tamquam testa virtus mea*. Tertia poena est eorum cum malis associatio; unde dicit *et colligent eum*, scilicet Angeli messorum, ad malos; quae quidem poena maxima est. Si enim ad horam esse cum malis, magna poena est, quanto magis esse perpetuo cum pessimis hominibus et Daemonibus? Is. XXIV, 22: *congregabuntur congregatione unius fascis in lacum*; Matth. c. XIII, 30: *colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum*. Quarta poena est sensus: unde dicit *et in ignem mittent*, scilicet aeternum; Ez. XV, 2: *quid fiet de ligno vitis? (...). Ecce igni datum est in escam*. Ligna enim si in vite non permaneant, contemptibilia sunt ceteris lignis; si vero maneant in vite, gloriosiora sunt. Unde dicit Augustinus: *unum ex duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis: si in vite non est, erit in igne*. Matth. XXV, 41: *ite, maledicti, in ignem aeternum*. Quinta poena est perpetuum ignis experimentum; unde subdit *et ardet*, in perpetuum; Matth. XXV, 46: *ibunt hi in supplicium aeternum*. Hic ponitur tertia inhaesionis causa, quae sumitur ex efficacia impetrationis, quasi diceret *si manseritis in me*, hunc fructum consequemini, scilicet *quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis*. Sed notandum, quod supra in admonitione inhaesionis duo posuit, quae hic resumit. Primum, scilicet *in me manete*, quod hic resumit dicens *si manseritis in me*. Secundum, *et ego in vobis*; et loco huius dicit *et verba mea in vobis manserint*. Quia Christus est verbum patris, omnia verba sapientiae sunt ab ipso; Eccli. I, 5: *fons sapientiae verbum Dei in excelsis*. Manifestum est ergo quod Christus est in nobis, quando verba sapientiae eius sunt in nobis; supra V, 38: *verbum Dei non habetis in vobis manens*. Ideo dicit *et verba mea in vobis manserint*, scilicet quadrupliciter, amando, credendo, meditando et implendo; Prov. IV, 20: *fili, ausculta sermones meos*, scilicet credendo, *et ad eloquia mea inclina aurem tuam*, scilicet obediendo, seu implendo, *ne recedant ab oculis tuis*, meditando, *et custodi ea in medio cordis tui*, amando; Ier. XV, 16: *inventi sunt sermones tui, et comedi eos*. Tunc ergo in nobis sunt verba Christi quando facimus quae praecepit, et diligimus quod promisit. Et ex hoc sequitur quod informamur quid petere debeamus; Rom. VIII, 26: *quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Unde et verbis suis nos orare docuit, Matth. VI, 9 et Lc. XI, 2. Sic ergo verba Dei credita et meditata informant nos ad petendum quae sunt nobis necessaria ad salutem. Sed verba Dei amata et impleta iuvant nos ad merendum; et ideo subdit *quodcumque volueritis, petetis*, discrete, perseveranter, *et fiet vobis*; infra XVI, v. 23: *si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*. Hic ponitur quarta ratio inhaesionis, quae sumitur ex gloria patris. Omnia opera nostra ad Dei gloriam referre debemus; Ps. CXIII, 1: *non nobis, domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*; I Cor. X, v. 31: *si manducatis aut bibitis, sive aliquid facitis; omnia in gloriam Dei facite*. Ostendit ergo dominus quod sumus in Christo, quia ex hoc fructificamus, et ex fructificatione nostra pater glorificatur; unde dicit *in hoc glorificatus est pater meus*, idest ad gloriam patris redundat, *ut plurimum fructum afferatis*. Ponit hic tria, ordine praepostero, quae se invicem consequuntur. Unum pertinet ad inhaesionem,

scilicet *efficiamini mei discipuli*, quod idem est quod *manete in me*. Et ex hoc sequitur secundum, scilicet *ut fructum plurimum afferatis*. Et ex hoc glorificatur pater meus: quasi diceret: ad gloriam patris est quod fructum plurimum afferatis, et fructum plurimum affertis ex hoc quod estis mei discipuli. Primo quidem bene vivendo; Matth. V, 16: *videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum*; et bene docendo, ex quo similiter Deus glorificatur, Is. XXIV, 15: *in doctrinis glorificate Deum*, et XLIII, 7: *omnem qui invocat nomen meum, in laudem et gloriam meam, creavi eum*. Ergo apostoli sunt terra illa quae fructum multum attulit, ut dicitur infra, 8: *et efficiamini mei discipuli*, per inhaesionem et caritatis fervorem. Haec enim sunt signa discipulatus Christi, scilicet inhaesio ad Christum; supra VIII, 31: *si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis*. Et ex hoc efficiuntur idonei ut ferant fructum doctrinae. Secundo caritatis observatio; supra XIII, 35: *in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem* et cetera. Et ex hoc efficiuntur idonei ut afferant fructum bonorum operum; I Cor. XIII, 2: *si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam* etc. quia ibi ponuntur sine caritate nihil valere.

## Lectio 2

[87522] Super Io., cap. 15 l. 2 Supra monuit dominus discipulos suos ut in eo manerent, hic ostendit quid sit in eo manere; et hoc tripliciter. Primo quidem quod manere in eo est manere in eius dilectione; secundo ostendit quod praecepta eius servare, est manere in eius dilectione, ibi *si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*; tertio ostendit quod observatio caritatis sit eius praeceptum, ibi *hoc est praeceptum meum* et cetera. Circa primum duo facit. Primo commemorat collatum discipulis beneficium; secundo hortatur eos ad perseverandum, ibi *manete in dilectione mea*. Dicit ergo primo, quod hoc quod in Christo manemus, est ex eius gratia; quae quidem gratia est effectus dilectionis ipsius, Ier. XXXI, 3: *in caritate perpetua dilexi te*. Ex quo patet quod omnia opera nostra bona sunt nobis ex beneficio divinae dilectionis. Non enim essent nobis, nisi quia fides per dilectionem operatur; nec diligeremus, nisi prius diligeremur. Et ideo hoc beneficium commemorans dixit *sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos*. Sed notandum, quod *ly sicut* quandoque denotat aequalitatem naturae, quandoque autem similitudinem actionis. Ariani autem errantes volebant, quod *ly sicut* importaret aequalitatem, et per hoc, quod superius saepius expressum est, concludebant, quod esset minor pater. Sed hoc est falsum; et ideo, secundum Augustinum, dicendum, quod *ly sicut* dicit similitudinem gratiae et dilectionis: nam dilectio qua filius diligit discipulos, est quaedam similitudo eius dilectionis qua pater diligit filium. Cum enim diligere aliquem sit velle ei bonum, pater diligit filium secundum divinam naturam, in quantum vult illi infinitum suum bonum, quod ipse habet, communicando ei eandem naturam numero quam ipse habet; supra V, v. 20: *pater diligit filium, et omnia demonstrat ei quae ipse facit*. Diligit etiam eum secundum humanam naturam; Oseae XI, v. 1: *puer Israel, et dilexi eum, et ex Aegypto vocavi filium meum*. Et ad hoc scilicet ut simul esset Deus et homo. Et ad nihil horum filius dilexit discipulos, nam neque ad hoc dilexit eos ut essent Deus per naturam, neque essent uniti Deo in persona; sed ad quamdam horum similitudinem eos dilexit, ut scilicet essent dii per participationem gratiae; Ps. LXXXI, 6: *ego dixi: dii estis*; II Petr. I, 4: *per quem magna nobis et pretiosa promissa donavit, ut divinae per hoc efficiamur consortes naturae*. Item ut assumerentur in unitatem affectus: quia *qui adhaeret Deo, unus spiritus est*; I Cor. VI, 17. Rom. VIII, 29: *quos praescivit, conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Sic ergo maius bonum Deus pater posuit filio secundum utramque naturam, quam filius discipulis, sed tamen simile, ut dictum est. *Manete in dilectione mea*, quasi diceret: ex quo tantum beneficium recepistis ex dilectione mea, *manete* in ea, ut scilicet me diligatis: vel *manete in dilectione mea*, quia ego diligo vos, scilicet in gratia mea, ut non excidatis a bonis quae praeparavi vobis. Et haec expositio magis congruit, ut sit sensus: perseveretis in hoc statu, ut scilicet diligamini a me per effectum gratiae; I Cor. VII, 20: *unusquisque in ea vocatione qua vocatus est, in illa permaneat*; I Io. IV, v. 16: *qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*. Hic ostendit quid sit manere in eius dilectione, et primo ostendit quod hoc est servare eius mandatum; secundo manifestat per exemplum, ibi *sicut et ego patris mei praecepta servavi*; tertio excludit dubium, ibi *haec locutus sum vobis ut gaudium meum in vobis sit*. Dicit ergo *manete in dilectione mea*, et hoc facietis, *si praecepta mea servaveritis*: sic enim manebitis in dilectione mea. Observatio enim mandatorum est effectus divinae dilectionis, non solum eius qua nos diligimus, sed eius qua ipse diligit nos. Ex hoc enim quod ipse diligit nos, movet nos et adiuvat ad implendum mandata eius, quae impleri non possunt nisi per gratiam, I Io. c. IV, 10: *in hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed*

*quoniam ipse prior dilexit nos.* Exemplum autem ad hoc subdit, dicens *sicut et ego patris mei praecepta servavi.* Sicut enim dilectio, qua pater diligit eum, est exemplum dilectionis qua ipse diligit nos; ita voluit quod obedientia sua sit exemplum obedientiae nostrae. Christus enim per hoc ostendit quod mansit in dilectione patris, quia, per omnia, mandata eius servavit. Nam et mortem sustinuit, Phil. II, 8: *factus est obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ab omni peccato abstinuit; I Petr. II, 22: *qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius.* Quae intelligenda sunt de Christo secundum quod homo; supra VIII, 29: *non reliquit me solum, quia quae placita sunt ei, facio semper.* Et ideo dicit: maneo in eius dilectione quia nihil in me, secundum quod homo, est dilectioni eius contrarium. Ne credant quod moneat eos ad mandata eius servanda propter utilitatem propriam, et non discipulorum, dicit *haec locutus sum vobis*, scilicet ut mandata mea servetis propter bonum vestrum, scilicet *ut gaudium meum in vobis sit.* Amor enim est causa gaudii: unusquisque enim gaudet de re amata. Deus autem se amat et creaturam, praecipue rationalem, cui infinitum bonum communicat. Christus ergo de duobus ab aeterno gaudet: scilicet de bono suo et patris; Prov. VIII, 30: *delectabar coram eo ludens in orbe terrarum.* Item de bono creaturae rationalis; ibid. VIII, 31: *deliciae meae sunt esse cum filiis hominum*, idest, in hoc quod comunicor filiis hominum: et de his gaudet ab aeterno; Is. LXII, 5: *gaudebit super te Deus tuus.* Vult ergo dominus ut per observantiam mandatorum suorum efficiamur participes gaudii sui; unde dicit *ut gaudium meum*, quo scilicet ego gaudeo de divinitate mea et patris, *sit in vobis*: quod nihil est aliud quam vita aeterna, quae est gaudium de veritate, ut Augustinus dicit; quasi diceret: ut habeatis vitam aeternam; Iob XXII, 26: *tunc super omnipotente deliciis afflues.* Et *gaudium vestrum*, quo ego gaudeo de humanitate mea, *repleatur.* Nam bona de quibus nos gaudemus, aut sunt imperfecta, aut imperfecte habentur; et ideo gaudium in hac vita plenum esse non potest. Tunc autem plenum erit quando perfecta bona perfecte consequemur; Matth. XXV, 21: *intra in gaudium domini tui.* Hic ostendit dominus quae sint praecepta eius, et primo proponit quid sit praeceptum suum; secundo inducit exemplum, ibi *sicut dilexi vos*; tertio commemorat beneficium, ibi *vos amici mei estis.* Praeceptum autem quod ponit, est praeceptum caritatis, quod servari vult. *Hoc est*, inquit, *praeceptum meum ut diligatis invicem.* Sed cum multa sint alia praecepta domini in sacro eloquio, quaeritur quare solum observationem caritatis dicit esse praeceptum suum. Ad quod, secundum Gregorium, dicendum est, quod caritas est radix et finis omnium virtutum. Radix quidem, quia ex caritate confirmata in corde hominis movetur homo ad implenda omnia alia praecepta; Rom. XIII, v. 8: *qui diligit proximum, legem implevit.* Ergo omnia praecepta quasi ad hoc ordinantur ut homo beneficiat proximo, et non molestet eum; quod quidem potissime ex caritate fit. Finis autem est, quia omnia praecepta ad ipsam ordinantur, et in sola caritate solidantur; I Tim. I, 5: *finis praecepti est caritas.* Dicit ergo *hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem*, quasi scilicet, a caritate omnia procedunt sicut a principio, et in caritate omnia ordinantur sicut in finem. Nam, sicut dicit Gregorius, *ut multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multae virtutes ex una radice generantur: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis.* Sed cum Matth. XXII, 40, dicatur, quod non solum in dilectione Dei, sed etiam proximi pendeat lex et prophetae, quare solum hic de dilectione proximi mentionem facit? Sed dicendum, quod unum includitur in alio: qui enim diligit Deum, necesse est ut proximum et ea quae sunt Dei diligat; et qui diligit proximum propter Deum, necesse est ut diligat Deum: licet enim obiecta sint diversa, tamen ipsi actus secundum consequentiam sunt unum. Est autem duplex ratio quare magis de dilectione proximi quam Dei mentionem facit. Una scilicet, quia in hoc intendit eos instruere, et inducere quomodo proximos aedificent, et quomodo fortes fierent ad tribulationes persecutorum perferendas; et ad utrumque caritas proximi necessaria est. Hic manifestat per exemplum quomodo proximum debeamus diligere, ita scilicet, quomodo Christus dilexit nos. Christus autem dilexit nos ordinate et efficaciter. Ordinate quidem, quia nil in nobis dilexit nisi Deum, et in ordine ad ipsum; Eccli. XXIV, 24: *ego mater pulchrae dilectionis* et cetera. Efficaciter autem, quia intantum dilexit ut semetipsum pro nobis traderet; Eph. c. V, 2: *dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Nos ergo debemus proximos diligere, scilicet sancte ad bonum, et efficaciter scilicet ut dilectionem opere ostendamus; I Io. III, 18: *non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. Maiorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hic ostendit efficaciam dilectionis, quae est ut quis mortem sustineat pro amicis, quod est signum maximae dilectionis. Sed contra hoc obiicitur, quod maioris dilectionis signum dicitur quando aliquis animam suam ponit pro inimicis suis, ut Christus fecit; Rom. V, 8: *commendat Deus caritatem suam in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis, mortuus est.* Ad quod dicendum, quod Christus non posuit animam suam pro nobis inimicis, ut scilicet inimici remaneremus, sed ut amicos efficeret: vel licet non essent amici quasi

amantes, erant tamen amici ut amati. Est autem manifestum quod maximae dilectionis est signum, propter amicos animam ponere, quia, in ordine diligibilium quatuor ordinata sunt, scilicet Deus, anima nostra, proximus, et corpus nostrum. Et Deum debemus diligere super nos ipsos et supra proximos, ita ut pro Deo nos ipsos, scilicet animam et corpus et proximum dare debeamus. Pro anima autem nostra corpus est ponere, non tamen eam dare. Pro proximo autem vitam corporalem et corpus debemus exponere pro salute proximi: et ideo, cum vita corporalis sit potissimum quod nos post animam habeamus, ideo potissimum est ipsam exponere propter proximum, et maioris dilectionis signum; I Io. c. IV, 9: *in hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.*

### Lectio 3

[87523] Super Io., cap. 15 l. 3 Supra dominus monuit nos ad dilectionem fraternam, et hoc exemplo sui, hic ostendit discipulis beneficium praestitum, per quod obligati erant ad Christi imitationem: scilicet quod Christus eos ad amorem suum assumpsit. Et primo ponit amicitiae signum; secundo subiungit causam, ibi *non vos me elegistis* et cetera. Ponit autem duplex amicitiae signum: unum ex parte discipulorum; aliud ex parte sui ibi *iam non dicam vos servos*. Signum autem ex parte discipulorum, quod sunt amici Christi, est observatio mandatorum eius; unde dicit *vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis*; quasi diceret: usque modo monui vos ut diligeretis invicem, sed modo moneo et dico de amicitia vestra ad meipsum. Potest autem hoc quod dicit *vos amici mei estis*, dupliciter intelligi, secundum quod amicus dupliciter dicitur, scilicet qui amat et qui amatur; et secundum utrumque, verum est quod subdit *si feceritis quae ego praecipio vobis*. Et qui Deum amant, mandata illius servant; quia cum amicus dicatur quasi animae custos, ut Gregorius dicit, non immerito qui voluntatem Dei in praeceptis eius custodit, amicus eius vocatur. Item, quos Deus amat, mandata Dei servant, in quantum conferendo eis gratiam suam, adiuvat ad servandum: Deus enim nos amando, facit suos dilectores; Prov. VIII, 17: *ego diligentes me diligo*: non quasi prius fuerint diligentes, sed quia ipse eos diligentes facit diligendo. Sed sciendum, quod mandatorum observatio non est divinae amicitiae causa, sed signum: scilicet et quod Deus diligit nos, et quod nos diligamus eum; Sap. VI, v. 19: *dilectio illius custodia legum est*; I Io. c. II, 4: *qui dicit se amare Deum, et mandata eius non custodit, mendax est*. Ex parte autem Christi ponitur amicitiae signum, cum dicit *iam non dicam vos servos*, et primo excludit quod videtur amicitiae contrarium; secundo ponit verae amicitiae signum, ibi *vos autem dixi amicos* et cetera. Amicitiae autem contrariatur servitus, et ideo primo excludit servitatem, dicens *iam non dicam vos servos*; quasi dicat: etsi olim fueritis quasi servi sub lege, nunc estis quasi liberi sub gratia; Rom. VIII, 15: *non accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Secundo subdit rationem, dicens *quia servus nescit quid faciat dominus eius*: servus enim est quasi extraneus a domino; supra c. VIII, 35: *servus non manet in domo in aeternum*. Extraneis autem secreta committenda non sunt; Prov. XXV, 9: *secreta extraneo ne reveles*, unde nunc servis secreta committenda non sunt. Potest autem hoc ad praecedentia sic continuari. Possent discipuli dicere, quod si servamus praecepta tua, sumus amici tui; sed servare praecepta est magis servitutis quam amicitiae: et ideo hoc excludens dominus dicit *iam non dicam vos servos*. Sed dubitatur hic. Cum ipsi apostoli dicant se servos Christi; sicut: *Paulus apostolus servus Christi Iesu*, et David: *servus tuus ego sum*, et etiam ipsi qui introducendi sunt in vitam aeternam: Matth. XXV, 23: *euge serve bone et fidelis (...) intra in gaudium domini tui*: quid est hoc quod dominus dicit *iam non dicam vos servos*? Dubitatur etiam de hoc: quia cum frequenter domini servis suis secreta revelent, et etiam Deus, Amos III, 7: *non faciet Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas*: non videtur verum quod hic dicit *servus nescit quid faciat dominus eius*. Respondeo. Dicendum, secundum Augustinum, quod servitus proprie ex timore creatur. Est autem duplex timor: scilicet servilis, quem expellit caritas, I Io. IV, 18: *timor non est in caritate*; alius est timor filialis, qui ex caritate generatur, quia timet perdere quis quod amat; et hic est timor bonus et castus, de quo dicitur in Ps. XVIII, v. 10: *timor domini sanctus permanet in saeculum saeculi*. Et secundum hoc sunt duae servitutes. Una quae procedit ex timore filiali; et secundum hanc servi sunt iusti omnes, et filii Dei, ut obiiciebatur. Alia servitus, est quae procedit ex timore poenae, et contrariatur dilectioni; et de hac dicit *iam non dicam vos servos*. Sciendum est etiam, quod servus proprie est qui non est causa sui: liber vero qui est sui causa. Est ergo differentia inter operationes servi et liberi: quia servus operatur causa alterius; liber autem causa sui operatur, et quantum ad causam finalem operis, et quantum ad causam moventem. Nam liber propter se operatur, sicut propter finem, et a

se operatur, quia propria voluntate movetur ad opus; sed servus nec propter se operatur sed propter dominum, nec a se sed a domini voluntate, et quasi quadam coactione. Sed contingit aliquando quod aliquis servus operatur causa alterius, sicut causa finali; operatur tamen a se, in quantum se movet ad opus: et haec est bona servitus, quia ex caritate movetur ad bona opera facienda; sed non operatur propter se: quia caritas non quaerit quae sua sunt, sed quae sunt Iesu Christi et salutis proximorum. Qui autem omnino causa alterius operantur, sunt mali servi. Patet ergo quod discipuli servi erant, sed bona servitute, quae ex amore procedit. Ad secundam quaestionem dicendum, quod ille servus qui movetur solum ab alio, et non a se, habet se ad moventem sicut instrumentum ad artificem. Instrumentum autem communicat cum artifice in opere, sed non in operis ratione. Sic ergo tales servi participant solum in opere; sed quando servus operatur ex propria voluntate, necesse est quod rationem operis sciat, et quod revelentur ei occulta, per quae ea scire possit quae agit, Eccli. XXXIII, 31: *servus si est tibi fidelis, sit tibi quasi anima tua*. Apostoli autem, ut dictum est, a se movebantur ad bona opera facienda, scilicet ex propria voluntate per amorem inclinata; et ideo dominus secreta sua revelat eis. Sed de malis servis verum est quod nesciunt quid faciat dominus eorum. Sed quae sunt illa quae nesciunt? Illa proprie quae in nobis Deus facit. Omnia enim bona quae facimus, Deus in nobis operatur Is. XXVI, 12 et Phil. II, 13: *operatur in nobis et velle et perficere*. Servus ergo malus ex superbia cordis sui obtenebratus, dum quod facit, sibi attribuit, *nescit quid faciat dominus eius*. Hic ponit verum signum amicitiae ex parte sua, quod est quia *quaecumque audivi a patre meo, nota feci vobis*. Verum enim amicitiae signum est quod amicus amico suo cordis secreta revelet. Cum enim amicorum sit cor unum et anima una, non videtur amicus extra cor suum ponere quod amico revelat; Prov. XXV, 9: *causam tuam tracta cum amico tuo*. Deus autem faciendo nos participes suae sapientiae, sua secreta nobis revelat; Sap. VII, 27: *per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit*. Sed dubitatur hic primo, quae et qualiter filius a patre audit. Quod quidem pluries iam manifestatum est. Cum enim audire sit scientiam ab alio accipere, audire filium a patre nihil aliud est quam scientiam ab eo accipere; scientia autem filii est eius essentia: filium ergo audire a patre, est accipere essentiam eius ab eo. Dubitatur etiam de hoc quod dicit *omnia quaecumque audivi a patre meo, nota feci vobis*. Si ergo omnia eis nota fecit, sequitur quod tot sciebant discipuli quot et filius. Responsio. Dicendum, secundum Chrysostomum *omnia quaecumque audivi*, quae scilicet vos audire oportebat, *nota feci vobis*; non autem omnia simpliciter; infra XVI, v. 12: *multa habeo vobis dicere, quae non potestis portare modo*. Vel dicendum, secundum Augustinum, quod dominus propter certitudinem dicendorum utitur praeterito pro futuro; ut sit sensus *omnia quaecumque audivi a patre meo, nota feci vobis*, idest, faciam in plenitudine, de qua dicit apostolus I Cor. XIII, v. 12: *tunc cognoscam sicut et cognitus sum*; infra XVI, 25: *in illo die palam de patre meo annuntiabo vobis*, quando scilicet introducet nos ad visionem patris. Omnia enim quae scit filius, scit pater. Quando ergo revelabit nobis patrem, revelabit omnia quae scit, et id quod scimus. Vel dicendum, secundum Gregorium, et melius. Eiusdem rei potest haberi cognitio perfecta et imperfecta: sicut in scientiis apparet quod qui scit principia omnia unius scientiae dicitur scire scientiam illam, sed imperfecte eam scit. Unde qui docet aliqua principia alicuius scientiae, potest dicere se docuisse scientiam illam, quia omnia quae sunt scientiae illius, sunt in principiis eius virtute; sed illam eandem scientiam perfectius scit quando conclusiones singulas, quae virtute erant in principiis, novit. Sic ergo et de divinis potest haberi duplex cognitio. Una imperfecta: et haec habetur per fidem, quae est praelibatio illius futurae beatitudinis et cognitionis quam habebimus in patria; Hebr. c. XI, 1: *est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Unde de hac cognitione dicit *omnia nota feci vobis*, scilicet in fide, secundum quamdam praelibationem, sicut conclusiones virtute sunt in principiis. Unde dicit Gregorius: *omnia quae nota facit servis suis, sunt gaudia internae caritatis et festa supernae patriae, quae quotidie mentibus per aspirationem sui amoris imprimit, dum enim audita superna caelestia amamus, amata iam novimus: quia ipse amor notitia est*. Hic ponit amicitiae causam. Consuetum est autem apud homines ut unusquisque sibi attribuat causam amicitiae; Eccli. XXXVII, 1: *omnis amicus dicit: et ego amicitiam copulavi*. Et sic multi attribuunt sibi divinae amicitiae causam, dum sibi principium bonorum operum attribuunt et non Deo. Et dominus hoc excludens dicit *non vos me elegistis*; quasi dicat: quisquis ad hanc dignitatem amicitiae vocatus est, non sibi causam amicitiae attribuat, sed mihi eum ad hoc eligenti. Et primo ponit gratuitam Dei electionem; secundo exponit ad quid eliguntur, *ibi et posui vos, ut eatis et fructum offeratis*. Dicit ergo *non vos me elegistis*, ut scilicet ego essem amicus vester, *sed ego elegi vos*, ut facerem amicos meos; I Io. IV, 10: *non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*. Est autem duplex Dei dilectio. Una aeterna qua praedestinamur; Eph. I, 4: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Alia temporalis, qua ab ipso vocamur,

quae nihil est aliud quam executio aeternae praedestinationis: quia quos elegit praedestinando, hos etiam elegit vocando; Rom. VIII, 30: *quos praedestinavit, hos et vocavit* etc.; Lc. VI, v. 13: *elegit duodecim, quos et apostolos nominavit*. Sunt autem aliqui dicentes, electionem Dei temporalem ex meritis electorum causari. Sed hoc est contra illud quod hic dicitur. Nam si ideo elegit te quia bonus eras, non autem poteras bonus esse nisi bonum eligeres; hoc autem bonum potissime est Deus; ergo primo elegisti bonum, quod est Deus, quam eligereris. Sed dominus dicit contrarium *non vos me elegistis, sed ego elegeri vos*. Non ergo dicendum, quod aliquod bonum ex parte nostra totaliter praecedat electionem Dei. Dico autem totaliter, quia aliquod bonum particulare in nobis existens, potest esse causa alterius boni nobis dandi, et hoc alterius, cum sit quidam ordo in divinis donis; sed universaliter nihil potest esse causa et praecedere divinam electionem: quia omnia bona sunt nobis a Deo. Sed de aeterna electione adhuc magis erroneum esset dicere, quod ab electione nostra praecederetur. Fuerunt tamen aliqui qui dicerent, quod merita nostra praecedentia sunt causa illius electionis: et hic fuit error Origenis, qui dixit animas hominum simul fuisse creatas aequales, et quibusdam stantibus, quaedam minus et quaedam magis peccaverunt; et ideo quaedam meruerunt habere gratiam, quaedam non. Sed contra hoc est, quod dominus dicit: *non vos me elegistis*. Alii autem dicunt quod verum est quod merita in actu existentia non sunt causa praedestinationis, sed praexistentia in praescientia Dei; dicentes quod quia Deus scivit aliquos bonos futuros et bene usuros gratia, ideo proposuit eis gratiam se daturum. Sed si hoc esset, sequeretur quod ideo elegit nos, quia praescivit nos ipsum electuros. Et sic electio nostra praevia esset electioni divinae, quod est contra sententiam domini. Sed forsitan diceret aliquis: quae electio poterat esse, qui nihil eramus et nulla inter nos erat praeeminentia? Sed eum qui dicit huiusmodi, decipit modus electionis humanae secundum quem credit esse electionem divinam. Sed aliter et aliter se habent: quia electio nostra causatur ex bono iam praeeistente; sed electio divina est causa influentiae maioris boni in uno quam in alio. Cum enim electio sit actus voluntatis: secundum quod diversimode voluntas Dei et hominis se habent ad bona, sic diversus est electionis eorum modus. Voluntas autem Dei se habet ad bonum creatum ut causa eius; Sap. XI, 26: *quomodo potuissent illa esse, nisi tu voluisses?* Et sic bonum derivatur ad res creatas ex voluntate Dei. Unde Deus aliquem alteri praeeligit, in quantum plus ei de bono influit quam alteri. Voluntas autem hominis movetur ad aliquid ex bono praeeistente apprehenso: et ideo oportet in electione nostra unum bonum praeesistere alteri. Ideo autem Deus uni magis quam alteri bonum influit, ut reluceat ordo in rebus: sicut apparet in rebus materialibus, quod materia prima quantum est de se, est uniformiter disposita ad omnes formas. Ipsae etiam res antequam sint, non sunt dispositae ad hoc vel illud esse; sed ut servetur ordo in eis, diversas formas et diversum esse sortiuntur a Deo. Et similiter in creatura rationali quidam eliguntur ad gloriam, quidam reprobantur ad poenam; II Tim. II, 19: *novit dominus qui sunt eius (...). In magna enim domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia: et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam*. Et sic apparet diversus ordo: dum in quibusdam rebus relucet Dei misericordia, quos absque ullis meritis praecedentibus ad gratiam praeparat; in quibusdam autem Dei iustitia, dum eos ex propriis culpis, citra condignum tamen, deputat poenae. Sic ergo elegeri vos ab aeterno praedestinando et vocando ad fidem ex tempore. Ad quod autem eos elegit, subdit consequenter cum dicit *et posui vos ut eatis et fructum afferatis*, et primo ponit ad quid elegerit; secundo rationem dictorum assignat, ibi *haec mando vobis, ut diligatis invicem*. Circa primum duo facit. Primo ostendit quod elegit ad aliquid agendum; secundo quod elegit ad aliquid recipiendum, ibi *ut quodcumque petieritis patrem in nomine meo, det vobis*. Dicit ergo *posui vos*, idest, dedi vobis ordinem in Ecclesia mea; I Cor. XII, v. 28: *posuit Deus in Ecclesia primum quidem apostolos et cetera*. Item *posui vos*, idest, firmiter vos disposui; Gen. I, 16: *fecit Deus luminaria magna, et posuit ea in firmamento caeli*; Iud. V, 20: *stellae manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt*. Positio enim ordinem et firmitatem importat. *Posui*, inquam, ad tria. Primo quidem ad eundem: unde dicit *ut eatis*, per mundum discurrendo, ut totum convertatis ad fidem; Mc. ult., 15: *euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae*. Vel *ut eatis*, idest proficiatis de virtute in virtutem; Ps. LXXXIII, 8: *ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion*; Oseae, ult., 6: *ibunt rami eius ut Libani*. Secundo ad fructum afferendum, unde dicit *et fructum afferatis* scilicet conversionis fidelium, quantum ad primum iter; Rom. I, v. 13: *ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in ceteris gentibus*. Vel fructum spiritualem internam, quantum ad secundum iter; Gal. V, 22: *fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax et cetera*. Eccli. XXIV, 23: *flores mei fructus honoris et honestatis*. Tertio ut fructum afferant qui non perdatur per mortem seu peccatum; unde dicit *et fructus vester maneat*, scilicet congregatio fidelium in vitam aeternam perducatur, et fructus spiritualis magis proficiat; supra, IV, v. 36: *et fructum congregat in vitam aeternam*. Ut

*quodcumque petieritis.* Hic ostendit quod elegerit ad aliquid recipiendum, scilicet omnia quae petierint. Quasi diceret: posui vos ad hoc ut essetis digni recipere a patre in nomine meo; I Io. III, 21: *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo. Haec mando vobis.* Hic assignat rationem rerum quae dixit. Posset enim quis dicere, quare haec omnia Christus diceret eis. Unde dominus respondens dicit *haec mando vobis, ut diligatis invicem;* quasi, omnia quae dico, sunt inducentia vos ad dilectionem proximorum: I Tim. I, 5: *fnis praecepti est caritas.* Vel dicendum, secundum Chrysostomum, quod possent discipuli dicere: domine, cur nobis tot de dilectione tua commemoras? Numquid ut improperes? Sed dominus dicit: non, immo ut incitem vos ad dilectionem proximi; I Io. IV, 21: *hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.*

#### Lectio 4

[87524] Super Io., cap. 15 l. 4 Posita similitudine vitis et palmitum, et explanata quantum ad inhaesionem palmitum ad vitem, hic consequenter explanat eam quantum ad ipsorum purgationem, quae futura erit per tribulationes. Consolatur eos ergo dominus contra tribulationes quas passuri erant, et primo rationes ex quibus eos consolatur proponit; secundo ipsas rationes exponit, ibi *mementote sermonis mei* etc.; tertio excusationes persequentium excludit, ibi *si non venissem, et eis locutus non fuisset, peccatum non haberent.* Ponit autem duas rationes ad eorum consolationem, quarum una sumitur ex exemplo; secunda ex causa, ibi *si de mundo fuissetis* et cetera. Consolatur ergo eos dominus exemplo sui, qui et passus est persecutiones tyrannorum; unde dicit *si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Sciendum est enim, quod sicut omnium beneficiorum principium est amor, ita et persecutionum omnium principium est odium: et ideo dominus praenuntiat eis odium futurum; Matth. XXIV, 9: *odio eritis omnibus hominibus;* Lc. VI, 22: *beati eritis cum vos oderint homines* et cetera. Dicit ergo: *si mundus vos odit* idest futurum est quod mundus vos odio habeat, et manifestabit odium suum persequendo vos; *scitote quia me priorem odio habuit,* supra c. VII, 7: *non potest mundus odisse vos; me autem odit.* Sed haec est grandis consolatio iustis ad fortiter sustinendum persecutiones; Hebr. XII, 3: *recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes;* I Petr. II, 21: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Et ideo, secundum Augustinum, non debent se membra supra verticem extollere, nec recusare se in corpore esse, nolendo mundi odium sustinere cum capite. Mundus autem dupliciter accipitur. Quandoque quidem in bonum, pro his qui bene vivunt in mundo; II Cor. V, 19: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Quandoque autem in malum, scilicet pro amatoribus mundi; I Io. V, 19: *mundus totus in maligno positus est.* Sic ergo totus mundus totum odit mundum: quia amatores mundi, qui sunt per totum mundum diffusi, odiunt mundum totum, idest Ecclesiam bonorum per totum mundum roboratam. *Si de mundo fuissetis,* hic ponitur secunda ratio sumpta ex causa odii. Quando enim quis odium alicuius sustinet propter culpam suam, dolendum est et tristandum; sed quando propter virtutem, gaudendum. Primo ergo ostendit quae sit causa quare aliqui diliguntur a mundo; secundo ostendit quare apostoli a mundo odio habentur, ibi *quia vero de mundo non estis (...)* propterea odit vos mundus. Causa autem quare aliqui diliguntur, est similitudo eorum ad mundum; unde dicit *si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret.* Omne simile sibi simile diligit; Eccli. XIII, 20: *omnis caro ad simile sibi coniungetur.* Et ideo mundus, idest amatores mundi diligunt mundi amatores; unde dicit *si de mundo fuissetis,* idest sequentes mundum, *mundus quod suum erat diligeret,* sicut suos, et sibi similes; supra VII, 7: *non potest mundus odisse vos; me autem odit;* I Io. IV, 5: *de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit.* Sed contra. Per mundum intelligit hic dominus principes mundi, qui persecuturi erant apostolos; sed ipsi iidem principes persequuntur aliquod mundanos inventos, puta homicidas et latrones: ergo mundus non diligit quod suum est, sicut nec apostolos. Respondeo. Dicendum est quod est reperire aliquid pure bonum, sed pure malum nihil invenitur, cum subiectum mali sit bonum. Malum ergo culpae fundatur in bono naturae. Unde non potest aliquis homo esse peccator et malus, quin habeat aliquid boni. Sic ergo secundum malum quod habent, scilicet infidelitatem, pertinent ad mundum, et odiunt apostolos et eos qui de mundo non sunt; sed secundum bonum quod habent, non sunt de mundo, et odio habent eos qui de mundo sunt, scilicet fures et latrones, et cetera huiusmodi. Erant tamen aliqui in mundo bene viventes: qui apostolos diligebant, eorum facta approbando. Sed adhuc magis videtur dubium esse: quia ad mundum pertinet omne peccatum, et sic secundum quodlibet peccatum aliquis est de mundo. Sed videmus quod aliqui homines

convenientes in aliquo peccato, se invicem odio habent, sicut superbi; Prov. XIII, 10: *inter superbos semper iurgia sunt*: et avarus odit avarum. Unde, secundum philosophum, figuli conrixantur adinvicem. Mundus ergo odit mundum. Non ergo videtur verum esse quod dominus dicit *mundus quod suum erat diligeret*. Responsio. Dicendum, quod duplex est amor: amicitiae scilicet et concupiscentiae, sed differunt: quia in amore concupiscentiae, quae sunt nobis extrinseca, ad nos ipsos trahimus, cum ipso amore diligamus alia, inquantum sunt nobis utilia vel delectabilia; sed in amore amicitiae est e converso, quia nosmetipsos trahimus ad ea quae sunt extra nos; quia ad eos quos isto amore diligimus, habemus nos sicut ad nosmetipsos, communicantes eis quodammodo nosmetipsos. Unde in amore amicitiae similitudo est causa amoris, non enim sic diligimus aliquem nisi inquantum sumus unum cum eo: similitudo autem est unitas quaedam. Sed in amore concupiscentiae, sive sit utilis, sive delectabilis, similitudo est causa separationis et odii. Cum enim isto amore aliquem diligam inquantum est mihi utilis vel delectabilis, quidquid est impeditivum utilitatis seu delectationis, habeo odio contrarium. Et inde est quod superbi iurgantur adinvicem, inquantum unus usurpat sibi gloriam quam alius amat, et in qua delectatur; figuli etiam, inquantum unus trahit ad se lucrum, quod alius pro se volebat. Sed sciendum, quod amor concupiscentiae non est rei concupitae, sed concupiscentis: propter hoc enim quis hoc amore aliquem diligit, inquantum est sibi utilis, ut dictum est. Et ideo magis diligit in hoc se quam illum: sicut qui diligit vinum quia est sibi delectabile, se potius quam vinum diligit. Sed amor amicitiae est potius rei amatae quam amantis, quia diligit aliquem propter ipsum dilectum, non propter ipsum diligentem. Sic ergo, quia in amore amicitiae similitudo causa est amoris, dissimilitudo causa odii, inde est quod mundus odio habet quod suum non est et sibi dissimile, et diligit, idest dilectione amicitiae, quod suum est. Sed de dilectione concupiscentiae est e converso. Et ideo dicit *si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret*, scilicet amore amicitiae. Hic ponit causam quare apostoli habentur odio a mundo, quae est dissimilitudo. Dicit ergo *quia vero de mundo non estis*, mentis scilicet elevatione, quamvis sitis per originem; supra VIII, 23: *vos de deorsum estis: ego autem de supernis sum*. Et hoc quidem, quia elevati estis a mundo, non ex vobis, sed ex gratia mea, quia scilicet, *ego elegi vos de mundo*; supra eodem: *ego elegi vos; propterea*, quia scilicet de mundo non estis, *odit vos mundus*, idest mundi amatores, ut eis dissimiles: Prov. c. XXIX, 27: *abominantur iusti impios, et abominantur impii eos qui in recta sunt via*. Et ibid. 10: *virum sanguinum oderunt* et cetera. Potest autem triplex ratio assignari quare mundus odit sanctos. Prima est diversitas conditionis: quia scilicet mundus in morte est, sed sancti sunt in statu vitae; I Io. III, 13: *nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Et ideo dicit Sap. II, 15: *gravis est nobis etiam ad videndum*. Secunda ratio est displicentia correctionis. Nam sancti viri et verbis et factis mundi facta reprehendunt; et ideo mundus odit eos; Amos V, v. 10: *odio habuerunt corripientem in porta*; supra VII, 7: *me autem odit*, scilicet mundus, *quia testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt*. Tertia ratio est iniquitas aemulationis, qua mali invident viris iustis, cum eos vident crescere et multiplicari in bonitate et sanctitate; sicut Aegyptii videntes crescere filios Israel, habebant eos odio, et persequebantur, Ex. I, 9 ss., et Gen. XXXVII, 4, dicitur, quod videntes fratres Ioseph quod a cunctis plus amaretur, oderant eum. Hic explicat rationes supradictas, et primo primam, quae pertinet ad exemplum; secundo secundam, quae pertinet ad causam odii, ibi *sed haec omnia facient vobis propter nomen meum*. Circa primum duo facit. Primo commemorat diversitatem gradus sui ad discipulos; secundo ostendit similitudinem factorum, ibi *si me persecuti sunt, et vos persequentur*. Diversitas gradus Christi ad discipulos erat, quia ipse dominus erat, illi autem servi; unde supra XIII, 16, dicit: *non est servus maior domino suo*. Hanc ergo diversitatem commemorat, dicens *mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis*, supra c. XIII, 16, scilicet quod *non est servus maior domino suo*. Ergo non debet esse vobis indignum, si patiamini ea quae passus est dominus vester; immo debetis vobis reputare hoc ad magnam gloriam. Unde Matth. c. XX, 22, discipulis petentibus sedere unus ad dexteram et alius ad sinistram, dixit: *potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Eccli. XXIII, 38: *gloria magna est sequi dominum*; Matth. X, 25: *sufficit discipulo ut sit sicut magister eius*. Sed contra. Supra eodem, dixit: *iam non dicam vos servos*, hic autem: *non est servus maior domino suo*. Respondeo dicendum, quod duplex est servitus. Una procedens ex timore servili, scilicet poenae: et secundum hanc apostoli non erant servi; alia ex timore casto, et talis servitus erat in apostolis; Lc. XII, 37: *beati servi illi quos cum venerit dominus invenerit vigilantes*. Si ergo estis servi, et ego dominus, debetis esse contenti quod ea fiant vobis quae facta fuerunt mihi. Me autem quidam contempserunt, et quidam receperunt; supra I, 11: *in propria venit, et sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*: et vos similiter si aliqui contemnent, aliqui tamen honorabunt. Unde dicit *si me*



*persecuti sunt, et vos persequentur*: ubi ponitur similitudo sanctorum, quia eadem est ratio persecutionis quam exercebant in discipulos et in Christum, quia in discipulis Christum persequerentur; Act. IX, 4, in persecutione discipulorum Christus dicebat se persequi: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et ideo propter identitatem causae sequitur consequentia *si me persecuti sunt, et vos persequentur*; Matth. X, 25: *si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius?* De ista persecutione dicitur Matth. XXIII, v. 34: *ecce mitto ad vos sapientes et Scribas, et ex illis occiditis et crucifigitis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem*. Et similiter eadem ratio est honorationis; et ideo dicit *si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt*: quia verba vestra sunt mea verba; II Cor. ult., 3: *an experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus?* Matth. X, 20: *non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*; et ideo Lc. X, v. 16, dicit: *qui vos audit, me audit*. Quod autem recepti sint ab aliquibus apostoli, et honorati, patet I Thess. II, 13: *et vos cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei*. Hic explicat rationem consolationis, quae sumitur ex causa odii. Apostoli enim electi erant et elevati supra mundum, in quantum erant effecti participes divinitatis, et coniuncti Deo et ideo mundus eos odio habebat: ex quo sequitur quod potius Deum in eis quam ipsos mundus odiret. Et huius odii causa erat, quia non habebant veram Dei notitiam, scilicet per veram fidem et devotum amorem: alias si cognovissent eos Dei amicos, eos non fuissent persecuti. Et ideo dicit *haec omnia, quod odiunt et persequuntur vos, facient vobis propter nomen meum*, et ideo debet vobis esse gloriosum; I Petr. IV, 15: *nemo nostrum patiatur quasi fur aut homicida aut maledicus aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine*. Non autem propter nomen meum, quasi ipsum ament, sed quia ipsum odio habent. Sicut e contrario vos patiemini propter nomen meum, quia ipsum amatis. Et haec facient, *quia nesciunt eum qui me misit*; supra VIII, 19: *si me sciretis, et patrem meum utique sciretis*. Nesciebant enim Deo esse acceptum, quod Christo adhaerent. Sed attendendum, quod hic loquitur de cognitione perfecta, quae consistit in fide perficiente intellectum, et coniungente Deo affectum: de qua cognitione dicitur Ier. IX, v. 24: *in hoc gloriatur qui gloriatur, scire et nosse me*; Sap. XV, 3: *nosse te, sensus est consummatus* et cetera.

## Lectio 5

[87525] Super Io., cap. 15 l. 5 Supra dominus tractans de persecutione quae discipulis a Iudaeis superventura erat, rationem assignavit: quia nesciunt eum qui misit eum. Sed quia ignorantia excusare solet, ideo hic eos ostendit esse inexcusabiles; et hoc dupliciter. Primo per ea quae ipse personaliter circa eos fecit et docuit; secundo per ea quae in eius absentia futura erant, ibi *cum autem venerit Paraclitus* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ostendit eos inexcusabiles esse propter veritatis doctrinam; secundo propter signorum evidentiam, ibi *si opera non fecissem*. Circa primum tria facit. Primo ostendit quid eis possit ad excusationem suffragari; secundo ostendit eos hoc suffragio carere, ibi *nunc autem excusationem non habent de peccato suo*; tertio ostendit ex qua radice procedit eorum persecutio, ibi *qui me odit, et patrem meum odit*. Dicit ergo quod *haec omnia facient vobis propter nomen meum*: et quidem de his excusari possent, *si non venissem, et locutus eis non fuisset*; id est, si non ostendissem me personaliter, et eos personaliter non docuissem, *peccatum non haberent*. Sed contra; Rom. III, 23: *omnes peccaverunt, et egent gratia Dei*. Sed dicendum, quod non loquitur hic dominus de quocumque peccato, sed de peccato infidelitatis, quod non credunt in Christum: quod antonomastice peccatum dicitur, quia isto peccato existente, nullum aliud peccatum remitti potest, cum nullum peccatum remittatur nisi per fidem Iesu Christi, per quem est iustitia, ut dicitur Rom. V, 1. Et ideo idem est quod dicit *peccatum non haberent*, ac si diceret: non imputaretur eis quod in me non credunt. Et hoc primo, quia *fides est ex auditu*: Rom. X, 17. Unde si non venisset, et locutus eis non fuisset, non potuissent credere. Nulli autem imputatur ad peccatum, si non facit quod nullo modo facere potest. Et si dicatur, quod tenebantur, et credere poterant, etiam si Christus non venisset, cum fuerit eis annuntiatum per prophetas, Rom. I, 2: *quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo* etc., respondendum est, quod nec ipsa verba prophetarum Iudaei per se credere et intelligere poterant nisi eis divino auxilio ostenderentur; Dan. XII, 9: *clausi sunt signatque sermones usque ad tempus*. Unde Act. c. VIII, 31, dicebat eunuchus: *quomodo intelligere possum nisi aliquis ostenderit mihi?* Sic ergo si Christus non venisset, hoc peccatum, scilicet, infidelitatis, non haberent, quamvis alia peccata actualia habuissent propter quae fuissent puniti. Et similis ratio est de omnibus

illis ad quos praedicatio verbi Dei pervenire non potuit. Unde non imputatur eis ad condemnationem infidelitatis peccatum; sed privati beneficio Dei propter alia eorum peccata actualia et originalia, damnabuntur. Sciendum autem quod multis Christi adventus et doctrina cessit in bonum, illis scilicet qui eum receperunt, et sermonem suum servaverunt; et multis ad malum, illis scilicet qui nec eum audire nec ei credere voluerunt; Is. VIII, 14: *erit vobis in lapidem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel; in laqueum et ruinam habitantibus Ierusalem*; Lc. II, 34: *positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum*. Sic ergo posuit per quid ab infidelitate excusari possent. Sed hoc excusationis suffragio carent, quia et eis personaliter se exhibuit Christus, et eos docuit. Unde dicit *nunc autem*, scilicet ex quo veni, et locutus fui, *excusationem non habent* scilicet per ignorantiam, *de peccato suo*; Rom. c. I, 20: *ita ut sint inexcusabiles: quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Quod autem ipsi cognoverint Christum, patet Matth. XII, 7: *hic est heres: venite, occidamus eum*. Sed cognoverunt eum esse Christum promissum in lege, non autem esse Deum: quia *si hoc cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixissent*. Non ergo est eis ignorantia ad excusationem: quia non ex ignorantia hoc fecerunt, sed ex alia radice, scilicet ex odio et certa malitia. Unde subdit *qui me odit, et patrem meum odit*, quasi dicat: non ignorantia, sed odium quod habuerunt ad me, est eis ad peccatum, et hoc, quia redundat in odium patris. Cum enim filius et pater unum sint in essentia, veritate et bonitate, et omnis cognitio alicuius sit per veritatem quae in ipso est, quicumque diligit filium, diligit et patrem; et quicumque cognoscit unum, cognoscit et alium; et qui odit filium odit et patrem. Sed hic est duplex quaestio. Prima, utrum aliquis possit Deum odio habere. Ad quod dicendum, quod Deum, in quantum Deus est, nullus potest odio habere. Cum Deus sit pura essentia bonitatis, quae cum sit secundum se diligibilis, impossibile est quod secundum se ab aliquo odiatur. Unde haec est ratio quare impossibile est quod malus Deum videat. Impossibile est enim Deum videri ab aliquo, quin diligatur: qui autem Deum diligit, bonus est; unde haec sunt impossibilia, scilicet quod aliquis Deum videat et sit malus. Potest tamen aliquis Deum odio habere secundum aliquid aliud, puta, qui amat voluptatem, odit Deum ut prohibentem voluptatum frutiones, et qui quaerit impunitatem, odit Dei iustitiam punientem. Secunda quaestio est quia nullus potest habere odio quod ignorat: Iudaei autem ignorabant patrem, supra eodem: *nesciunt eum qui me misit*: non ergo verum videtur quod dicit *et patrem meum odit*. Sed dicendum, secundum Augustinum, quod aliquis potest aliquid diligere vel odire quod numquam vidit, neque secundum veritatem cognoscit, sed fama de eo bene seu male sermocinante. Sed hoc potest contingere dupliciter. Uno modo quod habeatur odio seu diligatur secundum ipsam eius personam, vel secundum id quod de eo narratur; sicut si audiam aliquem esse furem, odio eum, non quia ipsam eius personam cognoscam vel odiam, sed quia communiter odio omnem furem: unde si esset fur, et ego eum furem esse nescirem, haberem eum odio, nec tamen scirem me eum odire. Iudaei autem habebant odio Christum, et veritatem quam praedicabat. Unde cum ipsa veritas, quam Christus praedicabat, esset in voluntate Dei patris, et opera quae Christus faciebat; similiter sicut Christum, odio habebant patrem, licet ipsi nescirent illa esse in voluntate patris. Hic ostendit eos inexcusabiles esse per signorum evidentiam. Possent enim dicere, quod ex verbis quae contra eos dicit, non convincuntur; et ideo verba mirabilibus factis confirmat, dicens *si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Primo ostendit quod possent aliquatenus excusabiles esse; secundo radicem peccati eorum ostendit; tertio inducit auctoritatem. Secundum facit ibi *nunc autem viderunt et oderunt et me et patrem meum*; tertio, ibi *ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est*. Circa primum ponitur duplex quaestio. Una quae est de veritate antecedentis, scilicet *si opera non fecissem quae nemo alius fecit* etc.: et quaeritur utrum Christus fecerit aliqua bona opera in eis quae nullus alius fecerat. Et videtur quod non: quia si dicatur quod Christus suscitavit mortuos, hoc et Elias et Eliseus fecerunt. Si Christus ambulavit supra mare, Moyses mare divisit. Sed Iosue, quod maius est, fecit, scilicet solem stare. Inconvenienter ergo videtur Christus eos arguere, nec videtur consequentia habere veritatem. Respondeo. Dicendum, secundum Augustinum, quod dominus non loquitur hic de quibuscumque miraculis factis in eis, idest in conspectu eorum, sed de factis in eis, idest in personis eorum. Nam in curatione infirmorum nullus tantum in eis fecit quantum Christus: quamvis etiam in aliis similiter, quia nullus homo alius factus est Deus, et nullus natus de virgine nisi Christus. Fecit ergo in eis opera quae nullus alius fecit in curatione infirmorum; et hoc in tribus. Primo quidem in magnitudine: quia mortuum quatruiduanum suscitavit, caecum natum illuminavit, quod a saeculo non est auditum, ut dicitur supra IX, 32. Secundo in multitudine: quia omnes quotquot male habebant, curabat, ut dicitur Matth. XIV, 35 s. quod nullus alius fecit. Tertio in modo: quia alii faciebant invocando, ostendentes se non propria virtute facere; sed Christus faciebat imperando, quia propria virtute; Mc. I, 27: *quae est haec doctrina nova? Quia in virtute et*

*potestate etiam spiritibus immundis imperat et obediunt ei.* Sic ergo licet alii mortuos suscitarent, et alia miraculosa facerent, quae Christus fecit, non tamen eo modo, nec propria virtute, ut Christus. Similiter quod dicitur de statione solis minus est eo quod Christus moriens lunam retrocedere fecit, et totum cursum firmamenti mutavit, ut Dionysius dicit. Secunda quaestio est de veritate conditionalis utrum scilicet, si Christus non fecisset in eis opera quae nemo alius fecit, immunes essent a peccato infidelitatis. Responsio. Dicendum: si nos loquamur de quibuscumque miraculis, haberent excusationem, si in eis facta non fuissent per Christum. Nullus enim potest ad Christum venire per fidem nisi tractus; supra VI, 44: *nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.* Et ideo Cant. I, 3, dicit sponsa: *trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum.* Unde si nullus esset qui eos traxisset ad fidem, excusabiles essent de infidelitate. Sed est attendendum, quod Christus attraxit verbo, signis visibilibus et invisibilibus, scilicet movendo et instigando interius corda; Prov. XXI, 1: *cor regum in manu Dei.* Est ergo opus Dei instinctus interior ad bene agendum, et qui ei resistunt, peccant: alias frustra dixisset Stephanus Act. VII, 5: *vos semper spiritui sancto restitistis.* Et Is. I, 5: *dominus aperuit mihi aurem, scilicet cordis, ego autem non contradico.* Est ergo hoc quod dominus dicit *si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit*, intelligendum non solum de visibilibus, sed etiam de interiori instinctu, et attractu doctrinae: quae quidem si in eis non fecisset, peccatum non haberent. Sic ergo patet quomodo excusari possent, per hoc scilicet, si in eis non fecisset opera miraculosa. Hic ostendit ex qua radice peccatum infidelitatis incurrerent: scilicet ex odio, propter quod operibus visis non credebant. Unde dicit *nunc autem viderunt*, scilicet opera quae in eis fecit, *et oderunt me et patrem meum*; Prov. I, 29: *eo quod exosam habuerunt disciplinam, et timorem domini non susceperunt.* Et, sicut Gregorius dicit, *sunt nonnulli in Ecclesia qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur, et quae ipsi facere negligunt, etiam in aliis detestantur: unde horum peccatum non ex infirmitate aut ignorantia, sed ex solo studio perpetratur.* Quia possent dicere: si ita est quod Iudaei oderunt te et patrem tuum, quare in eis miracula facis? Ideo respondens dicit quod hoc facit *ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est.* Sed hic dubitatur de hoc, quod cum scriptum sit in Psalmis, dicit quod in lege eorum scriptum est. Ad quod dicendum est, quod lex in Scriptura accipitur tripliciter. Quandoque enim communiter pro toto veteri testamento; et sic accipitur hic quia tota doctrina veteris testamenti ordinatur ad observantiam legis; Lc. XXIII, 42: *memento mei* et cetera. Quandoque sumitur secundum quod dividitur contra Agiographa et prophetas; Lc. ult., 44: *oportet impleri omnia quae scripta sunt in prophetis, et lege*, scilicet Moysi, *et Psalmis*; quibus etiam annumerantur Agiographa. Quandoque autem sumitur lex prout dividitur solum contra prophetas; et tunc Agiographa numerantur cum prophetis. Dicit ergo *ut impleatur sermo qui in lege eorum* (idest in Ps. XXXIV, 19) *scriptus est, quia odio habuerunt me gratis*; idest, non propter commodum consequendum, vel incommodum vitandum, propter hoc enim homo aliqua odit quae non fuerunt in Christo; immo dabat eis occasionem amoris, sanans et docens eos; Act. X, 38: *pertransiens benefaciebat*; Ier. XVIII, 20: *numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animae meae?* Ibid. II, 5: *quid iniquitatis invenerunt in me patres vestri, quia elongaverunt a me?* Hic ostendit quod non sunt excusabiles propter ea quae post eum superventura erant, quia habituri erant alia testimonia, scilicet spiritus sancti, et etiam apostolorum, et primo ponit id quod superventurum erat ex parte spiritus sancti; secundo id quod futurum erat ex parte apostolorum, ibi *et vos testimonium perhibebitis* et cetera. Quantum ad spiritum sanctum quatuor tangit. Primo quidem libertatem; secundo suavitatem; tertio processionem; quarto operationem. Libertatem quidem, seu potestatem, cum dicit *cum venerit Paraclitus* et cetera. Ille enim proprie venire dicitur qui sponte et propria auctoritate vadit; et hoc convenit spiritui sancto, qui *ubi vult spirat*: supra III, 8. Sap. VII, 7: *invocavi, et venit in me spiritus sapientiae.* Hoc ergo quod dicit *mittam*, non coactionem designat, sed originem. Suavitatem tangit cum dicit *Paraclitus*, idest consolator. Nam cum sit amor Dei, facit nos terrena contemnere, et Deo adhaerere; unde dolorem et tristitiam de nobis excludit, et gaudium de divinis ministrat; Gal. c. V, 22: *fructus spiritus est caritas, gaudium, pax* etc.; Act. IX, 31: *Ecclesia replebatur consolatione spiritus sancti* et cetera. Tertio ponit processionem spiritus sancti duplicem. Primo quidem temporalem, cum dicit *quem ego mittam vobis a patre* et cetera. Ubi sciendum est, quod spiritus sanctus mitti dicitur, non quasi locum mutans, cum ipse impleat orbem terrarum, ut dicitur Sap. c. I, 7, sed quia novo modo per gratiam incipit habitare in eis quos templum Dei facit; I Cor. III, 15: *templum Dei estis, et spiritus Dei habitabit in vobis.* Nec est contrarium quod spiritus sanctus dicitur mitti et venire: nam in hoc quod venire dicitur, manifeste apparet maiestas divinitatis ipsius, *qui operatur prout vult*, I Cor. XII, 6. Dicitur autem mitti ut ostendatur processio ipsius ab alio: quod enim creaturam rationalem inhabitando sanctificet, ab alio habet, a quo habet ut sit, sicut filius ab alio habet

quidquid operatur. Est etiam attendendum quod missio spiritus sancti communiter est a patre et filio: quod signatur Apoc. ult., 1: *ostendit mihi fluvium aquae vitae*, idest spiritum sanctum, *procedentem a sede Dei et agni*, idest Christi. Ideo circa missionem spiritus sancti facit mentionem de patre et filio, a quibus aequali et eadem virtute mittitur. Et ideo quandoque introducit patrem mittentem, non tamen absque filio; sicut supra XIV, 26: *Paraclitus autem spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo*. Quandoque autem introducit seipsum mittentem non sine patre, sicut hic cum dicit *quem ego mittam vobis a patre*, quia, scilicet, filius quidquid operatur, habet a patre; supra V, 19: *non potest filius a se facere quidquam*. Secundo ponit processionem aeternam, ubi similiter spiritum sanctum ostendit pertinere ad filium, cum dicit *spiritum veritatis*; ipse enim est veritas; supra c. XIV, 6: *ego sum via, veritas et vita*: et ad patrem, cum dicit *qui a patre procedit*. Sic ergo quod dicit *spiritum veritatis*, idem est ac si diceret spiritum filii; Gal. IV, 6: *misit Deus spiritum filii sui in corda vestra*. Et quia hoc nomen spiritus quamdam impulsionem importat, omnis autem motus habet effectum convenientem suo principio, sicut calefactio facit calidum: consequens est ut spiritus sanctus eos, in quos mittitur, similes faciat ei cuius est spiritus: et ideo, cum sit spiritus veritatis, *docet omnem veritatem*, ut infra XVI, 13, dicitur; et Iob XXXII, v. 8: *inspiratio omnipotentis dat intelligentiam*. Et similiter quia est spiritus filii, facit filios; Rom. VIII, 15: *accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Dicit autem *spiritum veritatis*, ad differentiam spiritus mendacii; Is. XIX, 14: *dominus miscuit in medio Aegypti spiritum erroris*; III Reg. ult., 22: *egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius*. Sed quia dicit *qui a patre procedit* et non addit a patre et filio, dicunt Graeci, quod spiritus sanctus non procedat a filio, sed solum a patre; quod omnino esse non potest. Non enim posset spiritus sanctus distingui a filio nisi vel ipse procedat a filio, vel e converso filius ab eo; quod nullus dicit. Non enim potest dici, quod in divinis personis, quae sunt omnino immateriales et simplices, sit materialis distinctio, quae est secundum divisionem quantitatis, cui substat materia. Unde oportet quod distinctio personarum divinarum sit ad modum distinctionis formalis, quam oportet esse secundum aliquam oppositionem. Nam quaecumque formae non oppositae se compatiuntur ad invicem in eodem, non diversificant suppositum, sicut album et magnum. Unde in divinis personis, quia innascibilitas et paternitas non opponuntur, pertinent ad unam personam. Si igitur filius et spiritus sanctus sunt personae distinctae procedentes a patre, oportet quod aliquibus proprietatibus oppositis distinguantur: non autem oppositis secundum affirmationem et negationem aut secundum privationem et habitum, quia sic filius et spiritus sanctus se haberent ad invicem sicut ens et non ens, et sicut perfectum et privatum, quod repugnat aequalitati ipsorum; nec etiam secundum oppositionem contrariorum, quorum unum est perfectius altero. Unde relinquitur quod per solam oppositionem relativam distinguatur spiritus sanctus a filio. Haec autem oppositio non potest nisi ex hoc esse quod unus eorum refertur ad alterum. Nam diversae relationes duorum ad aliquod tertium, non directe sibi opponuntur, nisi forte ex consequenti per accidens. Unde relinquitur quod ad hoc quod distinguatur spiritus sanctus a filio, oportet attribui eis oppositas relationes, quibus ad invicem opponantur. Nec possunt aliae inveniri nisi relationes originis, secundum quod unus est ab alio. Ergo impossibile est, supposita Trinitate personarum, quin spiritus sanctus sit a filio. Dicunt autem quidam, quod spiritus sanctus et filius distinguuntur secundum differentiam processionum, inquantum filius est a patre nascendo, et spiritus sanctus procedendo. Sed adhuc redit eadem quaestio quae oritur ex opinione praemissa, quomodo differant hae duae processiones. Non enim potest dici, quod distinguantur per diversa per generationem accepta: sicut generatio hominis et equi differunt secundum diversas naturas communicatas. Eandem enim divinam naturam accipit filius a patre nascendo, et spiritus sanctus procedendo. Unde relinquitur quod solum secundum ordinem originis distinguantur, inquantum scilicet nativitas filii est principium processionis spiritus sancti. Unde si spiritus sanctus non esset a filio, nec distingueretur a filio, nec processio a nativitate. Unde etiam Graeci aliquem ordinem confitentur filii et spiritus sancti. Dicunt enim spiritum sanctum esse filii, et filium operari per spiritum sanctum; sed non e converso. Et aliqui etiam concedunt, quod spiritus sanctus est a filio, nolunt tamen concedere quod spiritus sanctus procedat a filio. Sed in hoc manifeste proterviunt. Utimur enim verbo processionis in omnibus quae quocumque modo sunt ab alio. Et ideo hoc verbum ratione communitatis est accomodatum ad signandum existentiam spiritus sancti a filio, quae non habet exemplum in creaturis ex quo possit assumi aliquod proprium nomen eius, sicut accipitur nomen generationis filii. Non enim in creaturis invenitur aliqua persona procedens per modum voluntatis, ut amor, sicut invenitur aliqua persona procedens per modum naturae ut filius. Et ideo quocumque modo habeat ordinem spiritus sanctus ad filium, potest concludi quod ab eo procedat. Dicunt tamen aliqui Graecorum, quod non est dicendum spiritum sanctum procedere a filio, quia haec praepositio a vel ab apud eos designat principium non de

principio, quod convenit soli patri. Sed hoc non cogit: quia filius cum patre est unum principium spiritus sancti, sicut etiam creaturarum. Quamvis autem filius habeat a patre quod sit principium creaturarum, tamen dicuntur creaturae esse a filio; unde eadem ratione potest dici quod spiritus sanctus procedat a filio. Nec obstat quod hic dicitur *qui a patre procedit*, non autem a patre et filio: quia similiter dicitur *quem ego mittam*, et tamen intelligitur pater mittere, per hoc quod additur *a patre*: ita et per hoc quod additur *spiritum veritatis*, idest filii, intelligitur quod a filio procedit. Semper enim, ut dictum est, coniungitur filius patri, et e converso, circa processionem spiritus sancti; et sic diverso modo loquendi ad designandum distinctionem personarum. Quarto ponit operationes spiritus sancti cum dicit *ille testimonium perhibebit*: et hoc tripliciter. Primo quidem instruendo discipulos, et fiduciam eis praebendo ad testificandum; Matth. X, 20: *non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*. Secundo suam doctrinam communicando credentibus in Christum; Hebr. II, 4: *contestante Deo signis et prodigiis, et variis spiritus sancti distributionibus*. Tertio emolliendo audientium corda; Ps. CIII, 30: *emitte spiritum tuum, et creabuntur*. Ultimo ponit quod futurum erat ex parte discipulorum, cum dicit *et vos testimonium perhibebitis*, spiritu sancto inspirati; Act. I, 8: *eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae*. Et de hoc duplici testimonio dicitur Act. V, 32: *nos huius rei testes sumus, et spiritus sanctus, quem dedit dominus omnibus obedientibus sibi*. Et addit testimonii idoneitatem, cum dicit *quia ab initio mecum estis*, scilicet praedicationis et operationis miraculorum, ut possent testari de visu et auditu, secundum illud I Io. I, 1: *quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis*. Ex quo etiam potest accipi quod Christus non fecit miracula in pueritia, ut in quibusdam apocryphis habetur; sed solum ex tunc ex quo discipulos congregavit.

## Caput 16

### Lectio 1

[87526] Super Io., cap. 16 l. 1 Supra consolatus est dominus discipulos quibusdam rationibus de suo recessu, et de persecutionibus et tribulationibus eis superventuris; hic easdem rationes manifestius explicat, et primo ponitur rationum explicatio supra positarum; secundo insinuatur effectus explicationis in discipulis, ibi *dicunt ei discipuli: ecce nunc palam loqueris* et cetera. Dominus autem, si bene considerentur ea quae in superioribus duobus capitulis dicta sunt, discipulos consolari intendebat de duobus: de recessu suo, et tribulationibus eis superventuris et rationes ad haec duo hic explicat, ordine retrogrado. Cuius ratio est, quia cum recessus suus statim immineret, nec adhuc eis tribulationes superventuras praenuntiaverat, ideo primo consolatus est eos de recessu. Sed quia iam ex praenuntiatis eis tribulationibus videbantur magis affici ad tribulationes, quam ad recessum Christi, ideo hic primum consolatur eos de his tribulationibus superventuris; secundo de recessu suo, ibi *et nunc vado ad eum qui misit me*. Circa primum tria facit. Primo manifestat suam intentionem; secundo praenuntiat discipulis tribulationum persecutionem, ibi *absque synagogis facient vos* etc.; tertio subdit persecutionis rationem, ibi *et haec facient vobis*. Dicit ergo: dixi quod Iudaei oderunt me et vos, quia non cognoverunt eum qui me misit. Et sunt inexcusabiles, et spiritus sanctus et vos testificabimini contra illos. Sed *haec omnia ideo locutus sum vobis, ut non scandalizemini*; idest ut cum venerint tribulationes quas praenuntio vobis, sitis absque scandalo. Et merito post promissionem spiritus sancti scandalum prohibet, quia spiritus sanctus est amor, *amor autem Dei diffusus est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Rom. V, 5, et omnem propellit scandalum, Ps. CXVIII, 165: *pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*. Amicorum autem est negligere damnum propter amicum, ut dicitur Prov. XII, 26. Amicis ergo Dei non est scandalum, poenas et damna pati pro Christo. Quia vero ante mortem Christi discipuli spiritum sanctum non acceperunt, ideo in passione Christi scandalizati sunt; Matth. XXVI, 31: *omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista*. Sed post adventum spiritus sancti omnino absque scandalo fuerunt. Sed possent dicere discipuli: numquid est nobis materia scandali? Immo, quia tribulationes multae supervenient nobis, et primo quidem, exclusionis; secundo interfectionis. Exclusionis quidem a consortio Iudaeorum, unde dicit *absque synagogis facient vos*; supra IX, 22: *iam conspiraverant Iudaei ut si quis confiteretur ipsum esse Christum, extra synagogam fieret*. Et hoc intantum invaluit quod aliqui ex principibus in Christum credentes timebant propter hoc publice confiteri, ut habetur supra XII, 42. Hanc exclusionem praenuntiat Lc. VI, 22: *beati eritis cum vos oderint homines, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter filium hominis*. Sed numquid malum erat apostolis extra synagogam Iudaeorum fieri, cum ipsi essent ab eo recessuri? Ad quod dicendum,

secundum Augustinum, quod in hoc erat eis tribulatio, quia per hoc dabat dominus intelligere quod Iudaei non erant recepturi Christum. Nam si Christum recepissent, eadem fuisset synagoga Iudaeorum et Ecclesia Christi; et qui converterentur ad Ecclesiam Christi, conversi ad synagogam Iudaeorum fuissent. Interfectionis autem: *sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo*. Haec quidem verba possunt accipi quasi in consolationem discipulorum dicta, ut *ly sed* accipiatur adversative, ut sit sensus: quasi consolari debetis ex hoc quod vobis facient, *sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo*. Sed qualis consolatio poterat eis esse, haec scilicet, ut omnis qui interficeret eos arbitraretur se obsequium praestare Deo? Ad quod dicendum, secundum Augustinum, quod per hoc quod dixerat *absque synagogis facient vos*, dabatur intelligi quod illi qui converterentur ad Christum, statim a Iudaeis occidendi erant: et ideo ad eorum consolationem dicit eis dominus, quod tam multos Christo acquisituri erant, expulsi de Iudaeorum congregationibus, ut eos extirpare non possent; et propter hoc mortem eis intentare studerent, ne omnes ad nomen Christi sua praedicatione converterent. Vel dicendum, quod in hoc praedixit eis tribulationem interfectionis. Dicit autem *arbitretur obsequium se praestare Deo*, non diis, ut det intelligere hoc dici solum de persecutione Iudaeorum; Matth. XXIII, 34: *ecce ego mitto ad vos sapientes et Scribas; et ex illis occidetis et crucifigetis*. Nam martyres Christi occisi sunt a gentilibus, non tamen illi arbitrati sunt Deo sed diis suis solum obsequium se praestare. Ideo autem Iudaei, Christi praedicatores occidentes, putabant Deo se praestare obsequium, quia zelum Dei habebant, sed non secundum scientiam: credebant enim quod desereret Deum Israel quicumque converteretur ad Christum. De ista interfectione dicitur in Ps. XLIII, 22: *propter te mortificamur tota die; aestimati sumus sicut oves occisionis*. Rationem dictionum assignat, dicens *et hoc facient vobis, quia non noverunt patrem neque me* et primo rationem futurae persecutionis; secundo rationem praenuntiationis, ibi *sed haec locutus sum vobis*. Dicit ergo: persequentur vos, *et haec facient vobis*, non propter zelum veritatis, sed *quia non noverunt patrem*, inquantum scilicet est pater, *neque me*, filium suum; supra VIII, 19: *si me sciretis, et patrem meum forsitan sciretis*; I Tim. I, 13: *qui prius fui blasphemus et persecutor, (...) misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*. Sed posset dici: si per ignorantiam fidei Iudaei vos sunt persecuturi, quare ergo praedixit vobis? Et ideo cum dicit *sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis*, primo ponit causam praenuntiationis; secundo causam dilationis ad praenuntiandum, ibi *haec autem ab initio non dixi*. Dicit ergo. Ideo autem *haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis*. Hora aliquorum venire dicitur quando possunt implere quod desiderant, et facere quod volunt; Sap. II, 7: *non praetereat nos flos temporis*, scilicet apti ad voluptates exercendas. Hora ergo Iudaeorum tunc veniet quando poterunt exercere persecutiones in vobis. Sed haec est hora nocturna. Lucae c. XXII, 53: *haec est hora vestra et potestas tenebrarum* et cetera. *Reminiscamini quia ego dixi vobis*. Quod quidem ad duo valet. Quia scilicet quando recordati sunt in tribulationibus existentes, quod eas Christus praedixerat eis, cognoverunt eius divinitatem, et magis confisi sunt de eius adiutorio. Item per hoc quod aliquis praevidit tribulationes sibi imminentes, minus affligitur, quia praevisa iacula minus feriunt. Et rationem huius assignat Tullius in Lib. de Tusculanis quaest. Bona enim et mala temporalia quanto magis cognoscuntur, tanto minora reputantur. Divitiae enim maiores reputantur a non habentibus eas, quam ab eisdemmet postquam habentur. Similiter etiam tribulationes antequam habeantur magis timentur et contristativae creduntur antequam superveniant, quam postquam supervenerunt et praesentes sunt. Malum autem quando praemeditatur, efficitur quasi praesens, et ex ipsa praesentia minus reputatur. Unde dicit quod sapiens ex praemeditatione potest accipere consolationem de tristitia superventura, quam aliqui recipiunt assiduitate tristitiae imminens. Sic ergo duplici de causa eis tribulationes praenuntiat: ad spem eorum sublevandam de eius adiutorio, et ad tristitiam minuendam. Hic assignat causam quare non ante eis praedixit haec, scilicet, *quia vobiscum eram*. Quod potest referri ad duo praedicta. Primo ad sublevandam spem: nam cum vobiscum eram, de meo adiutorio confisi non dubitabatis; modo autem quando videbitis me mori, dubitare poteritis de mea potestate: et ideo necessarium est ut praenuntiem futura, per quae cognoscatis meam divinitatem et potestatem. Vel potest referri ad secundum, ut sit sensus: *vobiscum eram* protegens vos et totum pondus super me suscipiens; infra XVII, 12: *pater, cum essem cum eis, ego servabam eos quos dedisti mihi*. Sed quia recessurus sum a vobis, totum pondus tribulationis remanebit vobis: et ideo oportet ut non sint vobis improvisae. Sed videtur quod dominus ante hanc horam praedixerit, quia alii tres Evangelistae narrant dominum ante hoc tempus praedixisse discipulis quod tradendi essent ante reges et praesides, et in synagogis Iudaeorum flagellandi. Sed dicendum, quod hoc non contrariatur huic quod dominus dicit *haec vobis ab initio non dixi*, quia illi dicunt

dominum hoc dixisse in monte oliveti, quod fuit imminente passione tribus diebus antequam ventum esset ad coenam. Unde hoc quod dicit *ab initio*, non refertur ad tempus passionis, sed ad tempus quo primo fuit cum discipulis, ut Augustinus dicit. Sed contra hoc est, quod Matth. c. X, 16, dicitur, quod dominus praenuntiavit discipulis tribulationes superventuras, non solum imminente passione, sed ab initio electionis eorum. *Ecce*, inquit, *mitto vos sicut oves in medio luporum*. Et ideo dicendum, quod hoc quod dicit *ab initio*, non est intelligendum solum de tribulationibus superventuris, sed de adventu spiritus sancti, quem non praenuntiavit eis ab initio, ut Augustinus dicit. Vel dicendum, secundum Chrysostomum, quod intelligendum est de tribulationibus. Et tunc quod dicit *ab initio*, dicit propter duo quae hic eis de novo praedixit: unum scilicet, quod essent passuri tribulationes a Iudaeis, quod eis ante non dixerat, sed solum a gentibus, ut patet Matth. X, 22; aliud, quod supra praedixit eis, quod flagella passuri essent, hic autem addit unum quod maxime poterat eos attonitos facere, scilicet quod mors eorum reputaretur a Iudaeis obsequium.

## Lectio 2

[87527] Super Io., cap. 16 l. 2 Supra explicavit dominus rationes consolatorias contra tribulationes discipulis superventuras, hic explicat rationes consolatorias de recessu suo. Consolatus est autem eos dominus de recessu suo triplici ratione. Primo ratione accessus eorum ad patrem quem promittebat; unde dicebat: *non turbetur cor vestrum (...) in domo patris mei mansiones multae sunt*. Secundo ratione Paracliti quem missurus erat; unde dicebat: *et ego rogabo patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*. Tertio ratione iteratae suae visionis, quam asserebat: *non relinquam*, inquam, *vos orphanos: veniam ad vos*. Has autem tres rationes explicat hic, sed ordine retrogrado, et primo promissionem spiritus Paracliti; secundo iteratam sui visionem, ibi *modicum, et iam non videbitis, me; et iterum modicum, et videbitis me*; tertio introductionem ad patrem, ibi *et in illo die me non interrogabitis*. Circa primum duo facit. Primo praemittit necessitatem consolationis; secundo ponit eam, ibi *sed ego veritatem dico vobis* et cetera. Circa primum duo facit. Primo praenuntiat suum recessum; secundo ostendit huius praenuntiationis effectum, ibi *sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum*. Recedit ergo ad patrem vadens; et ideo dicit: vobiscum eram, usque modo, sed *nunc vado ad eum qui me misit*, idest patrem: quod quidem perfectionis est. Tunc enim unaquaeque res perficitur cum ad suum principium redit; Tob. XII, 20: *tempus est ut revertar ad eum qui me misit*. Eccl. I, 7: *ad locum unde exeunt flumina, revertuntur*. Ibat quidem secundum humanitatem ad eum apud quem ab aeterno erat secundum divinitatem. Et hoc diffusius expositum est in praecedentibus. Sed addit *nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?* Sed quid est hoc quod dicit? Nonne Petrus interrogavit, supra XIII, 36: *domine, quo vadis?* Et Thomas, supra XIV, 5: *nescimus quo vadis?* Et ideo huic quaestioni respondent Chrysostomus et Augustinus; sed aliter et aliter. Chrysostomus enim dicit, quod discipuli audientes quod deberent interfici et absque synagogis fieri, ita tristati et attoniti facti sunt, ut quasi obliiti de recessu Christi et locutionem amittentes, eum de suo recessu non interrogarent. Unde subdit *sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum*. Et sic dominus dicens *et nunc vado ad eum qui misit me*, eos potius increpat, secundum Chrysostomum. Et hoc non interrogabant; Deut. XXXII, 7: *interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi*; Eccl. VI, 28: *investiga illam, et manifestabitur tibi*. Augustinus autem vult quod hoc quod dicit *nunc vado ad eum qui misit me*, non sit pro illo instanti quo loquebatur, sed pro tempore quo ascensurus erat in coelum; quasi diceret: superius interrogastis me quo irem, sed nunc ita vado quod non est necesse ut aliquis vestrum interroget me, *quo vadis?* Quia, ut dicitur Act. I, 9, *videntibus illis elevatus est*. Hic ponitur tristitia, quae est effectus praenuntiationis, secundum Chrysostomum; sed, secundum Augustinum tristantur de recessu: gaudebant enim de praesentia Christi quodam modo carnali affecti ad humanam eius speciem, sicut homo delectatur de praesentia amici: et ideo de recessu eius tristabantur; Ps. XXIX, 6: *ad vesperam*, scilicet passionis, *demorabitur fletus*, in apostolis, *et ad matutinum*, resurrectionis, *laetitia*. Sed quia humanum est quod tristitia cor tangat, vitiosum autem quod cor impleat, quia per hoc ratio turbatur, ideo, quasi arguens, dicit *tristitia implevit cor vestrum*; Eccl. XXX, 22: *non des tristitiam animae tuae*; supra XIV, 27: *non turbetur cor vestrum*. Hic ponitur ratio consolationis quae est promissio spiritus sancti, et primo promittit spiritum sanctum; secundo praenuntiat eius effectum, ibi *et cum venerit ille* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ostendit recessus sui necessitatem; secundo recessus utilitatem. Dicit ergo *tristitia implevit cor vestrum*, scilicet de recessu meo; sed est magis vobis gaudendum, *quia expedit vobis ut ego vadam*, idest valde vobis est necessarium, quia, *si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. Item est vobis fructuosum et utile: quia *si abiero*,

*mittam eum ad vos*, scilicet spiritum sanctum. Sed numquid non potuisset Christus dare spiritum vivens in carne? Dicendum quod sic: quia etiam super eum baptizatum spiritus sanctus in specie columbae descendit et numquam ab eo recessit, quem ab instanti suae conceptionis recepit non ad mensuram. Sed noluit eum dare discipulis existens cum eis, quadruplici ratione. Primo propter eorum indispositionem: nam spiritui sancto, cum sit amor spiritualis, contrariatur amor carnalis. Discipuli autem quodam carnali amore afficiebantur ad Christi humanitatem, necdum elevati erant spirituali amore ad eius divinitatem, et ideo nondum capaces erant spiritus sancti; II Cor. V, v. 16: *ex hoc iam neminem secundum carnem noscimus*, idest secundum carnis affectum, *et si cognovimus secundum carnem*, Christum scilicet ante passionem, *sed nunc iam non novimus*. Secundo propter divini auxilii conditionem, quod maxime adest in necessitatibus; Ps. IX, v. 10: *adiutor in opportunitatibus*, et iterum Ps. XXVI, 10: *quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, dominus autem assumpsit me*. Quamdiu autem Christus erat cum eis, sufficiens adiutorium erat cum eis, sed eo recedente multis tribulationibus exponebantur: et ideo datus est eis statim alius consolator et adiutor. Unde signanter dicit: *et alium Paraclitum dabit vobis*; Is. XXVIII, 9: *quem docebit scientiam (...). Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus*. Tertio ex dignitatis Christi consideratione: nam, ut Augustinus dicit in libro de Trinitate, Christus in quantum homo, non habet quod det spiritum sanctum, sed in quantum Deus. Quando autem cum discipulis erat, videbatur esse quasi homo unus ex eis. Ne ergo videretur quod homo esset qui daret spiritum sanctum, ideo ipsum ante ascensionem suam non dedit; supra VII, 39: *nondum erat spiritus datus, quia nondum Iesus erat glorificatus*; Sap. IX, 10: *emitte illam a sede magnitudinis tuae*. Quarto propter unitatem Ecclesiae conservandam: nam, ut supra X, 41, habetur, *Ioannes signum fecit nullum*: quod ideo fuit ne populus divideretur a Christo, et ut evidentior appareret eminentia ad Ioannem. Discipuli autem ipso spiritu replendi erant, ut etiam opera maiora facerent quam Christus fecit, supra XIV, 12: *et maiora horum facient*, et ideo si ante passionem fuisset eis datus, potuisset verti in dubium apud populum quis esset Christus, et sic fuisset in eo divisio; Ps. LXVII, 19: *ascendens in altum, dedit dona hominibus*. Sed, secundum Chrysostomum, potest hic sumi argumentum contra Macedonianos dicentes, spiritum sanctum esse creaturam et ministrum patris et filii. Si enim sic esset, non esset sufficiens consolatio de recessu Christi adventus spiritus sancti: sicut non esset sufficiens consolatio de recessu regis, si daretur unus de ministris suis loco eius. Quia ergo spiritus sanctus aequalis est filio, ideo dominus eos per promissionem spiritus sancti consolatur. Sed si aequales sunt filius et spiritus sanctus, quare expedit quod filius recedat, ut veniat spiritus sanctus? Ideo scilicet quia recedebat corporaliter, ac simul cum spiritu sancto veniebat invisibiliter. Si enim filius habitasset invisibiliter, et diceret: expedit ut recedam, quia veniet spiritus sanctus utique maior eo spiritus sanctus reputaretur.

### Lectio 3

[87528] Super Io., cap. 16 l. 3 Supra consolatus est dominus apostolos per promissionem spiritus sancti; hic ostendit utilitatem quam spiritus sanctus adveniens afferet eis. Et ponit triplicem utilitatem: unam ex parte mundi, aliam ex parte discipulorum, et tertiam ex parte Christi. Ex parte quidem mundi, quia spiritus sanctus adveniens mundum arguet; ex parte discipulorum, quia eos instruet, ibi *adhuc multa habeo vobis dicere* etc.; ex parte Christi, quia ipsum clarificabit, ibi *ille me clarificabit* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ponit utilitatem adventus spiritus sancti quantum ad mundum; secundo exponit eam, ibi *de peccato quidem, quia non crediderunt in me*. Dicit ergo: expedit vobis ut ego vadam, quia mittam spiritum sanctum ad vos, *et, cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio*. Quod dupliciter legitur. Uno modo secundum Augustinum, alio modo secundum Chrysostomum. Secundum Augustinum quidem hoc modo: *cum venerit, scilicet spiritus sanctus, ille arguet*, idest reprehendet, *mundum*; Prov. IX, 8: *argue sapientem, et diliget te*. Sed numquid non etiam Christus arguit mundum? Arguit quidem, supra VIII, 41: *ex patre Diabolo estis*, et Matth. XXIII, multa contra Phariseos et Scribas dicens. Quare ergo dicit *ille arguet*, quasi ipse non arguerit? Sed forte diceret aliquis quod Christus solos Iudaeos arguit, spiritus autem sanctus in discipulis et per discipulos arguit totum mundum. Sed huic contrariatur quod Christus loquitur in apostolis et per apostolos sicut spiritus sanctus; II Cor. ult., 3: *experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus*. Et ideo dicendum, quod dixit *ille arguet mundum*, qui invisibiliter penetrans corda vestra, diffundet in eis caritatem, qua timore depulso, arguendi habebitis potestatem. Quamdiu enim discipuli carnaliter ad Christum afficiebantur, spiritus sanctus non erat in eis, ut dictum est, eo modo quo postea fuit: et ideo non erant ita audaces sicut post eius adventum fuerunt; Ps.



XXXII, 6: *spiritu oris eius omnis virtus eorum*, scilicet apostolorum; II Paral. XXIV, 20: *spiritus domini induit Zachariam. Ille etiam arguet mundum*, quia corda quae ante mundana fuerant, replens fecit quod ea se reprehenderent; Iob XIII, 15: *arguam vias meas coram illo* et cetera. Et hoc facit spiritus sanctus; Ps. I, 12: *spiritum rectum innova in visceribus meis*. Sed de quo arguet? De tribus. *De peccato* quod commiserunt; Is. LVIII, 1: *annuntia populo meo scelera eorum* et cetera. Et hoc apostoli fecerunt; Ps. XVIII, 5: *in omnem terram exivit sonus eorum*. Item *de iustitia* quam neglexerunt; Is. XXIX: *iustitiam non fecerunt* et cetera. Et hoc apostoli fecerunt: Rom. III, 10: *non est iustus quisquam*. Item *de iudicio*, quod contempserunt: ut enim dicitur Prov. XVIII, 3, *impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnet*; Ez. V, 6: *contempsit iudicia mea* et cetera. Hic exponit. Et primo, quod dicit de peccato, et hoc *quia non crediderunt in me*. Solum de peccato infidelitatis arguit: quia per fidem omnia alia peccata dimittuntur, Matth. XXV, 35 ss. Dominus damnatis solum defectum misericordiae imputat, quia per misericordiam omnia peccata purgantur; Prov. XV, 27: *per misericordiam et fidem purgantur peccata*. Sic ergo et hic, quia infidelitate manente, peccata cetera detinentur, et ea discedente cetera dimittuntur. Dicit autem *quia non crediderunt in me*; et non dicit mihi, vel me, quia Daemones credunt Christum esse, et contremiscunt; Iac. II, 19. Sed *in me*, per fidem formatam sperando et diligendo. Secundo *de iustitia*, et hoc *quia ad patrem vado* et cetera. Quod quidem potest dupliciter exponi: quia vel de iustitia Christi, vel de iustitia apostolorum. De iustitia quidem apostolorum sic: *de iustitia* nostra, quod non sunt imitati. Iustitia dico non ex lege, sed ex fide; Rom. III, 22: *iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi*. Fides autem de invisibilibus est: Hebr. XI, 1. Discipuli autem aliquid videbant, scilicet eius humanitatem, et aliquid non videbant, scilicet eius divinitatem: sed hoc promittit eis in praemium; supra XIV, 21: *manifestabo eis meipsum*. Habebant ergo discipuli fidem de Christo quantum ad divinitatem tantum; sed quando subtracta fuit eis humanitas Christi, tunc eorum fides erat de utroque: et ideo, secundum Augustinum super Ioan., dicit *quia vado ad patrem, et iam non videbitis me*; quasi dicat: vos creditis in me secundum divinitatem, et, *quia vado ad patrem*, credetis in me etiam quantum ad humanitatem: quam quidem fidei iustitiam mundus non imitatur. Sed dicit *et iam non videbitis me*: non quod numquam sint eum visuri, sed quia non visuri sunt eum in ista carne mortali. Viderunt eum in resurrectione, sed immortalem existentem; et videbunt eum in iudicio, sed in maiestate venientem. De iustitia quidem Christi exponit de verbis domini. Iudaei enim noluerunt recognoscere quod Christus iustus esset; supra IX, 24: *nos scimus quia hic homo peccator est*. Arguet eos de hac iustitia, dicens *quia ad patrem vado*: quia hoc ipsum quod ad patrem vado, iustitiae meae est. Quod enim Christus descendit, misericordiae fuit; sed quod ascendit, eius iustitiae debitum; Phil. II, 9: *propter quod et Deus exaltavit illum* et cetera. Tertio arguit mundum *de iudicio*; et hoc *quia princeps huius mundi*, idest Diabolus, qui est princeps mundi, idest mundanorum, non creatione, sed suggestionem et imitationem; Sap. II, 25: *imitantur eum qui sunt ex parte illius*; Iob XLI, 25: *ipse est rex super omnes filios superbiae*. Hic ergo princeps *iam iudicatus est*, idest expulsus foras; supra XII, 31: *nunc iudicium est mundi*, idest, pro mundo, *nunc princeps huius mundi eiicietur foras*. Et hoc dicit ut tollat excusationem hominum, qui se de peccatis excusant propter tentationem Diaboli; quasi dicat: excusari non possunt, quia expulsus est Diabolus per gratiam et fidem Christi et spiritum sanctum a cordibus fidelium, ita ut iam non tentet interius sicut ante, sed solum exterius per exercitationem permissus; et ideo resistere possunt ei qui volunt adhaerere Christo. Et inde est quod debiles feminae Diabolum vicerunt, a quo tamen fortissimi viri superati sunt. De hoc ergo iudicio mundus arguitur, quia a Diabolo vincitur resistere nolens, et a se expulsus, per consensum peccati reducens; Rom. VI, 12: *non regnat peccatum in vestro mortali corpore*. Vel aliter, secundum eundem in libro de verbis domini, ut quod dicit *iam iudicatus est*, intelligatur de iudicio condemnationis; idest, iam condemnatus est ipse et per consequens omnes qui adhaerent ei; Matth. XXV, v. 41: *ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et Angelis eius*. Arguitur etiam mundus de iudicio: quia sciens mundi huius principem condemnatum esse, non evadit etiam ipse hoc iudicium; sed cum suo principe iudicatur, quoniam superbum atque impium imitatur. Secundum Chrysostomum, aliter a capite exponitur *cum venerit*, scilicet spiritus sanctus, *ille arguet*, idest convincet, *mundum de peccato*; quasi diceret: ipse spiritus sanctus erit argumentum quoddam contra mundum; Hebr. II, 4: *contestante Deo signis et prodigiis* et cetera. Et de hoc peccato ostendet eos graviter peccasse, quia *non crediderunt in me*, cum videbunt quod spiritus sanctus in nomine meo dabitur fidelibus; Act. V, 32: *nos testes huius rei sumus, et spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi*. *De iustitia*, quam scilicet ego habeo, quam tamen mundus non reputavit me habere: et hoc, quia vado ad patrem, et mittam vobis spiritum, scilicet qui ostendet me iustum, et irrehensibilem duxisse vitam; supra XV, v. 26: *quem ego mittam vobis a patre spiritum veritatis*. Quia hoc

dicitur in Ps. LXVII, v. 19 postquam ascendit Christus in altum, dedit dona hominibus. *De iudicio: quia princeps huius mundi iam iudicatus est*; idest, ex hoc ipso quod per spiritum sanctum iudicatur, idest expellitur, a cordibus fidelium; Zach. XIII, 2: *spiritum immundum eiiciam*; I Cor. II, 12: *nos spiritum huius mundi non accepimus; sed spiritum qui ex Deo est*. Et de hoc iudicio arguet, quia ipsi male iudicaverunt quod Daemonium haberet, et quod in Beelzebub eiiceret Daemonia: de quo convincentur, quia spiritus sanctus quem ego mittam, ipsum Daemonem condemnabit et eiiciet. Hic ponit utilitatem adventus spiritus sancti ex parte discipulorum, quae est ipsorum instructio, et primo ponit instructionis necessitatem; secundo promittit instructionem, ibi *cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; tertio excludit dubitationem, ibi *non enim loquetur a semetipso*. Dicit ergo: utilis erit adventus spiritus sancti mundo, quia arguet eum. Sed et vobis utilis erit ad instruendum; qua quidem instructione indigetis, quia *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*: quasi dicat: ego vos instruxi, sed non adimplemini; Iob XXVI, 14: *ecce haec ex parte dicta sunt verborum eius: et cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Quaerere autem quae sunt ista multa quae portare non poterant, est stultum, ut dicit Augustinus. Nam si ipsi portare non poterant, multo magis et nos non possumus. Hoc tamen quod dicit *non potestis portare modo*, diversi haeretici assumunt ad sui erroris velamentum, dum his qui eis adhaerent quaedam in occulto dicunt turpissima, quae non auderent dicere in manifesto: quasi haec ipsa sint quae tunc discipuli portare non poterant, et ea docuerit spiritus sanctus quae palam docere atque praedicare spiritus hominis erubescit. Non est ergo intelligendum quod aliqua secreta doctrinae taceantur fidelibus parvulis, seorsum docenda maioribus, sed omnibus fidelibus proponuntur ea quae fidei sunt; Matth. c. X, 27: *quod in aure audistis, praedicate supra tecta*. Sed aliter proponenda sunt rudibus, aliter peritis; sicut quae subtilia sunt de mysterio incarnationis, et aliis huiusmodi, non sunt rudibus proponenda, quia cum intelligere non possent, scandalizarentur. Omnia ergo quae fidei erant, dominus proposuit eis, sed non eo modo quo postea revelavit, et praecipue in vita aeterna. Sic ergo quae portare non poterant, sunt plena cognitio divinatorum, quam non habebant tunc, puta aequalitatem filii ad patrem, et huiusmodi. Unde Paulus, II Cor. XII, 4: *audivi arcana verba, quae non licet homini loqui*, quae non erant de alia veritate quam fidei, sed altiori modo. Item spiritualis intellectus omnium Scripturarum, quem tunc non habebant, sed quando *aperuit eis sensum ut intelligerent Scripturas*: Lc. ult., 45. Item passiones et pericula quae passuri erant quae tunc non poterant, quia animi eorum imbecilles erant; Eccli. VI, 26: *subiice humerum tuum, et porta illam*. Sic ergo necessaria erat eis instructio. Hic promittit eis instructionem quam consequentur in adventu spiritus sancti qui docebit eos omnem veritatem. Cum enim sit a veritate, eius est docere veritatem, et facere similes suo principio. Et dicit *omnem veritatem*, scilicet fidei, quam docebit per quamdam elevatam intelligentiam in vita ista, et eandem plenarie in vita aeterna, ubi cognoscemus sicut et cogniti sumus: I Cor. XIII, 12, et I Io. II, 27: *unctio docebit vos* et cetera. Vel *omnem veritatem*, figurarum legis, quam adepti sunt discipuli per spiritum sanctum. Unde Dan. I, 17, dicitur quod dedit dominus pueris illis sapientiam et intelligentiam. Hic excludit dubitationem, quae poterat esse, si spiritus sanctus docebit eos, videtur scilicet quod esset maior Christo: quod non est, quia docebit eos virtute patris et filii, *quia non loquetur a semetipso*, sed a me, quia a me erit. Sicut enim filius non operatur a semetipso sed a patre, ita spiritus sanctus, quia est ab alio, scilicet a patre et filio, *non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet*, accipiendo scientiam sicut et essentiam ab aeterno, *haec loquetur*, non corporaliter, sed intrinsecus in mente illuminando; Oseae II, 14: *ducam eam ad solitudinem, et loquar ad cor eius*; Ps. LXXXIV, v. 9: *audiam quid loquatur in me dominus Deus*. Sed cum audierit ab aeterno, quid est hoc quod dicit *audiet*, in futuro? Sed dicendum, quod aeternitas includit omne tempus; et ideo potest spiritus sanctus, qui ab aeterno audit, dici audire in praesenti, in praeterito et futuro. Sed tamen aliquando dicitur audire in futuro propter hoc quia illa quorum notitiam habet sunt futura. *Loquetur ergo quaecumque audiet*, quia non solum docebit aeterna, sed futura; et ideo subdit: *et quae ventura sunt annuntiabit vobis*, quod est proprium divinitatis; Sap. VIII, 8: *signa et monstra scit antequam fiant*; Is. XLI, 23: *quae ventura sunt annuntiate nobis; et sciemus quia dii estis vos*. Hoc enim est proprium spiritus sancti; Ioel. c. II, 28: *effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae*. Apostoli autem habuerunt spiritum prophetiae. Vel *docebit omnem veritatem*, scilicet figurarum. Sed ne dubitarent quomodo scirent de futuris tribulationibus quas eis praenuntiaverat, ideo subdit *et quae ventura sunt*, scilicet super vos, *annuntiabit vobis*.

## Lectio 4

[87529] Super Io., cap. 16 l. 4 Supra positus est duplex fructus adventus spiritus sancti, scilicet mundi arguitio et discipulorum instructio, hic ponitur tertius fructus, scilicet Christi clarificatio, et primo proponit fructum clarificationis; secundo manifestat rationem ipsius, ibi *quia de meo accipiet*; tertio subditur manifestatio rationis, ibi *omnia quae habet pater, mea sunt*. Dicit ergo: *docebit omnem veritatem, quia ille me clarificabit*, in quo est omnis veritas; supra XIV, 6: *ego sum via, veritas et vita*; Col. II, 3: *in quo*, scilicet Christo, *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae*. *Clarificabit me*: idest, meam notitiam claram faciet. Primo quidem discipulos illuminando: quia adhuc carnales erant, et ad Christum afficiebantur secundum carnem, idest secundum infirmitatem carnis, non cognoscentes divinitatis eius maiestatem, cuius postmodum per spiritum sanctum sunt capaces effecti; I Cor. II, 10: *nobis autem revelavit Deus per spiritum suum*. Secundo fiduciam clare annuntiandi praebendo. Nam discipuli ante timidi erant, ita ut non auderent Christum publice confiteri, sed spiritu sancto repleti, timore depulso, annuntiaverunt hominibus Christum, ab ipso spiritu quodammodo impulsus; Is. LIX, 19: *cum venerit quasi fluvius violentus quem spiritus domini cogit*. Unde et apostolus dicebat: *caritas Christi urget nos*. Tertio opera mirifica in apostolis, et per apostolos faciendo; I Cor. XII, 11: *haec omnia operatur unus atque idem spiritus*. Hic ponitur ratio clarificationis, quae est, quia filius est principium spiritus sancti. Omne enim quod est ab alio, manifestat id a quo est: filius enim manifestat patrem, quia est ab ipso. Quia ergo spiritus sanctus est a filio, proprium est ut clarificet eum. Dicit ergo: ideo *me clarificabit quia de meo accipiet*. Accipere autem hoc non est intelligendum eo modo quo in creaturis. Tria enim sunt in acceptione creaturarum, quorum duo non sunt in divinis. Scilicet, quia in creaturis aliud est quod accipit, et aliud quod accipitur: quod non est in divinis, cum personae divinae simplices sint, nec in eis sit aliud et aliud: immo a quocumque accipit spiritus sanctus, accipit totam substantiam suam, similiter et filius. Aliud est, quod in creaturis accipiens aliquando fuit non habens id quod accipit, sicut si materia accipiat formam, vel subiectum accidens: aliquando enim materia fuit sine tali forma, et subiectum sine tali accidente. Et hoc quidem non est in divinis: quia filius ab aeterno est habens quod accipit a patre, et spiritus sanctus quod a patre et filio accipit. Ergo spiritus sanctus a filio, sicut filius accipit a patre; supra X, 29: *pater quod dedit mihi, maius omnibus est*. Sic ergo accipere in divinis dicit ordinem originis. Sed nota, quod cum dicit *de meo accipiet*, *ly de* non importat participationem, sed consubstantialitatem, quia totum accipit quod filius habet. Sicut enim filius dicitur de substantia patris, quia accipit totam substantiam patris, ita et spiritus sanctus de substantia filii, quia accipit totam substantiam eius. Quia ergo *de meo accipiet*, et ego sum verbum Dei, ideo *annuntiabit vobis*. Spiritus enim animalis nullo modo potest esse nisi secundum quod procedit a verbo interius concepto. Hic ponitur rationis manifestatio, ubi Christus probat quod spiritus sanctus accipiebat de suo propter unitatem et consubstantialitatem patris et filii ubi primo ponit consubstantialitatem patris et filii; secundo infert conclusionem intentam, ibi *propterea dixi quia de meo accipiet*. Dicit ergo *de meo accipiet, quia omnia quae habet pater, mea sunt*, quasi dicat: licet a patre procedat spiritus veritatis, tamen quia *omnia quae habet pater, mea sunt*, et ipse patris spiritus est, et de meo accipiet. Sed notandum, quod habere dicimur aliquid dupliciter. Uno modo sicut possessionem; alio modo sicut quod in nobis est, puta vel sicut forma, vel sicut pars. Pater ergo habet sicut possessionem et rem sibi subiectam totam creaturam: Ps. XXIII, 1: *domini est terra et plenitudo eius*; habet etiam aliquid quod in ipso est, immo quod est ipse, quia ipse est quidquid in ipso Christo est, cum ipse sit sua essentia, sua bonitas, sua veritas et aeternitas. De hoc ergo modo habendi loquitur. Et sic quidquid habet pater est filii: quia eandem sapientiam, eandem bonitatem habet filius quam habet et pater; supra V, 26: *sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio habere vitam in semetipso*; Matth. XI, 27: *omnia mihi tradita sunt a patre meo*. Sed, sicut Didymus dicit, obiiciunt aliqui: si omnia quaecumque habet pater, et filius, ergo cum pater habeat paternitatem, sequitur quod et filius. Ad quod respondet, quod haec quidem ratio haberet apparentiam, si dominus diceret: omnia quae habet Deus, mea sunt. Sed dicens *omnia quae habet pater, salvat distinctionem patris et filii dans intelligere quod omnia quaecumque habet pater, sua sunt, praeter id in quo distinguitur pater a filio*. Nam patris nomine se filium declaravit, paternitatem qui filius erat non sibi usurpavit. Sed notandum, quod simpliciter concedimus hanc, scilicet quidquid habet pater, habet filius, non tamen quod eo ordine habet filius quo pater habet. Nam filius habet sicut ab alio accipiens; pater vero sicut alii dans. Non ergo est distinctio in eo quod habetur, sed in ordine habendi. Huiusmodi autem relationes, scilicet paternitas et filiatio, huius ordinis distinctionem important: paternitas enim importat hoc quod est dare alii, filiatio vero accipere ab alio. Sed quaeritur utrum relatio in divinis sit aliquid realiter. Videtur quod sic: alias, cum personae divinae relationibus

distinguantur, eorum distinctio non esset realis. Dicendum ergo, quod relatio in divinis dupliciter consideratur. Uno modo per comparisonem ad essentiam seu personam patris; et sic relatio patris non est alia res quam essentia seu persona patris. Alio modo potest considerari per comparisonem ad oppositam relationem, puta ad filiationem; et sic paternitas est relatio realis, quia secundum hoc importat ordinem naturae, quem pater dat filio per aeternam generationem: qui quidem ordo est in Deo secundum rei veritatem. Sic ergo, si paternitas comparatur ad essentiam patris, omnia quaecumque habet pater, habet filius, quia paternitas non est alia res ab essentia patris; sed non eo ordine habet, ut dictum est. Hic infert intentam conclusionem, quod spiritus sanctus accipiat a filio. Ex necessitate enim oportet quod si omnia quae habet pater sint filii, et filius sit consubstantialis patri, quod spiritus sanctus procedat a filio sicut procedit a patre, ut Hilarius et Didymus arguunt. Ad quod sciendum est, quod in qualibet processione seu origine rei creatae dicimus, quod idem sit quo agens agit, seu dat quod habet, et quod recipiens recipit; sicut ignis generatus recipit formam ignis, quam ignis generans dat per formam suam. Sed hoc in origine divinarum personarum est quodammodo simile, scilicet quod idem est quo pater dat naturam suam filio, non voluntate, sed natura, idest per naturam suam. Sed in hoc est dissimile: quia in creaturis non est idem numero, quod communicatur et quo communicatur, sed specie solum; sed in divinis est eadem natura numero quam pater dat filio, et qua eam dat seu communicat. Sed attende quod dicimus quod filius accipit de substantia patris, idest substantiam patris; et spiritus sanctus de substantia patris et filii; et quod pater virtute naturae suae dat filio substantiam suam et pater et filius spiritui sancto. Sed tamen non dicimus quod pater de substantia sit filii, vel pater et filius de substantia spiritus sancti: quia *ly de* importat consubstantialitatem cum ordine originis. Sic ergo spiritui sancto communicatur quod commune est patri et filio. Oportet autem quod illud idem sit principium communicationis in divinis et quod communicatur. Si ergo essentia communicatur spiritui sancto, oportet quod communicans sit essentia. Essentia autem est communis patri et filio: oportet ergo quod si pater dat essentiam spiritui sancto, quod et filius similiter det: et ideo dicit, quia *omnia quaecumque habet pater, mea sunt*. Et si spiritus sanctus accepit a patre, accipiet etiam a filio; et ideo dicit *propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*, quia secundum quod a me accipit, ita annuntiabit vobis.

## Lectio 5

[87530] Super Io., cap. 16 l. 5 Supra explicavit dominus unam rationem consolationis ex promissione spiritus sancti; hic explicat secundam, scilicet de iterata visione sua, et primo ponitur visionis iterata promissio; secundo inducitur discipulorum dubitatio ibi *dixerunt ergo* etc.; tertio subditur dubitationis satisfactio, ibi *cognovit autem Iesus* et cetera. Iteratam autem visionem promittit eis dominus cum praenuntiatione recessus sui: quod ideo eis frequenter inculcat, ut dum saepe ipsum futurum praemeditantur, ipsum absentem tolerabilius ferant. Tria autem ponit consolatoria. Brevem absentiam, iteratam sui praesentiam, et honorabilem discessum. Absentia quidem brevis est, quia *modicum, et iam non videbitis me*: ut *ly modicum* referatur ad *non videbitis*; quasi dicat: futurum est ut tollar a vobis per mortem, *et iam non videbitis me*, sed non debetis contristari, quia tempus hoc quo me non videbitis, modicum erit, quia exurgam diluculo, tertia scilicet die; Is. XXVI, 20: *abscondere modicum ad momentum donec pertranseat indignatio*. Sed iterata praesentia mei erit, quia *iterum modicum*, idest modico temporis post resurrectionem spatio, scilicet quadraginta dierum, Act. I, 3: *per dies quadraginta apparens eis, et videbitis me*; infra XX, 20: *gavisus sunt discipuli viso domino*. Et hoc, quia honorabiliter recedo, *quia vado ad patrem*; Act. I, 9: *videntibus illis elevatus est*. Vel aliter, ut *ly modicum* referatur ad tempus ante eius mortem, et sit sensus *modicum*, scilicet tempus existet quo subtrahar a vobis, quia scilicet in crastino; supra XIII, 33: *filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Et non videbitis me*, scilicet mortalem, quia, supra XIV, 19, *adhuc modicum, et mundus me iam non videt*, scilicet mortalem, quia videbit eum in iudicio in maiestate venientem; discipuli vero post resurrectionem immortalem existentem: quia, ut dicitur Act. X, 40, *dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis*. Et ideo subdit *modicum*, scilicet durabit, *et videbitis*, quia scilicet modicum tempus fuit quo manserit in morte; Is. LIV, 8: *in momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te*. Vel *ly modicum* potest referri ad tempus totius vitae nostrae usque ad iudicium; et tunc videbimus eum in iudicio et in gloria. Dicitur autem *modicum* in comparatione ad aeternitatem; Ps. LXXXIX, 4: *mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesternae quae praeteriit*. *Quia vado ad patrem*, per resurrectionem et ascensionem; supra XIII, 1: *sciens Iesus quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem*. Hic ponitur discipulorum dubitatio: et primo ponitur eorum ad invicem collatio; secundo exprimitur dubitationis occasio; tertio describitur

dubitantium animus et affectio. Conferebant quidem ad invicem discipuli ex verbis domini, dicentes *quid est hoc quod dicit nobis modicum?* In quo commendanda est eorum reverentia ad Christum, quae tanta erat ut non praesumerent eum interrogare. Simile faciunt Angeli; Is. LXIII, v. 1: *quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Quibus tamen respondet, dicens: *ego qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum.* Sed in hoc datur nobis intelligi quia nondum perfectum sensum habuerunt de verbis Christi, aut propter tristitiam absorbentem, aut propter verborum obscuritatem; Matth. XV, 16: *adhuc et vos sine intellectu estis?* Occasio autem erat ipse verborum contextus, quae videbantur contrarietatem quamdam implicare. Satis enim intelligebant quod dicit *non videbitis me, et quia vado ad patrem:* sed hoc dubium inferebat quod eundem existentem et morientem post modicum visuri erant. Nondum enim nota eis erat resurrectio, quia hoc dicitur in Ps. c. LXXXVIII, 49: *quis est homo qui non videbit mortem, eruet animam suam de manu Inferi?* Sap. II, 1: *non est agnitus qui sit reversus ab Inferis.* Et ideo dicunt *quid est hoc quod dicit nobis modicum?* Supple: quod videbitis me. Sed ad hanc dubitationem modeste dispositi erant. *Nescimus,* inquit, *quid loquitur.* Nam, ut dicit Augustinus, aliqui non intelligentes verba Scripturae blasphemant, sensum proprium auctoritati Scripturae praeponentes; sed alii modesti, dum non intelligunt, suam ignorantiam confitentur; Sap. IX, v. 5: *infirmus homo, et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii et legum:* quod et hic discipuli faciunt. Non enim aiunt, male dicit, vel nihil; sed eorum ignorantiae ascribunt quod non intelligunt. Hic ponitur manifestatio dubitationis, et primo ponitur dubitationis cognitio; secundo manifestatio eius de quo dubitatur, ibi *amen, amen dico vobis* etc.; tertio inducitur similitudo, ibi *mulier cum parit, tristitiam habet.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quomodo dubitatio discipulorum a Christo cognoscitur, cum dicit *cognovit autem Iesus,* virtute divinitatis suae, *quia volebant eum interrogare,* scilicet de eo quod dubitabant; supra II, 25: *ipse enim sciebat quid esset in homine;* I Reg. XVI, 7: *homines vident quae patent, Deus autem intuetur cor.* Secundo quomodo verbo manifestatur; unde dixit eis *de hoc quaeritis inter vos* etc.; Is. XLVIII, 3: *audita feci ex tunc, repente operatus sum, et venerunt.* Hic exponit dictum suum, removens dubitationem, non expresse ponens verba quae dixerat, discipulis magis satisfaciens quam sibi: ubi tria facit. Primo ostendit alternationem gaudii et tristitiae; secundo interioriorem tristitiam; tertio consequentem laetitiam. Dicit ergo quantum ad primum *amen, amen dico vobis,* quia in hoc modico in quo non videbitis me, *plorabitis,* exterius emittendo vocem dolorosam, *et flebitis,* lacrymando; Thren. I, 2: *plorans ploravit in nocte,* quantum ad primum, *et lacrymae eius in maxillis eius,* quantum ad secundum; Hier. c. XXXI, 16: *quiescat vox tua a ploratu.* Interior autem eorum tristitia erit per contrarietatem ad laetitiam mundi; unde dicit *mundus autem gaudebit:* quod potest intelligi particulariter quantum ad tempus passionis Christi, et sic *mundus,* idest Scribae et Pharisaei, *gaudebit,* de occisione Christi; Thren. II, 16: *haec dies quam expectabamus: invenimus, vidimus.* Vel *mundus,* idest mali qui sunt in Ecclesia, *gaudebit,* in persecutione sanctorum; Apoc. XVII, 8: *inhabitantes super terram gaudebunt.* Vel universaliter *mundus,* idest homines carnaliter viventes, *gaudebit,* in rebus mundanis; Is. XXII, v. 13: *ecce gaudium et laetitia occidere vitulos et iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum.* Subsequitur tristitia discipulorum: unde dicit *vos autem contristabimini,* scilicet de passionibus quas in mundo sustinebitis, vel potius de occisione mea. Sic et sancti tristantur de passionibus sibi illatis a mundo, et de peccatis; II Cor. VII, 10: *quae secundum Deum est tristitia, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Sed tristitiam consequetur laetitia: quia *tristitia vestra,* quam scilicet habebitis in passione, *vertetur in gaudium,* in resurrectione; infra XX, 20: *gavisi sunt discipuli viso domino.* Sed universaliter omnium sanctorum tristitia vertetur in gaudium futurae vitae; Matth. V, 5: *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur;* Ps. CXXV, 6: *euntes ibant et flebant mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Flent enim sancti tempore meriti, seminando; sed gaudebunt tempore praemii, colligendo. Hic dominus primo proponit similitudinem; secundo adaptat eam, ibi *vos igitur nunc quidem tristitiam habetis.* Similitudinem autem proponit de muliere parturiente, unde primo proponit eius tristitiam de partu; secundo eius laetitiam de prole, ibi *cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium.* Dicit ergo quantum ad primum: *mulier cum parit, tristitiam habet,* sensibilem, scilicet maximam, *quia venit hora eius,* scilicet doloris; Ps. XLVII, 7: *ibi dolores ut parturientis.* Per hunc dolorem datur intelligi dolor passionis Christi, qui maximus fuit; Thren. I, 12: *o vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.* Item sanctorum poenitentium de peccatis; Is. XXVI, 17: *sicut quae concepit, dolens, clamat in doloribus suis, cum appropinquavit ad partum; sic facti sumus a facie tua, domine.* Hic proponit gaudium de evasione. Ad partum enim sequitur duplex gaudium: unum de evasione doloris; aliud, et maius, de ortu prolis: quod quidem maximum est, si proles sit masculini sexus; cum

masculus sit quid perfectum, femina vero quid imperfectum et occasionatum; Ier. XX, v. 15: *maledictus vir qui annuntiavit patri meo: natus est tibi puer masculus*. Gen. XXI, v. 6, quando Sara concepit, dixit: *risum fecit mihi dominus, et quicumque audierit, corridebit mihi*. Et ideo dicit *cum autem peperit, iam non meminit pressurae*, gaudens de evasione doloris, sed magis *propter gaudium, quia natus est homo in mundum*. Haec autem similitudo convenit quidem quantum ad Christum, quia patiendo solvit mortis pressuras, et novum hominem regenerans esse fecit, idest, reddidit ad vitae gloriae novitatem, quae nondum hominibus nota erat; unde non dicit: natus est puer sed *natus est homo in mundum*: quia ipse Christus existens homo, ex mortuis novus resurgebat, ut puer. Item convenit Ecclesiae militanti quae in novitate vitae ambulat. Item Ecclesiae triumphanti, quae ambulat in novitate gloriae. Et non dicit non erit pressura sed *quoniam non meminit pressurae* quia etsi sancti recordentur miseriarum quas passi sunt, cum in illa beatitudine gloriae erunt, non tamen aliquid miseriarum ex hoc in affectu experientur. Hic adaptat similitudinem: et primo quantum ad praesentem tristitiam, quam apostoli tunc habebant, dicens *et vos igitur quidem nunc*, idest ex tempore passionis, *tristitiam habetis*, de morte mea; Lc. ult., 17: *qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem, et estis tristes?* Vel *nunc*, idest in tota vita praesenti, *tristitiam habetis*. Supra eodem: *plorabitis et flebitis vos*. Secundo quantum ad futuram laetitiam, dicens *iterum autem videbo vos*. Ubi primo promittit eis futuram visionem, dicens *iterum autem videbo vos*; quod idem est ac si diceret: videbitis me, quia non possumus eum videre, nisi seipsum ostendat. Sed non dicit videbitis me sed *videbo vos*: quia hoc ipsum quod seipsum ostendit, est ex misericordia sua quae signatur per eius visionem. Dicit ergo *iterum autem videbo vos*, in resurrectione et in futura gloria; Is. XXXIII, v. 17: *regem in decore suo videbunt*. Secundo promittit cordis gaudium, et exultationem, dicens *et gaudebit cor vestrum*, scilicet ex mea visione in resurrectione. Unde cantat Ecclesia: *haec dies quam fecit dominus, exultemus et laetemur in ea*. Et *gaudebit*, visione gloriae: Ps. XV, 11: *replebis me laetitia cum vultu tuo*; Is. LX, 5: *tunc videbis et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum*. Naturale enim est unicuique quod gaudeat in intuitu rei amatae. Divinam autem essentiam nullus nisi eam diligens videre potest. Iob XXXVI, 33: *annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit*. Et ideo necesse est quod illam visionem sequatur gaudium; Is. ult., 14: *videbitis, cognoscendo per intellectum, et gaudebit cor vestrum*; immo ipsum gaudium usque ad corpus redundabit, dum glorificabitur; unde subdit: *et ossa vestra germinabunt*; Matth. c. XXV, 21: *intra in gaudium domini tui*. Tertio promittit eis perpetuam gaudii durationem, dicens *et gaudium vestrum*, quem habebitis in resurrectione de me, Is. LXI, 10: *gaudens gaudebo in domino, nemo tollet a vobis*: sicut Iudaei ante abstulerunt per passionem, quia, *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Vel *gaudium vestrum*, de gloriae fruitione, *nemo tollet a vobis*, cum sit inamissibile et perpetuum; Is. c. XXXV, 10: *laetitia sempiterna super capita eorum*. Nemo enim sibimetipsi hoc gaudium tollet per peccatum, cum uniuscuiusque voluntas sit ibi in bono confirmata; nemo etiam alteri hoc gaudium tollet, cum ibi nulla sit violentia, nulla illatio nocimenti et cetera.

## Lectio 6

[87531] Super Io., cap. 16 l. 6 Supra prosecutus est dominus duas rationes confortantes apostolos, scilicet ex promissione Paracliti, et reditu sui; hic vero prosequitur tertiam rationem in qua confortavit eos ex promissione accessus eorum ad patrem, et primo promittit eis familiarem accessum eorum ad patrem: secundo assignat rationem dicatorum, ibi *haec in proverbii locutus sum vobis*. Circa primum duo facit. Primo dat fiduciae securitatem; secundo hortatur eos ad usum fiduciae, ibi *usque modo non petistis quidquam* et cetera. Circa primum duo facit. Primo excludit interpellationis necessitatem; secundo promittit impetrandi opportunitatem, ibi *amen, amen dico vobis. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*. Dicit ergo *in illo die non rogabitis me quidquam*. Ubi secundum quod Augustinus dicit, ubi nos habemus *rogabitis*, Graeci habent quoddam verbum quod duo significat, scilicet petere et interrogare; et ideo potest dupliciter intelligi *in illo die non me rogabitis quidquam*, idest nihil a me petetis, vel nihil me interrogabitis. Dicit ergo: *in illo die*. Quis autem sit iste dies, patet ex supra dictis scilicet *iterum autem videbo vos*. Quod potest intelligi de resurrectione, et de visione in gloria. De primo exponitur, secundum Chrysostomum *in illo die*, scilicet quando a mortuis resurrexero, *me non interrogabitis quidquam*; idest non dicetis: *ostende nobis patrem*, et huiusmodi. Sed contra hanc expositionem obiicit Augustinus: quia discipuli post resurrectionem dicunt, Act. I, 6: *si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Et infra ult., 19, interrogat Petrus dicens: *hic autem quid?* Sed, sustinendo expositionem Chrysostomi,

dicendum, quod dominus illum diem vocat non solum diem resurrectionis, sed etiam diem illum quo a spiritu sancto docendi erant; supra eodem: *cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Et sic confuse loquens de tempore illo, includit etiam adventum spiritus sancti; quasi dicat *in illo die*, dato scilicet spiritu sancto, *me non interrogabitis*, quoniam scietis omnia per spiritum sanctum; I Io. II, 27: *unctio docet nos de omnibus*. Item, secundum eundem: *in illo die* adventus spiritus sancti, *non me interrogabitis quidquam*, idest, nulla erit vobis necessitas me rogandi. Sed numquid post resurrectionem apostoli non fecerunt aliquam orationem Christo? Videtur quod sic; II Cor. c. XII, 8, dicit apostolus: *propter quod ter dominum rogavi*, idest Christum. Responsio. Dicendum, quod in Christo erat duplex natura: scilicet humana, per quam est mediator Dei et hominum: I Tim. II, 5, et divina, per quam est Deus unus cum patre. Christus autem secundum quod homo, non erat talis mediator ut numquam nos Deo coniungeret, sicut aliqui mediatores qui numquam extrema coniungunt. Coniungit ergo nos patri. Eadem autem est coniunctio ad Deum patrem et ad Christum secundum divinam naturam; unde dicit: non necesse habebitis ut utamini mea mediatione, in quantum homo. Sic ergo *in illo die non rogabitis me*, quasi mediatorem, quia per vos habebitis accessum ad Deum; sed rogabitis me ut Deum. Et licet Christus interpellat pro nobis, ut dicit apostolus ad Rom. VIII, 34, Ecclesia tamen non rogat eum ut interpellantem: unde non dicimus: Christe, ora pro nobis; sed rogat ipsum ut Deum: inhaerens ei ut Deo, per amorem et fidem. Secundum Augustinum exponitur de die visionis gloriae, hoc modo: *in illo die*, quando videbo vos in gloria, *me non rogabitis*, idest, nil petetis, quia nil desiderandum remanebit, cum omnia bona superabundent nobis in patria; Ps. XV, 10: *adimplebis me laetitia cum vultu tuo*; et iterum, Ps. XVI, 15: *satiabor cum apparuerit gloria tua*. Item *nil interrogabitis*, quia pleni eritis cognitione Dei; Ps. XXXV, 10: *in lumine tuo videbimus lumen*. Sed contra utrumque obiicitur, quia sancti in patria orant: secundum illud Iob V, 1: *voca si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere*. Et II Mac. ult. dicitur, quod hic orabat pro populo suo. Nec potest dici, quod pro aliis rogent, non pro se; quia dicitur Apoc. VI, 10: *usquequo non iudicas sanguinem nostrum?* Item sancti interrogant: erunt enim aequales Angelis, ut dicitur Matth. XXII, 30, sed Angeli interrogant dicentes: *quis est iste rex gloriae?* Et in Is. LXIII, 1: *quis est iste qui venit de Edom?* Quae est vox Angelorum, secundum Dionysium. Ergo et sancti interrogant. Sed quantum ad utramque est duplex responsio. Primo, quia tempus gloriae potest considerari dupliciter: secundum gloriae inchoationem, et secundum plenariam consummationem. Tempus autem inchoationis gloriae est usque ad diem iudicii: nam sancti quantum ad animam receperunt gloriam, sed aliquid adhuc expectant ad recipiendum, scilicet gloriam corporis in se, et quantum ad alios, ut impleatur numerus electorum; et sic usque ad iudicii diem et petere possunt et interrogare, non tamen de his quae pertinent ad essentiam beatitudinis. Tempus autem gloriae consummatae plenarie est post diem iudicii, post quam nihil restat petendum, nihil cognoscendum; et de eo dicitur *in illo die*, scilicet gloriae consummatae, nil petetis, *nil interrogabitis*. Quod autem dicitur de Angelis, quod interrogant, verum est de mysteriis humanitatis et incarnationis Christi, non autem divinitatis. Hic promittit impetrandi opportunitatem: quod quidem continuatur dupliciter. Uno modo, secundum Chrysostomum, ut referatur ad tempus resurrectionis, et adventum spiritus sancti; quasi dicat: verum est quod in illo die resurrectionis et spiritus sancti non interrogabitis me, tamen habebitis meum auxilium, quia *petetis in nomine meo*, a patre, ad quem habebitis accessum per me. Alio modo, secundum Augustinum: *in illo die*, gloriae meae, *non rogabitis quidquam*, sed interim, dum in peregrinatione huius miseriae conversamini, *si quid petieritis patrem, dabit vobis*. Et secundum hoc *si quid petieritis patrem* etc., non refertur ad hoc quod dicitur *in illo die*, sed ad ea quae praecedunt illum diem. Ponit autem dominus septem conditiones bonae orationis. Prima est ut petantur bona spiritualia; et hoc cum dicitur *si quid*. Quod enim est penitus terrenum, etsi in se sit aliquid, comparatum tamen ad spiritualia, nihil est; Sap. VII, 8: *divitias nihil esse duxi in comparatione illius*; Ier. IV, v. 23: *aspexi terram, et vacua erat et nihil*. Sed contra. Matth. VI, docet dominus petere temporalia, ibi: *panem nostrum quotidianum*. Sed dicendum, quod temporale petitum relatam ad spirituale iam est aliquid. Secunda conditio est ut fiat cum perseverantia; et quantum ad hoc dicitur *petieritis*, quasi perseverando; Lc. XVIII, 1: *oportet semper orare, et non deficere*; et I Thess. V, v. 17: *sine intermissione orate*. Tertia, quod fiat cum concordia, cum dicitur *petieritis*, in plurali; Matth. XVIII, 19: *si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint fiet illis a patre meo qui in caelis est*. Unde Glossa, Rom. c. ult., dicit, quod impossibile est multorum preces non exaudiri. Quarta, ut procedat ex filiali affectu, cum dicitur *patrem*. Qui enim ex timore petit, non patrem, sed dominum petit, vel hostem; Matth. VII, 11: *si vos nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester qui in caelis est, dabit bona petentibus se?* Quinta, ut fiat cum pietate, idest cum humilitate, Ps. ci, 18: *respexit in*

*orationem humilium, et non spreuit preces eorum, cum fide impetrandi, Iac. I, 6: postulet autem in fide, nihil haesitans; et ordinate, Iac. IV, 6: petitis, et non accipitis, eo quod male petatis. Et quantum ad hoc dicit in nomine meo, quod est nomen salvatoris, in quo nomine petit qui pertinentia ad salutem petit, et eo modo quo potest salutem consequi; Act. IV, v. 12: non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Sexta, ut fiat tempore debito; et ideo dicit dabit. Non enim oportet statim decidere, si non accipiat; sed profecto dabitur, etsi, ut in tempore congruo detur, differatur, ut magis crescat desiderium; Ps. CXLIV, 15: tu das escam illorum in tempore opportuno. Septima, ut petat pro se; unde dicit vobis, quia aliquando pro aliis non exauditur, contrariantibus eorum demeritis, pro quibus fit petitio; Ier. VII, 16: tu ergo noli orare pro populo isto; et XV, 1: si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Hic hortatur eos ad usum datae fiduciae, et primo commemorat defectum praeteritum; secundo hortatur ad profectum futurum, ibi petite. Defectus praeteritus est in non petendo; unde dicit usque modo non petistis quidquam. Sed contra. Matth. X, 1 et Lc. IX, 1: dedit eis potestatem super omnia Daemonia, et ut languores curarent. Haec autem orando faciebant: ergo aliquid petierunt in nomine Christi, et praecipue quia Lc. X, 17, dicitur a discipulis: domine, in nomine tuo etiam Daemonia subiiciuntur nobis. Et ideo dicendum, quod hoc potest dupliciter exponi. Uno modo sic usque modo non petistis quidquam, quod scilicet esset aliquid magnum, in nomine meo. Nam petitiones curationum corporalium modicae sunt in comparatione ad alia magna quae orando facturi erant: nec dum spiritum adoptionis acceperant, quo ad spiritualia et caelestia anhelarent. Et si dicis, quod petierunt aliquid magnum, supra XIV, 9: domine, ostende nobis patrem, dicendum, quod hoc non petebant a patre de quo hic agit, sed solum de Christo homine confisi eum interpellabant mediatorem ut patrem ostenderet. Alio modo, quia dicit: si quid petieritis patrem in nomine meo, in quo ante non petierant, non habentes perfectam cognitionem nominis Christi. Consequenter cum dicit petite et accipietis, hortatur eos ad profectum futurum, ut scilicet petant. Matth. VII, 7: petite et dabitur vobis. Petite, inquam, et accipietis, scilicet quod petitis, ut impleatur gaudium vestrum; Lc. X, 17: reversi sunt discipuli cum gaudio dicentes: domine, in nomine tuo etiam Daemonia subiiciuntur nobis. Et hoc modo quod dicit gaudium vestrum sit plenum, ponitur ut finis exauditionis. Vel potest poni sicut res petita, ut sit sensus petite et accipietis: hoc, inquam, petatis, ut gaudium vestrum sit plenum. Ubi sciendum, quod obiectum gaudii est bonum concupitum. Cum enim desiderium sit motus appetitus in bonum et gaudium quies eius in eo, tunc gaudet homo quando quiescit in bono iam habito, ad quod desiderium movebatur. Sed gaudium proportionatur bono habito: et de bono creato non potest haberi gaudium plenum, quia non quietat plene desiderium et appetitum hominis: tunc ergo gaudium nostrum erit plenum quando habebimus bonum illud in quo superabundanter sunt omnia bona quae desiderare possumus. Et hoc bonum est solum Deus, qui replet in bonis desiderium nostrum, ut dicitur in Ps.: CII. Ideo dicit petite, illud, ut gaudium vestrum sit plenum, scilicet frui Deo et Trinitate, ut Augustinus dicit, quo amplius non est; Ps. XV, 10: adimplebis me laetitia cum vultu tuo. Et quare? Quia venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, Sap. VII, 11, idest cum contemplatione divinae sapientiae.*

## Lectio 7

[87532] Super Io., cap. 16 l. 7 Supra promisit dominus discipulis familiaritatem et accessum eorum ad patrem; hic rationem huius familiaritatis assignat. Duo autem sunt quae dant homini fiduciam petendi ab aliquo et familiaritatem, scilicet notitia et dilectio: et ideo dominus hanc duplicem rationem assignat. Prima sumitur ex manifesta patris cognitione; secunda ex speciali eius dilectione, ibi *in illo die in nomine meo petetis*. Circa primum duo facit. Primo commemorat praeteritam eorum de patre cognitionem imperfectam; secundo promittit perfectam, ibi *venit hora cum iam non in proverbiiis loquar vobis*. Imperfectam quidem cognitionem habebant, unde dicit *haec in proverbiiis locutus sum vobis*. Proverbium proprie dicitur quod communiter est in ore omnium, sicut illud Prov. c. XXII, 6: *adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea*. Sed quia haec quandoque obscura sunt et metaphorica, inde est quod proverbium quandoque sumitur pro parabola, in qua aliud dicitur, aliud signatur. Et hoc modo accipitur hic proverbium pro parabola, idest pro parabolica locutione. Potest autem hoc habere quadruplicem sensum. Primus est talis secundum litteram, ut referatur ad hoc quod immediate dixerat, hoc modo: dixi vobis: *usque modo non petistis quidquam*, et quod in nomine meo petetis, et sum quasi obscure et *in proverbiiis locutus*; sed *venit hora* ut quae obscure dixi vobis, dicam statim in manifesto; unde subdit: *ipse pater amat vos, et exivi a patre, et veni in mundum*. Et sic videntur apostoli



intellexisse, unde, his auditis, dicunt ei: *ecce nunc palam loqueris* et cetera. Secundus sensus est ut hoc quod dicit *haec in proverbii locutus sum vobis*, referatur ad totum quod in hoc Evangelio legitur de doctrina Christi; quod vero dicitur *venit hora cum iam non in proverbii loquar vobis*, referatur ad tempus gloriae. Quia enim nunc videmus per speculum et in aenigmate, idcirco haec quae dicuntur nobis de Deo, in proverbii proponuntur. Sed quia in patria videbimus facie ad faciem, ut dicitur I Cor. XIII, 12, ideo tunc non in proverbii, sed palam de patre annuntiabitur nobis. Dicit autem *de patre*, quia nullus potest patrem videre in illa gloria nisi filio manifestante; Matth. XI, 27: *nemo novit patrem nisi filius, et cui filius voluerit revelare*. Ipse enim est lux vera, dans nobis lucem, qua patrem videamus; supra VIII, 12: *ego sum lux mundi*. Sed quia huic expositioni repugnat quod sequitur *in nomine meo petetis*: in quo nil petituri sumus, si de die gloriae intelligatur, quando satiabitur in bonis desiderium nostrum, ideo est alius sensus duplex. Unus, secundum Chrysostomum, sic: *haec*, scilicet quae nunc dixi vobis, *in proverbii*, idest in quadam intricatione verborum, *locutus sum vobis*, non exprimens totaliter quae oportet vos cognoscere de me et patre meo, quia *multa habeo vobis dicere quae non potestis portare modo*: supra hoc cap.; sed *venit hora*, cum a mortuis scilicet resurrexero, *cum iam non in proverbii*, idest obscure et per aenigmata, *sed palam de patre meo annuntiabo vobis*. Nam per illos quadraginta dies quibus apparuit eis, multa mysteria eos docuit et multa de se et patre annuntiavit; et cum iam per fidem resurrectionis eum firmiter Deum verum esse credentes elevati essent ad altiora; unde et subditur Act. I, 3: *loquens eis de regno Dei*; Lc. ult., 45: *aperuit eis sensum ut intelligerent Scripturas*. Alius sensus est, secundum Augustinum, ut per hoc quod dicit *haec in proverbii locutus sum*, promittat dominus se facturum eos spirituales. Differentia enim haec est inter spiritualementem et animalementem virum: quia animalis homo verba spiritualia accipit ut proverbialia, non quod proverbialiter sint dicta, sed quia mens eius supra corporalia elevari non valens, sunt ei obscura; I Cor. II, 14: *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*. Spiritualis autem homo accipit spiritualia ut spiritualia. Discipuli autem a principio quasi animales erant, et quae dicebantur eis, obscura erant et sicut proverbialia; sed postmodum a Christo spirituales effecti et per spiritum sanctum edocti, spiritualia aperte capiebant. Et ideo dicit *haec in proverbii locutus sum vobis*, idest, fuerunt vobis ut proverbialia. Sed *venit hora cum iam non in proverbii loquar vobis*; II Cor. III, v. 18: *nos autem revelata facie gloriam domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a domini spiritu*. Hic ponitur secunda ratio fiducia, sumpta ex dilectione patris ad discipulos, et primo ostendit patris dilectionem ad eos; secundo familiaritatem patris ad filium, ibi *exivi a patre, et veni in mundum*. Circa primum duo facit. Primo resumit eis factam promissionem; secundo assignat promissionis rationem, ibi *ipse enim pater amat vos*. Circa primum duo facit. Primo resumit unum quod promiserat; secundo promittit eis fiduciam petendi. Unde dicit *in illo die*, scilicet quando annuntiabo vobis palam de patre, *petetis in nomine meo*: quia manifeste eum cognoscentes, scietis me esse ei aequalem et coessentialem, et per me habere accessum ad eum. Haec enim est petitio in nomine eius, sperare per Christum habere accessum ad patrem; Ps. XIX 8: *hi in curribus et hi in equis; nos autem in nomine domini Dei nostri invocabimus*. Tacet autem se rogaturum patrem pro eis; unde dicit *et non dico vobis quia ego rogabo patrem* et cetera. Sed numquid non ipse orat pro nobis? Immo: I Io. II, 1: *advocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum*; Hebr. VII, 25: *accedens per semetipsum ad Deum salvare potest*. Et ad hoc dicendum primo, secundum Augustinum, quod hoc dicit ad removendum, se de cetero esse ut personam interpellantem in quantum homo. Sic in illo die, quando palam annuntiabo et petetis in nomine meo et cognoscetis me esse unum cum patre et quod non sim persona interpellans; sed in quantum Deus simul cum eo interpellans exaudiam. Alio modo, secundum Chrysostomum, hoc forte dicit, ne forte credant discipuli quod ita sint per filium impetraturi quod ipsi non habebant immediatum accessum ad patrem, quasi dicat: modo ad me recurritis, ut pro vobis interpellem, sed tunc tantam fiduciam habebitis apud eum quod etiam ipsi a patre petere poteritis in nomine meo, non indigentes alio introducente. Sed numquid apostoli non indiguerunt Christo homine ad interpellandum? Alias, cum ipse interpellat, superflua erit eius interpellatio. Sed dicendum, quod non interpellat pro eis tamquam pro absentibus et accessum habere non valentibus, sed faciens preces eorum exaudibiliores. Hic rationes promissionis assignat, quae est amor patris ad eos, et primo ponit patris dilectionem; secundo dilectionis probationem, ibi *quia vos me amastis*. Dicit ergo: ideo non dico *quia rogabo patrem pro vobis* (per hoc enim videretur quod ipse non amaret eos), sed utique *ipse pater*, qui amat omnia, volendo eis bonum naturae, Sap. II, 35: *diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti, amat vos*, apostolos et sanctos, quodam privilegiato amore, volendo vobis summum bonum, idest seipsum; Deut. XXXIII, 3: *dilexit populos: omnes sancti in manu illius sunt*, quia ad hoc dilexit; Sap. III, 1: *iustorum animae in manu Dei sunt*.

Probationem huius ostendit ex duobus: scilicet ex amore discipulorum ad Christum, et ex fide. Quantum ad primum dicit *quia vos me amastis*: quae quidem probatio non est per causam, quia, ut dicitur I Io. IV, 10: *non quasi nos dilexerimus eum; sed quoniam ipse prior dilexit nos*: sed est per signum, quia hoc ipsum quod nos Deum diligimus, est signum quod ipse amat nos: quod enim possumus eum amare, est ex dono Dei; Rom. V, v. 5: *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis*; supra XIV, 21: *qui diligit me, diligetur a patre meo*. Quantum ad secundum dicit *et credidistis quia a Deo exivi*. *Sine fide enim impossibile est placere Deo*: Hebr. XI, 6. Fides autem est nobis ex amore Dei: *donum enim Dei est*, ut dicitur Eph. II, 8. Donum autem non datur nisi ex amore dantis. Credere autem et amare Christum in quantum a Deo exivit, satis est evidens signum amoris Dei, quia propter quod unumquodque, et illud magis. Qui ergo amat Christum, qui a Deo exivit, amor eius praecipue retorquetur in Deum patrem; non autem si amat eum in quantum hominem. Sed quia mentionem fecit de exitu suo a patre, hic manifestius explicans dicit *exivi a patre, et veni in mundum*. Ubi ostendit familiaritatem suam ad patrem, et primo ponit eius a patre exitum; secundo eius ad patrem reditum, ibi *iterum relinquo mundum, et vado ad patrem*. Est autem duplex processio filii a patre: una scilicet aeterna, alia temporalis. Aeternam quidem designat cum dicit *exivi a patre*, ab eo aeternaliter genitus. Sed notandum, quod omne quod exit ab aliquo, fuit prius in eo. Aliquid autem est in aliquo tripliciter. Uno modo sicut contentum in continente; alio modo sicut pars in toto; tertio modo sicut accidens in subiecto et sicut effectus in causa: et secundum hoc dicuntur aliqua ab eis exire. Sed primis duobus modis exit aliquid idem numero existens; puta idem numero vinum de dolio, et eadem pars a toto. Sed aliis duobus modis non exit idem numero. Haec autem non sunt dicenda de Deo: quia cum Deus sit summe simplex, nec sit in loco nisi metaphorice, non potest dici quod filius sit in eo sicut pars vel sicut contentum, sed in eo erat per unitatem essentiae; supra VIII, 16: *ego et pater unum sumus*. Tota enim essentia patris est tota essentia filii, et e converso; et ideo non exit eo modo a patre quo praedicta. Nam quod exit a toto ut pars, est distinctum ab eo per essentiam: nam pars a toto exiens fit ens actu, quae in eo erat ens in potentia. Et similiter quod exit a toto continente, loco distinguitur; sed filius a patre non exit localiter, quia omnia implet, secundum illud Ier. XXIII, 24: *caelum et terram ego impleo*, nec divisibiliter: quia pater impartibilis est; sed exit ab eo per personalem distinctionem. Sic ergo in exitu, in quantum praesupponit inhaerentiam, designatur essentiae unitas; in quantum insinuat processum quemdam, designatur distinctio personalis; Ps. XVIII, 7: *a summo caelo*, scilicet Deo patre, *egressio eius*. Et Ps. CIX, 3: *ex utero ante Luciferum genui te*. Sed in rebus corporalibus res exiens ab aliquo iam non est in eo, cum exeat per separationem essentiae vel loci. Hic autem quia non est exitus talis, ideo sic ab aeterno a patre exiit quod tamen ab aeterno sit in eo: et sic quando est in eo, exit, et quando exit, est in eo: ita ut semper exeat, et semper sit in eo. Temporalem autem processionem eius designat dicens *et veni in mundum*. Sicut autem exitus a patre ab aeterno non est localiter, ita nec adventus eius in mundum est localis: quia cum filius sit in patre et e converso, sicut pater omnia implet, ita et filius; nec est quo localiter moveatur. Dicitur ergo venisse in mundum, in quantum naturam humanam assumpsit, quantum ad corpus, habentem originem ex mundo, non mutando locum; supra I, 11: *in propria venit, et sui eum non receperunt*. Consequenter cum dicit *iterum relinquo mundum, et vado ad patrem*, agit de reditu suo ad patrem: et primo ponit recessum eius a mundo, dicens *iterum relinquo mundum*, non subtrahendo suae gubernationis providentiam, quia simul cum patre semper mundum gubernat, et semper cum fidelibus est per gratiae opitulationem; Matth. c. ult., 20: *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*. Relinquit ergo mundum subtrahendo se a conspectu corporali mundanorum. Secundo ponit reditum suum ad patrem, cum dicit *vado ad patrem*, quem numquam deseruerat. Vadit autem in quantum se obtulit patri in passione; Eph. V, 2: *obtulit semetipsum oblationem et hostiam Deo*. Item in quantum per resurrectionem, secundum quod homo configuratus est patri in immortalitate; Rom. VI, 10: *quod autem vivit, vivit Deo*. Item in quantum in ascensione ascendit ad caelos, in quo specialiter refulget divina gloria; Mc. ult., 19: *dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei*; supra eodem: *vado ad eum qui me misit; et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?*

## Lectio 8

[87533] Super Io., cap. 16 l. 8 Positis rationibus et verbis consolantibus apostolos, hic ponitur effectus ipsorum in discipulis, et primo ponitur discipulorum affectio; secundo ostenditur ipsorum conditio, ibi *respondit eis Iesus*; tertio assignatur praedictorum intentio, ibi *haec locutus sum vobis* et cetera. Affectio discipulorum est

confessionis et credulitatis, unde dicunt *ecce nunc palam loqueris*. Ubi tria confitentur de Christo; scilicet doctrinae claritatem, scientiae certitudinem, et divinam originem. Primum confitentur cum dicunt *ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis*. Si enim diligenter advertimus, vix in aliquo loco sacrae Scripturae ita exprimitur Christi origo, sicut hic, cum dicit: *palam de patre meo annuntiabo vobis, et, exivi a patre, et veni in mundum*. Et ideo credentes hanc promissionem, qua dixit, *palam de patre meo annuntiabo vobis*, eis completam esse, ita ut non alia manifestatione indigeant, dicunt *ecce nunc palam loqueris*. Sed, ut Augustinus dicit, ita adhuc ignorantes erant discipuli, ut se non intelligere ignorent. Non enim promiserat eis in illa hora se sine proverbii locuturum, sed in hora resurrectionis vel gloriae. Tamen quantum ad ipsos discipulos iam clarius eis fuit locutus tunc, quamvis alia claritas sermonum eius esset expectanda. Infra XVIII, v. 20: *ego palam locutus sum mundo*. Secundum confitentur cum dicunt *nunc scimus quia scis omnia*. Et quidem in superficie verborum satis evidens argumentum est certae et perfectae scientiae quando quis manifestat quae dicit: signum enim scientis est omnino posse docere, unde dicitur Prov. XIV, 6, quod doctrina prudentium facilis est. Quae enim nostrum superant intellectum, non plane verbis explicamus. Sed tamen hoc apostoli dicunt propter aliam intentionem, quia scilicet dominus scit omnia cordis eorum secreta, et de his quae dubitant satisfacit: consolatur eos promittendo gaudium spiritus sancti, et iteratam sui visionem et patris amorem. Et ideo dicunt *nunc scimus quia scis omnia*, scilicet secreta cordium; infra ult., 17: *tu omnia nosti*; Sap. c. VIII, 8: *domino Deo nostro nota sunt omnia, antequam fiant*. Unde subdunt *et non est opus tibi ut quis te interroget*. Quod videtur praedictis contradicere. Dicunt enim quod scit omnia; scientis autem non est interrogare, sed interrogari: quomodo ergo non est ei opus ut quis eum interroget? Sed dicendum, quod hoc dicunt, ut innuant quod etiam secreta cordium novit, quia et ante interrogationem eis satisfecit supra cum dicerent inter se: *quid est quod dicit nobis modicum?* Nihilominus tamen Christus interrogat et interrogatur, non quia opus sit ei, sed nobis. Tertium confitentur cum dicunt *in hoc credimus quia a Deo existi*: et quidem convenienter, scire enim omnia et etiam secreta cordium, est proprium divinitatis; Ier. XVII, 9: *pravum est cor hominis et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego dominus scrutans cor et probans renes*. Et ideo dicunt *a Deo existi*, consubstantialis patri, et verus Deus. Hic ponitur discipulorum conditio, quae est infirmitatis: ubi primo exprobrat fidei eorum tarditatem; secundo tribulationem futuram imminens; tertio ostendit se immunem ab omni eorum detrimento. Quantum ad primum dicit *modo creditis*. Quod si accipiatur interrogative, est exprobratio tarditatis eorum ad credendum, quasi diceret: usque modo distulistis credere? Si vero accipiatur remissive, exprobrat fidei ipsorum instabilitatem, quasi diceret: verum est quod nunc creditis, sed statim, quando tradar, dimittetis me; Lc. VIII, 13: *ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Ecce venit hora, et iam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis*. Hic ponitur eis imminens tribulatio et scandalum. Unde sciendum est, quod imminente huiusmodi scandalo, quae antea per Christum adepti fuerant amiserunt. Adepti enim fuerant Christi societatem, passionem, et rerum exonerationem, et omnem communem modum vivendi. Unde haec tria enumerat Petrus, Matth. XIX, 27, dicens: *ecce nos, scilicet omnes, quantum ad tertium, reliquimus omnia, quantum ad secundum, et secuti sumus te, quantum ad primum*. Et haec amiserunt: et ideo hoc eis praedixit dominus, dicens *ecce venit hora, et iam venit, ut dispergamini*, quantum ad tertium, propter timorem qui vobis dominabitur, ita ut nec simul possitis fugere; Zach. XIII, 7: *percutite pastorem, et dispergentur oves gregis et cetera. Unusquisque in propria, quantum ad secundum, id est ad animum possidendi propria; unde Petrus cum aliis reversi sunt ad navem, et propria; infra ult., 3: exierunt, et ascenderunt in navim. Et me solum relinquatis, quantum ad primum; Iob XIX, 14: fratres mei dereliquerunt me, et qui me noverunt, obliti sunt mei; Is. LXIII, 3: torcular calcavi solus*. Sed discipulorum scandalo Christus nullum patitur detrimentum; unde dicit *et non sum solus, quia pater mecum est*, quasi diceret: etsi sum unum cum patre per unitatem essentiae, non sum solus per distinctionem personalem: unde non sic a patre exivi ut ab eo recederem. Hic ponit dominus suam intentionem de doctrina sua: et primo ponit doctrinae suae utilitatem; secundo necessitatem *in mundo pressuram habebitis*. Utilitas doctrinae est pax, unde dicit: dico quod ad hoc deducemini, ut me solum relinquatis: et propter hoc propono vobis doctrinam meam, ne in hac derelictione persistatis: et propter hoc scilicet omnia quae dixi vobis in sermone, vel omnia quae in toto Evangelio locutus sum vobis, ut, ad me redeuntes, *in me pacem habeatis*. Finis enim Evangelii est pax in Christo; Ps. CXVIII, 165: *pax multa diligentibus nomen tuum*. Cuius ratio est, quia pax cordis opponitur eius perturbationi, quae oritur ex malis supervenientibus et crescentibus. Si quis autem habeat aliquando luctum vel gaudium superexcedens illa mala, patet quod perturbatio non manet. Et inde est quod homines mundani, qui Deo per amorem non sunt coniuncti, habent tribulationes absque pace; sed sancti qui Deum per amorem habent in

corde, etsi ex mundo habeant tribulationes, in Christo habent pacem; Ps. CXLVII, 14: *qui posuit fines tuos pacem*. Finis enim noster hic debet esse ut pacem habeamus in Deo; Ps. LXXVI, 3: *renuit consolari anima mea*, scilicet in rebus mundi, *sed ubi memor fui Dei, delectatus sum*. Necessitas autem huius pacis est illata vexatio a mundo; unde dicit *in mundo pressuram habebitis*. Et primo praenuntiat futuram angustiam; secundo dat contra eam fiduciam. Quantum ad primum dicit *in mundo pressuram habebitis*, idest a mundanis; I Io. III, v. 13: *nolite mirari si odit vos mundus*; supra XV, 19: *quia ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Quantum ad secundum dicit *confidite: ego vici mundum*. Ipse enim liberat nos; Eccli. LI, 6: *liberavit me a pressura flammae*. Quasi diceret: recurratis ad me, et habebitis pacem: et hoc ideo *quia ego vici mundum*, qui vos premit. Vicit Christus mundum, primo quidem auferendo ei arma quibus impugnat: haec autem sunt eius concupiscibilia; I Io. c. II, 16: *omne quod est in mundo, aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitae*: quia scilicet divitias vicit per paupertatem; Ps. LXXXV, 1: *inops et pauper sum ego*; Lc. IX, 58: *filius hominis non habet ubi caput suum reclinet*. Honorem per humilitatem; Matth. XI, 29: *discite a me quia mitis sum et humilis corde*. Voluptates per passiones et labores; Phil. II, v. 8: *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Item supra IV, 6: *Iesus autem fatigatus ab itinere sedebat sic supra fontem*; Ps. LXXXVII, 16: *in laboribus sum ego a iuventute mea*. Qui ergo sic ista vincit, vincit mundum: et hoc est quod facit fides; I Io. V, 4: *haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra*: quia cum sit *substantia sperandarum rerum*, quae sunt bona spiritualia et aeterna, facit nos contemnere bona carnalia et transitoria. Secundo vicit mundum, mundi principem excludendo; supra XII, 31: *nunc princeps huius mundi eiicietur foras*; Col. II, 15: *expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Ex quo praebuit nobis Diabolum ut a nobis vincendum; Iob XL, 24: *numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?* Ad litteram, post passionem Christi, iuvenulae ancillae Christi et parvuli illudunt ei. Tertio homines mundi ad se convertendo. Mundus rebellabat movendo seditiones per homines mundi, quos Christus ad se traxit; supra XII, 32: *ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Unde supra VII, v. 19, dicunt: *ecce totus mundus post eum vadit*. Sic ergo non debemus timere pressuras quia victus est; I Cor. XV, 57: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum*.

## Caput 17

### Lectio 1

[87534] Super Io., cap. 17 l. 1 Supra dominus confortavit discipulos exemplo et exhortatione; in parte ista confortat eos oratione: in qua quidem oratione tria facit. Primo orat pro seipso; secundo pro discipulorum collegio, ibi *manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo*; tertio pro universo fideli populo, ibi *non pro eis rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt*. Circa primum tria facit. Primo proponit petitionem; secundo petitionis fructum, ibi *ut filius tuus clarificet te* etc.; tertio petitionis exaudiendae meritum, ibi *ego clarificavi te* et cetera. Circa primum primo ponitur orandi ordo; secundo orandi modus; tertio orationis verba. Ordo orandi est congruus, quia post exhortationem; unde dicit *haec locutus est Iesus*. In quo datur nobis exemplum, ut quos instruimus verbo, iuvenus orationum suffragio, quia sermo divinus maxime habet effectum in cordibus auditorum, cum oratione fulcitur, per quam divinum auxilium imploratur; II Thess. ult., 1: *orantes simul etiam pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis*. Unde et finis sermonis nostri debet ad orationem terminari; Eccli. XLIII, 29: *consummatio sermonum ipse est*. Modus decens, quia *sublevatis oculis in caelum*. Differentia est enim inter orationem Christi et orationem nostram: nam oratio nostra est solum ad necessitatem, sed oratio Christi est magis ad instructionem. Nulla enim necessitas inerat sibi orandi, qui simul cum patre exaudit. Instruxit autem nos in hoc, et verbo et facto. Facto quidem, sublevando oculos, ut et nos in oratione nostra oculos ad caelum levemus; Ps. CXXII, 1: *ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis*. Et non tantum oculos nostros, sed etiam operationes nostras in Deum referendo; secundum illud Thren. c. III, 41: *levemus corda nostra cum manibus ad dominum in caelos*. Verbo autem, quia manifeste orationem protulit; unde dicit *et dixit*, ut scilicet quos instruxerat docendo, instrueret orando. Non solum enim verbum Christi, sed et facta eius, nostra instructio est. Verba autem eius sunt efficacia; unde dicit *pater, venit hora*: quae quidem efficacia causatur ex tribus. Scilicet ex orantis affectu: filius enim orat patrem, cuius est patrem ex amore quaerere, et ex amore rogare; unde dicit *pater*, ut per hoc det intelligere, ut filiali affectu oremus Deum; Ier. c. III, 19: *patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis*. Secundo ex orandi necessitate; unde dicit *venit hora*, passionis, de qua

supra II, 4: *nondum venit hora mea*. Hora inquam, non tempus, non dies, quia statim capiendus erat et cetera. Nec hora fatalis necessitatis, sed suae ordinationis et beneplaciti. Et convenienter rogaturus interponit tribulationes, quia in eis maxime Deus exaudit; Ps. CXIX, 1: *ad dominum, cum tribularer, clamavi et exaudivit me*; II Paral. XX, 12: *cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te*. Tertio ex petitionis tenore; unde dicit *clarifica filium tuum*. Sed cum filius Dei sit ipsa sapientia, I Cor. I; haec autem maximam claritatem habeat, Sap. VI, 13: *clara est, et quae numquam marcescit sapientia*: quomodo dicitur claritas clarificari, praesertim cum ipse sit splendor patris? Hebr. I, 3. Sed dicendum, quod Christus tripliciter petebat clarificari a patre. Scilicet in passione: et hoc per multa miracula quae tunc ostensa sunt, cum sol obscuratus est, scissum est velum templi et monumenta aperta sunt. Et de hoc dicitur supra XII, 28: *et clarificavi*, scilicet miraculis ante passionem, *et iterum clarificabo*, in passione. Unde dicit, secundum hoc, *clarifica*, in passione me ostendendo esse filium tuum. Unde centurio visis miraculis dixit: *vere filius Dei erat iste*. Secundo in resurrectione. Anima enim illa sancta semper Deo coniuncta fuit habens gloriam ex Dei visione; supra, I, 14: *vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiae et veritatis*. Nam a principio conceptionis quantum ad animam habuit claritatem, sed in resurrectione habuit claritatem corporis, de qua Phil. III, 21: *reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae*. Tertio in notitia omnium populorum; Sap. c. VIII, 10: *habeo per hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores*. Et sic dicit *clarifica*, idest, manifesta toti mundo me esse filium tuum, scilicet proprium, et hoc nativitate, non creatione: contra Arium dicentem, filium Dei esse creaturam, veritate, non nuncupatione: contra Sabellium dicentem, quod idem est qui dicitur pater, et qui dicitur filius, origine, non adoptione: contra Nestorium, qui dixit Christum esse filium adoptivum. Hic ponitur fructus clarificationis, et primo proponit fructum; secundo exponit, ibi *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*. Fructus autem clarificationis filii est clarificatio patris, unde dicit *ut filius tuus clarificet te*. Et sciendum, quod audiens Arius dominum dicentem *clarifica filium tuum*, opinatus est patrem maiorem filio: quod quidem verum est secundum humanitatem. Supra XIV, 28: *pater maior me est*. Et ideo, ut ostendat aequalitatem eius ad patrem secundum divinitatem, subiungit *ut filius tuus clarificet te*, scilicet in notitia hominum. *Gloria enim est clara cum laude notitia*. Deus autem olim erat clarus apud Iudaeos, quia *notus in Iudaea Deus*, Ps. LXXV, 2, sed postea per filium notus est per totum mundum. Sed et sancti viri bonis operibus notitiam Dei clarificant. Matth. V, 16: *videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in caelis est*. Unde supra VIII, 50: *ego gloriam meam non quaero: est qui quaerat et iudicet*. Hic ponit petitionis fructum, et primo ponit beneficium a Christo collatum hominibus; secundo ostendit hoc beneficium ad gloriam patris pertinere, ibi *haec autem est vita aeterna*. Dicit ergo *ut filius tuus clarificet te*; et hoc *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*. Sciendum est enim, quod agentis cuiuslibet, quod agit ab alio, intentio est reducere suum effectum in causae manifestationem: nam ex actione principii quod est de principio, manifestatur ipsum principium. Filius autem quidquid habet, a patre habet, et ideo oportet quod per ea quae facit, patrem manifestet, et ideo dicit *dedisti ei potestatem*, super omnes homines. Sed et filius per hanc potestatem debet eos ad tui cognitionem, quae est vita aeterna, perducere. Et sic est sensus *filii clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, idest omnis hominis, Lc. III, 6: *videbit omnis caro salutare Dei*. *Dedisti*, inquam, secundum Hilarium, dando per aeternam generationem naturam divinam, per quam habet potestatem omnia continendi; Matth. XI, 27: *omnia mihi tradita sunt a patre meo*. Et supra V, 20: *pater diligit filium, et omnia demonstrat ei quae ipse facit*. Vel *dedisti ei*, scilicet Christo homini, propter consortium personale ad filium tuum, ut sic caro haberet potestatem super carnem; Matth. ult., 18: *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*. Dan. c. VII, 14: *dedisti ei*, scilicet filio hominis, *potestatem et honorem et regnum*. Ad hoc, inquit, *dedisti*, ut scilicet sicut tu habes potestatem ut non ab homine aliquid accipias, sed ut te ipsum ei conferas, ita et Christo homini, ut *omne quod dedisti ei*, per aeternam praedestinationem, *det eis*, sibi datis, *vitam aeternam*. Supra X, 27: *oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas*. Sed numquid vita aeterna data hominibus pertinet ad gloriam patris? Immo, quia *haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum*; idest, ut clarificetur pater in notitia hominum. Sed hic duo sunt exponenda. Primo quidem quid est hoc quod dicit *haec est vita aeterna ut cognoscant*. Circa quod sciendum est, quod illa proprie vivere dicimus quae se ipsa movent ad operandum; quaecumque autem non nisi ab aliis moventur, non dicuntur viventia, sed mortua: et ideo omnes operationes ad quas operans movet se, dicuntur opera vitae, sicut velle, intelligere, sentire, augeri et moveri. Dicitur autem aliquid vivere, dupliciter: aut quia habet opera vitae in potentia, et sic dormiens dicitur vivere vita sensitiva, quia habet potestatem movendi se, licet actu non moveatur; aut quia iam exercet opera vitae in actu, et tunc perfecte

dicitur aliquid vivere: unde somnus dicitur dimidium vitae. Inter opera autem vitae altius est opus intelligentiae, quod est intelligere; et ideo operatio intellectus maxime est vita. Sicut autem idem est sensus actu et sensibile in actu, ita intelligens in actu et res intellecta in actu. Cum ergo intelligentia sit vita et intelligere sit vivere, sequitur quod intelligere rem aeternam sit vivere vita aeterna, Deus est autem res aeterna, intelligere ergo et videre Deum est vita aeterna. Et ideo dominus dicit, quod in visione consistit vita aeterna, scilicet principaliter secundum totam suam substantiam. Amor autem est movens ad hanc, et quoddam eius complementum: nam ex delectatione quae est in fruitione divina, quam facit caritas, est complementum et decor beatitudinis: sed eius substantia in visione consistit; I Io. III, v. 2: *videbimus eum sicuti est*. Secundo exponendum est hoc quod dicit *te solum verum Deum*. Manifestum est enim quod Christus loquebatur ad patrem, cum ergo dicat *te solum verum Deum*, videtur quod solus Deus pater sit Deus verus. Quod quidem concedunt Ariani dicentes, filium differre a patre per essentiam, cum sit substantia creata, magis tamen et perfectius inter omnes creaturas patris divinitatem participans, intantum quod dicatur Deus, sed non verus, quia non est Deus per naturam, sed solus pater. Sed contra hoc arguit Hilarius. Constat enim quod cum volumus scire de re aliqua utrum sit vera, ex duobus scire possumus: scilicet ex natura et ex virtute eius. Verum enim aurum est quod habet veri auri speciem; quod quidem scimus, si facit veri auri operationem. Si ergo habemus de filio quod habeat veram Dei naturam, et hoc per veram operationem divinitatis, quam exercet, manifestum est quod est verus Deus. Quod autem exercent filius vera opera divinitatis, patet supra V, 19: *quaecumque pater facit, haec et filius similiter facit*. Et iterum dicit: *sicut pater habet vitam in semetipso*, non quidem participatam, *ita et filio dedit vitam habere in semetipso*; I Io. ult., v. 20: *ut simus in vero filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus et vita aeterna*. Dicit autem *te solum Deum*, secundum Hilarium, non excludens aliquid. Unde non dicit absolute *te solum*, sed addit *et quem misisti Iesum Christum*; quasi diceret *ut cognoscant te et quem misisti Iesum Christum*, esse unum solum et verum Deum: secundum illum modum loquendi: *tu solus altissimus, Iesu Christe, cum sancto spiritu*. Nec facit mentionem de spiritu sancto: quia ubicumque ponuntur pater et filius, et praecipue in his quae ad maiestatem divinitatis pertinent, cointelligitur spiritus sanctus, qui est nexus amborum. Vel secundum Augustinum de Trinitate, hoc dicit ad excludendum errorem quorundam dicentium, quod haec est falsa: pater est Deus, et filius est Deus, et spiritus sanctus est Deus; sed haec est vera: pater et filius et spiritus sanctus sunt unus Deus. Et ratio istorum erat, quia, ut ab apostolo dicitur I Cor. I, 24, Christus est Dei virtus et Dei sapientia. Manifestum est autem quod nullus potest dicere aliquem Deum nisi habeat virtutem et sapientiam divinam. Cum ergo isti vellent quod pater esset sapientia, quae est filius, dicebant ulterius, quod pater sine filio consideratus non esset Deus, et etiam filius et spiritus sanctus. Et quia in missione designatur incarnatio filii Dei, ideo per hoc quod dicit *et quem misisti Iesum Christum*, datur intelligi quod in vita aeterna gaudebimus etiam de humanitate Christi; Is. XXXIII, 17: *regem, idest Christum, in decore suo videbunt*. Supra X, v. 9: *ingredietur, et pascua inveniet*. Hic ponitur meritum exaudiendae petitionis, et primo commemorat meritum; secundo postulat praemium, ibi *et nunc clarifica me tu, pater*. Commemoratur autem duplex meritum. Scilicet doctrinae, dicens *ego te clarificavi*, scilicet in notitia hominum, manifestando per doctrinam; Is. XXIV, 15: *in doctrinis glorificate Deum*. Item obedientiae: unde subdit *opus consummavi*. Utitur praeterito pro futuro, scilicet *clarificavi* idest, clarificabo; et *consummavi*, idest consummabo: et hoc, quia iam inchoatum erat, et iterum quia imminerebat hora passionis, quando hoc opus consummatum est. *Quod dedisti mihi*, non iussisti: non enim sufficit quod Christo et nobis mandetur divinitus; quia quidquid Christus secundum quod homo fecit et nos facere possumus, est ex dono Dei; Sap. VIII, 21: *scivi quia non possum esse continens, nisi Deus det*. *Dedisti, inquam, mihi*, per donum gratiae, *ut facerem*, idest, ut consummarem; Eccli. XXXVIII, 31: *cor suum dabit in consummationem*. Sed quia obedientiae, et doctrinae Christi praemium est gloria; Phil. II, v. 8: *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen*. ideo postulat praemium, dicens *et nunc clarifica me tu, pater*. Quod non est intelligendum ut quidam putaverunt, sicut Augustinus dicit, quod natura humana in Christo a verbo suscepta aliquando convertatur in verbum, et homo mutetur in Deum; quia hoc nihil aliud esset quam ipsam naturam annihilari. Omne enim quod ita in aliud convertitur quod illud in quod convertitur non augeatur, annihilari videtur: divino autem verbo Dei nihil augeri potest. Et ideo, secundum Augustinum, intelligendum est *et nunc clarifica me tu, pater*, de praedestinatione Christi hominis. Nam aliquid habemus in praedestinatione divina, et in effectu rei. Homo autem Christus Iesus, sicut et alii homines, praedestinatus fuit a Deo patre; Rom. I, 4: *qui praedestinatus est filius Dei* et cetera. Et secundum hoc dicit *et nunc*, idest postquam *clarificavi te, et consummavi opus quod dedisti mihi ut faciam*,

*clarifica me tu, pater, apud temetipsum*; idest, fac me sedere ad dexteram tuam; et hoc *claritate quam habui priusquam mundus fieret, apud te*, idest in tua praedestinatione; Mc. ult., 19: *dominus quidem Iesus assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei*. Vel aliter, secundum Hilarium. Nam gloria hominum est quaedam conformitas ad gloriam Dei, quamvis inaequalis; Christus autem secundum quod Deus, habuit gloriam ab aeterno apud patrem, scilicet divinam, et aequalem patri. Petit ergo hic quod in humanitate clarificetur, ut scilicet id quod ex tempore erat caro, et in corruptione transformata, gloriam eius, quae sine tempore est, claritatis acciperet. Non tamen aequalem, sed similem: ut scilicet sicut ab aeterno apud patrem immortalis et ad dexteram consedens fuit, ita et secundum quod homo immortalis efficiatur, et ad Dei dexteram exaltetur.

## Lectio 2

[87535] Super Io., cap. 17 l. 2 Supra oravit dominus pro seipso; hic orat pro apostolorum collegio, et primo assignat rationes orandi; secundo ponit orationis tenorem, ibi *pater sancte, conserva eos in nomine tuo quos dedisti mihi*. Circa primum duo facit. Primo tangit rationes ex parte discipulorum; secundo ex parte sui, ibi *ego pro eis rogo* et cetera. Ex parte autem discipulorum ponit tres rationes orandi pro eis. Prima, quia ab eo instructi; secunda, quia sibi dati; tertia, quia ei obedientes et devoti. Primam ponit cum dicit *manifestavi*, quasi dicat, secundum Augustinum: *ut filius tuus clarificet te*. Quae quidem clarificatio iam in parte est impleta, quia *manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo*. Vel, secundum Chrysostomum: dico, quod consummavi opus quod dedisti mihi ut facerem. Quale autem opus sit, subdit cum dicit *manifestavi nomen tuum hominibus* etc.: quod est proprium opus filii Dei, qui est verbum, cuius est proprium manifestare dicentem, Matth. XI, 27: *neque patrem quis novit nisi filius, et cui voluerit filius revelare*. Supra, I, 18: *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarravit*. Sed hic est dubium. Cum Deus pater fuerit notus hominibus ante adventum Christi, secundum illud Ps. LXXV, 2: *notus in Iudaea Deus*, quid est hoc quod dicit *manifestavi nomen tuum*? Responsio. Dicendum, quod nomen Dei patris poterat tripliciter cognosci. Uno modo in quantum est omnium creator; et hoc modo notus erat a gentibus; Rom. I, 20: *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Et infra: *Deus illis revelavit*. Alio modo, ut cui soli esset latriae cultus exhibendus; et hoc modo non erat notus a gentibus, quae etiam latriae cultum aliis diis exhibebant, sed a Iudaeis tantum, quibus solis praeceptum erat in lege quod non nisi domino immolarent; Ex. XXII, 20: *qui immolat diis alienis, occidetur, praeterquam domino soli*. Tertio modo ut pater unigeniti filii sui Iesu Christi et hoc modo nulli erat notus; sed innotuit per filium quando apostoli crediderunt eum esse filium Dei. Secundam rationem ponit cum dicit *quos dedisti mihi*: et primo ponit dationem, ex qua sumitur ratio seu modus. Dicit ergo *quos dedisti mihi*, scilicet, illis hominibus nomen tuum manifestavi. Sed numquid filius habuit eos sicut et pater habuit? Utique in quantum Deus. Sed dicit *dedisti mihi*, scilicet homini, ut me audirent, et mihi obedirent; supra VI, 44: *nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum*. Quod autem aliqui ad Christum veniant, est ex dono et gratia Dei; Eph. II, 8: *gratia salvati estis: hoc enim Dei donum est. Dedisti, inquam, de mundo*, idest a mundo electos; supra XV, 19: *quia elegi vos de mundo*. Nam etsi totus mundus quantum ad Deum datus sit filio, apostoli tamen dati sunt filio ad obediendum. Rationem dationis ponit, dicens *tui erant*; quasi ideo dati, quia *tui erant*, et mei, et secundum divinitatem praedestinati ab aeterno, ut per gratiam ad futuram gloriam pervenirent; Eph. I, 4: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Et mihi eos dedisti*, idest quod antea de eis mecum et in me praedestinasti, opere implesti, faciendo ut mihi adhaerent. Tertiam rationem ponit cum dicit *et sermonem tuum servaverunt*: quae sumitur ex discipulorum devotione. Et primo ponit devotionem ipsorum ad filium; secundo ostendit quod haec devotio redundat in gloriam patris, ibi *et cognoverunt quia omnia quae dedisti mihi, abs te sunt*; tertio rationem huius assignat, ibi *quia verba quae dedisti mihi, dedi eis*. Dicit ergo quantum ad primum *mihi eos dedisti, quia tui erant*; sed et ipsi devote se habuerunt, *quia sermonem tuum servaverunt*, in corde per fidem, et in opere per impletionem; Prov. VII, 2: *serva mandata mea, ut vivas*; supra XV, 10: *si mandata mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*. Sed et hoc quod sic servaverunt sermonem, redundat in gloriam tuam, pater; nam hic est sermo meus, quia omnia quaecumque habeo, a te habeo; *et ipsi nunc cognoverunt, quia omnia quae dedisti mihi*, scilicet homini filio tuo, *abs te sunt*; supra c. I, 14: *vidimus gloriam eius quasi unigeniti a patre*, idest, vidimus eum quasi omnia a patre habentem. Et per hoc quod cognoverunt clarificatur pater in mente ipsorum. Ratio autem huius clarificationis, quod scilicet obedientia discipulorum ad filium redundet in gloriam patris, ponitur cum dicitur *quia verba quae dedisti mihi* et cetera. Ubi primo ponit

ordinem processus cognitionis a patre ad discipulos; secundo proponit ordinem reductionis mentium discipulorum in patrem. Primum ponit per dationem doctrinae a patre. Et ponitur duplex datio. Una quam dedit pater filio, unde dicit *verba quae dedisti mihi*, secundum generationem aeternam, in qua dedit pater verba filio, cum tamen ipse sit verbum patris. Huiusmodi verba nil aliud sunt quam rationes omnium fiendorum, quas omnes ab aeterno pater dedit filio, generando ipsum. Vel *dedisti mihi*, scilicet Christo homini: quia anima sua sanctissima ab ipso instanti conceptionis repleta fuit omni cognitione veritatis; supra I, 14: *plenum gratiae et veritatis*, idest cognitione cuiuslibet veritatis; Col. c. II, 3: *in ipso sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae*. Alia datio est quam Christus dat discipulis: unde dicit *dedi eis*, interius et exterius docendo; supra XV, 15: *omnia quaecumque audivi a patre meo, nota feci vobis*. In quo se ostendit mediatorem Dei et hominum, I Tim. II, 5, quia scilicet quod accepit a patre, transfundit in discipulos; Deut. V, 5: *ego sequester fui inter dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba eius*. Reductio autem mentium discipulorum in Deum ponitur cum dicit *et ipsi acceperunt*. Ubi ponitur duplex acceptio correspondens duplici dationi praedictae. Una respondet secundae dationi, cum dicit *et ipsi acceperunt*, a me, non existentes rebelles; Is. 1, 5: *dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico*; supra VI, 45: *omnis qui audivit a patre et didicit, venit ad me*. Et accipientes *cognoverunt*, quia tu omnia mihi dedisti, quod respondet primae dationi. Et, secundum Augustinum, hoc quod addit *crediderunt quia tu me misisti*, est expositivum praecedentium. Duplex enim est cognitio divinorum: una perfecta, quae est gloriae per apertam visionem; alia imperfecta, quae est viae per fidem; I Cor. XIII, v. 12: *videmus nunc per speculum in aenigmate*, quantum ad secundum, *tunc autem facie ad faciem*, quantum ad primum. Dicit ergo *cognoverunt quia a te exivi*. Sed qua cognitione? Numquid patriae? Non; sed fidei: unde subdit *et crediderunt*, quasi hoc ipsum sit cognoscere quod credere. *Crediderunt*, inquam, *vere*, idest firmiter et stabiliter; supra XVI, 31: *modo creditis?* Scilicet stabiliter. *Ecce venit hora*, scilicet cum perfecte creditis. Et utitur praeterito pro futuro, tum propter certitudinem rei futurae, tum propter infallibilitatem divinae praedestinationis. Vel secundum Chrysostomum, loquitur de praeterito: et haec dicit esse facta, quia iam inchoata erant. Dicendum ergo ut utrumque sensum concordemus, quia haec omnia iam inchoata erant, sed perficienda restabant. Ergo quantum pertinet ad inchoationem, loquitur de praeterito; sed quantum ad consummationem, loquitur de futuro, quae fienda erant per adventum spiritus sancti. Sed quid crediderunt? *Quia tu me misisti*; Gal. IV, 4: *misit Deus filium suum* et cetera. Quod, secundum Augustinum, idem est quod est *a te exivi*. Sed hoc est contra Hilarium, quia, secundum eum, ut dictum est, exire pertinet ad aeternam generationem, mitti vero ad incarnationem. Sed dicendum, quod de Christo possumus loqui dupliciter; scilicet secundum divinitatem, et sic quantum ad filium Dei, aliud est exire et aliud mitti, ut Hilarius dicit, vel secundum humanitatem: et sic quantum ad filium hominis, idem est exire et mitti, ut dicit Augustinus. Hic ponuntur rationes orationis ex parte Christi. Et ponit ad hoc tres rationes. Una sumitur ex dominio quod super eos acceperat: et ad hoc dicit *ego pro eis*, scilicet discipulis, *rogo*. Ubi primo ponit rationem ipsam; secundo manifestat eam, ibi *quia tui sunt*. Ratio autem quare quis sit audiendus, et orare debeat pro aliis, est si illi specialiter pertineant ad ipsum; orationes enim generales minus exaudiuntur; et ideo dicit *pro eis rogo, non pro mundo*, idest mundi dilectoribus, *sed pro his quos dedisti mihi* ut discipulos et obedientes specialiter, quamvis omnia sint mea, potestate. Ps. II, 8: *postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam*. Sed contra. Videtur quod pro omnibus rogaverit: I Io. II, 1: *advocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non solum autem nostris, sed et totius mundi*; I Tim. II, 4: *qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*. Responsio. Dicendum, quod Christus, quantum est de se, pro omnibus oravit, quia oratio sua, quantum est de se, efficax est ut valeat toti mundo; sed tamen non in omnibus sortitur effectum, nisi in sanctis et electis Dei: et hoc propter impedimentum mundanorum. Et rationem manifestat dicens *tui erant*, scilicet per aeternam praedestinationem. Sed non erant ita tui ut filius eos non haberet, nec ita dantur filio ut auferantur patri; unde dicit *et omnia mea tua sunt, et tua mea sunt*: in quo ostenditur aequalitas filii ad patrem, qui, secundum quod Deus, ab aeterno habet omnia quae pater habet. Sed notandum, quod pater habet quaedam quae pertinent ad essentiam suam, sicut est sapientia, bonitas et huiusmodi, quae nihil aliud sunt quam sua essentia: et hoc protestatur filius se habere; supra XVI, 14, ubi loquitur de processione spiritus sancti, *Deo meo accipiet, et annuntiabit vobis*: et hoc ideo, quia *quaecumque habet pater, mea sunt*. Et dicit *omnia*, quia licet unum re sint, tamen multa ratione. Secundo habet quaedam quae pertinent ad possessionem sanctitatis, quae sunt ei consecrata per fidem, sicut sunt omnes sancti et electi, de quibus dicit supra eodem, *tui erant*. Et etiam ista omnia protestatur filius se habere, cum dicit hic, de eis loquens *et tua mea sunt*: quia scilicet ad hoc praedestinati sunt ut fruantur filio, sicut et patre. Tertio modo



habet pater quaedam per modum possessionis communiter, sicut omnes res creatas; Ps. XXIII, 1: *domini est terra et plenitudo eius*. Et haec etiam omnia sunt filii. Unde in parabola de filio prodigo, Lc. c. XV, 31, dicit pater filio maiori: *omnia mea tua sunt*. Secunda ratio sumitur ex gloria quam Christus habebat in eis: quia gloriam eius iam partim cognoscebant, et adhuc magis cognoscituri erant; II Petr. I, 16: *non indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis domini nostri Iesu Christi virtutem et praesentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis*. Tertia ratio sumitur ex absentia qua ab eis corporaliter recedebat; unde dicit *et iam non sum in mundo*. Ubi sciendum est, quod dupliciter dicitur aliquid esse in mundo: scilicet adhaerendo mundo per affectum; I Io. II, 16: *omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae*. Sed hoc modo non est dicendum quod Christus iam non sit in mundo, cum numquam fuerit in mundo, ei per affectum inhaerendo. Sed est alio modo intelligendum, scilicet quod iam non sit in mundo praesentia corporali: quia mox futurum erat ut qui in mundo corporaliter fuerat, corporaliter ipsum relinqueret. *Et hi*, scilicet discipuli, *in mundo sunt*, scilicet praesentia corporali; *et ego ad te venio*, secundum quod homo, scilicet ad participationem gloriae tuae, et exaltationem usque ad dexteram tuam et cetera. Et ideo iustum est ut pro eis orem a quibus corporaliter recessurus sum.

### Lectio 3

[87536] Super Io., cap. 17 l. 3 Positis rationibus orandi pro apostolis, hic ponit petitiones quas pro eis porrigebat, et primo petit eorum conservationem; secundo sanctificationem, ibi *sanctifica eos*. Sed conservationem a malo, sanctificationem in bono. Circa primum duo facit. Primo petit eorum conservationem; secundo ponit conservationis necessitatem, ibi *cum essem cum eis, ego servabam eos*. Circa primum consideranda sunt quatuor. Primo a quo petat; secundo quid petat; tertio pro quibus; quarto ad quid petit. Petit quidem a patre: unde dicit *pater*; et merito, quia ipse est principium omnis boni; Iac. I, 17: *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum*. Sed addit *sancte*, quia etiam in ipso est principium et origo totius sanctitatis, et quia finaliter sanctificationem petebat; Lev. XIX, 2: *sancti eritis, quia ego sanctus sum, dominus Deus vester*; I Reg. II, 2: *non est sanctus ut est dominus*. Petit autem conservationem eorum. Unde dicit *serva eos*; quia, ut dicitur in Ps. CXXVI, v. 1: *nisi dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*. Non enim bonum nostrum est in hoc solum quod habemus esse a Deo, sed oportet quod conservemur ab eo. Quia, ut dicit Gregorius, omnia in nihilum redigerentur, nisi manus omnipotentis contineret; Hebr. I, 3: *portans omnia verbo virtutis suae*. Et ideo Psalmista petebat: *conserva me, domine, quoniam speravi in te*. Conservatur autem homo a malo et a peccato in nomine Dei: unde dicit *in nomine tuo*, id est, per virtutem nominis tui et tuae cognitionis: quia in hoc est gloria et salus nostra; Ps. XIX, 8: *hi in curribus et hi in equis; nos autem in nomine domini Dei nostri invocabimus*. Petit autem pro sibi datis: unde dicit *quos dedisti mihi*, Eccle. VII, 14: *inspice in omnia opera domini, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit*. Nullus enim potest conservari a malo nisi per electionem divinam, quae designatur, cum dicit *quos dedisti mihi*, id est dono tuae gratiae, ut mihi adhaerent; Matth. XIX, 11: *non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*. Qui enim sic dantur Christo, conservantur a malo. Ad quid ergo petit eos conservari, subdit dicens *ut sint unum sicut et nos*; quod potest dupliciter continuari ad praecedentia. Uno modo ut designet modum conservationis, ut sit sensus: ita servabuntur, *ut sint unum*; nam quaelibet res conservatur in esse quamdiu est una, quae desinit esse per divisionem; Matth. XII, 25: *omne regnum in seipsum divisum desolabitur*. Et ideo Ecclesia potest conservari, et homines, si sint unum. Alio modo ut sit finis conservationis, ut sit sensus: et ad hoc conserventur, *ut sint unum*: nam in unitate spiritus consistit nostra perfectio tota; Eph. IV, 3: *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*; Ps. CXXXII, 1: *ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum*. Sed addit *sicut nos unum sumus*. Sed contra. Ipsi sunt unum secundum essentiam: ergo et nos erimus unum per essentiam. Sed hoc non est verum. Responsio. Dicendum, quod uniuscuiusque perfectio nihil est aliud quam participatio divinae similitudinis. In tantum enim sumus boni inquantum Deo assimilamur. Unitas ergo nostra intantum est perfectiva inquantum participat unitatem divinam. Est autem duplex unitas in divinis: scilicet naturae, supra X, 30: *ego et pater unum sumus*, et unitas amoris in patre et filio, quae est unitas spiritus. Et utraque est in nobis, non quidem per aequiparationem, sed per similitudinem quamdam: pater enim et filius sunt eiusdem naturae numero, nos autem sumus unum in natura secundum speciem. Item ipsi sunt unum per amorem non participatum ex dono alicuius, sed ab eis procedentem: nam pater et filius diligunt se

spiritu sancto; nos autem per amorem participatum ex aliquo superiori. Necessitatem autem huius conservationis ponit dicens *cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo*: quae causatur ex duobus. Primo quidem ex recessu sui; secundo ex odio mundi, ibi *ego dedi eis sermonem tuum*. Circa primum tria facit. Primo ponit conservationis studium, quod dominus cum esset praesens, eis exhibuit; secundo insinuat discessum quo ad patrem redit, ibi *nunc autem ad te venio*; tertio assignat rationem quare haec verba protulit, ibi *et haec loquor et cetera*. Circa primum tria facit. Primo proponit conservandi modum; secundo conservationis debitum; tertio conservationis efficaciam, sive effectum. Sed modus conservandi est congruus, quia virtute patris; unde dicit *cum essem cum eis*, scilicet praesentia corporali, Baruch III, 38: *post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, ego*, scilicet filius hominis, *servabam*, idest custodiebam, *eos* a malo et peccato; sed non virtute humana, immo divina, quia *in nomine tuo*: quod quidem nomen etiam commune est patri et filio et spiritu sancto; Matth. ult. 19: *baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti*. Et hoc quidem, tum quia pater et filius sunt unus Deus, tum quia in nomine patris intelligitur etiam nomen filii: pater enim dicitur qui habet filium. Sed attende, quia supra cum negasset se habere Daemonium, non negavit se Samaritanum, idest custodem esse, quia custos est; Is. XXI, 11: *custos quid de nocte?* Scilicet huius mundi. Ipse enim sicut pastor custodit gregem suum. Sed conservationis debitum ponit dicens *quos dedisti mihi*: custos enim tenetur custodire suae custodiae deputatos; III Reg. XX, 39: *custodi virum istum*; Habac. c. II, 1: *super custodiam meam stabo*. Sic stat praelatus quando diligenter invigilat super his qui sibi sunt deputati; Lc. II, 8: *pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigiliis noctis super gregem suum*. Sed efficacia custodiae est perfecta, quia *nemo ex iis periit*; supra X, 27: *oves meae vocem meam audiunt, et non rapiet eas quisquam de manu mea*; et supra VI, v. 40: *omnis qui credit in eum, habet vitam aeternam*. Sed ab hac efficacia excipitur unus, scilicet *filius perditionis*, scilicet Iudas; qui dicitur filius perditionis, quasi ad perpetuam perditionem praescitus et praeordinatus. Sic enim aliqui deputati ad mortem dicuntur filii mortis; I Reg. XXVI, 16: *omnes vos filii mortis estis*; Matth. XXIII, 15: *circuitis mare et aridam ut faciatis unum proselytum (...) et facitis eum filium mortis duplo quam vos*. Sed nota, quod interlinearis habet: *filius mortis, idest praedestinatus perditioni*; cum tamen raro inveniatur quod praedestinatio ponatur in malum. Unde hic sumitur communiter pro scientia vel ordinatione. Ideo praedestinatio semper in bonum ponitur, quia habet duplicem effectum gratiae et gloriae; et ad utrumque Deus ordinat. Sed in reprobatione duo sunt, culpa et poena temporaliter: et ad unum eorum Deus tantum ordinat, scilicet ad poenam, et non per se. *Ut Scriptura*, qua scilicet praedixisti, scilicet in Ps. CVIII, 1: *Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est, quod scilicet esset me proditurus: impleretur. Nunc autem ad te venio*, deserens eos corporali praesentia; supra XVI, 28: *iterum relinquo mundum, et vado ad patrem*. Sed quia haec verba in corde male intelligentium possent infidelitatis scandalum generare, quasi non posset eos servare ab eis recedens vel quod pater eos ante non servasset: sed quidem et pater eos ante servabat, unde dixit: *ego servabam eos in nomine tuo*, sed et filius post suum recessum eos servare potuit. Et ideo rationem ditorum assignans, dicit *et haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis*; quasi dicat: locutus sum sicut homo orans; sed *haec loquor* propter consolationem discipulorum aestimantium me esse hominem purum, ut saltem consolentur in hoc quod eos tibi patri, quem maiorem credunt, recomendo, gaudentes se esse in protectione patris. Et hoc, secundum Chrysostomum. Vel secundum Augustinum, ut referantur haec verba ad hoc quod supra dixit: *ut sint unum sicut et nos sumus*. Et sic ponuntur ut fructus unitatis; quasi diceret *ut habeant gaudium*, iam superius expressum, quo scilicet in me gaudeant, vel quod eis est a me, *plenum in semetipsis*: quod quidem consequentur per unitatem spiritus, per quam pervenient ad gaudium vitae aeternae, quod est plenum. Ideo autem gaudium ad unitatem sequitur, quia unitas et pax faciunt perfecte gaudere; Prov. XII, 20: *qui ineunt pacis consilia, sequitur eos gaudium*; Gal. V, 22: *fructus autem spiritus est gaudium* et cetera. Hic ponitur alia conservationis necessitas, quae causatur ex odio mundi, et primo proponit beneficium quod discipulis contulerat; secundo odium mundi quod incurrerant, ibi *et mundus eos odio habuit*; tertio petit auxilium patris, quod eos protegat, ibi *non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo*. Dicit ergo primo *ego dedi eis sermonem tuum*, idest quem a te recepi. Supra eodem *verba quae dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt*. Vel *dedi*, idest dabo per inspirationem Paracliti, *sermonem tuum*, idest de te; quod quidem est maximum donum et beneficium; Prov. IV, 2: *donum bonum tribuam vobis: legem meam ne derelinquatis*. Sed ex hoc secutum est odium mundi, quia scilicet ex hoc quod susceperunt sermonem tuum, *mundus eos odio habuit*; Lc. VI, 22: *beati eritis cum vos oderint homines etc.*; I Io. III, 13: *nolite mirari si odit vos mundus*. Causa autem huius odii est quia recesserunt de mundo. Sermo enim Dei facit homines a mundo

recedere: nam Deo coniungit, cui nullus coniungi potest nisi a mundo recedat, qui enim diligit mundum, non est perfecta caritas Dei in illo; et ideo dicit *quia non sunt de hoc mundo*; supra XV, v. 19: *quia ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Naturale enim est unicuique quod sibi simile est diligere; Eccli. c. XIII, 19: *omne animal diligit sibi simile, et odio habet dissimile*; Sap. II, 15: *gravis est nobis etiam ad videndum; et hoc quia dissimilis est aliis vita illius*. Et ad hoc ponit exemplum, qualiter scilicet non sunt de mundo, dicens *sicut et ego non sum de mundo*: quod intelligendum est quantum ad amorem, quia sicut Christus in mundo non erat per affectum, sic nec isti; non autem quantum ad originem, quia aliquando de mundo fuerunt. Christus autem numquam, quia etiam quantum ad nativitatem carnis natus est de spiritu sancto. Matth. c. I; supra VIII, 23: *vos de mundo hoc estis; ego non sum de hoc mundo*. Auxilium autem contra odium petit, dicens *non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo*, et primo ponit suam petitionem; secundo assignat petitionis rationem, ibi *de mundo non sunt*. Circa primum duo ponit, quorum unum dicit se non petere, scilicet ut non tollantur de mundo. Contra. Quomodo tolli possunt de mundo qui de mundo non sunt? Sed dicendum, quod de mundo quidem non erant per affectum, sicut supra dixit, sed de mundo per corporalem conservationem; et secundum hoc noluit ut tollerentur de mundo: et hoc propter utilitatem fidelium, qui per eos credituri erant; Mc. ult., 15: *euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae*. Sed aliud petit, ut scilicet in mundo corporaliter conversantes, *serve a malo*, scilicet mundi: grave enim est ut homo inter malos existens a malo immunis existat, praecipue cum totus mundus in maligno positus sit; Is. XLIII, 2: *cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te*. Ratio autem petitionis ponitur cum dicit *de mundo non sunt*. Ubi videtur esse intricatio verborum et inutilis repetitio; cum dicat eadem verba supra. Sed quidem non est inutilis repetitio: quia ad aliud dicuntur ibi, et ad aliud hic. Ibi enim dicuntur ad ostendendam causam quare odio habeantur a mundo: hic vero dicuntur ad assignandam rationem quare debeant conservari a Deo. Ex quo datur intelligi quod idem est propter quod sancti odiuntur a mundo et diliguntur a Deo, scilicet contemptus mundi; Iac. II, 5: *nonne vos elegit Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide et haeredes regni quod promisit Deus diligentibus se?* Et ideo quodlibet bonum quod facit reddit hominem mundo odibilem, sed Deo dilectum; Ex. VIII, 26: *abominationes Aegyptiorum immolabimus domino Deo nostro*.

#### Lectio 4

[87537] Super Io., cap. 17 l. 4 Supra dominus petiit discipulorum conservationem, hic petit eorum sanctificationem et primo petit eorum sanctificationem; secundo sanctificationis assignat necessitatem, ibi *sicut tu me misisti in mundum*; tertio insinuat huius sanctificationis inchoationem, ibi *et ego pro eis sanctifico meipsum*. Dicit ergo: sic petii quod serventur a malo, sed hoc non sufficit nisi perficiantur in bono; Ps. XXXVI, 27: *declina a malo, et fac bonum*. Et ideo, *pater, sanctifica*, idest perface, *eos*, et sanctos fac. Et hoc *in veritate*, idest in me filio tuo, qui sum veritas, supra XIV, 6, quasi diceret: fac eos participes meae perfectionis et sanctitatis. Et ideo addit *sermo tuus*, idest verbum tuum, *veritas est*, ut sit sensus: *sanctifica eos in me veritate*, quia ego verbum tuum sum veritas. Vel *sanctifica eos*, immittendo eis spiritum sanctum; et hoc *in veritate*, idest in cognitione veritatis fidei et tuorum mandatorum; supra VIII, 32: *cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*. Nam per fidem et cognitionem veritatis sanctificamur; Rom. III, 22: *iustitia enim Dei per fidem Iesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt in eum*. Et ideo subdit *sermo tuus veritas est*: quia scilicet veritas sermonum Dei nullam habet falsitatem admixtam; Prov. VIII, 8: *recti sunt sermones mei, non est in eis pravum quid neque perversum*. Et quia sermo eius docet veritatem increatam. Vel aliter. In veteri testamento erat modus loquendi, quod omne quod deputatur cultui divino, dicitur sanctificari; Ex. XXVIII, 1: *applica ad me Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi*. Dicit ergo *sanctifica*, idest deputa quasi per modum sanctificationis, *eos in veritate*, idest tuae veritati praedicandae: quia *sermo tuus*, quem debent praedicare, *veritas est*. Et necessitas sanctificationis subditur cum dicit *sicut tu me misisti in mundum, ita et ego misi eos in mundum*; quasi dicat: ad hoc ego veni ut praedicarem veritatem, infra XVIII, 37: *in hoc natus sum (...) ut testimonium perhibeam veritati*: ita et ego misi discipulos ad veritatem praedicandam; Mc. ult., 15: *euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae*. Necesse ergo habent quod in veritate testificentur; infra XX, 21: *sicut misit me pater, et ego mitto vos*. Sed debent sanctificari non solum propter officium ad quod deputantur, sed quia iam inchoata est per me; unde dicit *et pro eis ego sanctifico meipsum*. Secundum Augustinum enim sciendum est, quod in Christo est duplex natura: sed quantum ad divinam Christus

est sanctus per essentiam, quantum vero ad humanam Christus est sanctus per gratiam, quae derivatur a divina natura. Dicit ergo secundum divinitatem *sanctifico meipsum*, assumendo carnem pro eis: et hoc, ut sanctitas gratiae, quae est a me Deo in me homine, derivetur a me eis; quia *de plenitudine eius omnes accepimus*; supra I, 16. Ps. CXXXII, 2: *sicut unguentum quod est in capite*, Christi quod est Deus, *quod descendit in barbam Aaron*, idest in humanitatem, et ab hac, *descendit in oram vestimenti eius*, idest in nos. Vel aliter, secundum Chrysostomum, rogavit ut sanctificarentur sanctificatione spirituali. In veteri autem testamento erant iustificationes carnales; Hebr. IX, 10: *iustitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis*. Sed illae erant figurae spiritualis sanctificationis, quae tamen fiebant per aliquod sacrificium; et ideo ad sanctificationem discipulorum competeat fieri aliquod sacrificium. Et hoc est quod dicit: ut sanctificentur ipsi, ego iam sanctifico me; idest offero me sacrificium; Hebr. c. IX, 14: *obtulit semetipsum Deo*; ibid. XIII, v. 12: *propter quod Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*. Et hoc *in veritate*, non in figura, sicut in veteri testamento.

## Lectio 5

[87538] Super Io., cap. 17 l. 5 Postquam dominus oravit pro suis discipulis, hic rogat communiter pro fidelibus omnibus, et primo proponit orationem; secundo subiungit exauditionis rationem, ibi *pater iuste, mundus te non cognovit*. In oratione autem duo petit a patre discipulis suis. Primo quidem unitatis perfectionem; secundo gloriae visionem, ibi *pater quod dedisti mihi, volo ut ubi ego sum et illi sint mecum*. Circa primum duo facit. Primo petit quasi homo unitatis perfectionem; secundo ostendit quod ipse ut Deus fecerit eis potestatem ad hanc unitatem consequendam, ibi *et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis*. Circa primum duo facit. Primo proponit pro quibus petit; secundo subdit quid petit, ibi *ut omnes unum sint* et cetera. Petit autem pro toto coetu fidelium, unde dicit: dixi, quod conserves discipulos a malo, et quod sanctifices eos in veritate; sed *non pro eis rogo tantum, sed etiam pro eis qui credituri sunt*, idest pro illis quorum fides confirmabitur: et hoc *per verbum eorum*, idest apostolorum. Et iuste rogat, quia nullus salvatur, nisi per intercessionem Christi. Ne autem solum apostoli salvarentur, sed etiam alii, ideo etiam pro aliis orandum erat; Deut. IV, 37: *dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos*; Eccli. c. XLIV, 11: *cum semine eorum permanebo, et haereditas sancta nepotes eorum*. Sed contra. Videtur quod non oravit pro omnibus fidelibus suis. Nam pro his hic orat qui convertendi erant per verba apostolorum: sed antiqui patres et Ioannes Baptista non fuerunt conversi per verba eorum. Ad quod dicendum, quod ipsi iam pervenerant ad consummationem; et licet non fruerentur Dei visione, cum non esset solum pretium, tamen cum meritis suis hinc abierant, ita ut statim aperta ianua introducendi essent: et ideo oratione non indigebant. Sed adhuc iterum quaeritur de aliquibus, qui non per apostolorum verba crediderunt, sed immediate per Christum, sicut Paulus; Gal. I, 12: *non ab hominibus neque per hominem accepi illud neque didici, sed per revelationem Iesu Christi*. Et latro in cruce, Lc. XXIII, 43. Non videtur ergo quod pro eis oraverit. Sed ad hoc dicendum, secundum Augustinum, quod per verbum apostolorum dicuntur credere non solum qui ab ipsis audierunt, sed quicumque credunt per verbum quod apostoli praedicaverunt, quod est verbum fidei, Rom. X, 8, quod dicitur verbum apostolorum, quia ipsis principaliter commissum et praedicatum: quod etiam Paulo et latroni in cruce est revelatum divinitus. Vel dicendum, quod qui immediate a Christo et per Christum conversi sunt, sicut Paulus, et latro in cruce, et si qui alii, computantur in parte orationis qua dominus pro discipulis oravit. Unde dominus dixit (supra hoc cap.): *quos dedisti mihi*, seu daturus es. Sed adhuc quaeritur de nobis, qui non credimus per apostolos. Sed ad hoc dicendum, quod licet non crediderimus per apostolos, credimus tamen per discipulos eorum. Petit autem unitatis perfectionem, unde dicit *ut omnes unum sint*. Ubi primo proponit unitatem quam petit; secundo unitatis exemplum et causam, ibi *sicut tu, pater, in me, et ego in te*; tertio unitatis fructum, ibi *ut mundus credat quia tu me misisti*. Dicit ergo hoc rogo *ut omnes unum sint*. Nam, ut Platonici dicunt ab hoc quaelibet res habet unitatem a quo habet bonitatem. Bonum enim est quod est rei conservativum; nulla autem res conservatur nisi per hoc quod est una. Et ideo dominus petens discipulorum perfectionem in bonitate, petit quod sint unum; quod quidem impletum est; Act. IV, 32: *multitudinis credentium erat cor unum et anima una*; Ps. CXXXII, 1: *ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum*. Sed unitatis exemplum et causam subdit, dicens: *sicut tu, pater, in me, et ego in te*. Aliqui enim sunt unum, sed in malo. Unde hanc unitatem Deus non petit, sed illam secundum quam homines uniuntur ad bonum, scilicet in Deum; et ideo dicit: *sicut tu, pater, in me, et ego in te*; idest hoc modo uniantur

quod credant in me et in te; Rom. XII, 5: *multi unum corpus sumus in Christo*; Eph. IV, 3: *solliciti servare unitatem spiritus (...) qui est unus Deus, una fides, unum Baptisma*. Et quidem in patre et filio qui sunt unum, sumus unum: quia si diversa quaerimus credendo et desiderando, affectus noster diversificatur ad multa. Sed Arius ex hoc arguit, quod eodem modo filius est in patre et pater in filio, quo nos sumus in Deo: sed nos non sumus per unitatem essentiae, sed per conformitatem voluntatis et amoris: ergo et similiter pater non est in filio per unitatem essentiae. Sed dicendum, quod in patre et filio est duplex unitas, scilicet essentiae et amoris; et secundum utramque pater est in filio, et filius in patre. Quod ergo hic dicit *sicut tu, pater, in me, et ego in te*, potest referri uno modo ad unitatem amoris, secundum Augustinum, ut sit sensus: *sicut, te, pater, es in me* per amorem, quia caritas facit unum esse cum Deo; quasi diceret: sicut pater diligit filium, et e converso; ita ipsi diligant patrem et filium. Et sic *ly sicut* non dicit aequiparantiam, sed quamdam remotam similitudinem. Vel secundum Hilarium, potest referri ad unitatem naturae: non quidem quod eadem natura numero sit in nobis cum patre et filio, sicut est in eis; sed quod unitas nostra per hoc sit quod assimilamur illi divinae naturae, per quam pater et filius sunt unum. Hoc etiam modo *ly sicut* dicit imitationem quamdam. Et inde est quod invitamur ad imitationem dilectionis divinae: Eph. V, 1: *estote imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos*; et perfectionis, seu bonitatis; Matth. V, 48: *estote perfecti sicut pater vester perfectus est*. Fructum autem unitatis ponit cum dicit *ut mundus credat*: per nihil enim aliud sic manifestatur veritas Evangelii, sicut per caritatem fidelium; supra XII, 35: *in hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*. Erit ergo hic unitatis fructus: quia, per hoc quod sint unum, *mundus credat*, quod doctrina quam dedi eis sit a te, et cognoscat quia *tu me misisti*. Non enim est Deus dissensionis causa, sed pacis. Sed hic est quaestio: quia unum perfecte erimus in patria, ubi non erit tempus credendi: inconvenienter ergo post unitatem subdit *ut mundus credat quia tu me misisti*. Sed dicendum, quod hic non loquitur de unitate consummata, sed inchoata. Item est alia quaestio: quia ipse orat ut sint unum illi qui credunt in eum: ergo et mundus credens est unum. Quomodo ergo dicit, postquam sunt unum, *mundus credat*? Ad quod potest mystice responderi, quod uno modo dominus petit pro omnibus credentibus quod sint unum: qui tamen non simul credituri erant, sed quidam prius, per quos alii convertendi erant. Quod ergo dicit *ut mundus credat*, intelligitur quantum ad illos qui non a principio crediderunt, qui, cum crediderunt, facti sunt unum, et similiter alii credentes post eos: et sic usque ad finem mundi. Alio modo, secundum Hilarium, ut *ly mundus credat* sit finis unitatis et perfectionis; quasi diceret: perfice eos, ut sic sint unum, ad hoc scilicet *ut mundus credat quia tu me misisti*. Unde *ly ut* importat causam finalem. Tertio modo, secundum Augustinum, ut *ly mundus credat* sit alia petitio: et tunc oportet repeti quod dixit *rogo*; quasi diceret: rogo ut sint unum, et rogo ut mundus credat. Quid autem Christus ad hanc unitatem operatus sit, subdit dicens *et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis*, quasi, hoc quod petit ut homo, facit ut Deus. Et primo ostendit quod ipse operatus est ad hoc quod sint unum; secundo ponit unitatis modum et ordinem, ibi *ego in eis, et tu in me*; tertio ostendit unitatis finem, ibi *ut cognoscat mundus quia tu me misisti*. Dicit ergo: etsi ut homo petam eorum perfectionem, nihilominus tamen simul tecum hoc facio quia et *ego claritatem*, idest gloriam resurrectionis, *quam tu, pater, dedisti mihi*, aeterna praedestinatione, et daturus es statim in re: *ego dedi illis*, scilicet discipulis. Et claritas est immortalitas, quam in resurrectione fideles accipient etiam quantum ad corpus; Phil. III, 21: *reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*; I Cor. XV, 43: *seminatur in ignobilitate, surget in gloria*. Et hoc *ut sint unum*: quia per hoc quod habebunt gloriam, efficientur unum, *sicut et nos unum sumus*. Sed videtur distinguere operationem suam ab operatione patris. Dicit, quod pater sibi claritatem dedit, et Christus eam dedit fidelibus. Sed si bene intelligatur, non ponitur hoc ad distinguendum operationem, sed personas. Nam filius, in quantum filius, simul cum patre claritatem dat Christo homini, et simul etiam cum eo fidelibus. Sed tamen in quantum hanc claritatem specialiter per humanitatem suam eis tribuit; ideo hanc attribuit sibi, illam patri. Et sic accipitur hic claritas, secundum Augustinum. Vel, secundum Chrysostomum, *ego claritatem*, scilicet gratiae, quam dedisti mihi, homini, quantum ad excellentem cognitionem, perfectionem et miraculorum operationem, *dedi eis* in parte, et adhuc perfectius dabo: II Cor. III, 18: *transformamur a claritate in claritatem*; Ps. LXVII, 19: *dedit dona hominibus*. Et hoc, *ut sint unum sicut et nos sumus*. Hic enim est finis divinatorum donorum ut uniamur illa unitate, quae est conformis unitati patris et filii. Ordo autem unitatis subditur, cum dicit *ego in eis, et tu in me*. Nam per hunc ordinem perveniunt ad unitatem, quia vident quod ego sum in eis per gratiam, sicut in templo; I Cor. III, 16: *nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis*? Quae est quasi quaedam similitudo eius essentiae, qua tu es in me per unitatem naturae; supra XIV, 10: *ego in patre, et pater in me est*. Et hoc *ut*

*ipsi sint consummati*, idest perfecti, *in unum*. Sed attende, quod cum supra dixisset *ut sint unum*, hic addit quod *consummati*: ideo est, quia illud refertur ad unitatem gratiae, hoc autem ad eius complementum. Vel aliter, secundum Hilarium, *ego in eis*, supple: sum per unitatem naturae humanae quam eandem habeo cum illis, et quia etiam do eis corpus meum in cibum, *et tu in me*, per unitatem essentiae. Sed secundum primam expositionem, quia per gratiam non solum filius est in eis, sed et pater, supra XIV, 23: *ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*: quare dicit *ego in eis*, sine patre? Responsio. Dicendum, secundum Augustinum, quod hoc non dicit ut ostendat filium in eis esse sine patre, sed quia per filium accessum habeant ad patrem; Rom. V, 1: *iustificati igitur ex fide per Christum, pacem habeamus ad Deum, per quem et habemus accessum*. Vel, secundum Chrysostomum, supra dixit *ad eum veniemus*, ut ostendat pluralitatem personarum divinarum contra Sabellium; hic autem dicit *ego in eis* ut ostendat aequalitatem patris ad filium contra Arium. Per hoc enim datur intelligi quod sufficit fidelibus, si solus filius inhabitet. Finis autem unitatis ponitur, ibi *ut cognoscat mundus quia tu me misisti*. Et quidem si consummata unio referatur ad perfectionem viae, tunc ly *cognoscat mundus*, idem est quod supra dixit *ut mundus credat*. Tunc dicitur propter inchoationem; hic autem dicit *cognoscat*, quia imperfectam cognitionem non sequitur fides, sed plena cognitio. Et dicit *cognoscat mundus*, non quod nunc sit mundus, sed quod fuit mundus; ut sit sensus: *mundus*, iam credens, *cognoscat*. Vel *mundus*, idest amatores mundi, *cognoscat quia tu me misisti*: quia tunc mali per manifesta indicia cognoscent Christum esse filium Dei; Apoc. I, 7: *videbitis eum omnis oculus*; et infra XIX, 37: *videbunt in quem transfixerunt*; Lc. XXI, 27: *videbunt filium hominis venientem in nubibus caeli cum potestate magna et maiestate*. Et non solum cognoscat hoc; sed et sanctorum claritatem, quia *dilexisti eos*, scilicet fideles. Nunc enim non possumus cognoscere dilectionem Dei ad nos quanta sit: quia bona quae Deus daturus est nobis, cum excedant appetitum et desiderium nostrum, non possunt cadere in cor nostrum. I Cor. II, 9: *oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum*. Et ideo mundus credens, idest sancti cognoscent per experientiam quantum diligit nos; sed mundi amatores, idest mali, cognoscent hoc videndo et admirando gloriam sanctorum; Sap. V, 3: *hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improprii*; et infra 5: *ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est*. Sed dicit *sicut tu me dilexisti*: quod non importat parilitatem dilectionis, sed rationem et similitudinem. Quasi dicat: dilectio qua dilexisti me, est ratio et causa quare eos dilexisti: nam per hoc quod me diligis, diligentes me et membra mea diligis; supra XVI, 27: *ipse pater amat vos, quia vos me amastis*. Sciendum est autem, quod Deus diligit omnia quae fecit, dando eis esse; Sap. XI, v. 25: *nihil odisti eorum quae fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti*. Maxime autem diligit unigenitum filium suum, cui totam naturam suam per aeternam generationem dedit. Medio autem modo diligit membra unigeniti sui, scilicet fideles Christi, dando eis gratiam qua Christus inhabitat nos; Deut. XXXIII, 3: *dilexit populos: omnes sancti in manu illius sunt*.

## Lectio 6

[87539] Super Io., cap. 17 l. 6 Supra dominus petiit pro discipulis perfectionis unitatem, hic petit pro eis visionis claritatem, et primo tangit personas pro quibus petit; secundo ponit petendi modum; tertio subdit quod petit. Petit quidem pro sibi datis, unde dicit *pater, quos dedisti mihi* et cetera. Sciendum est, quod illud dicitur alicui dari quod voluntati eius submittitur, ut scilicet faciat de eo quod vult. Voluntas autem Christi duplex est, scilicet misericordiae et iustitiae: sed misericordiae quidem primo et per se est ipsius, quia *miserationes eius super omnia opera eius*, Ps. CXLIV, 9; et I Tim. II, 4: *vult omnes homines salvos fieri*, sed voluntas iustitiae punientis est eius non primo, sed praesupposito peccato: *Deus enim non delectatur in perditione hominum*, Sap. I, 13; Ez. c. XVIII, 32: *nolo mortem peccatoris*, verum secundum se, sed tamen ex consequenti vult eam propter peccatum. Sunt ergo omnes homines dati filio; supra *dedisti ei potestatem omnis carnis*, idest omnis hominis, ut scilicet faciat de eis suam voluntatem, vel misericordiae ad salvandum, vel iustitiae ad puniendum. *Ipse enim est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum*: ut dicitur Act. X, 42. Sed illi sunt sibi simpliciter dati qui ad hoc dati sunt ei, ut de eis faciat voluntatem misericordiae ad salvandum: unde de his dicit *quos dedisti mihi*, in tua scilicet praedestinatione ab aeterno; Is. VIII, 18: et Hebr. c. III, *ecce ego, et pueri mei, quos dedit mihi dominus*. Modus autem petendi designatur cum dicit *volo*: quod potest designare auctoritatem, vel meritum. Auctoritatem quidem si intelligamus de voluntate eius in quantum est Deus, quae est eadem cum voluntate patris: nam sua voluntate homines iustificat et salvat; Rom. IX, 18: *cuius vult miseretur*. Meritum autem designat, si

intelligamus de voluntate eius in quantum est homo, quae est meritoria salutis nostrae. Si enim voluntates iustorum, qui sunt membra Christi habent meritum impetrandi: supra XV, 7: *quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis*: multo magis hoc habet voluntas Christi hominis, qui est caput sanctorum omnium. Quid autem petat, subdit dicens *ut ubi ego sum, et illi sint mecum*, et primo petit coniunctionem membrorum ad caput; secundo demonstrationem claritatis suae ad membra, ibi *ut videant claritatem meam*. Dicit ergo hic: *volo*, scilicet, *ut ubi ego sum, et illi sint mecum*: quod potest dupliciter intelligi. Uno modo ut referatur ad Christum hominem. Nam Christus, secundum quod homo, statim futurus et ascensurus in caelum erat; infra XX, 17: *ascendo ad patrem meum et patrem vestrum*. Et sic est sensus: *volo*, ut in caelo, *ubi ego mox futurus sum, et illi*, scilicet fideles, *sint mecum*, etiam loco; Matth. XXIV, 28: *ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae*, idest sancti. Hoc enim promiserat Matth. V, 12 et Lc. VI, 23: *gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis*. Sed dubitatur: quia cum nondum esset in caelo, debuisset dicere ubi ego ero non *ubi ego sum* et cetera. Item, quia supra III, 13, dixit: *nemo ascendit in caelum nisi qui de caelo descendit*. Responsio. Dicendum ad primum, quod Christus qui loquebatur, et Deus erat et homo, et ideo, licet secundum eius humanitatem non esset in caelo, erat tamen ibi secundum divinitatem, ut sic, in terra existens, esset in caelo; et ideo dicit *ubi ego sum*. Ad secundum dicendum, quod id quod dicit supra (loc. cit.) quod *nemo descendit de caelo nisi filius hominis qui est in caelo*, intelligitur quod est in caelo secundum divinitatem, et descendit humanam naturam assumendo, et ascendit secundum humanam naturam iam glorificatam. Et sic, dum nos cum illo, unum sumus iam facti. *Unde solus venit, in se* scilicet, descendendo de caelo, *illuc etiam solus rediit in nobis* ascendendo in caelum: secundum Gregorium XXVIII Moralium. Dicit autem *sum*, praesenti utens pro futuro: vel quia statim illic futurus erat, vel ut referatur ad Christum Deum. Sed secundum hoc, cum Deus ubique sit, Ier. XXIII, 24: *caelum et terram ego impleo*: videtur sequi quod etiam sancti erunt ubique. Ad quod dicendum, quod Deus hoc modo se habet ad nos ut lux ad homines. Lux autem ubique diffunditur sole existente super terram. Et licet lux sit cum hominibus, non tamen omnes sunt in luce solis, sed tantum eam videntes. Sic ergo cum Deus sit ubique, est cum omnibus qui sunt ubicumque; sed tamen non omnes sunt cum Deo, nisi qui ei coniunguntur per fidem et dilectionem, et tandem coniungentur per perfectam fruitionem; Ps. LXXII, 22: *et ego semper tecum*; I Thess. IV, 16: *sic semper cum domino erimus*. Et sic est sensus *ut ubi ego sum*, scilicet in divinitate tua, quam habeo per naturam, *et illi sint mecum*, per participationem gratiae; supra I, 12: *dedit eis potestatem filios Dei fieri*; I Io. IV, 16: *qui manet in caritate in Deo manet et Deus in eo*. Demonstrationem autem suae claritatis ad membra subdit dicens *ut videant claritatem*, et primo ponit petitionem; secundo ostendit claritatis originem, ibi *quam dedisti mihi*; tertio assignat claritatis rationem, ibi *quia dilexisti me* et cetera. Dicit ergo: *volo* ut non solum mecum sint, sed *ut videant*, scilicet visione beatificante, I Io. III, 2: *cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est, claritatem meam*: quod potest intelligi de claritate eius secundum humanitatem, qua illustratus est in resurrectione; Phil. III, v. 21: *reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*. Vel de claritate eius secundum divinitatem: est enim splendor gloriae, et figura paternae substantiae Hebr. I, 3 et Sap. VII, 26: *candor est lucis aeternae*. Et utramque claritatem sancti existentes in gloria videbunt. Nam de prima dicitur Is. XXXIII, 17: *regem in decore suo videbunt*. Sed hanc impii videbunt in iudicio tantum; Lc. XXI, 27: *tunc videbunt filium hominis venientem cum potestate et maiestate*. Sed Marcus dicit: *venientem in gloria*, idest in claritate. Sed visio huius claritatis subtrahetur eis post iudicium; Is. XXVI, 10, secundum aliam litteram: *tollatur impius ne videat gloriam Dei*. Sed secundum claritatem videbunt sancti perpetuo; Ps. XXXV, 10: *in lumine tuo*, scilicet gratiae, *videbimus lumen*, scilicet gloriae, quam numquam videbunt mali; Iob XXXVI, 32: *in manibus*, idest in superbis, *abscondit lucem (...) annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit*. Huius autem claritatis origo est a patre: unde dicit *quam dedisti mihi*. Gloriam scilicet corporis dedit ei in resurrectione, sed quia hoc factum erat in divina ordinatione, licet esset futurum in re, ideo dicit *dedisti*; Ps. VIII, 7: *gloria et honore coronasti eum*. Sed claritatem divinam dedit ei ab aeterno, quia filius est a patre ab aeterno, sicut splendor a luce. Rationem autem claritatis datae ostendit dicens *quia dilexisti me ante mundi constitutionem*. Quod quidem si referatur ad Christum hominem, sic *ly quia* denotat causam. Sicut enim dilectio et aeterna praedestinatio est causa quod nos habeamus claritatem gratiae in praesenti, et gloriae in futuro, Eph. I, 4: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: sic etiam est causa claritatis Christi secundum quod homo; Rom. I, 4: *qui praedestinatus est filius Dei in virtute*. Et sic est sensus: dico, quod dedisti mihi claritatem: et huius causa est *quia dilexisti me*; et hoc *ante mundi constitutionem*, ut scilicet homo ille uniretur filio Dei in persona; Ps. LXIV, 5: *beatus quem elegisti et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis*. Si vero referatur ad Christum secundum quod

est Deus, sic *ly quia* denotat signum. Non enim dedit quia dilexit: nam in datione, qua pater dedit filio, designatur aeterna eius generatio; in dilectione vero, si sumatur essentialiter, importatur voluntas divina: si vero notionaliter, designatur notio spiritus sancti. Sed pater natura dedit filio claritatem, non voluntate, quia genuit eum per naturam: nec ideo dedit filio quia spiravit spiritum sanctum. Hic assignatur ratio exauditionis petitionis suae. Supra autem dominus admisit ad suam petitionem etiam fideles cum dixit *non pro eis rogo tantum, sed pro his qui credituri sunt per eos* et quosdam excludit, scilicet mundum et infideles; unde dixit: *pro eis rogo, non pro mundo*. Horum ergo rationem assignans, primo ponit defectum mundi; secundo profectum discipulorum, ibi *ego autem te cognovi*. Sed nota, quod quando petiit eorum sanctificationem, vocavit patrem sanctum, unde dixit: *pater sancte*, hic vero petens retributionem, vocat eum iustum; Ps. c. VII, 12: *Deus iudex iustus*. In quo excluditur error antiquorum ponentium alium esse Deum iustum, scilicet Deum veteris testamenti, et alium Deum bonum, scilicet Deum novi testamenti. Defectus autem mundi quantum ad cognitionem Dei est; unde dicit *mundus*, non reconciliatus, sed damnatus, *non te cognovit*; supra I, 10: *mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit*. Sed contra. Rom. I, 19: *quod notum est Dei, manifestum est in illis (...). Invisibilia enim Dei per ea quae facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur*. Responsio. Dicendum, quod duplex est cognitio: una speculativa, et alia affectiva: et neutra mundus Deum cognovit perfecte. Licet enim aliqui gentilium Deum quantum ad aliqua quae per rationem cognoscibilia erant, cognoverint; ipsum tamen secundum quod est pater filii unigeniti et consubstantialis, non cognoverunt: de qua cognitione loquitur dominus. Et inde est quod apostolus dicit, *quod notum est* idest cognoscibile Dei. Sed et si quid speculativa cognitione de Deo cognoscebant, hoc erat cum admixtione multorum errorum, dum quidam subtraherent omnium rerum providentiam; quidam dicerent eum esse animam mundi; quidam simul cum eo multos alios deos colerent. Unde dicuntur Deum ignorare. Licet enim in compositis possit partim sciri et partim ignorari; in simplicibus tamen dum non attinguntur totaliter, ignorantur. Unde etsi in minimo aliqui errent circa Dei cognitionem, dicuntur eum totaliter ignorare. Isti ergo non cognoscentes singularem Dei excellentiam, ignorare dicuntur; Rom. I, 21: *cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum*; Sap. XIII, 1: *neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex*. Similiter etiam mundus eum non cognovit cognitione affectiva, quia eum non diligit; I Thess. IV, 5: *sicut et gentes quae ignorant Deum*. Dicit ergo *mundus te non cognovit*, sine errore, et ut patrem per dilectionem. Profectus autem discipulorum designatur cum dicit *ego autem te cognovi, et hi cognoverunt*, et primo quantum ad cognitionem; secundo quantum ad cognitionis fructum, ibi *ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis*. Circa profectum discipulorum in cognitione Dei, tria facit. Primo ponit radicem et fontem cognitionis Dei; secundo ramos et rivulos ex hoc procedentes; tertio derivationem eorum a radice seu fonte. Radix autem et fons cognitionis Dei est verbum Dei, scilicet Christus; Eccli. c. I, 5: *fons sapientiae verbum Dei in excelsis*. Humana autem sapientia in Dei cognitione consistit. Haec autem cognitio ad homines derivatur a verbo; quia in quantum homines participant verbum Dei, intantum Deum cognoscunt. Ideo dicit: ita mundus te non cognovit, *ego autem*, scilicet fons sapientiae, verbum tuum, *cognovi te*, cognitione comprehensionis aeterna; supra VIII, 55: *si dixero quia nescio eum, ero similis vobis, mendax*. Ex hac autem cognitione verbi, quae est fons et radix, derivantur, sicut rivuli et rami, omnes cognitiones fidelium; et ideo dicit *et hi cognoverunt quia tu me misisti*: ut *ly quia* dicat rationem cognitionis, secundum Augustinum, ut sit sensus: *ego cognovi te*, per naturam, *et hi cognoverunt te* per gratiam. Et quare? *Quia tu me misisti*: supple, ad hoc ut te cognoscerent; infra XVIII, 37: *in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*; supra *manifestavi nomen tuum hominibus*. Vel *ly quia* dicat rem cognitam, ut sit sensus: *hi cognoverunt*, et quid? Hoc scilicet, *quia tu me misisti*, quia qui videt filium, videt patrem; supra XV, 9. Sed hoc non a seipsis habuerunt, sed derivatum est eis a me, quia *nemo novit patrem nisi filius, et cui voluerit filius revelare*. Et ideo dicit *notum feci eis nomen tuum, et notum faciam*. Et designat duplicem cognitionem, quam per eum habent fideles. Scilicet doctrinae; et quantum ad hanc dicit *notum feci eis nomen tuum*, exterius instruendo per verba; supra I, 18: *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit*; Hebr. II, 3: *quae cum initium accepisset enarrandi per dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est*. Alia cognitio est interior per spiritum sanctum; et quantum ad hanc dicit *et notum faciam*, dando scilicet eis spiritum sanctum; supra XVI, 13: *cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Vel dicit *notum feci eis nomen tuum*, scilicet cognitione fidei, quia *videmus nunc per speculum in aenigmate, et notum faciam*, per speciem gloriae in patria, ubi videbimus *facie ad faciem*, I Cor. XIII, 12. Fructus autem cognitionis huius est, *ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis*. Quod



potest exponi dupliciter. Uno modo, et melius quia dictum est, quod pater diligit filium, ut ostenditur per claritatem quam dedit ei: consequens ergo est ut diligat omnes in quibus est filius, qui est in eis, in quantum habent veritatis cognitionem. Et sic est sensus: *ego faciam eis notum nomen tuum*; et per hoc quod cognoscunt te, ego verbum tuum ero in eis; et per hoc quod in eis sum, *dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit*, idest, ad eos derivetur, et diligas eos sicut me dilexisti. Vel aliter: *ut dilectio qua dilexisti me*, idest, sicut tu me dilexisti, ita ipsi participando spiritum sanctum, diligant: et per hoc ergo ero in ipsis sicut Deus in templo, et ipsi in me, sicut membra in capite; I Io. IV, v. 16: *qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*.

© 2006 *Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem*

*Iura omnia asservantur*

OCLC nr. [49644264](#)

CORPUS THOMISTICUM  
Sancti Thomae de Aquino  
Super Evangelium S. Ioannis lectura  
a capite XVIII ad caput XIX

Textum Taurini 1952 editum  
ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas  
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

Caput 18

Lectio 1

[87540] Super Io., cap. 18 l. 1 Supra, ante passionem, dominus praeparavit discipulos suos, multipliciter informando exemplis, confortando verbis, et promovendo suffragiis; hic Evangelista accedit ad narrandum eius passionem, et primo proponit mysterium passionis; secundo gloriam resurrectionis, XX cap. ibi *una autem sabbati* et cetera. Passio autem Christi partim completa est per Iudaeos, partim per gentiles. Primo ergo describit passionem Christi quantum ad ea quae passus est per Iudaeos; secundo quantum ad ea quae passus est per gentiles, XIX cap., ibi *tunc apprehendit Pilatus* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ostendit quomodo a discipulo dominus traditur; secundo quomodo a ministris principibus praesentatur, ibi *cohors ergo, et tribunus, et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum*; tertio quomodo a principibus apud praesidem accusatur, ibi *adducunt ergo Iesum* et cetera. Circa proditorem discipuli tria tangit Evangelista. Primo quidem locum; secundo apparatus, ibi *Iudas ergo cum accepisset cohortem (...) venit illuc cum lanternis* etc.; tertio promptum Christi affectum ad proditorem sustinendam, ibi *Iesus itaque sciens omnia quae ventura erant super eum, processit* et cetera. Locus autem ostenditur proditori congruus ex tribus: quia a civitate remotus, in se occultus et conclusus, et proditori notus. Remotus quidem erat a civitate, unde facilius Iudas poterat facere quod intendebat: unde dicit *haec cum dixisset*, scilicet quae supra dicta sunt. Sed cum ea quae dixit, pertinerent ad Christi orationem, convenientius dixisset Evangelista: haec cum orasset. Sed hoc fecit Evangelista ut ostendat hanc orationem non propter sui necessitatem fecisse, quia ipse erat qui orabat ut homo, et exaudiebat ut Deus: sed hoc propter nostram instructionem. Unde erat quasi quaedam dictio. *Egressus est cum discipulis suis*, non quidem continuo, secundum Augustinum, post eius orationem, cum alia quaedam intervenerint narrata ab aliis Evangelistis, ab isto autem praetermissa, scilicet quod facta fuit contentio inter discipulos quis eorum videretur esse maior, Lc. XXII, 24. Interim etiam dixit Iesus Petro: *ecce Satanaspexpetivit vos ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: ut Lucas narrat ibid. 31. Dixerunt etiam discipuli hymnum cum domino, ut narrat Matthaeus et Marcus. Sic ergo non est intelligendum, quod cum hoc dixisset, statim egrederetur: sed quia non ante egressus est quam dixisset. *Egressus est*, inquam, *trans torrentem Cedron*. Sed Matthaeus et Marcus dicunt, quod exierunt in montem oliveti, et tunc venit cum illis in villam quae dicitur Gethsemani. In quo nulla est contrarietas, quod idem locus est quem Ioannes commemorat et Matthaeus: torrens enim Cedron est ad radices montis oliveti, ubi etiam est villa quae dicitur Gethsemani. Cedron autem in Graeco est genitivus pluralis; quasi dicat: trans torrentem cedrorum. Forte erant ibi multae cedri plantae. Convenit autem mysterio quod torrentem transivit, quia per eum eius passio designatur; Ps. CIX, 7: *de torrente in via bibet, propterea exaltavit caput*. Convenit etiam quod trans torrentem Cedron. Cedron enim interpretatur obumbratio, et Christus sua

passione abstulit umbram peccati et legis, et expansis manibus in cruce protexit nos sub umbra manus suae; Ps. XVI, 9: *sub umbra alarum tuarum protege me*. Erat autem congruus locus prodicioni: unde dicit *ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli eius*. Et hoc convenienter, quia ipse satisfaciebat pro peccato primi hominis in horto commisso. Paradisus enim hortus deliciarum interpretatur. Item quia per passionem nos in hortum et Paradisum coronandos introducit; Lc. XXIII, 43: *hodie mecum eris in Paradiso*. Erat etiam congruus locus, quia proditori notus; unde dicit *sciebat autem Iudas, qui tradebat eum, locum*; et huius ratio est, *quia frequenter Iesus venerat illuc cum discipulis suis*, inter quos Iudas fuerat sicut lupus inter oves; supra VI, 71: *nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus Diabolus est?* Lupus ovina pelle contactus, et inter oves alto patrisfamilias consilio toleratus, didicit ubi ad tempus exiguum ovium dispergeret gregem. Sed cum Iudas diu ante exierit a coena ut prodicionem compleret, quaeritur quomodo scivit quod Christus illa hora egrederetur illuc? Ad quod dicendum, secundum Chrysostomum, quod consuetudo Christi erat, et praecipue in magnis festis, post coenam discipulos seorsum ducere, et aliqua sublimia de festo docere, quae non erat fas alios audire: et ideo quia tunc erat festum praecipuum, existimavit Iudas quod post coenam illuc exisset. Fecit autem hoc ut in montibus et in hortis sublimia doceret discipulos, maxime purum a tumultibus inquirens locum, ne eorum mens impediatur; Oseae II, 14: *ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius*. Hic ponitur proditoris apparatus. Et nota, quod, sicut dicitur Lc. XXII, 3 ss., Iudas postquam tractaverat prodicionem cum principibus, quaerebat opportunitatem quomodo sine turbarum tumultu traderet eum: et ideo voluit eum in secreto invenire, et in nocte, quia in die semper circa turbarum instructionem occupatus erat. Sed quia in nocte poterat impediri vel propter subitum concursum turbarum, vel propter tenebras, quibus posset eripi vel evadere de manibus eorum; ideo contra turbas munivit se armis, contra tenebras lanternis et facibus. Sed quia de turba aliqui poterant sibi resistere per potentiam populi, ideo contra hos accepit cohortem, non Iudaeorum, sed militum a praeside: ut sic servato ordine legitimae potestatis, nullus ei auderet obsistere. Item aliqui ex Iudaeis zelo legis ducti, praesertim quia a gentilibus capiebatur, eis fortasse resistere voluissent: et ideo accepit etiam *a pontificibus et Pharisaeis ministros, et venit illuc*. Iob XV, 26: *cucurrit adversus Deum erecto collo*; Lc. XXII, 52: *tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus*. Hic ponit Evangelista promptum Christi affectum ad prodicionem voluntarie suscipiendam, dupliciter. Primo se voluntarie offerendo; secundo discipulum resistentem comprimendo, ibi *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum*. Et circa primum duo facit Evangelista. Primo narrat quod Christus ostendit se, ad ostendendum suam potentiam; secundo ad demonstrandum suam patientiam, ibi *iterum ergo interrogavit eos, quem quaeritis?* Circa primum tria facit. Primo ponit Christi interrogationem; secundo suiipsius manifestationem, ibi *dixit eis Iesus, ego sum*; tertio manifestationis effectum, ibi *ut ergo dixit eis, ego sum, abierunt retrorsum*. Circa primum tria facit. Primo commendat Christi scientiam et cognitionem: *quia Iesus sciens omnia quae ventura erant super eum, processit* etc.; supra XIII, 1: *sciens Iesus quia venit hora eius* et cetera. Quod interposuit Evangelista propter duo. Primo ne videretur interrogationem quam facturus erat eis Christus, ex ignorantia fecisse; secundo ne videatur quod se ipsis invitum et propter ignorantiam obtulisset, cum venirent ad eum occidendum. Unde *omnia quae ventura erant super eum*, sciebat. Secundo ponit Christi interrogationem, qui cum ista sciret tamen *processit, et dixit ad eos, quem quaeritis?* Non ex ignorantia, ut dictum est. Tertio subdit ipsorum responsionem: quia *Iesum Nazarenum*, supple, quaerimus, non quidem ad imitandum, sed ad malignandum et occidendum. Unde supra VIII, 11: *quaeritis me, et in peccato vestro moriemini*. Hic ponitur suiipsius manifestatio, qua se eis capiendum exhibuit: unde dicit *ego sum*, scilicet Iesus Nazarenus quem quaeritis. Addit autem Evangelista Iudae praesentiam: ideo quia supra dixit quod Iudas ab eo exiverat. Posset autem credi quod non esset mirum, si Christus ab eis non cognosceretur facie propter tenebras; sed quod quis non cognoscatur voce, maxime a multum sibi familiari, hoc non potest tenebris ascribi. Ostendit ergo per hoc quod dicit *ego sum*, quod etiam a Iuda familiari sibi, qui stabat cum ipsis, non est cognitus: quod est maxime divinitatis Christi potentiae ostensivum. *Stabat ergo Iudas cum ipsis*; idest perseverabat in malo, ut eum osculi signo monstraret; Is. XXXIII: *os eius erit* et cetera. Hic ponitur manifestationis effectus: quia *abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram*. Et, ut Gregorius dicit, aliquando legitur de sanctis, quod cadunt in terram; Daniel. II, 46: *cecidit in faciem suam, et adoravit Danielem* etc.; Ez. II, 1: *cecidit in faciem meam*. De iniquis autem legitur quod cadunt; Is. III, 25: *pulcherrimi viri tui cadent*. Sed haec est differentia: quia de iniquis dicitur quod cadunt retrorsum, I Reg. c. IV, 18, *cecidit de sella retrorsum*; de sanctis autem quod cadunt in faciem suam. Cuius ratio assignatur Prov. IV, 18: *quia iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem*. Et *via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant*. Omnis enim qui post se cadit, ibi

cadit ubi non videt. Iniqui ergo, quia in invisibilibus cadunt, retrorsum cadere dicuntur: quia ibi currunt ubi quid eos tunc sequatur, modo videre non possunt. Sed qui ante se cadit, ibi cadit ubi videt: et ideo sancti qui in istis visibilibus semetipsos sponte deiiciunt, ut in invisibilibus erigantur, in faciem suam cadere dicuntur, quia timore compuncti videntes humiliantur. Mystice autem, per hoc quod ceciderunt retrorsum, datur intelligi quod populus Iudaeorum, qui erat populus peculiaris, vocem Christi in praedicatione non audiens, abiit retrorsum exclusus a regno. Hic ponitur secunda interrogatio. Et primo ponit iteratam interrogationem; secundo Christi manifestationem, et tertio eius oblationem. Interrogavit autem iterato, secundum Chrysostomum, propter duo: ut dum scilicet indicavit suam potentiam, quod inimici contra eum venientes, coram eo retrorsum ceciderunt in terram, instruantur fideles quod sua voluntate captus sit; Is. LIII, 7: *oblatus est, quia ipse voluit*. Secundo, ut etiam, quantum in se est, daret Iudaeis materiam conversionis, viso potentiae suae miraculo; Is. V, 4: *quid ultra debui facere?* Et ideo cum statim ad ostensionem suae potentiae non fuerunt conversi, eis capiendum se sponte obtulit. Unde cum iterum *interrogavit eos: quem quaeritis? Et illi dixerunt: Iesum Nazarenum*, ipse se iterum manifestans, *respondit: dixi vobis, quia ego sum*. In quo patet quia caeci erant, ut eum non possent cognoscere. Oblatio sui ipsius ponitur cum dicit *si ergo me quaeritis*, scilicet comprehendere, faciatis quod intenditis, ita tamen quod *sinite hos*, scilicet discipulos meos, *abire*: quia nondum est tempus ut tollantur de mundo per passionem; supra XVII, 15: *non rogo ut tollas eos de mundo*. In quo patet quod ipse dedit eis potestatem eum capiendi: nam sicut ex sua potentia discipulos suos servavit, ita multo magis se servare potuisset; supra X, 18: *nemo tollit animam meam: sed ego pono eam a meipso*. Et quod non dimiserunt ministri apostolos ex Christi persuasione, sed ex eius potestate, ostendit Evangelista dicens *ut impleretur sermo quem dixit*: quasi ideo dimiserunt ministri apostolos abire, quia eos tenere non poterant; cum ipse dixerit, supra c. XVII, 12: *quos dedisti mihi, non perdi ex eis quemquam*. Sed contra. Supra dixit hoc dominus de perditione animae: quomodo Evangelista hoc adaptat ad perditionem corporis? Responsio. Dicendum, secundum Chrysostomum, quod dominus supra locutus est de perditione animae et corporis. Et si tantum de perditione animae locutus sit, dicendum, quod Evangelista hic per quamdam extensionem refert ad perditionem corporis. Vel, secundum Augustinum, dicendum, quod hoc quod dicitur est intelligendum etiam quantum ad perditionem animae; quia apostoli nondum sic credebant quomodo credunt qui non pereunt. Et ideo si tunc exissent de hoc mundo, fuissent de illis qui pereunt.

## Lectio 2

[87541] Super Io., cap. 18 l. 2 Postquam Evangelista ostendit promptitudinem Christi ad proditorem sustinendam, seipsum voluntarie proditori offerendo, hic ostendit eum esse promptum ad idem, discipuli resistantiam prohibendo, et primo ponitur resistantis discipuli manifestatio; secundo eius cohibitio, ibi *dixit Iesus Petro* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ponit zelum discipuli in servi percussione; secundo Evangelista inserit servi nuncupationem, ibi *erat autem nomen servo Malchus*. Dicit ergo sic: ministri comprehenderunt Iesum, sed *Simon Petrus*, ceteris discipulis ardentior, *habens gladium eduxit eum, et percussit pontificis servum*, qui erat inter ministros, *et abscidit eius auriculam dexteram*: non ex sua principali intentione, cum eum intenderet occidere, sed ictus quem dirigebat ad caput, relapsus est ad aurem. Ideo enim ictum dirigebat ad caput, ut facilius moneat, quod id faciebat ex zelo domini sui; III Reg. XIX, 10: *zelo zelatus sum pro domino Deo exercituum*. Sed hic incidit duplex quaestio; quia cum dominus mandaverit discipulis, Matth. X, 10, quod nec etiam duas tunicas haberent, quomodo Petrus habebat etiam gladium? Respondeo. Dicendum quod illud praeceptum dedit eis Christus quando misit eos ad praedicandum, et durable erat usque ad tempus passionis: unde Christus in passione revocavit ipsum; Lc. XXII, 35: *quando misi vos sine sacco et pera, numquid aliquid defuit vobis?* Et infra: *sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram; et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium*. Ex hac concessione Petrus intellexerat quod liceret ei portare gladium. Sed unde tam cito potuisset gladium habere, cum praedicta verba dixisset dominus paulo ante? Dicendum, secundum Chrysostomum, quod Petrus iamdiu ante, audiens quod Iudaei Christum tradere deberent principibus sacerdotum ad crucifigendum, timens praeparaverat sibi gladium. Vel dicendum, secundum interlinearem, quod gladius accipitur hic pro cultello quem forte habuerat in mensa ad esum agni, et de coena surgens tulerat secum. Secundo quaeritur, quod cum dominus dixisset eis quod non resisterent malo, Matth. V, 39, quid est, quod Petrus percussit servum principis? Ad quod dicendum, quod dominus prohibuit quod non resisterent alicui ad

defendendum seipsos, non autem ad defendendum dominum. Vel dicendum, quod nondum confirmati erant virtute superveniente ex alto; Lc. ult., 49: *sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Ideo non erant adhuc perfecti, ut omnino malo non resisterent. Hic ponitur nomen servi: et hoc ideo specialiter a Ioanne describitur, quia, sicut infra dicitur, ipse erat notus pontifici: et ideo etiam notitiam ministrorum eius habebat. Unde sciens nomen eius, non tacuit ipsum propter certitudinem facti. Sed Lucas addit, quod dominus sanavit auriculam eius; Lc. XXII, 51. Et hoc mysterio competit. Nam per hunc servum significatur populus Iudaeorum, qui opprimebatur a principibus sacerdotum; Ez. c. XXXIV, 3: *quod crassum erat comedebatis*. Istius ergo servi Petrus princeps apostolorum amputavit auditum: quia male audiebat verba legis, carnaliter scilicet; sed dominus restituit novum auditum; Ps. XVII, 45: *in auditu auris obedivit mihi*. Et secundum hoc congrue vocatur Malchus, idest rex, quia per Christum in novitate vitae efficitur reges; Apoc. V, 10: *fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram*. Hic ponitur Petri cohibitio zeli, et primo ponitur Petri cohibitio; secundo cohibitionis ratio, ibi *calicem quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum?* Dicit ergo, quod Petrus ita eduxit gladium, sed dominus dixit ei *mitte gladium tuum in vaginam*, quasi non esset opus defensionis, sed patientiae, nec ei licitus usus gladii materialis: Ier. XLVII, 6: *usquequo concideris? O mucro domini, usquequo non quiesces?* Mystice autem signatur per hoc, quod gladius verbi Dei mittendus erat in vaginam, idest in fidem gentilium. Et ratio cohibitionis ponitur cum dicit *calicem quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum?* Non enim resistendum his quae ex divina providentia disponuntur; Iob IX, 4: *quis restitit ei, et pacem habuit?* Dicitur autem passio calix, quia ex caritate patientis dulcedinem habet, sed ex natura sua amaritudinem; sicut et medicina sanativa, propter spem sanitatis dulcis est, sed amara propter saporem; Ps. CXIV, 13: *calicem salutaris accipiam, et nomen domini invocabo*. Hunc ergo calicem dedit ei pater, quia passionem ex sua et patris voluntate sponte suscepit; infra XIX, 11: *non haberes in me potestatem, nisi datum esset tibi desuper*.

### Lectio 3

[87542] Super Io., cap. 18 l. 3 Hic ponitur quomodo dominus a ministris captus, principibus praesentatur, et primo quomodo ducitur ad unum principem, scilicet Annam; secundo quomodo ducitur ad alium, scilicet Caipham, ibi *et misit eum Annas ligatum ad Caipham*. Circa primum duo facit. Primo dicit quomodo Annae praesentatur; secundo quomodo ab Anna examinatur, ibi *pontifex ergo interrogavit*. Circa primum duo facit. Primo ponit quomodo ducitur ad Annae domum; secundo quomodo discipuli sequuntur eum, ibi *sequebatur autem Iesum Simon Petrus, et alius discipulus*. Circa primum primo ostenditur quid circa Iesum sit factum; secundo describitur ipse pontifex ad quem ducitur, ibi *erat autem socer Caiphae*. Circa Christum autem tria acta sunt. Primo enim comprehenditur, unde dicit *cohors ergo, idest militum, et tribunus eorum, et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum*, qui incomprehensibilis est; Ier. XXXII, v. 19: *magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu*. Forte enim cogitabant illud Ps. LXX, 11: *Deus dereliquit eum: persequimini et comprehendite eum, quoniam non est qui eripiat*; Thren. IV, 20: *spiritus oris nostri Christus dominus captus est in peccatis nostris*, idest propter peccata nostra, ut scilicet nos liberaret; Is. XLIX, 25: *equidem captivitas a forti tolletur*. Secundo ligatur, unde dicit *et ligaverunt eum*, qui solvere venit ligatos et vincula eorum dirumpere; Ps. CXV, 17: *dirupisti vincula mea* et cetera. Tertio adducitur, unde dicit *et adduxerunt eum ad Annam*, ut eum perderent qui venit omnes ducere in viam salutis; Ps. LX, 4: *deduxisti me, quia factus es spes mea*. Potest autem duplex ratio assignari quare primum ad Annam ducitur. Una scilicet mandatum Caiphae pontificis anni illius, qui scilicet ideo Iesum ad Annam misit, ut excusabilior esset, si ab Anna condemnatum ipse postmodum condemnaret. Alia ratio ex propinquitate domus Annae quae, in via posita, propinquior erat. Et ideo timentes ne si excitaretur tumultus populi, Iesus de manibus eorum eriperetur, declinaverunt illuc. Hic primo describitur pontifex ex affinitate ad Caipham, quia *socer eius erat*; secundo describitur ipse Caiphas, quia *pontifex erat anni illius*. Sciendum est enim, quod secundum legem summus sacerdos per totam vitam officio fungebatur, cui post mortem filius succedebat. Postmodum vero invidia et ambitione principum crescente, non solum patri non succedebat filius, sed nec ultra annum pontificatus fungebatur officio, et hoc ipsum pecunia procurabat, ut Iosephus dicit. Et ideo non est mirum si in anno illius pontificatus tam nequiter acquisiti rem sic nefariam gessit. Describitur etiam ex consilio; unde dixit *erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudaeis*, supra XI, 50, hoc scilicet *quia expedit unum hominem mori pro populo*. Quod ideo Evangelista commemoravit,

ut removeret scandalum de cordibus fidelium, ostendendo et per adversariorum prophetias, quod non propter infirmitatem aut impotentiam suam captus est et mortuus, sed propter populi salutem, ut scilicet non tota gens pereat. Testimonium enim adversarii efficacius est; et talis naturae est veritas quod etiam adversarius eam tacere non potest. Hic ponitur quomodo discipuli associaverunt Christum, et primo ponitur quomodo Petrus cum alio discipulo sequebatur Christum; secundo quomodo introeunt ad locum ubi Christus erat; tertio quomodo negavit. Dicit ergo quantum ad primum *sequebatur autem Iesum Simon Petrus*, ex devotione, quamvis a longe propter timorem, *et alius discipulus*, scilicet Ioannes, cuius nomen ipsemet occultat humilitatis gratia. Datur autem per hoc intelligi quod reliqui discipuli aufugerant relicto Iesu, ut dicitur Matth. XXVI, 56. Mystice autem per hos duos discipulos duae vitae intelliguntur, quae Christum sequuntur, scilicet activa, quae signatur per Petrum, et contemplativa, quae per Ioannem. Et activa quidem sequitur Christum obediendo, supra X, 27: *oves meae vocem meam audiunt*, contemplativa vero cognoscendo et contemplando, Oseae VI, 3: *sciemus sequemurque te*. Sequebantur autem isti duo discipuli, quia plus prae ceteris diligebant Christum: unde primi venerunt ad monumentum, infra XX, 2, et quia eos ad invicem maior vis dilectionis uniebat: unde saepe in Evangelio simul iunguntur; et in Act. Apost. dicitur, quod *miserunt ad illos Petrum et Ioannem*. Et iterum: *Petrus et Ioannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam*. Hic ponitur quomodo Petrus introivit quantum ad ordinem: et primo quomodo Ioannes praecessit; secundo quomodo Petrum introduxit, ibi *exivit ergo discipulus alius* et cetera. Ordo autem fuit talis, quia Ioannes primo intravit cum Iesu. Et huius ratio erat, quia *erat notus pontifici, et Petrus stabat ad ostium atrii foris*. Et licet Ioannes piscator fuisset, et iuvenis vocatus a Christo, erat tamen notus pontifici: vel quia pater Ioannis ei servus erat, vel aliquis ex consanguineis suis. Nec hoc posuit Ioannes propter sui iactantiam, sed propter humilitatem, ne hoc quod primo intravit quam Petrus cum Iesu in atrium pontificis et non Petrus, magis virtuti suae, et maioritati quam notitiae adscribatur. Et ideo dicit *discipulus autem ille*, scilicet Ioannes, *erat notus pontifici*: et ideo intravit cum Iesu in atrium pontificis, ubi Christus erat ductus. *Petrus autem stabat*, quasi praesagiens futuram negationem; Ps. XXX, 13: *qui videbant me, foras fugerunt a me*. Mystice autem Ioannes intrat cum Iesu, quia vita contemplativa est ei familiaris; Sap. VIII, 16: *intrans in domum meam, conquiescam cum illa*. Sed Petrus stat foris, quia activa vita circa exteriora occupatur; Lc. X, v. 39: *Maria sedens secus pedes domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium*. Hic ostenditur quomodo Petrus Ioannis interventu introductus est, quia *ille alius discipulus*, scilicet Ioannes, *erat notus pontifici, et dixit ostiariae*, ut eum introduceret, *et introduxit Petrum*. Per quod mystice datur intelligi quod per contemplativam introducitur ad Christum activa vita: sicut enim ratio inferior dirigitur per superiorem, ita activa per contemplativam; Ps. XLII, 3: *emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua*. Hic ponitur Petri negatio, et primo ponitur motivum negationis, seu occasio; secundo ponitur ipsa negatio, ibi *dicit ille: non sum*; tertio negationis confirmatio, ibi *stabant autem servi et ministri ad prunas*. Occasio autem negationis et motivum fuit Petro ancillae interrogatio; unde dicit *dixit Petro ancilla ostiaria: numquid et tu ex discipulis eius es?* Dicit autem *et tu*, quia sciebat Ioannem Christi esse discipulum, et tamen propter familiaritatem nil dicit ei. Apparet autem in hoc infirmitas Petri pro tempore illo, quia ex debili occasione motus est ad negandum: et hoc ex duobus. Primo ex ipsa persona interrogante, quia non armatus miles, non admirandus pontifex, sed mulier et ancilla ostiaria interrogavit. Secundo ex forma interrogationis, quia non dicit: numquid ex discipulis es proditoris istius? Per quod videbatur magis ex compassione loqui. Unde et ex hoc percipitur quod *verbo domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum*: Ps. XXXII, v. 6, quia qui ad vocem ancillae Christum negavit, postmodum nomen Christi coram principibus sacerdotum confitetur et praedicat; Act. IV, 8 ss. Negatio Petri ponitur cum dicit *dicit ille: non sum*. In quo debemus advertere, secundum Augustinum, non solum ab eo negari Christum qui dicit eum esse Christum, sed ab eo etiam qui negat se esse Christianum. Nil autem aliud isto modo negavit Petrus, quam se esse Christianum. Ideo autem dominus Petrum negare permisit, quia voluit ut ipse, qui praeponendus erat toti Ecclesiae, infirmis et peccantibus magis compateretur, expertus in seipso infirmitatem peccati; Hebr. IV, 15: *non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia absque peccato*: verum est de Christo, sed de Petro potest dici etiam cum peccato. Quidam tamen quamdam inanem gratiam appropriantes Petro, dicunt, quod non timore negavit, sed amore, volens semper esse cum Christo, et sequi continue; noverat enim quod si fateretur se esse de Christi discipulis, fuisset separatus a Christo, et expulsus. Sed hoc non consonat dictis domini: quia non ideo negavit quia noluit a Christo separari, sed quia noluit pro Christo animam ponere. Supra enim cum dixisset, *animam meam pro te ponam*, respondit

Iesus: *animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: non cantabit gallus antequam ter me neges.*  
 Confirmatio negationis ponitur ibi *stabant autem servi et ministri ad prunas (...)* erat autem cum eis et Petrus; quasi ut magis videretur non esse eius discipulus. Nam Petrus ad hoc quod non videretur ex discipulis, posuit se inter ministros et servos stantes ad prunas quia frigus erat, sicut quandoque in aequinoctio hiemali in Martio contingit: in quo Petrus non bene consideravit quod dicitur in Ps. XVII, 26: *cum sancto sanctus eris (...)* et cum perverso perverteris. Ipsum etiam tempus congruit conditioni mentis eius, in qua refriguerat caritas; Matth. c. XXIV, 12: *refrigescet caritas multorum, quoniam abundavit iniquitas. Pontifex ergo interrogavit Iesum, ubi primo ponitur examinatio; secundo Christi responsio, ibi respondit ei Iesus; tertio responsionis reprehensio, ibi haec autem cum dixisset et cetera. Duo autem imponebantur Christo a Iudaeis: scilicet falsa doctrina, et nova; Mc. I, 27: quae est haec nova doctrina? Secundo seditio, et attractio hominum ad se; Lc. XXIII, 5: commovit populum per universam Iudaeam, incipiens a Galilaea usque huc. Et ideo de istis duobus eum examinat. Primo quidem de discipulis eius quos videbat seduxisse; secundo de doctrina eius, quasi notans eam falsitatis. Hic ponitur responsio domini, et primo ponit suae doctrinae modum; secundo requirit aliorum testimonium, ibi quid me interrogas? Circa primum duo facit. Primo doctrinae manifestationem proponit; secundo eam exponit. Dicit ergo ego palam locutus sum mundo. Sed contra. Supra XVI, 25, dicit: venit hora, quando non in proverbiiis, sed palam de patre annuntiabo vobis. Si ergo discipulis nondum palam locutus fuerat, quomodo palam locutus est mundo? Responsio. Dicendum, quod discipulis nondum loquebatur palam, quia excellentes sententias proponebat; mundo autem locutus est palam, quia publice praedicabat. Unde hoc exponit dicens ego semper docui in templo et synagogis. Sed contra. Matth. XVI dicitur, quod discipulis multa seorsum sine parabolis proponebat. Sed ad hoc est triplex responsio. Una, quia quod duodecim discipulis dicebat, non reputabatur in occulto dici. Alia est, quia non proponebat ea discipulis intentione occultandi. Tertio, si fiat vis in verbo, quia dominus hic loquitur de doctrina quam populo tradidit, quam non proposuit eis in conventiculis, sed in locis publicis; Ps. XXXIX, 10: annuntiavi iustitiam tuam in Ecclesia magna; Is. XLV, 19: non fui locutus in abscondito, in loco terrae tenebroso. Et ad hoc exigit aliorum testimonium, dicens quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis: et primo remittit eos ad testimonium aliorum; secundo ostendit quorum testimonium requirat; tertio rationem eorum assignat. Quantum ad primum dicit quid me interrogas? Quasi dicat: per alios potes hoc scire. Et ideo quantum ad secundum subdit interroga eos qui audierunt. Nam, ut Matth. XXII, v. 15 dicitur, miserunt ad Iesum Pharisei, ut caperent eum in sermone: qui tamen contra eum nihil invenire potuerunt. Et ideo remittit eum ad eos. Et rationem huius subdit ecce hi sciunt quid dixerim ego: de quibus possunt testimonium perhibere.*

#### Lectio 4

[87543] Super Io., cap. 18 l. 4 Posita domini responsione hic ponitur responsionis reprehensio, et primo ponitur ministri reprehensio; secundo domini satisfactio, ibi *respondit ei Iesus* et cetera. Minister autem reprehendit responsionem domini, primo quidem facto, quia dedit ei alapam ad improperium; unde dicit *haec cum dixisset*, scilicet Iesus, *unus assistens ministrorum*, scilicet pontificis, *dedit ei alapam*. Quod quidem non casu contigit, sed longe ante et multipliciter fuerat prophetatum; Is. 1, 6: *dedit corpus meum percutientibus, et genas meas vellentibus*; Thren. III, 30: *dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis*; Mich. V, 1: *in virga percutient maxillam iudicis Israel*. Secundo reprehendit verbo, dicens *sic respondes pontifici?* In quo datur intelligi quod Annas pontifex erat et nondum missus erat ad Caipham, unde Lc. III, 2, hos duos pontifices commemorat: *sub principibus*, inquit, *sacerdotum Anna et Caipha*. Sed dicuntur duo pontifices, quia alternis vicibus pontificatum sibi vindicabant; sed illo anno Annas erat princeps sacerdotum. Motus est autem minister ad percutiendum Iesum ex hoc scilicet quia cum audientium eum interpellasset testimonium, supra VII, 32: cum pontifices misissent ministros ut caperent eum, ipsi capti ad verba Iesu redierunt dicentes quia *numquam sic locutus est homo sicut hic homo*. Volens ergo hic se excusare quod non esset de illis, percussit eum. Sed Christum male respondisse pontifici ex hoc coniecit, quia per hoc quod dixit, *quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt*, videbatur notasse pontificem de imprudenti interrogatione, cum tamen scriptum sit Ex. XXII, 28: *principem populi tui ne maledicas*. Consequenter Iesus rationabiliter excusat se, cum dicit *si male locutus sum*, respondens pontifici, *testimonium perhibe de malo*, quasi dicat: si habes ex his quae a me prolata sunt unde me possis reprehendere, ostende quod male dixerim: quia *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum*, Deut. XIX,

15. *Si autem bene*, idest si nequis hoc ostendere, *quid me caedis?* Idest, quid in me furis? Vel hoc potest referri ad hoc quod dixit supra *interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis*, ut sit sensus: *si male locutus sum*, in synagoga et in templo, quod non debui, *testimonium perhibe de malo*, quod dixi coram principe sacerdotum. Sed hoc non potuisset minister ostendere. *Si autem bene*, scilicet docui, *quid me caedis?* Quasi dicat, iniustum est; Ier. XVIII, 20: *numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animae meae?* Sed hic est quaestio, quia Matth. c. V, 39, dominus praecipit discipulis suis: *si quis te percusserit in dexteram maxillam, praebe ei et alteram*. De Christo autem dicitur Act. I, 1: *coepit Iesus facere et docere*. Debuit ergo facere quod docuit. Sed hoc non fecit; immo, quod contrarium videtur, se excusavit. Responsio. Dicendum, secundum Augustinum, quod dicta et praecepta sacrae Scripturae ex factis sanctorum interpretari possunt et intelliguntur, cum idem spiritus sanctus qui inspiravit prophetis et aliis sacrae Scripturae auctoribus, moverit sanctos ad opus. Nam, sicut II Petr. I, 21 dicitur, *spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*; ita Rom. VIII, 14, dicitur: *qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*. Sic sacra Scriptura intelligenda est secundum quod Christus et alii sancti servaverunt. Christus autem non praebuit isti aliam maxillam: nec Paulus, Act. XVI, 22 ss. Unde non est intelligendum quod Christus mandasset quod praeberent maxillam aliam corporalem ad litteram ei qui percutit unam; sed hoc debet intelligi quantum ad praeparationem animi, quod si necesse fuerit, ita debet esse dispositus ut non turbetur animo contra percutientem, sed paratus sit simile et etiam amplius sustinere. Et hoc dominus servavit, qui corpus suum praebuit occisioni. Sic ergo excusatio domini utilis fuit ad nostram instructionem. Hic ostenditur quomodo a pontifice mittitur ad alium pontificem, et primo ponitur Iesu missio; secundo completur Petri negatio, ibi *erat autem Simon Petrus stans et calefaciens se*. Dicit ergo *et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem*, ad quem a principio ducebatur; sed causa quare prius declinaverat illuc, expressa est supra. Sed attende Annae nequitiam: quia cum debuisset eum absolvere, utpote sine culpa existentem, tamen eum ligatum misit. Hic agitur de secunda negatione Petri et tertia, et primo ponitur negationis occasio; secundo Petri duplex negatio, ibi *dixerunt ergo ei* etc.; tertio ponitur signi verborum Christi adimpletio, ibi *et statim gallus cantavit* et cetera. Occasio autem secundae negationis Petri fuit mora cum ministris pontificis stantibus ad ignem. Nam Chrysostomus dicit: recedente Christo ad Caipham, Petrus adhuc cum ministris remansit. Sic enim absorptus erat a peccato post negationem, ut qui prius fervidus erat, iam non videbatur curare de Christo; Ier. VIII, 6: *nullus est qui agat poenitentiam super peccato suo, dicens, quid feci?* Et ideo dicit *erat autem Simon Petrus adhuc stans et calefaciens se*; quamvis Christus recesserit inde, immemor eius quod dicitur in Ps. I: *beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*. Sed haec expositio stare non potest: quia sic sequeretur quod secunda et tertia negatio facta fuisset in absentia Christi; quod est contra illud quod dicitur Lc. XXII, 61, quod post tertiam negationem Petri conversus dominus respexit Petrum. Et ideo Augustinus aliter exponens, dicit quod Evangelista loquitur per recapitulationem more suo, ut ostendat continuationem et ordinem rei. Dixerat enim supra quod *stabant servi et ministri ad prunas, quia frigus erat et calefaciebant se*, et, *Petrus erat cum eis stans, et calefaciens se*, et postea interposuit de examinatione Christi a pontifice; et postmodum, ut continuet seriem, resumit quasi eadem verba dicens *erat autem Simon Petrus stans*, ante scilicet quam Christus mitteretur ad Caipham. Deinde ponitur duplex negatio Petri, cum dicit *dixerunt ergo ei: numquid et tu ex discipulis eius es?* Et circa utrumque ponuntur duo, scilicet negationis occasio, idest interrogatio, et ipsa negatio. Sed hic occurrit duplex quaestio litteralis. Nam Matth. XXVI, 71, loquens de secunda negatione dicit: *exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi: et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negavit cum iuramento*. Et sic videtur hic duplex contrarietas. Quia Ioannes dixit Petrum negasse eo stante ad focum, Matthaeus autem eo exeunte domum. Alia contrarietas est: quia secundum Matthaeum interrogatur ab alia ancilla, secundum Ioannem ab aliis, scilicet multis, unde dicit *dixerunt ergo ei: numquid et tu ex discipulis eius es?* Item etiam secundum Lucam solum ab una interrogatur, unde Lc. c. XXII, 59, dicitur: *et intervallo facto quasi horae unius alius quidam affirmabat, dicens: vere et hic cum illo erat*. Responsio. Dicendum, quod quando Petrus primo negavit, surrexit et exivit ianuam, et eo exeunte alia ancilla interrogavit eum. Vel dixit aliis, quia de illis erat, sicut refert Matthaeus. Et sic negavit secundo. Et postmodum rediit Petrus ut excusaret se de hoc etiam, et sedit cum aliis; quo sedente ibi, alii qui audierunt ab ancilla, iterum interrogaverunt eum, ut dicit Matthaeus. Vel unus primo, ut dicitur hic et postea alii multi. Et sic negavit tertio. Unde subditur de tertia negatione: *dixit unus ex servis pontificis cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam*. Iste tertius testimonium perhibuit, quia de visu unde dicit *nonne ego te vidi in horto cum illo?* Iterum ergo Petrus, facto intervallo horae unius, negavit, tertio. Nec refert si alii Evangelistae dicunt tertiam interrogationem factam a pluribus, Ioannes



vero factam ab uno. Potuit enim fieri ut iste, qui magis certus erat, interrogaret, et alios ad interrogandum incitaret. Multa enim circa haec verba dicta sunt a circumstantibus, quorum unum commemorat Evangelista unus, et alius aliud, cum non esset eorum principalis intentio ad hoc, sed ad commemorandum verba Petri, et ostendendum veritatem eius quod dominus dixerat Petro; unde in verbis Petri omnes conveniunt; Num. XXIV, 13: *quidquid dominus dixerit, haec loquar*. Consequenter agit de signo commemorationis Christi: unde dicit *et statim gallus cantavit*, motus virtute divina, ut medici esset completa praedictio, et aegroti convicta praesumptio.

## Lectio 5

[87544] Super Io., cap. 18 l. 5 Hic agitur de assignatione Christi gentilibus, et primo dicit Evangelista quomodo assignatur praesidi; secundo causa eius a praeside examinatur, ibi *et dixit: quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Tertio quomodo eius innocentia declaratur, ibi *et haec cum dixisset, iterum exivit*. Circa primum tria facit. Primo describit assignationis locum; secundo tempus; tertio modum. Locus quidem, quia *in praetorium*: unde dicit *adducunt autem Iesum ad Caipham in praetorium*, quod est locus iudicii. Unde et in exercitu ubi erat tabernaculum principis consuevit praetorium appellari; unde hic domus praesidis praetorium appellatur. Sed quomodo ducitur ad Caipham in praetorium? Ad quod dicendum, quod potest dici, quod Caiphas praevenerat in domum Pilati, ut eum informaret de facto Iesu sibi praesentandi: unde eo exeunte cum Pilato in praetorium, assignatus est ei Iesus. Vel potest dici, quod cum Caiphas esset princeps sacerdotum, habebat spatiosas domos, ita quod in aliqua parte earum etiam praeses hospitaretur: et sic est sensus: *adducunt Iesum ad Caipham*, scilicet ad domum eius, et hoc *in praetorium*. Vel dicendum, quod melius in Graeco habetur: *adducunt Iesum a Caipha in praetorium*: et sic tollitur omnis dubitatio. Tempus describitur: *erat autem mane*, nam tanta erat eorum nequitia, ut nulla interponeretur mora quin occidendum traderent Pilato. Mich. II, 1: *vae qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum*; Job c. XXIV, 14: *mane primo surgit homicida, interficit egenum et pauperem*. Sed ex hoc quaestio gravis insurgit. Nam tres alii Evangelistae dicunt, quod circa principium noctis dominus fuit flagellatus in domo Caiphae, et examinatus ab eo, cum dixit: *dic nobis si tu es Christus*: et summo mane ductus est ad Pilatum. Ioannes vero dicit, quod ductus est ad Caipham. Ad quod dicendum, quod si volumus salvare litteram nostram, quod Caiphas primo vidit eum cum esset in domo Annae de nocte, et tunc potuit examinari ab eo. Sed adhuc dubium remanet de hoc quod dicunt, quod fuit flagellatus in domo Caiphae. Quod totum solvitur secundum illud quod habetur in Graeco, scilicet quod *ducunt eum a Caipha in praetorium*, quia secundum hoc a domo Annae fuit de nocte adductus ad domum Caiphae, ubi flagellatus et examinatus fuit, et de mane fuit a Caipha ductus in praetorium. *Ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Ubi primo designatur eorum vana superstitio, quia non introierunt in praetorium; secundo Pilati ad eos reverentia, quia exivit eis obviam. Sed hoc quod dicit quantum ad primum, quod non introierunt ut non contaminarentur, habet dubitationem. Dicunt enim alii Evangelistae, quod Christus captus fuit in sero in die coenae: et tunc erat Pascha, Lc. c. XXII, 15: *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*. Et de mane in crastino fuit ductus ad praetorium. Quomodo ergo *ut manducarent Pascha*, cum esset in crastino Paschae? Sed ad hoc quidam moderni Graeci dicunt, quod hoc factum fuit decima quarta luna, et crucifixus eo die quo Iudaei celebrabant Pascha, dicentes, quod Christus una die praevenit Pascha, sciens sibi imminere occisionem in Pascha Iudaeorum, unde celebravit Pascha decimatertia luna ad vesperam. Et hoc dicunt, quia in lege praeceptum est, quod a quartadecima luna primi mensis usque ad vigesimum primum diem mensis, non inveniatur fermentatum apud Iudaeos. Unde dicunt, quod Christus consecravit de fermentato corpus suum. Sed hoc stare non potest propter duo. Primo quia numquam invenitur in veteri testamento quod alicui liceret praevenire celebrationem Paschae; sed si haberet impedimentum, liceret differre usque ad alium mensem. Num. IX, 10: *homo qui fuerit immundus super anima, aut in via procul in gente vestra, faciat phase domino, mense secundo, quartadecima die mensis ad vesperam*. Cum ergo Christus nil praetermiserit de observantiis legis, falsum dicunt, eum Pascha praevenisse. Secundo, quia Mc. XIV, 12; expresse habetur, quod Christus venit die azymorum quando necesse erat occidi Pascha; et Matthaeus dicit quod *primo die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Non ergo dicendum est quod Christus praevenit Pascha. Et ideo Chrysostomus aliter dicit scilicet quod Christus legem per omnia implens, suo tempore Pascha celebravit, scilicet quartadecima luna ad vesperam; sed Iudaei sic intenti erant ad Christi occisionem quod non celebraverunt Pascha die suo: sed in

sequenti die, scilicet luna decimaquinta. Unde de hoc dicit *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, quod praecedenti die omiserunt. Sed nec hoc stare potest, quia Num. IX, v. 10 s., dicitur quod si quis propter impedimenta non potest celebrare Pascha decimaquarta luna primi mensis, celebrat illud non sequenti die, sed luna decimaquarta mensis secundi. Et ideo dicendum est, secundum Hieronymum et Augustinum et alios doctores Latinos, quod decimaquarta luna est principium solemnitatis; sed Pascha non dicitur solum vespera, sed totum tempus septem dierum: per quod comedebant azyma, quae debebant manducari a mundis. Unde quia Iudaei alieni iudicis praetorio immunditiam contrahebant; ideo non introierunt in praetorium *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, idest panes azymorum. Sed attende impiam caecitatem, quia timebant contaminari de homine gentili; sed sanguinem Dei et hominis effundere non timebant. Is. XLIX, 17: *venerunt structores tui; destruentes te, et dissipantes a te exibunt*. Consequenter ponitur Pilati ad eos reverentia, cum dicit *exivit ergo Pilatus ad eos foras*, et tunc Christum ab eis oblatum suscepit *et dixit: quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Ubi ponitur Christi examinatio, et primo quomodo examinatur a Pilato coram accusatoribus; secundo quomodo a se, ibi *introivit ergo* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ponit Pilati examinationem; secundo liberalem eius concessionem, ibi *accipite eum vos* et cetera. Circa primum, primo ponitur eius examinatio; secundo malitiosa Iudaeorum responsio. Pilatus ergo videns eum ligatum, et a tot ductum ad damnandum dicit *quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt, et dixerunt ei: si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*; quasi dicerent: nos examinavimus eum, et iam condemnatum tradidimus eum tibi iam puniendum, quasi Pilato sufficeret eorum iudicium. Sed falsum dicunt, dicentes eum esse malefactorem, quia, ut dicitur Actor. X, 38: *pertransit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a Diabolo*. Sed faciunt secundum illud Ps. XXXIV, 12, *retribuebant mihi mala pro bonis*. Sed contra hoc est quod dicitur Lc. XXIII, 5, quod imponebant Christo multa crimina, unde dicebant *commovit populum per universam Iudaeam, incipiens a Galilaea usque huc*: hic autem nullum. Respondeo. Dicendum, quod multa verba dixerunt Iudaei tunc Pilato, ut Augustinus dicit, sed potuit esse quod primo hoc quod hic ostendit Ioannes, et postea fuit quod dicit Lucas. Consequenter ponitur liberalis concessio Pilati, cum dicit *accipite eum vos*, et primo ponitur Pilati concessio; secundo Iudaeorum recusatio, ibi *dixerunt ergo ei Iudaei*; tertio recusationis ratio, ibi *ut sermo Iesu impleretur*. Dicit ergo *accipite eum vos* volens eis praestare gratiam. Sic et Felix dixit Paulo: *si velis iudicari apud Iudaeos*, Act. c. XXIV. Vel hoc dixit arguens eos: nam ipsi examinaverant, et condemnaverant: unde volebat quod qui condemnaverant eum malefactorem, darent sententiam: quia, ut dicitur Act. XXV, 16: *non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda peccata*. Et sic est sensus: nostrum iudicium petitis; sed *vos eum accipite et damnate secundum legem vestram*: ego autem nequaquam talis iudex efficiar. Sed Iudaeorum recusatio ponitur consequenter, ibi *dixerunt ergo ei Iudaei: nobis non licet interficere quemquam*. Sed contra. Ex. XXII, 18 dicitur: *maleficos non patieris vivere*. Iesum autem maleficum reputabant. Sed, secundum Augustinum, dicunt *nobis non licet interficere quemquam*, in die festo, alio autem tempore sic. Vel, secundum Chrysostomum, Iudaei amiserunt multum de potestate: quia iudicium de peccato contra rempublicam non pertinebat ad eos, ipsi autem potissime intendebant condemnare eum de hoc quod erat contra rempublicam; infra XIX, v. 12: *omnis qui se regem facit contradicit Caesari*. Unde dicunt *nobis non licet interficere quemquam*, scilicet qui facit contra rempublicam; quamvis liceret pro aliquo peccato legis, cuius iudicium reservatum eis erat. Vel aliter dicendum, quod aliquid non licet alicui, vel quia est divina lege prohibitum; et hoc modo non erat eis prohibitum: vel quia prohibitum erat eis lege humana; et hoc modo non licebat eis interficere quemquam, quia iam residebat haec potestas apud praesidem. Sed tunc remanet quaestio: quia lapidaverunt Stephanum, Actor. VII, 58. Sed ad hoc respondet Chrysostomus, quod Iudaeis concessum erat a Romanis quod uterentur legibus suis: unde quia poena lapidationis erat inflictata per legem, ideo concessa erat eis a Romanis. Sed mors crucis in lege exprobrabilis erat; Deut. XXI, 23: *maledictus omnis qui pependit in ligno*. Et ideo hoc genus mortis non erat eis servatum. Iudaei autem ex sua malitia non erant contenti si Christum lapidarent; sed volebant eum morte turpissima condemnare, ut dicitur Sap. II, v. 20. Et ideo nunc dicunt *non licet nobis interficere quemquam*, scilicet morte crucis. Vel dicendum, quod Stephanus fuit lapidatus in magistratus mutatione: et tunc multa illicita usurpantur, quae non fierent in processu temporis. Ratio recusationis subditur cum dicit *ut sermo Iesu impleretur*: ut *ly ut* non referatur ad intentionem Iudaeorum, sed ad dispositionem divinae providentiae. Iesus enim dixit, Matth. XX, 19, quod occidendus erat a gentibus, et

crucifigendus, traditus tamen a Iudaeis. Et ideo ut istud impleretur, ipsi noluerunt eum iudicare et occidere.

## Lectio 6

[87545] Super Io., cap. 18 l. 6 Supra posita est examinatio qua Pilatus examinavit Christum coram accusatoribus hic autem ponit Evangelista quomodo Pilatus examinavit Christum apud seipsum, et primo Evangelista agit de interrogatione Pilati examinantis; secundo de responsione Christi examinati, ibi *respondit Iesus: regnum meum non est de hoc mundo*. Circa primum duo facit. Primo proponit Pilati interrogationem; secundo interrogationis causam, seu examinationem, ibi *respondit Iesus: a temetipso hoc dicis?* Circa primum sciendum, quod Pilatus ut iustus iudex, et omnia exquisite tractans, non statim acquievit accusationi pontificis. Ex. XXIII, 2: *non sequeris turbam ad faciendum malum nec in iudicio plurimorum acquiesces sententia, ut a vero devies. Sed introivit iterum in praetorium et vocavit Iesum*, scilicet seorsum, eo quod magnam de eo habebat suspicionem. Ideo autem Christum ad se vocavit, ut exquisitius omnia rimaretur, et Christus quietius responderet, amoto strepitu Iudaeorum. Job XXIX, 16: *causam quam ignorabam, diligentissime investigabam*. Et tunc dixit ei *tu es rex Iudaeorum?* Ex quo patet, ut Lucas refert c. XXIII, 2 quod Iudaei hoc crimen ei imposuerunt; licet Ioannes dicat tantum *si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*, et multa alia crimina ei obiecerunt. Sed hoc magis tetigit cor Pilati, et ideo de hoc solo eum interrogat. Matth. XII, v. 34: *ex abundantia cordis os loquitur*. Consequenter cum dicit *respondit Iesus* etc. ponitur interrogationis examinatio, et primo ponitur Christi interrogatio; secundo Pilati responsio, ibi *numquid ego Iudaeus sum?* Dixit ergo *respondit Iesus*, versa vice interrogando, *a temetipso hoc dicis?* Ubi sciendum est, quod duplici ex causa homo interrogat. Quandoque ut sciat rem quam prius ignorabat, et sic discipulus interrogat magistrum; quandoque interrogat de re scita, ut sciat responsionem de quo interrogat, et sic magister interrogat discipulum. Sed dominus sciebat et id de quo ipse interrogabat, et illud quod responsurus erat; et ideo non interrogabat quasi ignorans, quia *omnia nuda et aperta sunt oculis eius*, Hebr. c. IV, 13, sed interrogat ut sciamus quam opinionem habebant Iudaei et gentiles, ac simul de illo regno instruamur. Consequenter cum dicit *respondit Pilatus* etc., ponitur responsio Pilati. Sed quare sic respondet? Ideo scilicet quia dominus quaesivit ab eo an a semetipso hoc dixisset. Et ideo Pilatus ostendit quod non pertinebat ad eum quaerere an esset rex Iudaeorum, sed potius ad Iudaeos, quorum se regem dicebat; dans per hoc intelligere quod ab aliis hoc sibi dicebatur. Et ideo subdit *gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi*, hanc scilicet accusationem adversum te dicentes. Et dicit *gens tua*, quia ex Iudaeis, secundum hominem, natus erat. Ier. XX, 10: *audivi enim contumelias multorum et terrores in circuitu: persequimini eum, ab omnibus viris qui erant pacifici mei*; Michaeae VII, 6: *inimici hominis, domestici eius*. Et dicitur *pontifices*, quia quanto maiores erant in potestate, tanto potiores in crimine. I Esdrae c. IX, 2: *manus principum et magistratum fuit in transgressionem hac prima*; Ier. V, 5: *ibo ad optimates, et loquar eis: ipsi enim cognoverunt vias domini, et iudicium Dei sui: et ecce magis hi confregerunt iugum, ruperunt vincula*. Si ergo ipsi tradiderunt te mihi, *quid fecisti?* Quasi dicat: non est credendum quod tradidissent te mihi nisi pro magna causa. Hic ponitur responsio Christi, et primo removet suspicionis de regno suo falsitatem; secundo astruit veritatem, ibi *dixit itaque ei Pilatus: ergo rex es tu?* Circa primum duo facit. Primo excludit falsam suspicionem; secundo adhibet signi probationem, ibi *si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudaeis*. Falsam suspicionem removet, dicens *regnum meum non est de hoc mundo*. Quod male intelligentes Manichaei, dicebant esse duos deos et duo regna; scilicet Deum bonum, qui habet regnum suum in regione lucis; et Deum malum, qui habet regnum suum in regione tenebrarum; et hanc dicebant esse hunc mundum, quia omnia corporalia dicebant esse tenebras. Et secundum hoc sensus est: *regnum meum non est de hoc mundo*, quasi dicat: dominus pater, qui bonus est, et ego non habemus regnum in regione tenebrarum. Sed contra hoc est quod dicitur in Ps. XLVI, 8: *quoniam rex omnis terrae Deus*. Et iterum: *omnia quaecumque voluit dominus fecit in caelo et in terra*. Et ideo dicendum, quod hoc dixit Christus propter Pilatum, qui credebatur Christum affectare regnum terrenum, quo corporaliter, sicut et homines terreni, regnaret; et per hoc esset morte plectendus, quod illicitum affectaverit regnum. Sciendum est autem, quod regnum quandoque dicitur ille populus qui regnat, quandoque ipsa regia potestas. Primo ergo modo accipiendo regnum exponit Augustinus, et dicit *regnum meum*, id est fideles mei, Apoc. V, 10: *fecisti nos Deo nostro regnum, non est de hoc mundo*. Non dicit: non est in hoc mundo; supra XVII, 11: *et hi in mundo sunt, sed non est de hoc mundo*, per affectum et imitationem, ereptus quidem per gratiae electionem. Sic enim nos Deus eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum caritatis

suae. Chrysostomus autem exponit accipiendo regnum secundo modo, et dicit: *regnum meum*, idest potestas mea et auctoritas qua rex sum, *non est de hoc mundo* idest, non habet originem ex causis mundanis et electione hominum, sed aliunde, scilicet ab ipso patre. Dan. VII, 14: *potestas eius, potestas aeterna quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur*. Hic adhibet signa evidentia ad probandum quod regnum eius non est de hoc mundo, et primo ponit signum; secundo concludit intentum, ibi *nunc autem regnum meum non est hinc*. Circa primum sciendum est, quod qui habet regnum terrenum, sive iuste sive violenter, oportet quod habeat socios et ministros, per quos in potestate fulciatur. Cuius ratio est, quia non est potens per seipsum, sed per ministros suos. II Reg. III, 1: *facta est longa concertatio inter domum Saul et inter domum David: David proficiscens et semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie*. Sed rex supernus, quia potens est per seipsum, servis suis potentiam tribuit; ideo non indiget ad regnum suum ministris. Et ideo dicit, quod regnum suum non est de hoc mundo: quia *si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri utique mei decertarent, ut non traderer Iudaeis*. Unde et Petrus volens decertare pro Christo, non advertebat se de hoc mundo non esse: supra eodem. Habebat tamen dominus alios ministros, scilicet Angelos, qui potuissent eum eripere de manibus Iudaeorum; sed dominus eripi noluit. Matth. XXVI, v. 53: *an non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? Nunc autem regnum meum non est hinc*. Scilicet, quia non quaerit tales ministros, concludit quod *regnum suum non est hinc*, idest, non habet principium de hoc mundo; est tamen hic, quia ubique est: *attingit enim a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*: Sap. VIII, 1; Ps. II, v. 8: *postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae*; Dan. VII, 14: *dedit potestatem et honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguae servient ei*. Hic dominus manifestat veritatem de regno suo quod sit, et primo ponitur manifestationis occasio; secundo ipsa manifestatio, ibi *respondit ei Iesus* etc.; tertio manifestationis effectus, ibi *dixit ei Pilatus, quid est veritas?* Circa primum sciendum, quod Pilatus ex supradictis verbis domini intelligens quod regnum quasi carnale et longinquum esset de partibus illis I Cor. II, 14: *animalis homo non percepit ea quae sunt spiritus Dei* anhelavit ad veritatem sciendam; et ideo inquit dicens *ergo rex es tu?* Scilicet et dominus. Consequenter respondens dicit *tu dicis quia rex sum ego*, ubi primo se esse confitetur regem; secundo sui regni ostendit rationem, ibi *ego in hoc natus sum (...) ut testimonium perhibeam veritati*; tertio insinuat supra quos regnat, ibi *omnis qui est ex veritate, audit vocem meam*. Circa primum sciendum est, quod dominus ad quaestionem respondens de regno, ita responsionem suam temperavit ut nec manifeste confiteretur se esse regem, cum rex non esset eo modo quo Pilatus intelligebat; nec negaret, cum spiritualiter esset rex regum. Dicit ergo *tu dicis quia rex sum ego*, scilicet carnaliter secundum quem modum rex non sum, sed alio modo rex sum ego; Is. XXXII, 1: *ecce in iustitia regnabit rex, principes in iudicio praeerunt*. Modum autem et rationem regni sui ostendit dicens *ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*; quod dupliciter exponitur. Uno modo, secundum Augustinum, ut regnum Christi sint fideles sicut dictum est supra: et sic Christus super fideles regnat; et ad hoc venit in mundum ut congregans sibi fideles, regnum sibi acquirat. Lc. XIX, 12: *homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum*. Et sic est sensus: *ego in hoc*, idest ad hoc, *natus sum*, nativitate scilicet carnali. Et hoc exponit dicens *et ad hoc veni in mundum*, carnaliter nascendo; sic enim venit in mundum, Gal. IV, v. 4: *misit Deus filium suum in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*, scilicet mihi, qui sum veritas, supra XIV, 6. *Et si testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum*, supra VIII, 14. Et in quantum manifesto me veritatem, intantum regnum mihi paro. Hoc enim non potest fieri nisi per manifestationem veritatis, quam manifestationem non decebat fieri nisi per me, qui sum lux. Supra I, 18: *unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarravit*. Hebr. II, 3: *quae cum initium accepisset enarrandi per dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus et spiritus sancti distributionibus*. Alio modo exponit Chrysostomus sic: tu quaeris si rex ego sum, et ego dico quod sic: sed potestate divina, quia *in hoc natus sum*, nativitate aeterna a patre, sicut Deus ex Deo, ita rex ex rege; Ps. II, 6: *ego autem constitutus sum rex*, et subdit: *ego hodie genui te*. Sed quod addit *et ad hoc veni in mundum*, non ponitur expositive, sed intelligitur de nativitate temporali; quasi diceret: etsi sum rex aeternus, tamen ad hoc veni in mundum, *ut testimonium perhibeam veritati*; mihi scilicet quod sum rex a Deo patre. Hic ostendit super quos regnet. Ubi notandum quod supra X, 1, dixit se pastorem, et subditos dixit oves, quod idem est quod hic dicit se regem et subditos regnum: quia eadem est proportio regis ad subditos et pastoris ad oves: et sicut pastor pascit oves, Ez. XXXIV, 2: *nonne greges pascuntur a pastoribus*, ita et rex sustentat subditos. Et specialiter inter alia dixit *oves meae vocem meam audiunt*: unde et hic dicit *qui est ex veritate, audit vocem*

*meam*, non solum exterius, sed credendo interius et amando ac opere implendo; supra VI, 45: *omnis qui audivit a patre et didicit venit ad me*. Sed unde hoc homini ut audiat vocem meam? Inde scilicet quia *est ex veritate*, quae est Deus. Sed cum omnes sint ex Deo, omnes sunt ex veritate et audiunt vocem eius. Respondeo. Dicendum, quod aliqui sunt ex Deo per creationem, et sic omnes sunt a Deo. Dicuntur etiam aliqui esse a Deo per affectum et imitationem; unde supra VIII, 47 dicitur: *ex Deo non estis*, scilicet secundum affectum, sed per creationem estis: ille ergo audit vocem credendo et amando, *qui*, scilicet, *est ex veritate*, idest, qui accepit hoc munus ut veritatem amet. Sed attende, quod non dicit: omnis qui audit vocem, est ex veritate, quia sequeretur quod ideo essemus ex veritate quia credimus: cum tamen ideo credamus quia sumus ex veritate, inquantum scilicet accepimus donum Dei per quod credimus et amamus veritatem. Eph. II, 8: *gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est*; Phil. I, 29: *vobis datum est non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*. Ponit responsionis effectum, in quo datur intelligi quod Pilatus propulsa suspicione regni terreni, ac intelligens Christum regem esse in doctrina veritatis, cupit veritatem scire, ac effici de regno eius; unde dicit *quid est veritas?* Non quaerens quae sit definitio veritatis, sed quid esset veritas cuius virtute de regno eius efficeretur: dans per hoc intelligere, quod veritas mundo incognita erat, et fere ab omnibus evanuerat, dum increduli essent. Is. LIX, 14: *corruit veritas in plateis, et aequitas non potuit ingredi*; Ps. XI, 2: *diminutae sunt veritates a filiis hominum*. Sed Pilatus responsionem non expectavit. Et ideo quantum ad hanc quaestionem sciendum est, quod duplicem veritatem invenimus in Evangelio: unam increatam et facientem; et haec est Christus, supra c. XIV, 6: *ego sum via, veritas et vita*, aliam factam, supra I, 17: *gratia et veritas per Iesum Christum facta est*. Veritas enim de sui ratione importat commensurationem rei ad intellectum. Intellectus autem dupliciter comparatur ad res. Quia quidam ut mensura rerum existens, ille scilicet qui est causa rerum; quidam autem mensuratus a re, ille scilicet cuius cognitio causatur a re. Non igitur est veritas in intellectu divino quia ipse adaequatur rebus, sed quia res ipsi divino intellectui adaequantur. Sed in intellectu nostro ideo est veritas, quia ita intelligit res ut res se habent. Et sic veritas increata et intellectus divinus est veritas non mensurata nec facta, sed veritas mensurans et faciens duplicem veritatem; unam scilicet in ipsis rebus, inquantum facit eas secundum quod sunt in intellectu divino; et aliam quam facit in animabus nostris, quae est veritas mensurata tantum et non mensurans. Et inde est quod veritas increata intellectus divini appropriatur filio, qui est ipsa conceptio divini intellectus et Dei verbum. Veritas enim conceptionem intellectus consequitur. Deinde cum dicit *et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Iudaeos*, agit de sententia Pilati in Christum, et primo declarat eius innocentiam; secundo intentat impendere misericordiam, ibi *est autem consuetudo ut unum dimittam vobis in Pascha*. Sciendum est autem circa primum, quod Pilatus, ut dicit Augustinus, volebat libenter Christum liberare, et dum quaesivisset a Christo *quid est veritas?* Subito venit illi in mentem quomodo per quandam consuetudinem Christum liberare poterat qua solet eis dimitti unus in Pascha: et ideo responsionem non expectans totaliter, contulit se ad hoc procurandum, et ideo dicit *et cum hoc dixisset*. Audiebat Iudaeorum tumultum, et credens se illum posse compescere et postmodum quietius difficilis quaestionis responsionem audire, *iterum exivit ad Iudaeos*, et proponens Christi innocentiam, dixit eis: *ego nullam invenio in eo causam*, scilicet mortis. I Petr. II, 22: *qui peccatum non fecit*. Et tamen si esset aliqua in eo, ego apud quem residet potestas, et praecipue iudicandi de his quae contra regem fiunt, volo eum liberare et absolvere. Unde dicit *est autem consuetudo ut unum dimittam vobis in Pascha*. Ubi primo offert Christi absolutionem; secundo ponit Evangelista Iudaeorum responsionem. Sciendum est autem, quod hanc consuetudinem introduxit Pilatus, vel alii praesides Romanorum, ob favorem populi. Et ideo secundum hanc consuetudinem volens eum dimittere, dicit *vultis ergo dimittam vobis regem Iudaeorum?* Non dicit hoc quasi invenerit eum culpabilem de regno Iudaeorum, sed ut exaggeraret ipsorum malitiam; quasi dicat: etsi sit rex Iudaeorum, quod ad vos iudicare non pertinet, sed ad me, tamen, si vultis, dimittam eum vobis. Sed ipsi Iudaei *clamaverunt rursus omnes dicentes: non hunc, sed Barabbam*. Et ut Iudaeorum malitiam ostendat, statim subdit eius, quem liberari petebant, crimen, dicens *erat autem Barabbas latro*. Is. I, 23: *principes tui infideles, socii furum*. In hoc impletur illud Ier. XII, 8: *facta est mihi haereditas mea quasi leo in silva*; Act. III, 14: *iustum et sanctum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis*.

[87546] Super Io., cap. 19 l. 1. 1 Supra prosecutus est Evangelista de his quae Christus passus est a Iudaeis; hic prosequitur de his quae specialiter passus est a gentilibus: a quibus quidem tria passus est, secundum quod ipse praedixerat, Matth. XX, 18 s., et Lc. XVIII, v. 32: *tradetur enim gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum* et cetera. Primo ergo Evangelista agit de Christi flagellatione; secundo de eius illusione, ibi *et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius*; tertio de eius crucifixione, ibi *exivit iterum Pilatus* et cetera. Dicit ergo *tunc ergo*, idest post clamorem omnium, *apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit*, non quidem propriis manibus, sed per milites: et hoc ideo ut Iudaei satiati eius iniuriis, mitigarentur et usque ad eius mortem saevire desisterent. Naturale est enim ut ira quiescat, si videat eum contra quem irascitur, humiliatum et punitum, ut dicit philosophus in rhetorica. Quod quidem verum est in ira quae quaerit nocumentum proximi cum mensura, sed non in odio, quod totaliter quaerit exitium eius qui habetur odio. Eccli. XII, 16: *inimicus si invenerit tempus, non satiabitur sanguine*. Isti autem ex odio movebantur ad Christum, et ideo flagellatio non sufficiebat. Ps. LXXII, 14: *fui flagellatus tota die*; Is. 1, 6: *dedi corpus meum percutientibus*. Sed numquid haec intentio Pilatum excusat a flagellatione? Non quidem, quia in omnibus quae sunt per se mala, nullum eorum potest fieri totaliter bonum per bonam intentionem: affligere autem innocentem, et praecipue Dei filium, est maxime per se malum; et ideo nulla intentione excusari potest. Hic agitur de illusione, et primo quantum ad falsos honores quos ei exhibuerunt; secundo quantum ad vera opprobria quae ei intulerunt, ibi *et dabant ei alapas* et cetera. Exhibebant autem ei falsos honores, vocantes eum regem: per quod alludebant accusationi Iudaeorum, qui dicebant quod ipse faciebat se regem Iudaeorum. Et ideo triplicem honorem regis sibi exhibebant, sed falsum. Primo quidem quantum ad illusoriam coronam; secundo quantum ad illusoriam vestem; tertio quantum ad illusoriam salutationem. Illudunt ergo ei quantum ad coronam, quia reges consueverunt auro coronari; Eccli. XLV, 14: *corona aurea super caput eius*. Unde et de eo in Ps. XX, 4 dicitur: *posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso*. Sed *milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt super caput eius*, illius scilicet qui suis est corona gloriae. Is. XXVIII, 5: *in die illa erit dominus exercituum corona gloriae et sceptrum exaltationis residuo populi sui*. Et convenienter de spinis: quia per eas removit spinas peccatorum, quae pungunt remorsu conscientiae: Ier. IV, 3: *novate vobis novale, et nolite serere super spinas*: et spinas poenalitatum quae affligunt; Gen. III, 18: *spinas et tribulos germinabit tibi* et cetera. Sed numquid hoc factum est mandato praesidis? Chrysostomus dicit, quod non; sed milites pecunia corrupti hoc ad gratiam Iudaicam faciebant. Augustinus autem dicit hoc esse factum mandato vel permissione praesidis, ut scilicet magis Iudaeorum odia saturarentur, et facilius eum eriperet. Secundo illudunt ei quantum ad vestem, unde sequitur *et veste purpurea circumdederunt eum*, quae erat indicium regiae dignitatis apud Romanos. Unde I Mach. VIII, v. 14, dicitur, quod tempore illo quando Romani consules dominabantur, corona aut purpura utebantur. Per hoc autem quod purpura circumdederunt eum, impletur illud Is. c. LXIII, 2: *quare ergo rubrum est vestimentum tuum; et vestimenta tua sicut calcantium in torculari*? Simul autem et per hoc significatur passio martyrum, qua totum corpus Christi, idest Ecclesia, rubricatur. Tertio illudunt ei quantum ad salutationem; unde venientes ad eum dicebant *ave, rex Iudaeorum*. Consuetudo autem tunc erat, sicut et modo est, ut homines euntes ad regem, eum salutarent. II Reg. XVI, v. 16: *Chusi vadens ad Absalonem, dixit: salve, rex, salve rex*. Mystice autem illi illusorie Christum salutant qui eum confitentur ore, *factis autem negant*, Tit. I, 16. Matth. VII, 21: *non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum caelorum*. Consequenter opprobria quae ei intulerunt dicit *et dabant ei alapas*: et hoc ideo, ut ipso opere ostenderent illusorium esse quod ei talem honorem exhibebant. Is. c. 1, 6: *genas meas dedi vellentibus*; Mich. c. V, 1: *percusserunt maxillam principis Israel*.

## Lectio 2

[87547] Super Io., cap. 19 l. 2. Hic agit Evangelista de Christi crucifixione, et primo ponit ipsam crucifixionem; secundo addit de eius morte, ibi *postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt* etc.; tertio de sepultura, ibi *post haec rogavit Pilatum Ioseph ab Arimathaea* et cetera. Circa crucifixionem primo ponit Pilati et Iudaeorum disceptationem; secundo Christi condemnationem, ibi *Pilatus autem cum hoc audisset, magis timuit*; tertio ponit sententiae executionem, ibi *susceperunt autem Iesum*. Disceptabat autem Pilatus cum Iudaeis, volens liberare Christum. Et ideo primo ponit quomodo nititur eum liberare ipsum Iudaeis ostendendo; secundo eius innocentiam allegando, ibi *dixit eis Pilatus: accipite eum vos* et cetera. Circa primum duo facit. Primo ponit demonstrationem; secundo demonstrationis effectum, ibi *cum ergo vidissent eum pontifices* et cetera. Circa

primum tria ponuntur. Primo Pilati demonstrantis intentio, quae erat eum liberare; unde dicit *exivit ergo iterum Pilatus*, scilicet a praetorio, *et dixit eis*, scilicet Iudaeis expectantibus, *ecce adduco eum vobis foras*, et hoc ideo *ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam*, scilicet mortis. Quare ergo turpiter tractasti, impie Pilate, sine causa? Scilicet ne Iudaei credant quod ob favorem eum dimittam. Qualis enim favor praestatur ei cui tot inferuntur flagella? Vel ideo ut haec eius ludibria inimici libentissime viderent, et ulterius sanguinem non sitirent; quasi dicat: si reus esset mortis, ita condemnarem eum sicut flagellavi. Fortassis tamen aliqua levia fecit contra legem, propter quae flagellationem tantum promeruit, non autem mortem. Secundo ponitur Christi manifestatio, et hoc factum; unde dicit *exivit ergo Iesus portans spineam coronam, et purpureum vestimentum* et cetera. In illo habitu illum ostendit in quo a ministris illuditur, ut saltem quiescant dum ad eos exit, non clarus imperio, sed plenus opprobrium. Ps. LXVIII, 8: *quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam*. In quo instruimur ut opprobria omnia propter nomen Iesu Christi parati simus sustinere. Is. LI, 7: *nolite timere opprobria hominum, et blasphemias eorum ne metuatis*. Tertio ponitur demonstrationis explicatio et hoc per verba Pilati; unde dicit eis *ecce homo*, quasi despective loquendo, quod aliquis sic despectus vellet sibi usurpare regnum. Ecce de quali homine creditis haec, ut secundum hoc conveniat ei illud Ps. XXI, 7: *ego sum vermis, et non homo*. Si ergo regi invidetis, iam parcite: quia deiectum videtis. *Fervet ignominia, frigescat invidia* ut dicit Augustinus. Hic ponitur demonstrationis Christi effectus in Iudaeis: quia quantumcumque viderent eum deiectum et desolatum et flagellatum, eorum invidia non frigescit, sed ardescit potius et crescit. Unde *cum vidissent eum*, adductum foras, *pontifices et ministri, clamabant: crucifige, crucifige eum*. Ingeminant propter desiderii vehementiam. Nec sunt contenti quacumque morte, sed turpissimam expetunt, scilicet crucis. Sap. II, 20: *morte turpissima condemnemus eum*. Et dicit *cum vidissent eum*: quia ex aspectu eius qui habebatur odio, magis commovetur et inflammatur cor odientis contra eum. Sap. II, 15: *gravis est nobis etiam ad videndum*. Hic ostendit Evangelista quomodo Pilatus nititur liberare Christum, eius innocentiam allegando. Ex quo orta est controversia, quia primo Pilatus allegat Christi innocentiam; secundo Iudaei replicant culpam, *ibi nos legem habemus* et cetera. Quantum ad primum, *dixit eis Pilatus: accipite eum vos, et crucifigite*, quasi dicat, nolo esse iniquus iudex, ego non crucifigam eum; vos crucifigatis eum, si vultis: *ego non invenio in eo causam*, scilicet crucifigendi. Supra XIII, 30: *venit princeps mundi huius, et in me non habet quidquam*; Act. III, 13: *quem vos tradidistis et negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti*. Sed Iudaei adhuc replicant Christi offensam; unde sequitur *responderunt ei Iudaei: nos legem habemus* et cetera. Videntur intellexisse ex responsione Pilati quod non erat motus contra Christum ex crimine affectati regni, ex quo credebant eius animum maxime commoveri, ut eum occideret. Et ideo quasi hoc crimen non sufficeret ad eius mortem, credebant Pilatum per hoc quod dixerat: *accipite eum vos* etc. petivisse, si haberent aliud crimen secundum legem de quo condemnatus esset, et de hoc condemnarent eum; et ideo dicunt *secundum legem debet mori*. Et primo proponunt crimen Christi contra legem Iudaeorum; secundo contra legem Romanorum, *ibi si hunc dimittis, non es amicus Caesaris*. Circa primum duo facit. Primo ponitur Iudaeorum accusatio contra Christum; secundo accusationis effectus in animo Pilati, *ibi cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit*. Crimen quod imponebatur Christo contra legem Iudaeorum erat, quia *filium Dei se fecit*, ex quo reputabant eum reum mortis. Supra V, 18: *propterea quaerebant eum Iudaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo*; et supra X, 33, dicit: *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*. Et ubique dicunt *filium Dei se facit*, quasi non sit. Sed hoc non est contra legem, ut probavit eis supra X, 34, per illud Ps. LXXXI, v. 6: *ego dixi, dii estis*. Si enim alii homines, qui sunt filii adoptivi, absque blasphemia filios Dei se dicunt, quanto magis Christus, qui est filius Dei per naturam? Sed quia non intelligebant aeternam generationem, ideo eum et falsum et blasphemum reputabant, pro quorum quolibet quis reatum mortis incurrebat. Consequenter cum dicit *cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit*, ponit accusationis effectum in animo Pilati; et primo effectum timoris, unde dicit *cum audisset hunc sermonem*, scilicet quod filium Dei se faceret, *magis timuit*, cogitans ne verum esset, et perperam ageret, si inique procederet contra eum. Per quod dabatur intelligi quod gentiles audita prodicione filii Dei, timuerunt. Habac. III, 1: *domine, audivi auditum tuum, et timui*. Secundo ponit effectum dubitationis et inquisitionis: unde sequitur *et ingressus est in praetorium iterum, et dixit ad Iesum* etc., et primo ponitur Pilati inquisitio; secundo taciturnitas Christi; tertio taciturnitatis reprehensio. Quantum ad primum dicit *et ingressus est in praetorium iterum Pilatus*, scilicet timore concussus, *et dixit ad Iesum*, quem secum reduxerat, *unde es tu?* Volens scire, utrum scilicet esset Deus divinam habens originem, vel homo terrenam. Ad quod responderi potest, quod habetur supra VII, v. 23: *vos de deorsum estis*,

*ego de supernis sum*. Iesus autem, quia noluit, responsum non dedit ei: ut ostenderet quod nolebat per sermones vincere et excusationes componere, cum ad hoc venerit ut pateretur. Simul et per hoc dedit nobis exemplum patientiae. Et impletur quod dicitur Is. LIII, v. 7: *quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum*. Et dicit *tamquam agnus*, ut non credatur quod tacuerit sicut male sibi conscius, qui de peccatis suis convincebatur, sed sicut mansuetus, sicut qui pro peccatis alienis immolabatur. Consequenter cum dicit *dixit ergo ei Pilatus: mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te; et potestatem habeo dimittere te?* Ponitur quomodo Pilatus reprehendit eius taciturnitatem, et primo facit hoc Pilatus per iactantiam suae potestatis; secundo ponitur responsio Christi de potestate Pilati. Quia ergo Christus non dedit ei responsum, Pilatus hic reprehendens dicit *mihi non loqueris* etc.: in quo seipsum condemnavit. Si enim in potestate sua totum positum erat, quare nullam causam inveniens eum non absolvit? Lc. XIX, 22: *ex ore tuo te iudico, serve nequam*; II Mach. VII, 16: *potestatem in homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis*. Et quia sic gloriatur de potestate sua, secundum illud Ps. XLVIII, 7: *in multitudine divitiarum suarum gloriatur*, ideo dominus hoc infringit dicens *non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper*. Unde, sicut dicit Augustinus, Christus ubi tacet, sicut agnus tacet; ubi loquitur, docet sicut pastor. Unde primo docet de suae potestatis origine; secundo de sui criminis quantitate. Quantum ad primum dicit *non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper*, quasi dicat: si aliquam videaris habere, hanc non habes a te, sed est tibi data desuper, idest a Deo, a quo est omnis potestas. Rom. XIII, et Prov. c. VIII, 15: *per me reges regnant*. Et dicit *ullam*, idest quantulumcumque habes, quia limitatam habebat sub alia maiori, scilicet Caesaris; Matth. VIII, 9: *ego sum sub potestate constitutus*. Et ideo concludit *propterea qui tradidit me tibi*, scilicet Iudas, vel principes sacerdotum, *maius peccatum habet*. Et dicit *maius*, ut et illos qui tradiderunt et ipsum Pilatum ostenderet obnoxios esse peccato: sed illos maiori qui ex se et ex invidia eum tradiderunt; sed iste quod fecit, ex timore superioris potestatis fecit. Per hoc etiam confutatur error haereticorum dicentium omnia peccata esse paria: alioquin non dixisset dominus, *maius peccatum habet*. Matth. XVIII, 7: *vae autem homini illi per quem scandalum venit*. Effectus liberationis Christi ponitur cum dicit *et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum*. Sed quia, ut dictum est a principio, nitebatur eum dimittere, convenientius dicitur *exinde*, idest ex hac causa, quod non haberet peccatum. Vel supra tentabat eum dimittere, sed *exinde*, idest ex tunc, omnino et constanti animo quaerebat eum dimittere.

### Lectio 3

[87548] Super Io., cap. 19 l. 3 Supra Iudaei posuerunt crimen Christi contra legem: quod quia Pilatus parvipendere videbatur, utpote legi non obnoxius; ideo adhuc imponunt ei crimen contra legem Romanorum, ut magis eum urgerent ad Christum occidendum, et primo proponunt periculum Pilato imminens, si Christum dimittat; secundo rationem assignant, ibi *omnis qui se regem facit, contradicit Caesari*. Dicit ergo, quod postquam Pilatus quaerebat dimittere Christum, *Iudaei clamabant dicentes: si hunc dimittis*, qui se regem facit, *non es amicus Caesaris*, idest, amicitiam eius amittes. Saepe namque contingit quod homines de aliis ea existimant quae ipsi patiuntur. Et quia de eis dicitur supra XII, 43, quod *dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei*; ideo et de Pilato existimabant quod amicitiam Caesaris praeponeret amicitiae iustitiae; quamvis contrarium sit faciendum. Ps. CXVII, v. 9: *bonum est sperare in domino quam in principibus*. Unde et philosophus veritatem censet praehonorari amicitias. Rationem autem periculi imminens subdunt *omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari*. Haec enim est terrenae potestatis natura, quod una sit impatiens consortii alterius: et ideo Caesar non patiebatur alium dominari. Eccli. VII, 4: *noli quaerere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris*. Hic agit Evangelista de condemnatione Christi, circa quam tria tangit. Primo quidem locum; secundo tempus, ibi *erat autem parasceve* etc.; tertio modum, ibi *et dixit Iudaeis*. Quantum ad primum primo ponit condemnationis motivum, dicens *cum audisset Pilatus hos sermones, magis timuit*: non enim sic potuit contemnere Caesarem auctorem potestatis suae, quemadmodum legem gentis alienae; et ideo dicit *et adduxit foras Iesum*. Sed frustra propter eos movetur, quia non erat talis. Non enim a purpura, non a diademate, non a sceptro, non a curru, non a militibus quos Christus haberet, credere poterat quod regnum affectaret. Ipse semper solus cum discipulis sedebat, pauper in cibo, habitu et habitatione. Sed, ut dicitur Prov. XXVIII, 1: *fugit impius nemine persequente*; Ps. LII, 7: *trepidaverunt timore ubi non erat timor*; Ez. II, 6: *tu ergo ne timeas eos, neque sermones eorum metuas (...)* et *vultus eorum ne formides*. Secundo ponit locum, dicens *et sedit pro*



*tribunali*. Tribunal sedes est iudicis, sicut solium regis et cathedra magistri; Prov. XX, 8: *rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo*. Et ideo dicitur tribunal, quia apud Romanos tribuni causas particulares decernebant, dicti a tribubus quibus praeponebantur. Et dicitur *pro tribunali*, idest ante tribunal, nam apud Graecos haec praepositio pro idem est quod in Latino ante vel in. Et hoc tribunal erat in loco qui dicitur lithostratos, idest stratura lapidum. Lithos enim in Graeco idem est quod lapis; nam locus ubi Pilatus pro tribunali sedebat, pavimentatus erat lapidibus diversis. Et idem locus Hebraice dicitur Gabbatha, idest collis, sive sublimitas ex coacervatione lapidum. Tempus autem condemnationis describit dicens *erat autem parasceve*, idest praeparatio Paschae, *hora quasi sexta*. Sciendum est autem, quod apud Iudaeos dies sabbati quantum ad aliquid solemnior erat qualibet alia festivitate, in quantum scilicet ob reverentiam illius diei non praeparabant ipso die sibi cibaria, sed in sexta feria praecedenti; unde sexta feria huius temporis ex hoc parasceve dicebatur. Et hoc ortum habet ex hoc quod Ex. XVI, 23 s. dicitur quod in sabbato non colligerent manna, sed in sexta feria colligerent duplum; in quo nulli festivitati deferebant. Unde licet praesens sexta feria sollemnis esset apud eos, tamen in ea pro sequenti die sabbati cibaria praeparabant. Sed addit *erat autem hora quasi sexta*: contra quod est quod dicitur Mc. c. XV, 25: *erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum*. Sed constat quod ante sedit pro tribunali quam Christus fuerit crucifixus. Sed ad hoc est duplex responsio, secundum Augustinum. Prima et melior est, quod Christus dupliciter fuit crucifixus. Primo linguis et vocibus Iudaeorum dicentium, *crucifige, crucifige eum*; secundo manibus militum, qui eum crucifixerunt. Unde Iudaei, quia crucifixionem volebant imponere gentilibus. Marcus, qui Evangelium scripsit gentibus, ipsam imposuit Iudaeis, dicens, quod tunc Christum crucifixerunt quando Iudaei clamaverunt *crucifige, crucifige eum*; quod fuit in hora tertia. Ioannes vero, qui sequitur ordinem temporis, dicit *erat quasi hora sexta*: nam quando Christus fuit in cruce, iam erat in fine horae quintae et in principio horae sextae, in qua factae sunt tenebrae per tres horas, scilicet usque ad horam nonam. Unde quia hora sexta nondum inchoata erat, ideo dicit *quasi hora sexta*. Secunda responsio est, quia parasceve dicitur praeparatio Paschae; Pascha autem nostrum Christus est immolatus: unde praeparatio parasceve est praeparatio immolationis Christi: cuius erat hora sexta et non diei, quia principium huius praeparationis fuit hora noctis nona, quando Christo capto dicebant: *reus est mortis*. Unde si tribus reliquis horis noctis addamus tres horas diei, quando Christus crucifixus fuit, manifestum est quod sexta hora parasceve, idest praeparationis, crucifixus fuit, licet hora diei esset tertia, ut dicit Marcus. Et certe congruit quod in sexta hora crucifigeretur: quia per crucem reparavit hominem sexta die conditum, et sexta aetate. Modum autem et ordinem condemnationis describit, dicens *et dixit Iudaeis: ecce rex vester* et cetera. Ubi notandum, quod adhuc Pilatus volebat liberare eum, quamvis eum Caesaris timor urgeret. Et ideo primo ponitur Pilati conatus ad Christum liberandum; secundo subditur eius consensus ad eum crucifigendum, ibi *tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur*. Circa primum primo ponitur Pilati conatus; secundo malitia Iudaeorum, ibi *illi autem clamabant*. Dicit ergo, quod postquam sedit pro tribunali, *dixit Iudaeis*, quasi cum quadam indignatione, *ecce rex vester*, quasi dicat: mirum est quod hunc formidatis habere regem, sic humiliatum et abiectum: regnum non nisi divites et fortes affectant, hic autem non est talis, quia, ut dicitur in Ps. LXXXVII, 16: *pauper sum ego et in laboribus*. Sed haec nec Iudaeorum molliunt malitiam. Innumerabili odio affecti *clamabant*, et abundantiam malitiae ingeminando, *tolle, tolle, crucifige eum*: simul etiam per hoc insinuantes, quod nec eum videre poterant. Iob XXI, 14: *dixerunt Deo: recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*; Sap. II, 15: *gravis est etiam ad videndum*. Et ideo subdunt: *morte turpissima condemnemus eum*: quod idem est quod *crucifige eum*. Hic ostenditur quomodo Pilatus nititur eum liberare per Iudaeorum opprobrium. Et primo ponitur Pilati conatus dicentis *regem vestrum crucifigam?* Quasi dicat: si non movemini ab eius humilitate, debet vos movere vestrum opprobrium, quod eum crucifigam qui regnum vestrum affectavit: quod valde ignominiosum est, si ab extraneis fiat. Secundo ponitur Iudaeorum pertinacia, unde dicit *responderunt pontifices: non habemus regem nisi Caesarem*; in quo seipsos servituti perpetuae submiserunt renuentes Christi dominium; et ideo usque in hodiernum diem alieni a Christo, effecti sunt servi Caesaris et potestatis terrenae. I Reg. VIII, 7: *non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*; Ier. II, 13: *dereliquerunt me fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, quae continere non valent aquas*. Consequenter ponitur consensus Pilati ad occidendum Christum; unde dicit *tunc ergo tradidit eis*, scilicet Iudaeis, quod sic subiecti erant potestati Romanorum et voluntati eorum, *illum, ut crucifigeretur*: contra consilium. Ex. XXIII, 2: *ne sequaris turbam ad faciendum malum*; Iob IX, 24: *terra data est in manus impii*; Ier. XII, 7: *dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius*. Hic agit Evangelista de crucifixione Christi, et primo ponitur crucis ignominia: secundo narrat crucifixionis consequentia,

ibi *scripsit autem et titulum Pilatus*. Ignominiam autem crucis describit quantum ad crucifigentium conditionem, quantum ad deducendi modum quantum ad locum, et quantum ad comitatum. Conditio quidem crucifigentium describitur, quia milites: unde dicit *susceperunt autem Iesum* et cetera. Milites quidem facto, nam sequitur *milites ergo cum crucifixissent eum*, Iudaei vero voto: quia ipsi fecerunt, et quidquid factum est extorserunt. Per quod signatur quod Iudaei amittere debebant utilitatem crucis Christi, et gentiles eam consequi; Matth. XXI, 43: *auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius*. Modus autem ducendi ignominiosus fuit, unde dicit *et baiulans sibi crucem*: nam mors crucis ignominiosa erat, unde Deut. XXI, 23, dicitur: *maledictus omnis qui pendet in ligno*. Et ideo crucis signum tamquam profanum vitantes, et nec tangere volentes, crucem Iesu condemnato Iesu imponunt. Unde dicit *et baiulans sibi crucem*. Sed contra. Matth. XXVII, 32, dicitur quod angariaverunt quemdam Simonem venientem de villa, ut portaret crucem. Responsio. Dicendum, quod Christus eam portavit a principio; sed dum incederet, invenerunt illum ad votum. Nec hoc vacat a mysterio: quia ipse primus passionem crucis sustinuit, et postmodum alii, et maxime advenae gentiles, eum imitando. I Petr. II, 21: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*; Matth. c. XVI, 24: *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me*. Sed hoc quod Christus crucem sibi portavit, et si impiis et infidelibus sit grande ludibrium, fidelibus tamen et piis est grande mysterium. I Cor. I, 18: *verbum crucis pereuntibus quidem est stultitia: his autem qui salvi fiunt, idest nobis, virtus Dei est*. Portat Christus crucem ut rex sceptrum, in signum gloriae quae est universale rerum omnium dominium. Ps. XCV, 9: *dominus regnabit a ligno*; Is. IX, 6: *et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis*. Portat eam ut victor trophaeum suae victoriae. Col. II, 15: *expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Item ut doctor portat candelabrum, in quo ponenda erat lucerna suae doctrinae, quia verbum crucis fidelibus est virtus Dei: Lc. XI, 33: *nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant*. Locus autem passionis ignominiosus quantum ad duo: et quia erat extra civitatem, unde dicit *exivit in eum qui dicitur Calvariae locus*, extra scilicet moenia civitatis; Hebr. ult., 12: *propter quod Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*. Et hoc propter duo. Primo ut ostenderet virtutem passionis suae non esse includendam inter terminos gentis Iudaicae; secundo ut ostendat quod quicumque consequi volunt passionis fructum, exire debent mundum, saltem affectu. Unde ibidem statim subdit apostolus: *exeamus igitur ad eum extra castra*. Secundo quia erat infimus, unde dicit *in eum qui dicitur Calvariae locus*. Ps. LXXXVII, 5: *aestimatus sum cum descendentibus in lacum*. Et quidem quidam, secundum Chrysostomum, dicunt quod in illo loco, qui Calvariae dicebatur, Adam mortuus fuit et sepultus: unde Calvariae dicebatur a Calvaria primi hominis, ut sicut mors ibi regnavit, ita illic Christus trophaeum statueret. Sed, ut Hieronymus dicit, favorabilis est huiusmodi interpretatio et mulcens aures populi, non tamen vera, quia Adam sepultus est in Hebron: Iosue XIV, 15: *Adam maximus inter Enacim situs est*. Et ideo dicendum, quod ex Ierusalem foras portam locus erat in quo truncabantur capita damnatorum: unde hic locus Calvariae nomen sumpsit propter damnatorum seu collatorum decalvata capita ibi iacentia. Comitatus autem et societas passionis ignominiam indicant quia *cum eo alios duos crucifixerunt*, scilicet latrones, ut dicitur Lc. XXIII, 33. Et dicit *hinc et hinc*, idest unum ad dexteram, et alium ad sinistram; *medium autem Iesum*. Sed attende, quod Christus etiam in passione medius stat. Sed hoc quantum ad intentionem Iudaeorum factum est ei ad ignominiam; ut scilicet causa mortis eius similis iudicaretur causae mortis latronum. Is. LIII, v. 12: *et cum iniquis deputatus est*. Sed si ad mysterium attendatur, hoc ad claritatem Christi pertinet: nam per hoc ostenditur quod Christus per passionem merebatur iudiciariam potestatem. Iob XXXVI, v. 17: *causa tua quasi impii iudicata est; sed iudicium causamque recipies*. Medium autem tenere proprium est iudicis: unde, et secundum philosophum, ire ad iudicem est ire ad medium. Et ideo medius ponitur, et unus a dextris, et alius a sinistris, quia in iudicio statuet quidem oves a dextris, haedos autem a sinistris. Unde latro a dextris qui credidit liberatur, et alter a sinistris qui insultat est condemnatus.

#### Lectio 4

[87549] Super Io., cap. 19 l. 4 Postquam Evangelista egit de Christi crucifixione, hic agit de consequentibus ipsam, et primo de his quae sequuntur crucifixionem quantum ad Pilatum; secundo quantum ad milites, ibi *milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius*; tertio quantum ad amicos astantes, ibi *stabant*

*autem iuxta crucem Iesu mater eius et cetera. Ponuntur autem tria pertinentia ad Pilatum, scilicet tituli inscriptio, tituli lectio, tituli conservatio. Quantum ad primum duo ponuntur. Primo inscriptio tituli, unde dicit *scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem*. Et hoc satis convenienter: ut saltem per hoc vindicaret se de Iudaeis, ostendens ipsorum malitiam, dum in regem suum insurrexerunt. Sed tamen convenit mysterio; quia sicut in triumphis in trophaeo titulus ponebatur victoriam ostendens, per hoc quod homines memoriam sui celebrare volebant, Gen. XI, v. 4: *celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras*, ita titulum cruci inscribi disposuit, ut passio eius in memoria haberetur, Thren. III, 19: *recordare paupertatis meae et transgressionis meae, absinthii et fellis*. Secundo ponitur tenor tituli: *erat autem scriptum: Iesus Nazarenus rex Iudaeorum*. Quae quidem tria verba satis conveniunt ad crucis mysterium, nam hoc quod dicit *Iesus*, qui salvator interpretatur, convenit ad virtutem crucis, per quam nobis facta est salus; Matth. I, 21: *vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Hoc vero quod dicit *Nazarenus*, quod interpretatur floridus, pertinet ad patientis innocentiam; Cant. c. II, 1: *ego flos campi, et lilium convallium* Is. XI, 1: *et flos de radice eius ascendet*. Hoc vero quod dicit *rex Iudaeorum*, pertinet ad potestatem, ad dominium quod ex passione promeruit. Phil. II, 9: *propter quod et Deus illum exaltavit*; Ier. XXIII, 5: *regnabit dominus, et sapiens erit*; Is. IX, 7: *super solium David et super regnum eius sedebit*. Sed cum ipse sit per crucem non solum rex Iudaeorum sed etiam gentium, unde in Ps. II, 6, cum dixisset: *ego autem constitutus sum rex ab eo*, subdit *postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam*: quare ergo scripsit *rex Iudaeorum* tantum?*

Responsio. Dicendum, quod gentiles intromissi sunt in pinguedinem olivae sicut oleaster, Rom. XI, 17. Et sicut oleaster particeps fit pinguedinis olivae, non autem oliva fit particeps amaritudinis oleastri, ita ipsi gentiles ad fidem conversi spiritualiter Iudaei confitentes dicuntur effecti, non circumcisione carnis, sed spiritus; et ideo per hoc quod dicitur *rex Iudaeorum*, intelliguntur etiam gentiles conversi. Consequenter cum dicit *hunc ergo titulum multi Iudaeorum legerunt*, agitur de tituli lectione. Et primo ponitur tituli lectio, quia *hunc titulum multi legerunt Iudaeorum*: per quod signatur quod plures salvantur per fidem, passionem Christi legendo, quam eorum qui viderunt. Infra penult., 31: *haec autem scripta sunt ut credatis*. Secundo ponitur legendi facultas, et haec est duplex. Una est ex loci propinquitate: *quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus est Iesus*, ad quem multi confluebant: alia ex Scripturae multiplicitate, quia *erat scriptum Hebraice, Graece et Latine*: ut nullus ignoraret, et quia hae tres linguae prae ceteris eminebant. Hebraea quidem propter unius Dei cultum; Graeca propter sapientiam; Latina propter Romanorum potentiam. Unde hae tres gentes sibi dignitatem vindicant in cruce Christi, ut dicit Augustinus. In quo signatur quod per crucem Christi subiugari debebant et converti devoti et religiosi, qui signantur per Hebraeam linguam; sapientes qui per Graecam; potentes, qui per Latinam. Vel per Hebraeam significabatur quod Christus dominari debebat theologiae philosophiae, quae significatur per Hebraeam, quia Iudaeis est tradita divinarum rerum cognitio; per Graecam vero philosophiae naturali et philosophicae: nam Graeci erga naturalium speculationem insudaverunt; per Latinam vero philosophiae practicae, quia apud Romanos maxime viguit scientia moralis: ut sic in captivitatem redigantur omnes intellectus in obsequium Christi, ut dicitur II Cor. X, 5. Conservatio autem tituli ponitur cum dicitur *dicebant ergo Pilato pontifices Iudaeorum et cetera*. Et primo ponitur Iudaeorum conatus ad titulum destruendum, unde dicebant Pilato *pontifices Iudaeorum: noli scribere, rex Iudaeorum; sed, quia ipse dixit, rex sum Iudaeorum*. Nam in hoc ostenditur Christi praeconium, et Iudaeorum opprobrium, quod ponitur *rex Iudaeorum*. Nam contumeliosum est Iudaeis quod regem suum fecerunt crucifigi. Sed si poneretur: *quia dixit, rex sum Iudaeorum*, hoc redundasset in Christi improprium, et indicasset eius culpam; et hoc ipsi intendebant, ut scilicet crucifixo auferrent famam, cui iam vivo abstulerunt vitam. Ps. LXVIII, 13: *adversum me loquebantur qui sedebant in porta*. Secundo ponitur Pilati constantia ad titulum conservandum, quia Pilatus volens eis ignominiam facere noluit mutare sententiam; unde sequitur *respondit Pilatus: quod scripsi, scripsi*. Quod non casu factum est, sed diu ante a Deo dispositum et prophetatum. Nam quidam Psalmi sic intitulatur: *ne disperdas, David in tituli inscriptionem*: qui quidem Ps. LVIII, maxime pertinet ad passionem, sicut est: *eripe me de inimicis meis*, et duo praecedentes: *miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea*, et *si vere utique iustitiam loquimini*. Et ideo stulte clamabant pontifices quia sicut non potest corrumpi quod veritas dixit, ita non potest deleri quod Pilatus scripsit. *Ideo enim Pilatus quod scripsi, scripsi, dixit, quia dominus quod dixit, dixit*, ut dicit Augustinus. Deinde cum dicit *militibus ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius*, ponit consequentia ad crucifixionem quantum ad milites, et primo ponit aliarum vestium partitionem; secundo tunicae inconsutilis sortitionem, ibi *et tunicam*; tertio inducit prophetica praenuntiationem, ibi *ut Scriptura impleretur*.

Dicit ergo *milites, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius*. Ex quo duo colligere possumus: scilicet mortis Christi abiectioem, per hoc quod denudaverunt eum, quod abiectis personis tantum fieri consuevit; secundo militum rapacitatem, *quia acceperunt vestimenta, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem*. Hoc enim genus hominum rapacissimum est, ideo Ioannes Baptista dixit eis: *neminem concutiatis (...) et contenti estote stipendiis vestris*, Lc. III, 14, et Iob XXIV, 7: *nudos dimittunt homines, vestimenta tollentes*. Quantum ad secundum dicit *et tunicam*, et primo ponitur tunicae descriptio; secundo eius sortitio, ibi *et dixerunt, non scindamus eam*. Dicit ergo *et tunicam*, scilicet acceperunt simul cum illis. *Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum*. Dicit autem, quod erat inconsutilis, ut ostendat rationem indivisionis. Ex quo, ut quidam dicunt, pretiositas tunicae potest convinci. Chrysostomus vero e contrario dicit, quod hoc dicens Evangelista, occulte vestis vilitatem insinuat. Nam in Palaestina est quoddam genus vestium propter pauperes ex multis pannis contextum quasi unus pannus super alium: II Cor. VIII, 9: *scimus enim gratiam domini nostri Iesu Christi: quia cum dives esset in omnibus propter nos egenus factus est*. Mystice autem potest referri ad corpus Christi mysticum; et sic vestimenta dividuntur in quatuor partes quia Ecclesia per quatuor partes mundi diffusa est. Is. XLIX, 18: *vivo ego, dicit dominus: quia his omnibus velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa*. Tunica inconsutilis quae non dividitur, significat caritatem, quia aliae virtutes non sunt secundum se unitae, sed per aliud uniuntur, in quantum omnes conveniunt in fine ultimo, cui coniungitur sola caritas. Nam et si fides finem ultimum demonstrat, spes in ipsum tendere faciat, tamen sola caritas coniungit. Coloss. III, 14: *super omnia autem caritatem habentes, quae est vinculum perfectionis*. Quae dicitur esse desuper contexta, quia caritas est super omnes alias virtutes. I Cor. XII, 31: *adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*; Eph. III, 19: *scire etiam supereminentem caritatem scientiae Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*. Vel quia caritas non est nobis a nobismetipsis, sed a spiritu sancto. Rom. V, 5: *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Potest etiam hoc referri ad corpus Christi verum; et sic est desuper contexta, quia formatum est corpus Christi virtute superiori, scilicet spiritus sancti. Matth. I, 20: *quod in ea natum est, de spiritu sancto est*. Sortitio tunicae ponitur cum dicit *dixerunt ergo ad invicem: non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit*. Est enim quaedam sors divinatoria; et haec, quia necessitatem non habet, est illicita; est et alia divisoria: et haec in rebus mundanis est licita, sed non in spiritualibus, ut scilicet quae homines arbitrio suo dividere non valent, committunt arbitrio et consilio divino. Prov. XVI, 33: *sortes mittuntur in signum, sed a domino temperantur*. Et eiusdem XVIII, v. 18: *contradictionem comprimit sors, et inter potentes quoque diiudicat*. Sed contra videtur quod Matth. c. V, 27, dicitur, quod miserunt sortes super vestimenta sua. Responsio. Dicendum, quod Matthaeus non dicit quod super omnes mitterent sortes, sed dum dividerent alias, miserunt sortem, scilicet super tunicam. Praeterea Marcus adhuc magis urget dicens *sortes miserunt quis quid tolleret*: ergo super omnes portiones. Responsio. Dicendum, secundum Augustinum, quod sic intelligenda sunt verba Marci, et exponenda: miserunt sortes super eis, id est super aliquo eorum, *quis quid* id est, quis eorum tolleret tunicam. Consequenter ponit Scripturae vaticinium, cum dicit *ut Scriptura impleretur*. Et primo ponitur prophetica praenuntiatio: in quo notatur prophetae diligentia, dum etiam ventura quaedam accidentia quae super Christum fienda erant, praenuntiavit. Patet etiam quod non a casu praedicta contigerunt. Et ideo dixit *ut Scriptura impleretur*, consecutive scilicet, quae dixit in Ps. XXI, v. 19: *partiti sunt vestimenta mea*, non dicit vestem, quia plures erant, *et in vestem meam*, id est super tunicam, *miserunt sortem*. Secundo ponitur prophetae adimpletio, quia *milites quidem haec fecerunt*: per quod datur intelligi quod Scriptura divina etiam in minimo impletur, Matth. V, 18: *iota unum aut unus apex non praeteribit a lege donec omnia fiant*; Lc. ult., 44: *oportet impleri omnia quae scripta sunt in lege et prophetis et Psalmis de me*. Deinde cum dicit *stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris eius etc.*, ponitur consequens tertium quantum ad amicos, et primo ponitur astantium mulierum praesentia; secundo Christi de matre sollicita diligentia, ibi *cum ergo vidisset matrem etc.*; tertio prompta discipuli obedientia, ibi *et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*. Mulieres autem astantes iuxta crucem describuntur tres scilicet *mater eius, et soror matris eius Maria Cleophae, et Maria Magdalena*. Sed notandum, quod cum alii Evangelistae mentionem faciant de multis mulieribus Christo astantibus, nullus facit mentionem de beata virgine, excepto Ioanne: unde ex utrorumque narratione duplex incurrit dubitatio. Prima, quia Matthaeus et Marcus dicunt, quia mulieres stabant a longe; Ioannes vero, quod iuxta crucem. Ad hoc dici posset, quod aliae erant mulieres quas commemorant Matthaeus et Marcus, et aliae quas commemorat Ioannes. Sed huic repugnat quod Maria Magdalena connumeratur inter mulieres quas Matthaeus et Marcus commemorant, et etiam Ioannes. Et ideo dicendum, quod

eadem mulieres intelligendae sunt istae et illae; nec est in hoc contradictio. Nam iuxta et a longe relative dicuntur; et nihil prohibet aliquod quodammodo dici longe et quodammodo dici iuxta. Iuxta quidem fuisse dicit, quia in conspectu eius erant, sed longe, quia inter ipsum et mulieres erant intermedii. Vel potest dici, quod a principio crucifixionis stabant iuxta eum, ita quod eis loqui poterat; sed postmodum superveniente multitudine irradientium, secedentes longe steterunt. Unde Ioannes narrat quod primo fuit, alii quod postea. Secunda quaestio est quia Ioannes commemorat Mariam Cleophae, sed Matthaeus et Marcus loco eius Mariam Iacobi, quae dicebatur Alphaei. Sed ad hoc dicendum est, quod eadem est Maria Cleophae, quam nominat Ioannes, cum ea Alphaei, quam nominat Matthaeus. Habuit enim duos viros, scilicet Alphaeum et Cleopham. Vel potest dici, quod Cleophas fuit pater eius. Quod autem et mulieres stabant iuxta crucem et discipuli eo relicto fugerant, mulierum commendat devotam constantiam. Iob XIX, 20: *pellis meae, consumptis carnibus, adhaesit os meum*: quasi scilicet discipuli, qui per carnem significantur, recesserant, et mulieres, quae per pellem intelliguntur, adhaeserunt. Consequenter ponitur sollicitudo eius ad matrem, ibi *cum vidisset ergo Iesus matrem* etc., et primo ponitur sollicitudo quantum ad curam discipuli, quem matri imposuit; secundo quantum ad curam matris, quam discipulo commisit, ibi *deinde dicit discipulo: ecce mater tua*. Quantum ad primum dicit *cum vidisset ergo Iesus matrem, et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suae: mulier, ecce filius tuus*, quasi dicat: usque modo curam tui habui, et fui memor tui, tibi istum derelinquo. In quo dignitas Ioannis ostenditur. Sed attende, quod supra II, 3, quando mater dixit, *vinum non habent* etc., dicit: *nondum venit hora mea*, scilicet passionis, qua patiar, secundum illud quod a te suscepi: cum autem venerit hora illa, tunc recognoscam. Unde et modo eam recognoscit matrem. Facere autem miracula non convenit mihi secundum quod a te suscepi; sed secundum quod habeo a patre paternam generationem, scilicet secundum quod sum Deus. Et nota, secundum Augustinum, quod Christus in cruce pendens se habuit sicut magister in cathedra. Unde et docet nos parentibus existentibus in necessitate subvenire, et de eis curam habere, ut dicitur Ex. c. XX, 12: *honora patrem tuum et matrem tuam*; et I Tim. V, 8: *si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, non habet fidem, et est infideli deterior*. Sed contra est quod dicitur Lc. XIV, 26: *si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*. Responsio. Dicendum, quod sicut dominus praecipit parentes odiri, sic et animam nostram, in qua praecepit naturam diligere et odire iniquitatem, et quod avertit a Deo. Et sic parentes sustentare debemus, diligere et revereri, quantum ad naturam; sed odire quantum ad vitia, et ad id quod nos avertunt a Deo. Quantum ad secundum dicit discipulo *ecce mater tua*, ut scilicet iste tantum serviret ut filius matri, ista illum diligeret ut filium mater. Consequenter cum dicit *et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, ponitur discipuli obedientia. Et secundum Bedam, oportet dici in suam, et sic est sensus *accepit eam*, scilicet matrem Iesu, *discipulus*, scilicet Ioannes, *in suam*, matrem videlicet. Sed, secundum Augustinum, etiam ut habetur in Graeco, debet dici *in sua*: non quidem praedia, quia de illis erat qui dixerant: *ecce nos reliquimus omnia*; nam Matth. IV, 20 dicitur, quod Iacobus et Ioannes relictis omnibus secuti sunt Iesum; sed *in sua*, scilicet officia, quibus ei diligenter et reverenter obsequabatur.

## Lectio 5

[87550] Super Io., cap. 19 l. 5 Postquam egit de crucifixione, et consequentibus eam, hic narrat venerandam Christi mortem, et primo ponit moriendi opportunitatem; secundo describit mortem, ibi *et inclinato capite, tradidit spiritum*; tertio exprimit mortui vulnerationem, ibi *Iudaei ergo, quoniam parasceve erat (...) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura*. Opportunitas autem moriendi ostenditur in hoc quod iam *omnia consummata sunt*. Unde circa consummationem primo praemittitur scientia Christi de ipsa consummatione; secundo consummatur id quod consummandum restabat, ibi *cum ergo accepisset Iesus acetum et cetera*. Dicit ergo quantum ad primum *postea*, idest post omnia quae praemissa sunt, *sciens Iesus quia consummata sunt omnia*, quae prophetae et lex praedixerant de eo. Lc. ult. 44: *oportet impleri omnia quae scripta sunt in lege et prophetis et Psalmis de me*. Ps. CXVIII, 96: *omnis consummationis vidi finem*. Sed quia adhuc aliud in Scriptura praedicta consummandum erat, ideo subdit *ut consummaretur Scriptura, dixit, sitio*, et primo ponitur verbum Christi quod protulit; secundo opportunitas implendi quod petiit; tertio administratio eius quod noluit. Dicit ergo *ut consummaretur Scriptura*. Ubi sciendum est, quod *ly ut* non ponitur causative, sed consecutive. Non enim ideo petiit *ut Scriptura*, veteris testamenti, *consummaretur*, sed ideo sunt dicta quia consummanda erant per Christum. Si enim dicamus quod Christus ideo hoc fecit, quia Scripturae hoc praedixerunt, sequeretur

quod novum testamentum esset propter vetus et eius impletionem, cum tamen sit e converso. Sic ergo ideo praedicta sunt, quia implenda erant per Christum. Per hoc vero quod dicit *sitio*, ostendit mortem suam esse veram, non phantasticam. Item ostenditur eius ardens desiderium de salute generis humani. I Tim. II, 4: *vult omnes salvos fieri*; Lc. XIX, 10: *venit filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat*. Vehemens autem desiderium consuevimus exprimere per *sitim*; Ps. XLI, 3: *sitivit anima mea ad Deum vivum*. Opportunitas implendi quod petiit, ostenditur ex hoc quod *vas positum erat aceto plenum*. Per hoc igitur vas Iudaeorum synagoga significatur, quae a vino patriarcharum et prophetarum degeneraverat in acetum, idest in malitiam et crudelitatem pontificum. Ministratio autem ponitur: quia *illi spongiam plenam aceto obtulerunt ori eius*. Ex quo oritur quaestio litteralis, quomodo scilicet obtulerant spongiam ori Christi in altum pendentis. Sed hoc solvitur Matth. XXVII, 48 quia imposuerunt eam arundini. Vel, secundum quosdam, imposuerunt hyssopo, quae magna erat, unde et a Matthaео arundo vocatur. Mystice autem per haec tria signantur tria mala quae in Iudaeis erant: scilicet invidia per acetum, dolositas per spongiae concavitatem, malitia per amaritudinem hyssopi. Vel hyssopus significat humilitatem Christi, quae est herba mundans pectus, quod praecipue per humilitatem mundatur. Ps. I, 9: *asperges me, domine, hyssopo, et mundabor*. Finalis consummatio ponitur cum dicit *cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: consummatum est*, quod potest referri vel ad consummationem mortis, Hebr. c. II, 10: *decebat in gloriam auctorem salutis eorum per passionem consummari*, item ad consummationem sanctificationis quae est per passionem et crucem eius, Hebr. X, 14: *una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, vel ad consummationem Scripturarum, Lc. XVIII, 31: *consummabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de filio hominis*. Consequenter cum dicit *et inclinato capite, tradidit spiritum*, describit Evangelista mortem Christi. Et primo ponitur causa mortis: quia *inclinato capite*. Non enim est intelligendum quia tradidit spiritum, ideo inclinavit caput; sed e converso: nam inclinatio capitis obedientiam designat, pro qua mortem sustinuit. Phil. II, 8: *factus est obediens usque ad mortem*. Secundo ponitur morientis potestas: quia *tradidit spiritum*, scilicet propria potestate. Supra, X, 18: *nemo tollit a me animam meam; sed ego pono eam a meipso*. Nam, ut Augustinus dicit, nullus sic habet in potestate dormire cum velit, sicut Christus mori cum voluit. Sed attendendum, quod ex hoc quod *tradidit spiritum*, aliqui dicunt in homine esse duas animas: scilicet intellectualem, quam vocant spiritum, et aliam animalem, puta vegetativam et sensitivam, quae corpus animat, et praecipue anima dicitur. Unde dicunt, quod Christus tradidit solum animam intellectualem. Sed hoc est falsum: tum quia duas esse animas in homine inter errores computatur in libro de ecclesiasticis dogmatibus; tum quia si tradidisset spiritum, remanente adhuc anima, non fuisset mortuus. Quia ergo nihil est aliud spiritus in homine quam anima, dicendum, quod tradidit spiritum, idest animam. Per quod etiam excluditur error quorundam dicentium, animas hominum mortuorum non ire statim post mortem ad Paradisum vel Infernum seu Purgatorium, sed in tumultis usque ad diem iudicii remanere. Nam dominus statim tradidit spiritum patri: per quod datur intelligi, quod *iustorum animae in manu Dei sunt*: Sap. III, 2. Hic ponitur vulneratio corporis Christi, et primo ponitur narratio vulnerationis; secundo narrationis certitudo, ibi *et qui vidit, testimonium perhibuit*. Circa primum tria facit. Primo ponitur conatus Iudaeorum et intentio; secundo impletio conatus quantum ad partem; tertio quomodo hoc impletur in Christo. Dicitur ergo quantum ad primum, quod *Iudaei, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato (...) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur*. Sciendum est enim, quod, sicut habetur Deut. XX, 22 s., praeceptum est in lege, quod cadavera suspensorum propter delicta, non dimitterentur suspensa usque mane, ne pollueretur terra; et etiam ad delendam ignominiam eorum qui suspendebantur, nam huiusmodi mors turpissima reputabatur. Unde dicitur ibidem: *maledictus omnis qui pendet in ligno*, scilicet maledictione poenae. Licet autem huius poenae infligendae iam non esset in Iudaeorum potestate, tamen quod in eis erat, facere nitebantur. Et ideo quia parasceve erat, ut corpus Christi et etiam aliorum non remanerent in cruce in die sabbati, qui valde solemnis erat et propter ipsum sabbatum in festum azymorum, *rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur*. Hi quidem in parvis diligentes sunt ad servandam legem, sed in magnis contempserunt Matth. XXIII, 24: *excolantes culicem, camelum autem glutientes*. Quomodo autem hoc in parte impletur subdit *venerunt ergo milites: et primi quidem, scilicet latronis, fregerunt crura, ad quem primo venerunt, et alterius qui crucifixus est cum eo, scilicet Iesu; in quo eorum crudelitas ostenditur*. Mich. III, v. 3: *carnem populi mei comederunt*. Sed quid est quod subdit: *ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura?* Nonne in medio crucifixus erat? Responsio. Dicendum, quod duorum militum singuli ad singulum latronem confringendum venerunt: quibus con fractis, unus ab uno et alius ab alio, ad Iesum venerunt.

Unde inde signatur occasio vulnerandi, quia cum vidissent eum iam mortuum, *non fregerunt eius crura*. Sed ut certificarentur de morte, *unus militum lancea latus eius aperuit*. Et signanter dicit *aperuit*, non vulneravit; quia per hoc latus, aperitur nobis ostium vitae aeternae. Apoc. IV, 1: *post hoc vidi ostium apertum*. Hoc est ostium in latere arcae, per quod intrant animalia diluvio non peritura: Gen. VII. Sed hoc ostium est causa salutis, *unde continuo exivit sanguis et aqua*, quod est valde miraculosum, ut de corpore mortui, in quo est congelatus sanguis, sanguis exeat. Sed si quis dicat, quod hoc contigit propter calorem aliquem qui adhuc in corpore remanserat, fluxus autem aquae inficiari non potest, quin miraculosus existat, cum aqua exiens purissima fuerit. Quod quidem factum est ut Christus ostenderet id quod erat, scilicet verus homo. In homine enim est duplex compositio: una scilicet ex elementis, alia ex humoribus. Unum elementorum est aqua; inter humores autem praecipuus est sanguis. Item hoc factum est ad ostendendum quod per passionem Christi plenam ablutionem consequimur, a peccatis scilicet et maculis. A peccatis quidem per sanguinem, qui est pretium nostrae redemptionis. I Petr. I, 18: *non corruptibilibus auro et argento redempti estis de vana vestra conversatione; sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Christi*. A maculis vero per aquam quae est lavacrum nostrae regenerationis. Ez. c. XXXVI, 25: *effundam super vos aquam mundam; et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*; Zach. XIII, 1: *erit fons patens domui David et habitatoribus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae*. Et ideo haec duo specialiter pertinent ad duo sacramenta: aqua ad sacramentum Baptismi, ad Eucharistiam sanguis. Vel utrumque pertinet ad Eucharistiam, quia in sacramento Eucharistiae miscetur aqua cum vino; quamvis aqua non sit de substantia sacramenti. Competit etiam hoc figurae: quia sicut de latere Christi dormientis in cruce fluxit sanguis et aqua, quibus consecratur Ecclesia; ita de latere Adae dormientis formata est mulier, quae ipsam Ecclesiam praefigurabat. Hic ponitur certitudo narrationis, et primo ex apostolico testimonio; secundo ex Scripturae vaticinio, ibi *facta sunt enim haec ut Scriptura impleretur*. Circa primum tria facit. Primo describit testis idoneitatem: quia *qui vidit testimonium perhibuit*, hoc est ipse Ioannes. I Io. I, 3: *quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis*. Secundo astruit testimonii veritatem, quia *verum est testimonium eius*. Rom. IX, 1: *veritatem dico, non mentior*: supra VIII, 32: *cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*. Tertio exposcit fidem *et ille scit quia vere dicit, ut et vos credatis*; infra XX, 31: *haec autem scripta sunt ut credatis et cetera*. Et non solum ex testimonio apostolico certificatur, sed additur vaticinium Scripturae, unde dicit *facta sunt enim haec ut Scriptura impleretur*: ut *ly ut accipiatur consecutive*, sicut iam dictum est supra. Et ponit duas auctoritates veteris testamenti. Unam quae refertur ad hoc quod dicit *non fregerunt eius crura* etc., et habetur Ex. XII, v. 46 *os non comminuetis ex eo* scilicet agno paschali qui praefigurabat Christum. Quia, ut dicitur I Cor. V, 7: *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Ideo a Deo ordinatum est ut non comminuerentur ossa agni paschalis, ut daretur intelligi quod fortitudo veri agni et incontaminati Iesu Christi nullo modo erat commovenda per passionem. Unde Iudaei putabant per passionem virtutem doctrinae Christi destruere; sed potius corroborata est. I Cor. I, 18: *verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est; sed nobis virtus Dei est*. Ideo supra VIII, 28, dixit: *cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum*. Secunda auctoritas refertur ad hoc quod dicit *lancea latus eius aperuit*, et habetur Zach. XII, 10: *videbunt in quem transfixerunt*: ubi nostra littera habet: *aspicient ad me, quem confixerunt*. Unde si nos coniungimus verbum prophetae, manifestum est quod Christus crucifixus est Deus. Nam quod propheta dicit in persona Dei, Evangelista attribuit Christo. *Videbunt*, inquit, ad iudicium venientem: Apoc. I, 7, vel *aspicient conversi per fidem et cetera*.

## Lectio 6

[87551] Super Io., cap. 19 l. 6 Postquam Evangelista egit de crucifixione et morte, hic agit de sepultura Christi, et primo ponitur facultas et licentia sepeliendi; secundo studium corporis procurandi, ibi *venit ergo, et tulit corpus Iesu*; tertio ponitur locus sepulturae, ibi *erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus* etc.; quarto ponitur ipsa sepultura, ibi *ibi ergo (...) posuerunt Iesum*. Dicit ergo *post haec*, scilicet passionem et mortem, *rogavit Pilatum Ioseph ab Arimathaea*, quod idem est quod Ramatha, ut habetur I Reg. I, 19, *eo quod esset discipulus Iesus*: non de duodecim, sed de multis aliis credentibus: quia omnes credentes a principio discipuli vocabantur. Erat autem *occultus propter metum Iudaeorum*, sicut et multi alii, sed ante passionem. Supra XII, 42: *verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut de synagoga non eiicerentur*. Unde patet quod ubi discipuli amiserunt fiduciam post passionem latentes, hic

assumpsit fiduciam publice obsequendo. Hic inquam, *rogavit Pilatum, ut tolleret corpus Iesu*, de cruce scilicet, et sepeliret, quia secundum leges humanas, corpora damnatorum non debebant sine licentia sepeliri. *Et permisit Pilatus*: quia Ioseph nobilis erat et sibi familiaris. Unde Mc. penult., 43 dicitur quod erat decurio. Quantum ad secundum dicit *venit ergo, et tulit corpus Iesu*: ubi agitur de studio corporis procurandi, et primo ponitur materia corporis procurandi; secundo ponitur ipsa procuratio, ibi *acceperunt autem corpus Iesu*. Materia corporis procurandi fuit mixtura myrrhae et aloes, quam Nicodemus in magna quantitate procuravit. Et ideo de duobus mentionem facit. Primo de Ioseph, qui tulit corpus; secundo de Nicodemo, qui tulit aromata. Hic autem Nicodemus fuit qui venit ad Iesum nocte, scilicet ante passionem, ut habetur supra III, 1. Et hoc ideo commemorat, quia de Ioseph dixerat quod occultus erat propter metum Iudaeorum, ut ostendat quod etiam hic qui occultus erat discipulus, nunc factus est publicus, sed nondum habens veram fidem de resurrectione; quia attulit myrrham et aloes, quasi corpus eius muniri a corruptione indigeret: de quo Scriptura dicit: *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Mystice autem datur per hoc intelligi quod Christum crucifixum debemus in corde nostro recondere cum amaritudine poenitentiae et passionis. Cant. V, 5: *manus meae distillaverunt myrrham*. Habita ergo praeparationis materia, ponitur ipsa praeparatio: unde dicit *acceperunt autem corpus Iesu* et cetera. Ubi oritur dubitatio: quia Ioannes dicit quod *ligaverunt illud linteis*, cum Matth. c. XXVII, 59 dicatur quod involverunt illud sindone. Respondeo. Dicendum, secundum Augustinum, quod Matthaeus dicit unam sindonem tantum, quia non facit mentionem nisi de Ioseph: et hic unam portavit. Sed quia solus Ioannes mentionem facit de Nicodemo, ideo dicit *linteis*, quia Nicodemus aliam portavit. Vel dicendum, quod linteum dicimus omnem pannum de lino factum. Corpus autem Christi involutum fuit fasciis, sicut etiam de Lazaro legitur, quia sic erat Iudaeis mos sepelire. Erat etiam positum sudarium ad caput: et ideo omnia complectens Ioannes, dicit *linteis*. Per hoc vero quod aromatibus eum condiunt, admonemur in huius pietatis officiis morem cuiuslibet gentis esse servandum. Locus sepulturae designatur consequenter cum dicit *erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus* et cetera. Ubi notandum, quod Christus in horto captus, et in horto passus, et in horto sepultus fuit: ad designandum quod per suae passionis virtutem liberamur a peccato quod Adam in horto deliciarum commisit, et quod per eum Ecclesia consecratur, quae est sicut hortus conclusus. *Et in hoc horto erat monumentum novum*. Est autem duplex ratio quare in sepulcro novo voluit sepeliri. Una litteralis, ne alia corpora quae ibi fuissent, resurrexisse crederentur, et non Christus: vel omnia aequali virtute. Alia ratio est, quia qui est de virgine intacta natus, congrue fuit in sepulcro novo sepultus: ut sicut in utero Mariae nemo ante eum, nemo post eum fuit, ita et in hoc monumento. Similiter ut daretur intelligi quod reconditur per fidem in animo innovato. Eph. III, 17: *habitare etiam Christum per fidem in cordibus nostris*. Consequenter cum dicit *ibi ergo propter parasceven Iudaeorum (...) posuerunt Iesum*, ponitur sepultura. *Ibi ergo*, idest in monumento novo, *propter parasceven Iudaeorum*, quia iam vespere appropinquabat, quando propter sabbatum nihil operari licebat. Nam circa horam nonam expiravit, et propter procuracionem sepulturae et rerum quae necessariae erant, fere dies usque ad vesperam decursus erat. *Et quia monumentum erat iuxta locum*, ubi erat crucifixus, *posuerunt ibi Iesum*.



CORPUS THOMISTICUM  
Sancti Thomae de Aquino  
Super Evangelium S. Ioannis lectura  
a capite XX ad caput XXI

Textum Taurini 1952 editum  
ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas  
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

Caput 20

Lectio 1

[87552] Super Io., cap. 20 l. 1 Enarratis mysteriis passionis Christi, hic Evangelista manifestat eius resurrectionem, et primo manifestat quomodo resurrectio Christi manifestata est mulieribus; secundo quomodo manifestata est discipulis, ibi *cum ergo sero esset die illo* et cetera. Manifestata est resurrectio Christi mulieribus quodam ordine. Primo quantum ad monumenti apertionem; secundo quantum ad Angeli apparitionem, ibi *abierunt ergo iterum* etc.; tertio quantum ad Christi visionem, ibi *haec cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Iesum*. Circa primum primo ponitur mulieris visio; secundo rei visae denuntiatio, ibi *cucurrit ergo* etc.; tertio rei denuntiatae inquisitio, ibi *exiit ergo Petrus* et cetera. Circa primum quatuor consideranda occurrunt. Primo scilicet visionis tempus, quia *una sabbati*, scilicet prima feria. Nam apud Iudaeos dies sabbati solemnior habebatur, et ideo ab eo omnis alius dies denominabatur: unde dicebant prima sabbati, secunda sabbati et cetera. Unde et Matth. XXVIII, v. 1, dicit *prima sabbati*. Sed Ioannes dicit: *una sabbati*, propter mysterium, quia in hac die, in qua resurrectio facta est, inchoavit quasi quaedam nova creatura; Ps. CIII, 30: *emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae*; Gal. VI, 15: *in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura*. Moyses autem in principio Gen. de prima die non dicit factus est dies primus, sed unus. Ideo Evangelista ad ipsam renovationem insinuandam utitur verbo Moysi. Item quia in hac die inchoabatur dies aeternitatis, quae est una non habens interpolationem noctis; quia sol qui eam facit, non occidit. Apoc. XXI, 23: *civitas illa non eget sole neque luna ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit illam, et lucerna eius est agnus*; Zach. ult., 7: *erit dies una, quae nota est domino, non dies neque nox: et in tempore vesperi erit lux*. Secundo ponitur persona videns, quia *Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum*. Sed hic est dubium: quia in Mc. XVI, 1, dicitur: *Maria Magdalene et Iacobi et Salome*; et Matth. ult. connumeratur etiam alia Maria. Responsio. Dicendum secundum Augustinum, quod Maria Magdalena ferventior et devotior erat ad Christum aliis mulieribus: unde Lc. VII, 47, dicitur: *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Et ideo eam Evangelista specialius nominat. Et inde est quod prius ei apparuit dominus, Mc. ult. Sap. VI, 14: *praeoccupat eos qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat*. Tertio ponitur hora, seu qualitas temporis, quia *mane, cum adhuc tenebrae essent*; Lc. XXIII, 55 s. dicitur, quod mulieres quae cum Iesu venerunt de Galilaea viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus Iesu, et revertentes paraverunt aromata et unguenta, et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. Et ideo statim transacto sabbato ante lucem primae sabbati venit ad monumentum: nam nimius ardor amoris eam sollicitabat; Cant. VIII, 6: *lampades eius lampades ignis atque flammaram*, scilicet caritatis. Sed hic est quaestio litteralis: quia, ut dicitur Mc. ult., 2, *valde mane orto iam sole*, quid igitur dicit Evangelista *cum adhuc tenebrae*

*essent?* Responsio. Dicendum quod hoc quod dicit Marcus intelligitur de aurora: unde orto iam sole, non quod supra terram appareret, sed appropinquaret ad nostras regiones. Quarto quid videt: quia *vidit revolutum lapidem*, quod erat signum vel quod aliquis Christum abstulerit, vel quod resurrexerit. Et, sicut dicitur Matth. ult., v. 2, *Angelus domini descendit de caelo*: quod non est intelligendum quod ante lapis esset revolutus quam Christus resurgeret, sed post. Nam Christus exivit de clauso utero virginis nondum gloriosum corpus habens, non est ergo mirum si cum corpore glorioso exivit de sepulcro. Nam lapis est revolutus, ut, videntes ibi Christum non esse, facilius crederent eius resurrectionem. Consequenter cum dicit *cucurrit ergo ad Simonem Petrum*, ponitur rei visae denuntiatio. Ex nimio enim amore non distulit nuntiare discipulis quod vidit; sed *cucurrit, et venit ad Simonem Petrum, et alium discipulum quem diligebat Iesus*. IV Reg. VII, 9: *haec dies boni nuntii est: si tacuerimus, et noluerimus nuntiare usque ad mane, sceleris arguemur*. Sic qui audit verba Dei, debet festinus aliis dicere. Apoc. ult., 17: *qui audit dicat, veni*. Sed ad illos venit qui praecipui erant, et Christum ferventius diligebant, ut aut secum quaererent, aut secum dolerent. Et dicit eis *tulerunt dominum de monumento*. Viso enim sepulcro vacuo, nondum habens in corde quod Christus resurrexerit, dicit *et nescimus ubi posuerunt eum*. Ubi dat intelligere quod non sola fuerit ad monumentum, et quod adhuc de resurrectione dubitaret. Et ideo Evangelista non sine causa dixit *cum adhuc tenebrae essent*, per qualitatem temporis, qualitatem mentis, in qua dubitationis tenebrae erant, designans. Ps. LXXXI, 5: *nescierunt neque intellexerunt: in tenebris ambulant*. Sed attende, quod in Graecis codicibus habetur *dominum meum*, ad designandum propensiolem caritatem, et famulatus affectum; Ps. LXXII, 25: *quid mihi est in caelo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum*. Consequenter cum dicit *exiit ergo Petrus et ille alius discipulus*, ponitur denuntiatae rei inquisitio: et primo ponitur quaerentium studium ad inquirendum; et hoc per exitum, dum dicit *exiit ergo Petrus et alius discipulus*. Qui enim scrutari vult mysteria Christi, debet exire quodammodo a se, et a carnali consuetudine. Cant. III, 11: *egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem*. Secundo ponitur inquisitionis ordo seu modus. Et primo quantum ad cursum, quia *currebant duo simul*, qui prae ceteris Christum diligebant. Ps. CXVIII, 32: *viam mandatorum tuorum cucurri*; 1 Cor. IX, 25: *sic currite ut comprehendatis*. Secundo quantum ad adventum, quia et *ille alius discipulus praecucurrit citius Petro*, ubi primo ponitur quomodo Ioannes praevenit; secundo quomodo Petrus eum sequitur, ibi *venit ergo Simon Petrus sequens eum*. Sed nota, quod non sine causa Evangelista etiam particularia diligenter narrat. Nam istis duobus discipulis, populus duplex, Iudaeorum scilicet et gentilium designatur. Quia licet Iudaei prius habuerint cognitionem unius veri Dei, tamen quantum ad statum mundi, populus gentium est antiquior: quia ex gentilibus processerunt etiam Iudaei. Gen. XII, 1: *egredere de terra tua et de cognatione tua*. Isti simul currebant, vel decursum huius mundi: Iudaei per litteram legis, gentiles per legem naturae; vel simul currunt naturali desiderio ad beatitudinem et veritatis cognitionem, quam omnes homines natura scire desiderant. *Sed ille alius discipulus, scilicet minor, praecucurrit citius Petro*: quia gentiles ad cognitionem veritatis tardius venerunt quam Iudaei, quia quondam Deus erat tantum in Iudaea notus, unde dicunt Ps. CXLVII, 20: *non fecit taliter omni nationi*. *Et venit prior ad monumentum*: quia prius consideravit mysteria Christi, et prius Iudaeis de Christo facta est promissio. Rom. IX, 4: *quorum est adoptio filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa; quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem et cetera*. *Et cum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introivit*. *Et cum se inclinasset, scilicet sub iugo legis*, Ex. XXIV, 7: *omnia quaecumque praecepit dominus faciemus*. *Vidit linteamina posita, scilicet figuras quasdam omnium mysteriorum*, II Cor. c. III, 14: *usque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum*. *Non tamen introivit*: quia non pervenit ad veritatis cognitionem dum in mortuum credere noluit. Et hoc dicitur Lc. c. XV, 25 ss. de fratre maiore, qui audiens symphoniam et tripudia fratri revertenti facta, noluit intrare: cum tamen introitum promittat David, dicens Ps. XLII, 4: *introibo ad altare Dei*. Hic agitur de perventione Petri. Et secundum litteram, quod simul currebant, signum erat ferventis devotionis; sed Ioannes citius pervenit, quia iunior erat sene Petro. Sed secundum mysterium, Petrus Ioannem sequitur: quia gentiles ad Christum conversi, non erant congregandi in aliam Ecclesiam ab Ecclesia Iudaeorum, sed inserendi in praecedentem olivam et Ecclesiam: Rom. XI. Et ideo apostolus, I Thess. II, 14, commendans eos, dicit: *vos autem, fratres, facti estis imitatores Ecclesiarum quae sunt in Iudaea in Christo Iesu*. Tertio ponitur ordo inquisitionis quantum ad eorum ingressum, quia *introivit in monumentum*, et primo ponitur quomodo Petrus intravit primo; secundo quomodo Ioannes, ibi *tunc ergo introivit in monumentum*. Dicit ergo, quod Petrus introivit in monumentum: et quidem, secundum litteram, Ioannes, qui primo pervenit, non intravit propter

reverentiam Petri, cui priorem ingressum servabat. Sed secundum mysterium, signatur quod populus Iudaeorum, qui primo mysteria incarnationis audivit, posterius ad fidem convertitur quam populus gentium. Rom. IX, 30: *gentes quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam (...). Israel vero sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit. Et vidit, scilicet Petrus, posita linteamina.* Ioannes vidit sola linteamina quae Petrus similiter vidit: quia non reprobamus vetus testamentum, nam *aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Sed adhuc ulterius vidit *sudarium quod fuerat super caput eius.* I Cor. XI, 3: *caput Christi Deus.* Videre ergo sudarium quod fuerat super caput Iesu, est habere fidem divinitatis Christi, quam Iudaei acceptare noluerunt. Quod quidem sudarium describitur et separatum ab aliis, et *involutum*, et *in unum locum*: quia divinitas Christi occulta est, et separata ab omni creatura: *est super omnia Deus benedictus in saecula, amen;* Is. XLV, 15: *vere tu es Deus absconditus.* *Involutum* vidit quasi in modum circuli: quia lintei quando involvuntur nec initium nec finis in eis aspicitur: celsitudo divinitatis est, quae nec coepit esse nec desinit. Hebr. ult., 8: *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula;* Ps. ci, 28: *tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Sed *in unum locum* viderunt, quia Deus non habitat ubi est scissura mentium; sed illi eius merentur gratiam qui sunt unum per caritatem. Ps. LXXV, 3: *in pace factus est locus eius;* I Cor. XIV, 33: *non est Deus dissensionis, sed pacis.* Vel aliter. Per sudarium quo laborantium sudor detergi solet, intelligi potest labor Dei, qui etsi quietus semper permaneat, tamen se laborare denuntiat, dum duras hominum pravitates portat. Is. I, 14: *facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Et praecipue hunc laborem pertulit Christus in humanitate assumpta. Thren. III, 30: *dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Hoc igitur sudarium longe seorsum invenitur, quia ipsa redemptoris nostri passio longe est a nostra passione disiuncta. Nam per linteamina, quae ita se habent ad membra sicut sudarium ad caput, intelliguntur passiones sanctorum, a quibus sudarium seorsum, scilicet passio Christi: quoniam ipse sine culpa pertulit, quod nos cum culpa toleramus. I Petr. III, 18: *Christus, mortuus est, iustus pro iniustis.* Ipse sponte morti succumbere voluit. Supra X, 18: *nemo tollit a me animam meam: sed ego pono eam a meipso;* Eph. V, v. 2: *dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.* Sed sancti ad mortem vadunt inviti. Infra ult., 18: *alius te cinget, et ducet quo tu non vis.* Sed quare Evangelista sic diligenter omnia narrat? Ad quod dicendum, secundum Chrysostomum, ut excluderet falsam opinionem a Iudaeis divulgatam, quod corpus Christi furtim sublatum esset, ut habetur Matth. ult., 13. Nam si hoc modo aliqui transtulissent illud: non utique eum denudassent, praecipue cum oportuisset eos festinanter hoc facere propter praesentiam custodum: neque etiam fuissent ita solliciti ut levarent sudarium, et involverent, et seorsum in unum locum ponerent, sed ea simpliciter ut contigisset, suscepto corpore, dimisissent. Huius etiam rei causa permisit quod sepultus fuit cum myrrha et aloe quae conglutinant corpori linteamina, ita quod non potuissent tam cito a corpore separari. Consequenter cum dicit *tunc ergo introivit et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum*, agit de introitu Ioannis: non enim foris remansit sed post Petrum intravit, quia in fine mundi ad receptionis fidem etiam Iudaei colligentur. Rom. c. XI, 25: *ex parte caecitas contigit in Israel donec plenitudo gentium subintraret, et sic omnis Israel salvus fiet;* Is. X, 22: *reliquiae salvae fient.* Vel aliter, secundum mysterium, per istos duos discipulos duo genera hominum designantur: scilicet vacantes contemplationi veritatis, et hi signantur per Ioannem; et insistentes obedientiae mandatorum, qui signantur per Petrum: unde Simon obediens interpretatur. Contingit autem plerumque quod prius perveniat ad cognitionem mysteriorum Christi contemplativus, sua docilitate, sed non intrat: quia quandoque praecedit intellectus, et sequitur tardus aut nullus affectus. Sed activus instantia fervoris et sedulitate, etsi tardius intelligat, Ps. CXVIII, 104: *a mandatis tuis intellexi*, tamen citius intrat: ita ut qui fuerunt posteriores in perveniendo, fiant priores in cognoscendo. Matth. XX, 16: *erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Consequenter cum dicit *et vidit, et credidit*, ponitur effectus inquisitionis et in primo aspectu posset talem sensum habere, quod *vidit* illa scilicet *et credidit* quod Christus resurrexerit. Sed, secundum Augustinum, hoc non potest stare; quia sequitur *nondum enim sciebant Scripturam* et cetera. Ideo dicendum, quod *vidit* vacuum monumentum, *et credidit* his quae dixerat mulier, scilicet quod aliqui dominum asportassent; et tunc, sequitur *nondum enim sciebant Scripturam*, quia nondum eis erat apertus sensus, ut intelligerent Scripturas; Lc. ult. Sed nonne Christus passionem et resurrectionem eius praedixit? Matth. XX, 19: *et tertia die resurget.* Respondeo. Dicendum, quod quadam consuetudine audiendi ab eo parabolas, multa quae eis aperte dicebat, non intelligebant, et aliquid aliud eum significare credebant. Vel, secundum Chrysostomum, *vidit* linteamina posita sic ordinata, quod non fuisset factum, si corpus furtim fuisset sublatum, *et credidit*, scilicet vera fide, quod Christus a morte resurrexerit. Et tunc hoc quod sequitur *nondum enim sciebant Scripturam*, refertur ad hoc quod dicit *vidit, et credidit*, quasi diceret: antequam videret non sciebat Scripturam, quia

*oportebat eum a mortuis resurgere. Sed quando vidit, credidit quod a mortuis resurrexisset.*

## Lectio 2

[87553] Super Io., cap. 20 l. 2 Posito quomodo Maria Magdalena venit ad aspiciendam sepulcri apertionem, hic Evangelista ostendit quomodo pervenit ad Angelorum visionem, et primo ponitur devotio; secundo insinuatur Angelorum visio, ibi *vidit duos Angelos* etc.; tertio describitur Angelorum allocutio, ibi *dicunt ei illi* et cetera. Devotio autem mulieris, quae meruit Angelorum visionem, commendatur ex tribus. Primo quidem ex eius constantia, quam commendabilem reddidit, primo, discipulorum recessus: quia *abierunt ergo iterum discipuli*, nondum scientes Scripturam, quia oporteret eum a mortuis resurgere, *ad semetipsos*, idest ubi habitabant, et unde ad monumentum cucurrerant. Adhuc enim ex timore dispersi non simul manebant. Zach. c. XIII, 7: *percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis*; Thren. IV, 1: *dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*. Secundo, constans eius mora: quia *Maria stabat ad monumentum foris, plorans*. Nam discipulis recedentibus, infirmiore sexum fortior et ferventior in eodem loco figebat affectus. Sed hic est quaestio, quia Mc. ult., 8, dicitur quod mulieres egressae sunt de monumento: ergo fuerunt intus. Ut quid ergo tunc dicit Ioannes *stabat foris*? Responsio. Dicendum, quod monumentum Christi erat excisum in lapide, et circa ipsum erat clausura horti, sicut supra habitum est. Quandoque ergo monumentum vocant Evangelistae solum locum ubi corpus reconditum fuit, quandoque totum illud quod clausum erat. Cum ergo dicitur quod ingressae sunt monumentum, intelligendum de tota clausura horti; sed hoc quod dicitur *stabat foris*, intelligendum est de illo saxei sepulcri loco, sed tamen intra illud spatium quod iam ingressae fuerant, ubi stabat propter amoris constantiam, quae mentem eius accenderat. I Cor. XV, 58: *stabiles estote et immobiles, abundantes in opere domini semper*; Ps. CXXI, v. 2: *stantes erant pedes nostri*. Secundo commendatur eius devotio ex lacrymarum affluentia, quia *plorans*. Thren. I, 2: *plorans ploravit in nocte*. Est autem duplex lacrymarum gemitus: scilicet compunctionis ad peccata abluenda, Ps. VI, 7: *lacrymis meis stratum meum rigavi*; et devotionis ad caelestia desideranda, Ps. CXXV, 6: *euntes ibant, et flebant mittentes semina sua*, idest properantes ad caelestia. Sed Maria Magdalena lacrymis quidem compunctionis abundavit tempore suae conversionis, quando quae fuerat in civitate peccatrix, amando veritatem lavit lacrymis maculas criminis. Lc. VII, 47: *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Abundavit etiam lacrymis devotionis in Christi passione et resurrectione, ut habetur hic. Tertio commendatur eius devotio ex inquisitionis diligentia. Unde dicit *dum ergo fletet, inclinavit se et prospexit in monumentum*. Fletus enim iste ex desiderio amoris proveniebat. Natura enim amoris est quod velit dilectum praesentem habere, et si hoc non potest in re, saltem eius praesentiam habet in cognitione. Matth. VI, 21: *ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*. Amare ergo flebat Maria, quia oculi qui dominum quaesierant et non invenerant, lacrymis vacabant, amplius dolens quod ablatus fuit de monumento: quoniam magistri tanti, cuius vita subtracta fuerat, memoria remanebat. Et ideo quia eum habere non poterat, volens saltem videre locum ubi positus fuerat, *inclinavit se, et prospexit in monumentum*. In quo datur intelligi quod in mortem Christi debemus prospicere cum humilitate cordis. Matth. XI, 25: *abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et prospexit*, ut daret exemplum continue oculis mentis mortem Christi prospicere: quia amanti semel aspexisse non sufficit, cuius vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Hebr. XII, 2: *aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta. Inclinavit autem se, et prospexit*, quia caritas Christi eam urgebat. II Cor. V, 14: *caritas Christi urget nos*. Vel potius, secundum Augustinum, divino instinctu in animo eius factum est ut perspiceret, et altius aliquid videret, scilicet Angelos; Rom. VIII, 14: *qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*. Consequenter cum dicit *et vidit duos Angelos in albis sedentes*, agit Evangelista de Angelorum visione: circa quam quatuor tangit Evangelista. Primo quid vidit, quia *duos Angelos*: ut ostendat quod omnes Angelorum ordines tam assistentium quam ministrantium Christo obsequebantur. Hebr. I, 6: *adorent eum omnes Angeli eius*. Sed circa hoc est quaestio: quia Matth. v. 2 ss. et Mc. ult., 5 dicitur, quod Maria et aliae mulieres viderunt unum Angelum existentem in latere monumenti, hic autem dicitur quod duos et intus. Sed utrumque verum est: quia illud praecessit quod narrat Matthaeus et Marcus, quando scilicet primo venerunt, et credentes eum sublatum, redierunt ad discipulos; et istud, quod narrat Ioannes, contigit in reditu, quando rediit cum discipulis, et eis recedentibus ipsa remansit. Secundo describit habitum, quia *in albis*: per quod claritas resurrectionis et gloria Christi resurgentis demonstratur. Apoc. c. III, 4: *ambulabunt mecum in albis*. Et eiusdem

XIX, 14, dicitur quod exercitus qui est in caelo sequebatur eum in veste alba, idest gloriosa. Tertio describit situm, quia *sedentes*: per quod quies et potestas Christi designatur, qui iam ab omnibus tribulationibus requiescens regnat in carne immortalis, sedens ad dexteram patris. Ps. CIX, 1: *sede a dextris meis*; Is. IX, 7: *super solium David et super regnum eius sedebit*. Quarto describit ordinem, *unum ad caput, et unum ad pedes*: quod potest referri ad tria. Primo quidem ad duo testamenta: Angelus enim Graece, Latine dicitur nuntius. Christum autem annuntiaverant testamenta, quia dicitur Matth. XXI, 9: *turba quae praeibat et quae sequebatur, clamabat: hosanna filio David*. Sic ergo Angelus sedens ad caput, signat vetus testamentum, et, qui ad pedes, novum. Secundo ad praedicatores. In Christo enim est duplex natura, divina scilicet, et humana. Caput autem Christi est Deus, ut dicitur I Cor. XI, 3, pedes vero humanitas; Ps. CXXXI, v. 7: *adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius*. Qui ergo annuntiat divinitatem Christi, sicut est illud: *in principio erat verbum*, sedet ad caput; qui vero humanitatem annuntiat, sicut illud: *verbum caro factum est*, sedet ad pedes. Tertio potest referri ad tempus Annuntiationis; et sic sed et unus ad caput, et unus ad pedes: quia ab initio usque ad finem mundi mysteria Christi significabant esse annuntianda. I Cor. II, 26: *mortem domini annuntiabitis donec veniat*. Consequenter cum dicit *dicunt ei: mulier, quid ploras?* Agitur de Angelorum allocutione, et primo ponit Angelorum interrogationem; secundo mulieris responsionem. Circa primum sciendum est, quod Angeli scientes mulierem adhuc dubitare, quasi a remotis incipientes causam fletus exquirunt. Unde dicit: *dicunt illi*, scilicet Angeli, *quid ploras?* Quasi dicerent: plorare noli, supervacuum enim est, quia *ad vesperum*, scilicet passionis, *demorabitur fletus, et ad matutinum*, resurrectionis, *laetitia*; Ier. XXXI, 16: *quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo*. Ubi notandum, secundum Gregorium, quod ipsa sacra eloquia quae in nobis lacrymas amoris excitant, easdem lacrymas consolantur, dum nobis redemptoris nostri spem repromittunt. Ps. XCIII, 19: *secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuae laetificaverunt animam meam*. Sed mulier quasi nescientes eos interrogasse putans, non Angelos, sed homines esse putat, et causam fletus sui exponit, et *dicit eis: tulerunt dominum meum*, idest corpus domini mei, a toto parte significans: sicut confitemur dominum Iesum Christum filium Dei sepultum, cum eius sola sepulta sit caro, quia divinitas carnem non deseruit. *Et nescio ubi posuerunt eum*. Hoc enim erat ei causa desolationis, quia nesciebat quo iret, et eum ad consolationem sui doloris inveniret. Sed numquid ad consolationem amantis est habere aliquid quod fuit amici? Et quidem, secundum Augustinum, IV confessionum, magis pertinet ad dolorem. Unde ipse dicit, quod fugiebat omnia loca in quibus conversatus fuerat cum amico suo. Et tamen Chrysostomus dicit, quod est ad consolationem. Sed utrumque est verum. In omnibus enim quae habent admixtionem gaudii et tristitiae, spes rei desideratae est delectabilis, Rom. c. XII, 12: *spe gaudentes, in tribulatione patientes*, est etiam et tristabilis, quia *spes quae differtur affligit animam*: sed non secundum eandem rationem. Nam in quantum per spem repraesentatur res amata ut possibilis consequi, causat gaudium; in quantum autem separat actu, absens contristatur. Et sic est in isto loco: quia res amici in quantum repraesentat amicum, amanti delectabilis est; in quantum vero subtractionem amici ad memoriam reducit, tristitiam infert.

### Lectio 3

[87554] Super Io., cap. 20 l. 3 Hic ponitur quomodo mulier ista pervenit ad Christi visionem, et primo agitur de Christi visione; secundo de eius a muliere cognitione, ibi *dixit ei Iesus, noli me tangere* et cetera. Circa primum primo ponit Christi visionem; secundo eius allocutionem, ibi *dicit ei Iesus: mulier, quid ploras?* Dicit ergo quantum ad primum *haec cum dixisset*, scilicet Maria Magdalena ad Angelum, *conversa est retrorsum*. Sed quaerit Chrysostomus: mulier quae loquebatur cum Angelis, quos saltem venerandos viros putabat, quare non expectabat eorum responsum de hoc quod dixit, sed retrorsum convertitur? Responsio. Dicendum, quod cum mulier Angelis respondisset, Christus advenit, cui Angeli reverentiam exhibentes assurrexerunt, quod videns mulier admirans respexit retro, ut sciret ad quid assurrexissent. Unde et Lucas ult., 4 Angelos stantes visos esse commemorat. Et sic retrorsum ad aspiciendum conversa, *vidit Iesum stantem, et non sciebat quia Iesus est*: videbat enim eum in specie non gloriosum, quem Angeli gloriosum videntes honorabant. Ostenditur etiam per hoc, quod si aliquis Christum videre desiderat, oportet quod ad eum convertatur. Zach. I, 3: *convertimini ad me, ait dominus exercituum, et convertar ad vos*. Illi ad eum videndum perveniunt qui se totaliter in eum, per amorem convertunt. Sap. VI, 14: *praeoccupat eos qui se concupiscunt*. Mystice autem per hoc signatur quod haec mulier per infidelitatem ad Christum verterat dorsum: sed quando animum eius ad cognoscendum convertit,

retrorsum conversa est. Sed quare eum non agnoscebat, cum idem ipse esset? Dicendum, quod hoc erat vel quia quem mortuum viderat, resurrexisse non credebat, vel quia tenebantur oculi eius ne eum agnosceret, ut dicitur de duobus discipulis euntibus in Emaus, Lc. ult., 31. Allocutio Christi ponitur cum dicit *dicit ei Iesus: mulier, quid ploras?* Primo ponitur Christi interrogatio; secundo mulieris responsio. Circa primum sciendum est, quod mulier ista paulatim proficit: nam Angeli causam ploratus exquirunt, sed Christus quid quaerat, interrogat. Nam ploratus ex desiderio inquisitionis causabatur. Quem quaerit enim interrogat ut augeatur desiderium, quatenus cum nominaret quem quaereret, in amorem eius ardentius aestuaret, et sic semper quaereret. Ps. CIV, 4: *quaerite faciem eius semper*; Prov. IV, 18: *iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem*. Consequenter cum dicit *illa existimans quia hortulanus esset, dixit ei etc.*, ponitur responsio mulieris: et ponitur primo opinio quam de interrogante habebat; secundo ponuntur verba responsionis. Opinabatur autem illa quod *hortulanus esset*. Sciebat enim quod exterriti custodes propter terraemotum et aspectum Angelorum, iam fugerant, et nullum circa loca illa occupari nisi eum qui eorum cultor esset. Et ut Gregorius dicit, haec mulier errando non erravit, dum Christum hortulanum credidit: quia in eius pectore per amoris sui vim semina virtutis plantabat. Eccli. XXIV, v. 42: *dixi: rigabo hortum meum plantationum et inebriabo prati mei fructum. Et dixit ei, domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi: dominum enim vocat ut benevolentiam captet*. Sed cum iste de novo venisset, nec ei dixerat quem quaerebat, quare dixit *si tu sustulisti eum?* Quem eum? Sed dicendum, quod vis amoris hoc agere solet in amato, ut quod ipse semper cogitat, nullum alium credat ignorare. Unde Lc. ult., v. 17, cum quaereret dominus, *qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem?* Dixerunt: *tu solus peregrinus es in Ierusalem?* et cetera. Sed quid dicit *si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; et ego eum tollam?* Mirabilis mulieris audacia, quam mortui non terret aspectus; et cuius valetudo ad grave mortui funus tollendum plus intentat quam possit. Sed hoc est quod dicitur I Cor. XIII, 7: *caritas omnia sperat*. Ideo autem eum accipere volebat, ne Iudaei in corpus saevirent exanime; et ideo volebat in alium locum incognitum illud transportare. Consequenter cum dicit *dicit ei Iesus, Maria etc.*, agit de recognitione Christi a muliere. Et primo ponitur vocatio, cum dicit *Maria*, quam supra alloquens mulierem quasi nomine communi vocaverat. Sed hic proprio nomine vocatur *Maria*, ut designet specialem notitiam quam habet ad sanctos. Ps. CXLVI, 4: *qui numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat*; Ex. XXXIII, 12: *novi te ex nomine*: et ut ostendat quod licet quadam generali motione omnes res moveantur a Deo, specialiter tamen ad hominis iustificationem necessaria est gratia specialis. Effectus vocationis ponitur cum dicit *conversa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur magister*. Sed numquid non respiciebat ad Christum qui eam vocaverat? Respondeo. Dicendum, secundum Augustinum, quod hoc referendum est ad interiorem dispositionem mentis: nam prius, cum corpore conversa fuit, putavit Christum esse quod non erat, scilicet hortulanum; nunc autem corde convertitur, dum quod erat agnovit. Vel dicendum, quod, ut dictum est, credebat eum esse aliquem alium hominem. Unde dum sibi loqueretur, sollicita de eo quod gerebat in corde, non eum respicit, sed circumquaque, si aliquod signum videret sepulti. Et ideo Christus revocans eam, ex proprio nomine vocavit dicens *Maria*, quasi dicat: quo respicis? Recognosce eum a quo recognosceris. Et ideo statim, vocata ex nomine, recognovit auctorem, dicens *Rabboni, quod dicitur magister*: sic enim eum consueverat vocare. In quo datur intelligi, quod vocatio Christi est causa iustificationis nostrae et confessionis verae. Consequenter cum dicit *dicit ei Iesus: noli me tangere*, ostendit Evangelista quomodo Maria instruitur a Christo, et primo ponit unam instructionem prohibitivam; secundo aliam affirmativam, ibi *vade autem ad fratres meos*. Circa primum duo facit. Primo ponit prohibitionem; secundo assignat eius rationem. Admonet quidem Christus Mariam ne eum tangat, dicens *noli me tangere*. Et si non legatur hic quod mulier vellet eum tangere, datur ex hoc intelligi, secundum Gregorium quod Maria ad pedes prostrata amplecti voluit eius vestigia quem recognovit. Sed subditur pro ratione *nondum enim ascendi ad patrem meum*, per quod videtur quod dominus post resurrectionem noluit tangi ab hominibus antequam ascenderet: cuius contrarium habetur Lc. ult., 39: *palpate et videte quoniam spiritus carnem et ossa non habet*. Et si dicas eum a discipulis se tangi voluisse, non autem a mulieribus; hoc non potest stare, quia Matth. ult., 9, dicitur de Magdalena et aliis mulieribus quia accesserunt et tenuerunt pedes eius. Intelligendum est ergo, secundum litteram, quod mulier haec bis vidit Angelos in hoc itinere. Primo quidem simul cum aliis mulieribus vidit unum Angelum sedentem super lapidem, ut dicitur Matth. XXVIII, 2 et Mc. c. XVI, 5. Secundo vero in reditu vidit duos Angelos intus in monumento, sicut dicit Ioannes. Similiter etiam in hoc eodem itinere bis vidit Christum. Primo quidem in horto, quando aestimavit eum hortulanum, ut supra habitum est; secundo in via, quando currebat cum aliis annuntiare discipulis quae viderat, ut magis firmarentur in fide resurrectionis: et tunc

accesserunt et tenuerunt pedes eius, ut dicunt Matthaeus et Marcus. Est autem duplex ratio mystica quare tangi noluit. Una, quia haec mulier significabat Ecclesiam gentium, quae Christum non erat tactura per fidem, nisi cum ascendisset ad patrem. Ps. VII, 8: *synagoga populorum circumdabit te: propter hanc in altum regredere*. Alia ratio est, quia secundum Augustinum I de Trinitate cap. IX, tactus facit quasi finem cognitionis. Quando enim videmus rem, utcumque eam cognoscimus; sed per tactum consummatam cognitionem de ea habemus. Mulier autem haec aliquam fidem habebat de Christo sicut de sancto viro, unde et magistrum eum vocabat: necdum ad hoc pervenerat ut cognosceret eum aequalem patri et unum cum Deo. Et ideo dicit *noli me tangere* idest, non constituas finem tuae notionis in eo quod credis de me, *nondum enim ascendi ad patrem meum*, scilicet in corde tuo, quia non credis me esse unum cum eo; quod tamen postea credidit. Nam in eius intimis sensibus quodammodo Christus ascendit ad patrem, qui sic in ea profecerat ut patri cognoscat aequalem. Vel dicendum, secundum Chrysostomum, quod haec mulier videns Christum surrexisse, credidit quod esset in eadem qualitate in qua fuerat prius, habens mortalem vitam: unde et volebat cum eo esse sicut ante passionem, et prae gaudio nihil magnum excogitabat; quamvis caro Christi multo melior facta fuerit resurgendo. Et ideo ab hac intelligentia eam revocare volens, dicit *noli me tangere*; quasi dicat: non putes me de cetero habere vitam mortalem et vobiscum eo modo conversari quo primo. II Cor. V, v. 16: *et si novimus secundum carnem Christum, sed iam nunc non novimus*. Et hoc est quod subdit *nondum enim ascendi ad patrem meum*. Et tunc non est monitionis ratio, sed tacitae quaestionis responsio, quasi dicat: etsi videas me hic manentem, non est propter hoc quod non habeam gloriosam carnem; sed quia *nondum ascendi ad patrem meum*. Voluit enim priusquam ascenderet, fidem resurrectionis et suae divinitatis firmare in cordibus apostolorum. Deinde ponit instructionem affirmativam, dicens *vade autem ad fratres meos* scilicet apostolos, qui sunt fratres per conformitatem naturae, Hebr. II, 17: *debit per omnia fratribus assimilari*, et per adoptionem gratiae, quia eius patris sunt filii adoptivi, cuius ipse est filius naturalis. Ubi notandum est triplex privilegium, quod Magdalene est collatum. Primo quidem propheticum, per hoc quod meruit Angelos videre: propheta enim est medius inter Angelos et populum. Secundo Angelorum fastigium, per hoc quod vidit Christum, in quem desiderant Angeli prospicere. Tertio officium apostolicum, immo facta est apostolorum apostola, per hoc quod ei committitur ut resurrectionem dominicam discipulis annuntiet: ut sicut mulier viro primo nuntiavit verba mortis, ita et mulier primo nuntiaret verba vitae. *Et dic eis: ascendo ad patrem meum et patrem vestrum*. Supra XIV, v. 5: *vado ad eum qui me misit*; Eph. IV, v. 10: *qui descendit ipse et qui ascendit super omnes caelos*. Sed ex hoc Arius sumit sui erroris fulcimentum: quia per hoc quod dicit *patrem meum et patrem vestrum*, concludere voluit quod eodem modo Deus sit pater filii, sicut est noster pater; et Deus filii sicut Deus noster. Sed contra hoc dicendum quod haec verba qua intentione dicantur apparet ex circumstantiis loquendi. Dicit enim supra *vade ad fratres meos* etc.: hos autem fratres habet Christus secundum quod homo, et secundum hoc Christus est subiectus patri, sicut creatura creatori: nam ipsum corpus Christi creatura quaedam est. Vel aliter, secundum Augustinum, Christus hic loquitur de se secundum utramque naturam: quia quod dicit *ascendo ad patrem meum et patrem vestrum*, pertinet ad divinam naturam, secundum quam habet patrem Deum connaturalem cui est aequalis. Et sic intelligendum est aliter *meum*, et aliter *vestrum*: natura *meum*, gratia *vestrum*, quasi, hoc quod estis filii adoptivi per gratiam, per me habetis. Gal. IV, v. 4: *misit Deus filium suum (...) ut adoptionem filiorum Dei reciperemus*; Rom. VIII, 29: *quos praescivit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Quod addit *Deum meum et Deum vestrum*, refertur ad humanam naturam, secundum quam habet Deum gubernatorem. Et sic dicit *Deum meum*, sub quo ego homo sum, et *Deum vestrum*, inter quos et ipsum mediator sum: quia per ipsum habemus Deum nobis placatum, et sic Deum nostrum. Rom. V, v. 1: *iustificati igitur ex fide, pacem habeamus per dominum nostrum Iesum Christum per quem habemus accessum in gratiam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei*; II Cor. V, 19: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Promptitudo obedientiae Mariae ponitur cum dicit *venit Maria Magdalene annuntians, quia vidi dominum, et haec dixit mihi. Venit, de loco ubi erat horti spatium ante lapidem monumenti, annuntians discipulis*. I Cor. XI, 23: *ego enim accepi a domino quod et tradidi vobis*; Is. XXI, 10: *quae audivi a domino Deo exercituum, domus Israel, annuntiavi vobis*.

#### Lectio 4

[87555] Super Io., cap. 20 l. 4 Positis apparitionibus Christi factis mulieribus, in parte ista agit Evangelista de

apparitionibus factis apostolis, et primo de apparitione qua simul omnibus in Ierusalem apparuit, excepto Thoma; secundo de ea quae facta est, Thoma praesente, ibi *et post dies octo* etc.; tertio de ea quae facta est quibusdam specialiter iuxta mare, XXI capitulo *postea manifestavit se* et cetera. Circa primum duo ponuntur. Primo domini apparitio; secundo discipulorum dubitatio, ibi *Thomas autem* et cetera. Circa primum tria ponuntur. Primo domini apparitio; secundo officii iniunctio, ibi *dixit eis, pax vobis* etc.; tertio spiritualis muneris collatio, ibi *haec cum dixisset, insufflavit* et cetera. Circa primum tria facit. Primo ponit apparitionis circumstantias; secundo apparitionis continentiam, ibi *venit Iesus* etc.; tertio apparitionis consequentia, ibi *gavisi sunt discipuli viso domino*. Describit ergo apparitionem dominicam discipulis a quatuor circumstantiis. Primo quidem ex horae descriptione, quia *cum sero esset*; secundo ex diei designatione, quia *die illa*; tertio ex loci conditione, quia *cum fores essent clausae*; quarto ex discipulorum dispositione, quia *erant congregati propter metum Iudaeorum*. Fuit ergo hora apparitionis serotina: cuius duplex est ratio litteralis. Una, quia voluit simul apparere omnibus; et ideo praestolatus est usque in sero, ut qui dispersi erant de die, simul convenirent in sero: nam de nocte simul erant. Alia ratio est quia dominus eis apparuit ut confortaret eos. Illam ergo elegit horam qua magis stupentes confortatione indigebant: haec est sero. Ps. XLV, 2: *adiutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis*. Est etiam ratio mystica, quia scilicet dominus in fine mundi apparebit fidelibus, quando media nocte clamor fiet: *ecce sponsus venit*, redditurus eis mercedem suam; Matth. XX, 8: *cum sero factum esset, dixit dominus vineae procuratori suo: voca operarios, et redde eis mercedem*. Dies apparitionis fuit ipsamet dies resurrectionis, quia *die illa una sabbatorum*, scilicet dies dominica, de qua dictum est (supra hoc cap.) *una autem sabbati*. Quare autem dicatur *una sabbatorum*, iam dictum est. Potest autem ex Evangelii colligi, dominum quinquies isto die apparuisse. Bis scilicet mulieribus, semel Magdalenae soli, de qua immediate supra, et iterum simul cum aliis mulieribus revertentibus; et tunc accesserunt, et tenuerunt pedes eius. Tertio vero apparuit duobus discipulis ipso die euntibus in Emaus, Lc. ult., 13. Quarto autem Simoni Petro. Sed quando et quomodo et ubi, non exprimitur, nisi tantum quod apparuit. Lc. ult., v. 34: *surrexit dominus vere, et apparuit Simoni*. Quinto apparuit omnibus simul congregatis de sero, ut habetur hic. Et ideo cantatur: *haec dies quam fecit dominus: exultemus et laetemur in ea*: Ps. CXVII, 24. Per hoc autem datur intelligi, quod in die communis resurrectionis apparebit manifeste omnibus mulieribus, peccatoribus, peregrinis, apostolis, et apostolicis viris: quia *videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt*: Apoc. I, 7. Conditio autem loci describitur per clausuram, dubia et timida; quia *fores essent clausae*: ad litteram propter tarditatem, quia nox erat, et *propter metum Iudaeorum*. Sed ex parte Christi, clausurae causa fuit ut manifestaret eis virtutem suae potestatis intrando ad eos ianuis clausis. Sciendum est autem circa hoc, quod secundum quosdam intrare ianuis clausis est de proprietate corporis gloriosi, quod dicunt per quamdam conditionem sibi inhaerentem posse esse cum alio corpore simul in eodem loco, in quantum est gloriosum: et hoc factum esse et fieri posse sine miraculo. Sed hoc non potest stare: quia quod corpus humanum non glorificatum, non possit simul cum alio corpore esse, inest sibi ex natura. Oportet ergo quod si corpus glorificatum dicatur habere in se proprietatem aliquam inhaerentem, quod possit simul cum alio corpore esse in eodem loco, quod excludatur ab eo illa proprietas qua nunc impeditur ne simul cum alio possit esse. Haec autem proprietas nullo modo est separabilis vel destructibilis a corpore, cum non sit mathematica corpulentia ut ipsi dicunt, sed ipsae dimensiones corporis quanti, quibus proprie accidit situs. Unde philosophus arguit contra ponentes ideas et materias. Et quod dato etiam quod vacuum esset totum spatium super terram, adhuc corpus sensibile non posset esse simul cum illis, propter dimensiones quantitatis. Per nullam autem proprietatem corporis gloriosi possent removeri dimensiones a corpore, natura corporis remanente. Et ideo dicendum est, quod hoc miraculose Christus fecit virtute suae divinitatis; et quandocumque in sanctis simile contingeret, miraculosum esset, et per novum miraculum fit. Et hoc expresse dicunt Augustinus et Gregorius. Dicit enim Augustinus: *quaeris quomodo per ostia clausa intrare potuit? Si comprehendis modum, non est miraculum. Ubi deficit ratio, ibi est fidei aedificatio*: et subdit: *ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit*. Sicut ergo ortus eius ex virgine matre virtute suae divinitatis miraculosus fuit, sic introitus iste. Mystice autem per hoc datur intelligi quod Christus nobis apparet quando fores, idest sensus exteriores, sunt clausi in oratione, Matth. VI, 6: *tu autem cum oraveris, intra in cubiculum*, et in fine mundi, quando quae paratae erunt, intrabunt ad nuptias, et postea claudetur ianua, ut habetur Matth. XXV, 10. Dispositio discipulorum describitur imitanda, quia *congregati erant*: quod quidem non vacat a mysterio. Christus enim ad congregatos venit, spiritus sanctus ad congregatos descendit: quia Christus et spiritus sanctus non nisi in caritate congregatis adsunt. Matth. XVIII, 20: *ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine*



*meo, ibi sum in medio eorum.* Hic ponitur ipsa apparitio Christi quantum ad tria. Primo quantum ad Christi praesentiam quam exhibuit; secundo quantum ad salutationem quam eis protulit; tertio quantum ad sui certam manifestationem, quam eis ostendit. Praesentiam autem suam exhibuit eis Christus absque omni dubio, quia *venit, et stetit in medio discipulorum.* Venit quidem personaliter ipse idem, sicut eis promiserat supra XIV, 28: *vado, et venio ad vos.* Sed *stetit in medio*, ut omnes certitudinaliter agnoscerent. Unde arguuntur Iudaei qui eum non cognoverunt. Supra I, 26: *medium autem vestrum stetit quem vos nescitis.* Item *stetit in medio discipulorum*, ut ostendat conformitatem humanae naturae quam habet ad eos. Eccli. I, 13: *circa illum corona fratum, quasi plantatio cedri in monte Libano.* Item *stetit in medio*, per condescensionem, quia inter eos conversatus est sicut unus ex eis. Eccli. XXXII, 1: *rectorem te posuerunt? Noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis;* Lc. XXII, 27: *ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Item ad designandum quod nos debemus esse in medio virtutis. Is. XXX, 21: *haec est via: ambulate in ea, neque declinetis ad dexteram neque ad sinistram.* Qui enim excedit in plus, divertit ad dexteram; qui autem deficit in minus, vadit ad sinistram. Salutationis autem verba eis protulit, dicens *pax vobis.* Sed haec fuit necessaria: erat enim eorum pax multipliciter perturbata, et quantum ad Deum, contra quem quidam peccaverunt negando, quidam fugiendo Matth. XXVI, 31: *omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte, scriptum est enim: percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* Et contra hoc proposuit eis pacem reconciliationis ad Deum; Rom. V, 10: *reconciliati sumus Deo per mortem filii eius:* hanc enim per passionem fecit. Item quantum ad seipsos: quia tristes erant, et in fide dubii; et hanc etiam pacem factam proposuit. Ps. CXVIII, 165: *pax multa diligentibus legem tuam.* Item quantum ad exteriores: quia a Iudaeis persecutiones patiebantur; et contra hoc dicit eis *pax vobis*, contra Iudaeorum scilicet persecutiones. Supra XIV, 27: *pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Certam autem sui manifestationem ostendit eis per manus et latus, unde sequitur *haec cum dixisset, ostendit eis manus et latus*, quia in eis specialiter remanserunt signa passionis suae. Lc. ult., 39: *videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.* Sic et in gloria se ostendet; supra c. XIV, 23: *si quis diligit me, sermonem meum servabit*, et infra: *manifestabo ei meipsum.* Hic ponitur apparitionis effectus, qui est gaudium in cordibus discipulorum de visione domini, quam promiserat eis supra c. XVI, 22: *iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum.* Sed hoc gaudium implebitur in patria, scilicet bonis, ex aperta visione Dei. Is. ult., 14: *videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt.* Iniungit apostolis officium, et primo praemittit pacis vinculum; secundo iniungit officium, *ibi sicut misit me pater. Dixit ergo eis iterum, pax vobis.* Hoc dixit eis contra perturbationem duplicem: nam contra perturbationem praesentem a Iudaeis, dixit eis primo *pax vobis*; sed contra conturbationem factam a gentibus, *dixit eis iterum, pax vobis.* Supra XVI, 33: *in mundo pressuram habebitis, in me autem pacem.* Nam ad gentes mittendi erant. Et ideo statim subditur iniunctio officii: *sicut misit me pater, et ego mitto vos:* in quo ostendit se mediatorem inter Deum et homines. I Tim. II, 5: *mediator Dei et hominum homo Christus Iesus* et cetera. Hoc erat ad consolationem discipulorum, qui cognoscentes auctoritatem Christi, sciebant eum mittere ipsos auctoritate divina. Item considerantes dignitatem propriam, scilicet quod habebant officium proprium apostolorum: apostolus enim idem est quod missus. Dicit ergo *sicut misit me pater, et ego mitto vos*, idest, sicut pater diligens me misit in mundum ad passionem tolerandam pro salute fidelium, supra III, 17: *non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*, ita ego diligens vos, mitto vos ad tribulationes sustinendas pro nomine meo. Matth. c. X, 16: *ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Secundo datur eis idoneitas officii per dationem spiritus sancti. II Cor. III, v. 6: *qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti non littera, sed spiritu.* Unde sequitur *haec cum dixisset, insufflavit* et cetera. Et circa hanc dationem primo praemittit dationis signum, quod est insufflatio; unde dicit *insufflavit.* Simile habetur Gen. II, v. 7: *inspiravit in faciem eius spiraculum vitae*, quod primus homo depravavit, scilicet vitae naturalis: sed hoc Christus reparavit, dando spiritum sanctum. Non est intelligendum quod huiusmodi flatus Christi fuerit spiritus sanctus, sed signum eius. Unde Augustinus dicit IV de Trinitate: *flatus ille corporeus substantia spiritus sancti non fuit, sed demonstratio per congruam significationem non tantum a patre sed etiam a filio procedere spiritum sanctum.* Notandum autem, quod super Christum spiritus sanctus missus est primo quidem in columbae specie in Baptismo, supra III, et in specie nubis in transfiguratione; Matth. XVII, 5. Cuius ratio est, quia gratia Christi, quae datur per spiritum sanctum, derivanda erat ad nos per propagationem gratiae in sacramentis: et sic descendit in specie columbae in Baptismo, quae est animal fecundum; et per doctrinam, et sic descendit in nube lucida. Unde et ibi ostenditur doctor; unde dicit: *ipsum audite.* Super apostolos autem primo descendit in flatu, ad designandam propagationem gratiae in

sacramentis, cuius ipsi ministri erant; unde dicit *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Matth. ult., 19: *euntes ergo baptizate eos in nomine patris et filii et spiritus sancti*. Secundo vero in igneis linguis ad significandam propagationem gratiae per doctrinam. Unde dicit Act. II, 4, quod postquam repleti sunt spiritu sancto, statim coeperunt loqui. Secundo ponit dationis verba, dicens *accipite spiritum sanctum*. Sed numquid hic acceperunt spiritum sanctum? Videtur quod non: quia cum nondum ascendisset in altum, non debuit dona dare hominibus. Et quidem, secundum Chrysostomum, quidam dicunt, quod Christus non dedit eis hic spiritum sanctum; sed praeparavit eos ad dationem futuram in Pentecoste. Et moventur ad hoc, quia Daniel. X, 8 dicitur, quod non potuit sustinere visionem Angeli: unde isti nisi praeparati non potuissent sustinere spiritus sancti adventum. Sed tamen ipse Chrysostomus dicit: *spiritus sanctus datus fuit discipulis non communiter ad omnia: sed ad aliquem effectum*, scilicet ad dimittendum peccata, sicut Matth. X, 8, ad faciendum miracula. Augustinus autem et Gregorius dicunt, quod spiritus sanctus habet duo praecepta dilectionis, scilicet Dei et proximi: et ideo primo datus fuit in terra ad designandum praeceptum dilectionis proximi; secundo de caelo ad designandum praeceptum dilectionis Dei. Tertio ponitur dationis fructus *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: quod conveniens effectus est spiritus sancti, scilicet remissio peccatorum: nam ipse caritas est, et per eum nobis datur caritas. Rom. c. V, 5: *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Remissio autem peccatorum non fit nisi per caritatem. Quia: *universa delicta operit caritas*; I Petr. IV, 8: *caritas operit multitudinem peccatorum*. Hic ergo primo quaeritur de hoc quod dicit *quorum remiseritis peccata*, cum solus Deus peccata remittat. Ad hoc aliqui dicunt, quod solus Deus remittit culpam; sed sacerdos absolvit tantum a reatu poenae, et denuntiat eum absolutum a macula culpae. Sed hoc non est verum: nam sacramentum poenitentiae cum sit sacramentum novae legis, confert gratiam, sicut et in Baptismo confertur. Sed in Baptismo sacerdos baptizat instrumentaliter, et tamen confert gratiam: ergo similiter in sacramento poenitentiae sacramentaliter et ministerialiter absolvit a poena et culpa, inquantum dat sacramentum in quo peccata dimittuntur. Quod autem dicitur, quod solus Deus peccata dimittit, verum est auctoritate. Sic etiam solus Deus baptizat; sed sacerdos ministerio, ut dictum est. Item quaeritur de hoc quod dicit *accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Videtur ergo quod qui non habet spiritum sanctum, non possit peccata dimittere. Ad quod dicendum, quod si remissio peccatorum esset proprium opus sacerdotis, idest quod ex sua virtute hoc faceret, non utique posset sanctificare nisi sanctus. Remissio autem peccatorum est proprium opus Dei, qui propria virtute et auctoritate peccata dimittit, sacerdotis autem non nisi est sicut instrumenti. Sicut ergo dominus per servum et ministrum suum, sive sit bonus sive malus, potest facere voluntatem suam ad exequendum aliqua: ita et dominus per ministros, etiam si mali sint, potest sacramenta conferre, in quibus datur gratia. Item quaeritur de hoc quod dicitur *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ad quod dicendum est quod, sicut dictum est, sacerdos in sacramentis agit sicut minister Dei. I Cor. IV, 1: *sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*. Eodem ergo modo quo Deus remittit et retinet peccata, simul et sacerdos. Remittit autem Deus peccata largiendo gratiam; sed dicitur retinere non largiendo eam propter impedimentum ex parte recipientis: sic et minister remittit peccata, inquantum impendit sacramentum Ecclesiae; et retinet inquantum aliquos indignos ostendit sacramentorum receptione.

## Lectio 5

[87556] Super Io., cap. 20 l. 5 Posita salvatoris apparitione, hic agit Evangelista de discipuli dubitatione, et primo ponitur discipuli absentia; secundo ponitur sibi facta denuntiatio, ibi *dixerunt ergo ei alii discipuli vidimus dominum*; tertio obstinata eius dubitatio, ibi *ille autem dixit* et cetera. Absens autem discipulus describitur primo ex nomine, quia *Thomas*, qui interpretatur abyssus, sive geminus. In abyssu autem duo sunt: scilicet profunditas et obscuritas. Abyssus ergo Thomas propter obscuritatem infidelitatis, quam habet ex se. Item abyssus ex profunditate miserationis, quam habet a Christo: unde de hoc dicitur in Ps. XLI, 8: *abyssus profunditatis, scilicet Christus, abyssum obscuritatis, scilicet Thomam, invocat miserando*; et *abyssus obstinationis, scilicet Thomas, abyssum profunditatis, scilicet Christum, invocat confitendo*. Secundo ex dignitate, quia *unus ex duodecim*: non quod tunc duodecim essent, quia iam Iudas interierat, Matth. XXVII, 5, sed dicitur unus de duodecim, quia erat electus ad eam dignitatem quam Deus sacraverat duodenario numero; Lc. VI, 13: *elegit duodecim, quos apostolos nominavit*. Et hunc numerum Deus voluit semper esse integrum. Tertio ex interpretatione *qui dicitur Didymus*. Thomas enim est nomen Syrum vel Hebraeum, et habet duas interpretationes, scilicet geminus et

abyssus. Geminus autem Latine, Graece dicitur Didymus: et ideo quia Ioannes in Graeco scripsit Evangelium, posuit *Didymus*. Dicitur autem geminus, quia forte fuit de tribu Benjamin, in qua aliqui vocabantur gemini; vel etiam omnes. Vel potest hoc referri ad eius dubitationem: quia qui certus est, firmatus est in unam partem, sed qui dubitat, accipit unam partem cum formidine alterius. Iste ergo Thomas *non erat cum eis*, scilicet discipulis, *quando venit Iesus*: tardius enim rediit quam alii qui de die dispersi erant, et sic amisit solatium dominicae visionis, pacis eulogium, et sancti spiritus afflatum. Instruimur autem per hoc a societate separari non debere. Hebr. X, 25: *non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam*. Sed, ut Gregorius dicit, non hoc casu, sed divina gestum est voluntate, ut electus discipulus tunc deesset; sed divinae pietatis dispensatione, ut scilicet discipulus dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Unde in hoc apparent potissima signa altissimae pietatis Dei. Et primo in hoc quod intantum diligit genus humanum, quod aliquando permittit aliquas tribulationes fieri electis suis, ut inde aliquod bonum humano generi proveniat. Propter hoc enim apostolos, prophetas et sanctos martyres permisit affligi. Oseae VI, 5: *propter hoc dolavi in prophetis, occidi eos in verbis oris mei*; II Cor. I, 6: *sive tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatione, quae operatur tolerantiam earumdem passionum quas et nos patimur*. Sed, quod adhuc mirabilius est, permittit aliquem sanctum labi in peccatum propter instructionem: ut quid enim permisit aliquos sanctos et iustos viros graviter peccasse (sicut quod David adulter fuit et homicida) nisi quod ex hoc instructi cautiores simus et humiliores? Ut *qui existimat stare, videat ne cadat*; et qui cecidit, *adiiciat ut resurgat*. Unde Ambrosius dixit Theodosio imperatori: *secutus es errantem, sequi studeas poenitentem*. Et ideo dicit Gregorius, quod *plus profuit nobis Thomae infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum*. Consequenter cum dicit *dixerunt ergo ei alii discipuli, vidimus dominum*, ponit denuntiationem. Quia statim non venit Thomas, *dixerunt autem ei alii discipuli: vidimus dominum*. Et hoc est ex ordinatione divina, ut quod unus accipit a Deo, communicet aliis. I Petr. IV, 10: *unusquisque gratiam quam accepit, in alterutrum illam administrantes*; et Is. XXII, 10: *quae audivi a domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis*; Gen. XXXII, 30: *vidi dominum, et salva facta est anima mea*. Consequenter cum dicit *ille autem dixit eis etc.*, ponitur obstinata Thomae dubitatio. Et quidem satis fuisset excusabilis, quod non statim credidit: quia, ut dicitur Eccli. XIX, 4: *qui cito credit, levis est corde*. Sed multum investigare, praesertim ubi de secretis Dei agitur, grossities mentis est. Prov. XXV, 27: *sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui perscrutator est maiestatis, opprimetur a gloria*; Eccli. III, v. 22: *altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. Sed quae praecepit Deus tibi, illa cogita semper, et in pluribus operibus eius ne fueris curiosus*. Circa Thomam considerandum est, quod durus fuit ad credendum, et irrationabilis ad petendum. Durus quidem, quia noluit credere nisi sensibili argumento; et non tamen unius sensus, sed duorum, scilicet visus, quia *nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et tactus, et mittam manum meam in latus eius, non credam*. Irrationabilis vero fuit, quia petebat vulnera videre ad comprobationem fidei; cum maius videret, scilicet totius hominis resuscitati reparationem. Et licet hoc Thomas propter sui dubietatem diceret, tamen hoc divinitus factum est propter nostram utilitatem et aedificationem. Certum est enim quod qui se totum hominem reparavit resurgendo, potuit etiam vulnerum cicatrices extergere; sed servatae sunt propter nostram utilitatem.

## Lectio 6

[87557] Super Io., cap. 20 l. 6 Hic agitur de secunda apparitione dominica, qua apparuit omnibus discipulis praesente Thoma, et primo ponit Christi apparitionem; secundo discipuli confirmationem, ibi *deinde dixit Thomae etc.*; tertio eorum quae dicta sunt in Evangelio, recapitulationem, ibi *multa quidem et alia signa fecit Iesus* et cetera. Circa primum tria facit. Primo describit apparitionis tempus; secundo manifestat personas quibus apparuit; tertio modum apparitionis ostendit. Tempus quidem, quia *post dies octo*, scilicet a die resurrectionis dominicae, in cuius sero facta fuit prima apparitio. Cuius quidem una ratio litteralis est, ut ostenderet etiam Evangelista quod licet Christus pluries apparuisset discipulis, non tamen continue conversatus est cum eis, cum non ad eundem vivendi modum surrexerit, sicut nec nos ad eandem vitam resurgemus. Iob XIV, v. 14: *cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea*. Secundo ut Thomas interim audiens a discipulis apparitionem praecedentem, accendatur ad maius desiderium, et fidelior fieret ad credendum. Alia ratio mystica est, quia huiusmodi apparitio illam designat qua nobis apparebit in gloria; I Io. III, 2: *cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Quae quidem apparitio erit in octava aetate resurgentium. Quibus

autem apparuit ostendit subdens *iterum erant discipuli eius intus, et Thomas cum eis*. Ubi notandum, quod Thomas solus hac apparitione indigebat; non tamen ei singulariter dominus apparuit, sed in congregatione existenti, ad designandum quod singularitates non sunt multum Deo acceptae, sed hi qui in communitate caritatis existunt. Matth. XVIII, 20: *ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Similiter etiam hi quibus nunc apparet non sunt collecti simul in unum; sic nec in ipsa apparitione simul omnes fuerunt; sed in futura simul omnes erunt, ita quod nullus deerit. Matth. XXIV, 28: *ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae*. Et infra: *mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos eius a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum*. Modum autem apparendi ostendit dicens *venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medio, et dixit eis, pax vobis*: quod supra est expositum. Nihilominus tamen ponit circa hoc tria: nam primo ponit modum veniendi, quia *ianuis clausis*; quod miraculose factum est, ut dicit Augustinus, ex virtute qua super mare siccis pedibus ambulavit. Secundo modum standi, quia *in medio*, ut ab omnibus videretur, et decebat ut in medio staret. Tertio modum loquendi, quia *pax vobis*, scilicet reconciliationis, quam annuntiavit factam ad Deum. Rom. V, 10: *reconciliati sumus Deo per mortem filii eius*; Col. I, 20: *pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in caelis sive quae in terris sunt*. Item aeternitatis et immortalitatis futuram, quam promisit eis habendam. Ps. CXLVII, v. 14: *qui posuit fines tuos pacem*. Item caritatis et unitatis, quam praecepit eis servandam. Mc. IX, 49: *pacem habete inter vos*. Hic ponitur confirmatio et revocatio discipuli dubitantis: in quo apparet secundum signum divinae pietatis, quod electis suis in casu cito subvenit, licet cadant. Cadunt enim electi aliquando, sicut et reprobi, sed differenter: quia reprobi franguntur; electis vero cito dominus supponit manum suam, ut resurgant. Ps. XXXVI, 24: *cum ceciderit iustus, non collidetur, quia dominus supponit manum suam*. Item: *si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua, domine, adiuvabat me*. Et ideo statim supponit Thomae lapso manum, ita ut cum diceret *nisi videro non credam*, revocat dicens *infer digitum tuum huc*. Et circa hoc tria ponuntur. Primo cicatricum exhibitio; secundo Thomae confessio, ibi *respondit Thomas* etc.; tertio tarditatis eius reprehensio, ibi *quia vidisti me, Thoma, credidisti*. Notandum autem circa primum, quod Thomas petiit conditiones ut crederet, scilicet videre et palpate cicatrices, ut dictum est: et si hoc sibi fieret, promisit se crediturum. Et ideo dominus, cum haec diceret, praesentia suae divinitatis assistens, servatis illis conditionibus revocat eum. Unde primo exhibet conditionem; secundo petit promissi solutionem, ibi *noli esse incredulus, sed fidelis*. Conditio fuit palpate cicatrices, et ideo dicit *infer digitum tuum*. Sed hic oritur dubitatio: quia in corporibus glorificatis nullus potest esse defectus, cicatrices autem sunt defectus quidam: quomodo ergo fuerunt in corpore Christi? Ad hoc respondet Augustinus in libro de symbolo, sic dicens: posset autem de corpore suscitato et glorificato omnem maculam cuiuslibet cicatricis in suo corpore abstergere; sed sciebat quare cicatrices in suo corpore servaret. Primo quidem ut demonstraret Thomae non credenti, nisi tangeret et videret; deinde vero ad exprobandum infidelibus et peccatoribus in iudicio. Non ut eis dicat sicut Thomae: *quia vidisti me, credidisti*: sed ut convincens eos dicat: ecce hominem quem crucifixistis, videte vulnera quae infixistis, agnoscite latus quod pupugistis: quoniam et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Iuxta hoc etiam quaeritur, utrum in corporibus martyrum remaneant vestigia vulnerum? Sed ad hoc similiter respondet Augustinus, XXII de civitate Dei, quod remanebunt quidem, non ad turpitudinem, sed ad immensum decorem, sic dicens: non hoc in eis deformitas, sed dignitas erit; et quidem in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Nec ideo tamen si aliqua martyribus amputata vel ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est: *capillus de capite vestro non peribit*: sed ubi membra, ut praeciderentur, percussa sunt vel secta, ibi cicatrices, sed in eisdem membris redditae, non perditae apparebunt. Sed, secundum Gregorium, cum quod incorruptibile est, palpari non possit, quomodo dominus corpus suum, quod incorruptibile erat, palpandum praebuit? Rom. VI, v. 9: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*. Unde hac ratione motus Eutyches haereticus dixit, quod corpus Christi et corpora omnium resurgentium non erunt palpabilia, sed subtilia et spiritualia ad modum venti et spirituum. Sed quia hoc est contra illud quod dominus dicit Lc. ult., 39: *palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet*, incorruptibilem ergo et palpabilem se dominus demonstravit, ut ostenderet corpus suum esse post resurrectionem eiusdem naturae, quod fuerat corruptibile, et induerat incorruptionem, I Cor. XV, 53, et alterius gloriae: quia quod crassum et ignobile fuerat, surrexit in gloria et subtile per effectum spiritualis potentiae. Sed addit *et vide manus*, quae pependerit in cruce, *et mitte in latus*, lancea perforatum, et cognosce me illum eundem esse qui pependerit in cruce. Mystice autem per digitum discretio designatur, per manus opus nostrum. Monet ergo et digitum et manus in latus suum mittere, ut quidquid nobis est discretionis, et operis, in Christi servitium expendamus: Gal.

ult., 14: *mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi*. Et petit promissi solutionem, dicens *et noli esse incredulus, sed fidelis*. Apoc. II, 10: *esto fidelis usque ad mortem*. Consequenter cum dicit *respondit Thomas* etc., ponitur Thomae confessio: ubi apparet quod statim factus est Thomas bonus theologus, veram fidem confitendo: quia humanitatis Christi, cum dicit *dominus meus*. Sic enim vocabant eum ante passionem; supra XIII, 13: *vos vocatis me magister et domine*. Item divinitatis: quia *Deus meus*. Ante enim non vocabant eum Deum, nisi quando Petrus dixit Matth. XVI, 16: *tu es Christus filius Dei vivi*. I Io. ult., 20: *hic est verus Deus, et vita aeterna*; Ps. XCVII, v. 28: *Deus meus, et confitebor tibi*. Tarditatem autem Thomae dominus arguit dicens *quia vidisti me, Thoma, credidisti*, et primo reprehendit eius tarditatem; secundo commendat aliorum ad credendum facilitatem, ibi *beati qui non viderunt et crediderunt*. Dicit ergo *quia vidisti me*. Ubi est una dubitatio, quia cum fides sit substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium, ut dicitur Hebr. XI, 1, quomodo hic dominus dicit *quia vidisti me, credidisti*? Sed dicendum, quod aliud vidit, et aliud credidit. Vidit hominem et cicatrices, et ex hoc credidit divinitatem resurgentis. Sed secunda dubitatio est, quia Thomae petenti *nisi videro et tetigero*, Deus utrumque exhibuit, scilicet tactum et visum; ergo debuit dicere, quia vidisti et tetigisti, credidisti. Respondeo dicendum, secundum Augustinum, quod sensu visus utimur pro quolibet sensu. Dicimus enim: vide quomodo calet, quomodo sonat, quomodo sapit, quomodo redolet. Dicit ergo: *infer digitum tuum huc, et vide*; non quod in digito sit visus, sed dicitur quasi: tange et experire; ita et hic *quia vidisti me*, idest quia expertus es etiam per tactum. Vel dicendum, quod Thomas videns vulnera et cicatrices confusus est in seipso, et antequam poneret digitum credidit, et dixit: *dominus meus et Deus meus*. Sed tamen Gregorius dicit, quod tetigit, et ad visum confessus est. Consequenter cum dicit *beati qui non viderunt et crediderunt*, commendat facilitatem aliorum ad credendum; et hoc specialiter ad nos pertinet. Utitur autem praeterito pro futuro propter certitudinem. Sed contra hoc Lc. X, 23, dicitur: *beati oculi qui viderunt quae vos videtis*. Ergo magis beati qui viderunt quam qui non viderunt. Respondeo, quod duplex est beatitudo. Una est rei, quae consistit in munere divino, de quo quanto alicui plus conceditur, tanto beatior est; et sic quantum ad hoc beati sunt oculi qui vident, quia hoc est munus gratiae. Alia est beatitudo spei, quae consistit in merito; unde secundum hanc tanto quis est beatior, quanto potest plus mereri. Plus autem meretur qui credit et non vidit, quam qui videns credit. Hic ponitur epilogus: et primo ponitur insufficientia huius Scripturae; secundo eius utilitas, ibi *haec autem scripta sunt ut credatis* et cetera. Insufficientia quidem apparet, quia *multa et alia fecit Iesus signa et facta quae non sunt scripta in libro hoc*. Iob XXVI, 14: *ecce haec ex parte dicta sunt viarum eius: et cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Eccli. XLIII, 36: *multa sunt abscondita maiora his: pauca enim videmus eius*. Sed secundum Chrysostomum, hoc ideo dicit, quia pauciora miracula narrat Ioannes quam alii Evangelistae. Et ideo ne videretur ea negare, dicit hoc: et ideo specialiter subdit *quae non sunt scripta in libro hoc*. Vel hoc refertur ad passionem et resurrectionem; quasi, multa ostensiva suae resurrectionis post resurrectionem fecit in conspectu discipulorum, quae non ostendit aliis. Act. X, v. 40: *dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo*. Ponitur et huius utilitas, quia effectus fidei, quia *haec scripta sunt ut credatis quia Iesus Christus est filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius*. Ad hoc enim est tota Scriptura novi et veteris testamenti; Ps. XXXIX, 9: *in capite libri scriptum est de me*; supra V, 39: *scrutamini Scripturas (...) quoniam ipsae sunt quae testimonium perhibent de me*. Item fructus vitae, quia *ut credentes vitam habeatis*, hic vitam iustitiae, quae habetur per fidem, Hab. II, 4: *iustus autem meus ex fide vivit*, et in futuro vitam speciei quae habetur per gloriam; et *in nomine eius*, scilicet Christi. Act. IV, 12: *non est aliud nomen sub caelo in quo oporteat nos salvos fieri*.

## Caput 21

### Lectio 1

[87558] Super Io., cap. 21 l. 1 Positis duabus apparitionibus Christi ad discipulos hic ponit Evangelista tertiam apparitionem. Et si ordinem et finem harum apparitionum consideremus, patet quod in prima ostendit suae divinitatis auctoritatem, spiritum sanctum ibi insufflando; in secunda personae identitatem, cicatrices ostendendo; in tertia naturae resurgentis veritatem, cum eis comedendo. Dividitur autem haec pars in duas. In prima ostendit quid communiter discipulis pluribus dominus exhibuit; in secunda quid specialiter duobus praedilectis ibi *cum ergo prandissent* et cetera. Circa primum primo ponitur apparitionis titulus; secundo apparitionis modus, ibi *manifestavit autem sic*; tertio apparitionis epilogus, ibi *hoc iam tertio manifestatus est Iesus*. In titulo autem tria

designantur; scilicet tempus, modus, et locus. Tempus quidam, quia *postea*, idest post praedicta. Quod signanter dicit, quia, ut dictum est, non continue erat cum eis, sed per vices eis apparebat. Cuius ratio est, quia non surrexerat ad eandem vitam, sed ad gloriosam, in qua sunt Angeli, et erunt beati. Dan. II, 11: *exceptis diis*, idest Angelis, *quorum conversatio non est cum hominibus*. Sed cum supra fecerit quamdam conclusionem, dicens *haec autem scripta sunt*, quare addit hic hanc narrationem? Ad haec Augustinus assignat rationem mysticam. Per hanc enim apparitionem significatur gloria futurae vitae, quando nobis apparebit *sicuti est*. Et ideo post finem hanc posuit, ut faceret evidentiore locum quo illam daret intelligi. Modum vero ponit, quia *manifestavit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis*. In natura enim corporis gloriosi est et virtute, ut possit videri et non videri, sicut vult, a corpore non glorioso: et ideo dicit *manifestavit*, idest, se visibilem praebuit. Id hoc etiam modo dicitur apparere, quod idem est quod manifestari. Act. I, 3: *per dies quadraginta apparens eis*. Nam, ut Ambrosius dicit, id apparet in cuius potestate est videri et non videri. Locus autem est *ad mare Tiberiadis*, quod est mare Galilaeae; sed Tiberiadis dicitur a Tiberiade civitate aedificata in honorem Tiberii Caesaris. Ponit autem hoc Evangelista primo quidem ut ostendat completam esse promissionem factam discipulis. Matth. XXVIII, 7: *praecedet vos in Galilaeam*. Secundo ut ostendat quoniam dominus plurimum timorem de cordibus discipulorum abstulerat, ut de reliquo iam non in domo manerent inclusi: sed longe procedunt usque in Galilaeam. Consequenter cum dicit *manifestavit autem* ponitur ipsa apparitio, et primo ponuntur personae quibus facta est; secundo ipsarum personarum officium, ibi *dixit ei Simon Petrus* etc.; tertio apparitionis modus, ibi *mane autem facto stetit Iesus in littore*. Personae autem quibus se manifestavit, sunt septem; unde dicit *erant autem simul Simon Petrus, qui negaverat, et Thomas qui dicitur Didymus, qui in prima apparitione non fuerat, et Nathanael, qui erat a Cana Galilaeae, qui, ut creditur, frater Philippi erat, de quo supra I, et filii Zebedaei, scilicet Iacobus et Ioannes, et alii ex discipulis eius duo*, qui non expresse nominantur. Per hunc autem numerum mystice significatur futurae gloriae apparitio, quae erit post septimam aetatem, scilicet in octava, quae est resurgentium. Is. ult., 23: *erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato; et veniet omnis caro ut adoret coram facie mea*. Officium autem quo occupati erant est piscationis; unde dicit *dixit eis Simon Petrus, vado piscari* et primo ponitur Petri invitatio ad hoc officium; secundo aliorum assensus; tertio officii executio. Invitat quidem ad officium, dicens *vado piscari*: per quod quidem mystice significatur praedicationis officium. Matth. IV, 19: *faciam vos fieri pisces hominum*. Sic ergo dicit Petrus *vado piscari*, per quod mystice significatur quod alios assumit in partem suae sollicitudinis et praedicationis. Ex. XVIII, 22: *levius tibi sit partito in alios onere*. Sed contra Lc. IX, 62: *nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei*. Constat autem quod Petrus dimiserat piscationem: quomodo ergo rediit et respexit retro? Responsio, secundum Augustinum. Si rediisset ad officium piscationis ante resurrectionem Christi et vulnerum inspectionem, putarem eum ex desperatione hoc fecisse. Nunc vero post eum sibi de sepulcro redditum vivum, post inspecta vulnerum loca et acceptum eius insufflatione spiritum sanctum, facti sunt sicut fuerant piscium piscatores. Per quod datur intelligi quod praedicator potest ex arte sua licita victum necessarium quaerere, sui apostolatus integritate servata, si aliunde non habeat. Si enim beatus Paulus, ut alios non gravaret, artem quam non noverat, didicit, ut sibi necessarium acquireret victum: quanto magis Petrus de arte sua licita potuit hoc facere? Sed dicit, quod hoc est faciendum quando non habet aliunde. Sed constat quod semper habet et habuit, quia dominus promisit dicens Matth. VI, 33: *quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adiicientur vobis*, scilicet necessaria. Ad quod dicendum est, quod verum est quod adiiciuntur, sed nobis cooperantibus: et ideo dominus Petro cooperante hoc implevit. Nam quis alius pisces qui caperentur apposuit nisi ipse dominus? Sed notandum, secundum Gregorium, quod duplex est officium. Unum quod occupat mentem et impedit spiritualia; et ad tale officium non est redeundum, nec eo procurandum victum; sicut est vectigal et huiusmodi. Unde Matthaicum non legimus rediisse ad telonium. Est autem et aliud quod sine peccato et mentis occupatione exerceri potest, sicut est officium piscationis huiusmodi; et ideo hoc negotium post conversionem repetere, culpa non fuit. Assensus autem aliorum ponitur cum dicit *venimus et nos tecum*: in quo datur exemplum praedicatoribus et praelatis cohortandi se mutuo ad conversionem Prov. c. XVIII, 19: *frater qui iuvatur a fratre, quasi civitas firma*; Eccli. I, 13: *circa illum corona fratrum quasi plantatio cedri in monte Libano*. Executio vero officii ponitur cum dicit *exierunt et ascenderunt in navim, et illa nocte nihil prendiderunt*. Et tangit tria quae debent facere praedicatores. Primo quidem exire a peccatorum conversatione: II Cor. VI, 17: *exite de medio eorum*, scilicet Chaldaeorum, *et separamini, dicit dominus, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos*. A carnalium affectione; Gen. XII, v. 1: *egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui*. Et a quietis contemplatione; Cant. VII, 11:

*egrediamur in agrum, commoremur in vineis: mane surgamus ad vineas et cetera. Secundo debent ascendere in navem, idest proficere in caritate unitatis Ecclesiae, quae dicitur navis. I Petr. III, 20: in diebus Noe cum fabricaretur arca, in qua pauci, idest octo animae salvae factae sunt per aquam. Item in navi crucis, assumendo carnis mortificationem. Gal. ult., 14: mihi absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo; Sap. XIV, 7: benedictum lignum per quod fit iustitia. Tertio totalis de adiutorio Christi fiducia; unde tota nocte illa nihil prendiderunt, quia quamdiu deest auxilium divinum et interior praedicator, frustra laborat lingua praedicatoris; sed tunc capiunt quando venit lux corda illuminans. Ps. XLII, 3: emitte lucem tuam et veritatem tuam. Unde hoc modo nox dicitur carentia divini auxilii. Io. IX, 4: venit nox quando nemo potest operari. Vel in nocte idest in veteri testamento, nihil prendiderunt, quia non potuerunt gentes ad fidem adducere. Rom. XIII, 12: nox praecessit. Secundum autem Augustinum, de nocte piscabantur, quia adhuc timidi erant. Modus autem apparitionis et ordo ponitur cum dicit mane autem iam facto, stetit Iesus in littore, et primo exhibet corporalem inspectionem; secundo sui cognitionem, ibi pueri, numquid pulmentarium habetis? Tertio familiarem comestionem; ibi dixit eis Iesus: afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Dicit ergo mane autem iam facto. Mystice autem per mane intelligitur gloria resurrectionis. Ps. XXIX, 6: ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum laetitia. Item status vitae aeternae. Ps. V, 5: mane astabo tibi, et videbo. Sed cum ante passionem in simili miraculo non steterit in littore sed in navi; quare post passionem in littore stat? Cuius ratio est, quia mare commotionem praesentis saeculi significat, littus autem est terminus maris. Ier. V, 22: posuit arenam terminum mari, praeceptum sempiternum, quod non praeteribit. Christus autem ante passionem in mari stetit, quia corpus mortale habebat; sed post resurrectionem iam corruptionem carnis excesserat, ideo in littore stetit. Ex ignorantia discipulorum est, quia non cognoverunt eum quia Iesus est. Per quod datur intelligi, quod in mari huius fluctuationis non possumus Christi secreta cognoscere. Is. LXIV, 4: oculus non vidit, Deus, absque te quae praeparasti expectantibus te. Consequenter cum dicit dixit ergo eis Iesus etc., inducit eos ad cognitionem suam, et primo ponitur reductio ad sui cognitionem; secundo ordo, ibi dixit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus et cetera. Circa primum tria facit. Primo ponitur domini inquisitio de pulmento, dicentis pueri, numquid pulmentarium habetis? Credebant enim discipuli quod non esset Christus, sed aliquis piscium emptor; et ideo loquitur eis ut emptor. Mystice autem a nobis pulmentum petit unde reficiatur: quod est obedientia mandatorum Dei. Supra IV, 34: meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius. Responderunt ei, scilicet discipuli, non, scilicet a nobis ipsis. Rom. VII, 18: nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Secundo, mandatum mittite in dexteram navigii rete. Sed Lc. V, 4 simile habetur factum: non tamen praecepit eis ut mitterent ad dexteram, sicut hic. Cuius ratio est, quia per hanc significatur piscatio, per quam praedestinati trahuntur ad vitam aeternam, ad quam non introducuntur nisi filii dexterarum. Prov. IV, 27: vias quae a dextris sunt novit dominus; perversae autem sunt quae a sinistris sunt; Ps. CXVII, 16: dextera domini fecit virtutem. In alia autem piscatione significabatur vocatio ad praesentem Ecclesiam; et ideo indifferenter ex omni parte mittitur rete quia capiuntur et trahuntur ad ipsum de singulis. Lc. XIV, 21: exi cito in plateas et vicus. Consequenter ponitur obedientia discipulorum, cum dicit miserunt ergo rete; et effectus obedientiae, quia iam non valebant illud trahere prae multitudine piscium, idest salvandorum. Gen. XXII, 18: benedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meae; Apoc. VII, 9: vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Differt autem haec piscatio ab illa de Luca, quia in illa rumpitur rete: sic Ecclesia scissuras patitur per dissensiones et haereses. In ista autem non rumpitur rete, quia in futura vita nulla erit scissura. Item in illa pisces trahuntur ad navem. In ista autem ad littus: quia sancti qui sunt in illa gloria occulti sunt nobis. Ps. XXX, 21: abscondes eos in abscondito faciei tuae a conturbatione hominum.*

## Lectio 2

[87559] Super Io., cap. 21 l. 2 Posita inductione ad cognoscendum Christum quae fuit multitudo piscium captorum, eis a Christo praestita, hic consequenter ponitur ordo recognitionis, et primo ponit quomodo in ea se habuit Ioannes; secundo quomodo se habuit Petrus; tertio quomodo se habuerunt alii discipuli. Ioannes autem ut perspicax in cognoscendo, statim Christum cognovit; et ideo dixit Petro quem prae ceteris diligebat, et etiam quia prior erat inter alios, dominus est, motus ad hoc ex captura piscium. Ps. LXXXVIII, 10: tu dominaris potestati maris; et alibi CXXXIV, 6: omnia quaecumque voluit dominus fecit in caelo et in terra, in mari et in omnibus

*abyssis*. Dixit autem *dominus est*, quia isto nomine soliti erant vocare eum. Supra XIII, 13: *vos vocatis me magister et domine*. Petrus vero ponitur fervens ad consequendum: cuius fervor apparet primo quantum ad promptitudinem, unde dicit *Simon Petrus, cum audisset quia dominus est, succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. Alii autem discipuli navigio venerunt*. Simon Petrus cum audisset, non distulit, sed statim praeparat se ad eundem. Eccli. V, 8: *ne tardes converti ad dominum, neque differas de die in diem*. Secundo quantum ad reverentiam eius ad Christum: quia noluit nudus prae pudore accedere, *sed tunica succinxit se, erat enim nudus*, et propter caliditatem terrae, et propter expeditionem operis. Et per hoc datur intelligi quod venientes ad Christum debent exuere veterem hominem, et induere novum qui secundum Deum creatus est in fide. Apoc. c. III, 5: *qui vicerit, vestietur sic vestimentis albis, et non delebo nomen eius de libro vitae*. Tertio quantum ad eius securitatem: quia ex nimia dilectione noluit cum navi ire, quia retardabatur; sed *misit se in mare*, ut citius perveniret ad Christum. Mystice autem per mare signatur tribulatio praesentis saeculi. Unde illi qui desiderant pervenire ad Christum, in mare se mittunt, non refugiunt tribulationes huius mundi. Actor. XIV, 21: *per multas tribulationes oportet intrare nos in regnum Dei*; Eccli. II, 1: *fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem*. Petrus autem misit se in mare, et tamen illaesus pervenit ad Christum: quia inter tribulationes securus et illaesus Christi servus evadit. Sap. XIV, 3: *dedisti in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam*. Et, ut Chrysostomus dicit, ponitur hic optime conditio Ioannis et Petri: quia Ioannes altior intellectu, Petrus ferventior affectu. Alii autem discipuli navigaverunt. Unde primo ponit quid fecerunt; quia *navigio venerunt*, quia minus ferventes Petro. Navigium significat Ecclesiam. Sap. XIV, v. 6: *spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit saeculo semen nativitatis*. Et per hanc signatur Ecclesia, ut habetur I Petr. III, v. 20. *Alii vero navigio venerunt*, idest protecti societate Ecclesiae, quae est terribilis ut castrorum acies ordinata. Ps. XXX, 21: *proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum*. Secundo assignat rationem praedictorum, cum dicit *non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium*. Quod potest esse ratio quare Petrus se misit in mare, scilicet quia prope terram erat, vel quare isti cito pervenerunt. Et quidem non longe erant, quia Ecclesia non longe est a terra viventium: est enim *domus Dei et porta caeli*, Gen. XXVIII, 17, et terram illam sancti quotidie contemplantur. II Cor. IV, 18: *non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur*; Phil. III, 20: *nostra conversatio in caelis est*. Et dicit *cubitis ducentis* quod idem significant duae naves, Lc. V, 2, scilicet duos populos: de quibus electi trahuntur ad vitam aeternam. Eph. II, 15: *ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem et reconcilians ambos in uno corpore Deo*. Rete autem quo pisces trahuntur est doctrina fidei, qua quidem Deus trahit inspirando interius, supra VI, 44: *nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum*: et apostoli exhortando, ut hic. Hic ponitur quomodo Christus suis discipulis exhibet familiare convivium, et primo convivii praeparatio; secundo Christi ad convivium invitatio, ibi *dixit eis Iesus: venite, et prandete*; tertio ipsa convivii refectio, ibi *venit Iesus, et accepit panem* et cetera. Praeparatio convivii describitur primo quantum ad ea quae a Christo praeparata sunt; secundo quantum ad ea quae a discipulis sunt allata, ibi *dixit eis Iesus: afferte de piscibus quos prendidistis nunc*. A Christo autem sunt praeparata tria. Primo piscis et panis unde dicit *ut ergo descenderunt de navi in terram viderunt prunas*, quas Christus sua potestate creaverat ex nihilo, vel ex aliqua praeiacente materia formaverat. Sed supra VI, 5 ss., pavit turbam de panibus multiplicatis; hic autem post passionem suam miraculose de novo creat vel format, quia iam non est tempus infirmitatis ostendendae, sed potestatis manifestandae. Nam id quod supra fecit ante passionem, fuit condescensionis, quia si voluisset, potuisset de novo creare vel formare. Per hoc autem datur intelligi, quod in convivio spirituali praeparatur a Christo aliquid. Et si quidem convivium hoc sumatur allegorice pro convivio Ecclesiae, sic Christus ista tria praeparat: scilicet prunas caritatis. Prov. XXV, 21: *haec autem faciens, carbones ignis congeres super caput eius*; Ez. X, 2: *imple manum tuam prunis ignis*. Has prunas Christus de caelo portavit ad terras; supra XIII, 34: *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*; item Lc. XII, 49: *ignem veni mittere in terram*. Item praeparat piscem, suppositis prunis, qui est Christus: nam piscis assus, est Christus passus, qui super prunas ponitur, quando ex incendio caritatis ad nos immolatur in cruce. Eph. V, 2: *obtulit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*; item ibidem 1: *estote imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos*. Item praeparat panes quibus reficitur, qui est ipse. Nam in quantum Christus latet per suam divinitatem, dicitur piscis, cuius proprietas est latere sub aquis, Is. XLV, 15: *vere tu es Deus absconditus*, sed in quantum nos reficit per doctrinam et etiam dat nobis corpus suum in cibum, vere panis est; supra VI, v. 51: *ego sum panis vivus qui de caelo descendi*; Is. XXX, 23: *panis frugum terrae tuae erit*



*uberrimus et pinguis*. Sed ad hoc convivium debet afferri aliquid ex parte ministrorum Ecclesiae: sed tamen nihil, nisi praexistat nobis a Deo. Quid autem afferatur, subdit *dixit eis Iesus: afferte de piscibus quos prendidistis nunc* et primo ponitur mandatum domini; secundo executio discipuli. Praecipit autem ut afferant de piscibus ab eis captis, quasi diceret: ego dedi donum caritatis, assavi corpus in cruce, et proposui vobis panem doctrinae, ex quo perficitur et roboratur Ecclesia, vestrum est ut vos alios capiatis: et isti sunt qui convertuntur ad praedicationem apostolorum. Ps. XXVIII, 1: *afferte domino filii Dei*; Is. c. ult., 20: *adducetis omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum domino*. Si autem hoc convivium sumatur pro convivio morali, sic Christus ad convivium animae praeparat primum prunas caritatis. Rom. V, 5: *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*; Lc. XII, 49: *ignem veni mittere in terram*. Item pisces, idest fidem absconditam, cum sit de non apparentibus, Hebr. X, 1. Item panem, idest solidam doctrinam. Hebr. V, 14: *perfectorum autem est solidus cibus*. Ad quod convivium ex parte nostra requiritur ut bene utamur gratia nobis concessa. I Cor. XV, 10: *gratia Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit*. Unde praecipit *afferte de piscibus*, idest, portetis vestra bona opera, vobis data. Matth. V, 16: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*. Et ideo consequenter ponitur executio discipuli, scilicet Petri, qui ferventior erat: unde dicit *ascendit autem Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus*. Ascendit in gubernaculum Ecclesiae. Cant. c. VII, 8: *ascendam in statum perfectionis*; Ps. LXXXIII, 7: *ascensiones in corde suo disposuit. Et traxit rete in terram*, quia ipsi sancta Ecclesia est commissa, et ipsi specialiter dicitur *pasce oves meas*, infra eodem, 17. Quod ergo tunc Christus aperit in voce dicens *pasce oves meas*, hoc ipse nunc praefigurat in opere: nam ipse pisces ad soliditatem littoris protrahit, quia stabilitatem aeternae patriae fidelibus ostendit. Sed dicit *rete plenum magnis piscibus*, quia quos praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit hos et magnificavit; Rom. VIII, 30; et Eccli. XLIV, 3: *homines magni virtute, et prudentia sua praediti, annuntiantes in prophetis dignitatem, et imperantes in praesenti populo; et virtute prudentiae populis sanctissima verba*. In alia autem piscatione non additur numerus sicut hic: fuerunt enim centum quinquaginta tres. Quia in vocatione ad praesentem Ecclesiam trahuntur boni et mali, ut dicitur Eccli. I, 15: *stultorum infinitus est numerus*. Unde Gen. XXII, 17, dicitur Abrahae de illa vocatione: *erit semen tuum sicut arena quae est in littore maris*, quae ponitur in malam partem. Sed de ista dicitur: *inspice stellas, et numera eas, si potes*. Hi enim numerantur a Deo quasi habiti in pretio. Ps. CXLVI, 4: *qui numerat multitudinem stellarum*. Sed numquid non plures salvabuntur quam centum quinquaginta tres? Immo plures, sed hic numerus aliquid mystice signat. Nullus enim potest ad patriam venire nisi per observantiam Decalogi; nec hoc observari potest nisi per septiformem gratiam spiritus sancti, de quo Is. XI, 2: *requiescet super eum spiritus domini; spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris domini*. Sanctificatio autem primo legitur facta in septimo die. Gen. II, 3: *benedicens diei septimo, sanctificavit illum*. Decem autem et septem faciunt septemdecim. Si ergo numeretur tali ordine progressionis, ut primo accipias unum et duo quae faciunt tria, et tria quae faciunt sex, et quatuor quae faciunt decem, et decem et quinque quae faciunt quindecim, et sic deinceps addendo numerum qui sequitur usque ad decem et septem, numero coniuncto habebis centum quinquaginta tres. Vel aliter. Hi discipuli quibus Christus apparuit erant septem. Multiplicando autem septem per septem (quae sunt dona spiritus sancti), fiunt quadraginta novem, quibus, si addas unum ad significandum unitatis perfectionem in qua esse debent filii Dei qui spiritu Dei aguntur, fiunt quinquaginta, quibus triplicatis, et iterum additis tribus ad significandum fidem Trinitatis, quae in confessione cordis et oris et operis consistit, fiunt centum quinquaginta tres. Quia qui sunt perfecti septem donis spiritus sancti et uniti in fide Trinitatis, perveniunt ad patrem. Sed dicit *et cum tanti essent, non est scissum rete*; in alia autem dicitur quod rumpebatur: quia in praesenti Ecclesia, quae per illam significatur, sunt multae scissurae schismatum, haeresum, seditionum, sed totaliter non rumpitur, quia *ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*: Matth. ult., 20. Sed in futura patria quae significatur per istam, idest in illa pace sanctorum, nulla erunt schismata. Ps. CXLVII, 3: *qui posuit fines tuos pacem*. Consequenter cum dicit *dixit eis Iesus: venite, prandete*, ponitur invitatio ad convivium praeparatum, et primo ponitur Christi invitatio; secundo discipulorum in convivio dispositio, ibi *et nemo audebat discumbentium interrogare eum*. Invitat autem ad convivium Christus interius inspirando per seipsum, dicens *venite, prandete*, Matth. XI, 28: *venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis; et ego reficiam vos*; Cant. V, 1: *comedite, amici, bibite et inebriamini, carissimi*, et exterius docendo et exhortando per alios. Lc. XIV, v. 16: *homo quidam fecit coenam magnam (...) et misit servum suum hora coenae dicere invitatis ut venirent*. Dispositio discipulorum ponitur cum dicit *et nemo audebat discumbentium interrogare eum*: quod, secundum

Augustinum, designat discipulorum de resurrectione Christi certitudinem, quia scilicet ita certi erant quod Christus esset, quod nullus discumbentium ausus est dubitare an ipse esset. Et quia interrogatio est signum dubitationis, nullus audebat eum interrogare *tu quis est?* Supra XVI, 23: *in illo die me non interrogabitis quidquam*. Secundum Chrysostomum, significat maiorem solito reverentiam discipulorum ad Christum. Libenter interrogassent eum; sed Christus apparuit eis in quodam magnifico aspectu, et mirabili gloria, ita ut non auderent eum interrogare prae stupore et reverentia. Et hoc specialiter detinebat eos ab interrogando, quia sciebant *quoniam dominus est*. Consequenter cum dicit *et venit Iesus, et accepit panem, et dabat eis*, ponitur ipsa refectio, quam habuerunt ipso manducante. Ps. CXLIV, 16: *aperis tu manum tuam, et imple omne animal benedictione*. Ipse est enim qui dat escam illorum in tempore opportuno. Sed numquid Christus comedit cum eis? Dicendum quod sic, licet hic non exprimatur; Lc. ult., 43, expresse dicitur, quod comedit cum eis. Et Act. I, 4 dicitur: *et convescens praecepit eis ab Ierosolymis ne discederent*. Sed numquid fuit vera comestio? Responsio. Dicendum ad hoc, quod aliquis actus dicitur esse verus dupliciter; scilicet veritate significationis, et veritate speciei. Veritate quidem significationis verus est actus qui configuratur rei significatae: sicut si volo aliquid significare per orationem, et illud quod significo est verum, et concordat rei significatae, sic oratio est vera veritate significationis, licet non speciei: sicut hoc quod dixit Christus: *ego sum vitis vera*, verum est licet non sit vitis vera secundum speciem vitis, sed tantum secundum quod vitis significat. Secundum veritatem speciei dicitur aliquid verum quod habet quae pertinent ad speciei veritatem. Huiusmodi autem sunt principia speciei, non autem effectus eius consequentes: sicut locutio haec homo est animal, primo modo vera est, quia verum significat; sed veritate speciei non est vera, nisi formetur ab ore animalis loquentis organis debitis. Nec requiritur ad eius veritatem effectus locutionis, puta quod audiatur et huiusmodi. Sic ergo dicendum est de comestione, quod aliqua est de veritate significationis tantum, sicut comestio Angelorum, quia in Angelis non sunt membra ordinata ad comestionem; sed verum est illud quod ipsi per hoc significabant, scilicet desiderium quod habebant de salute hominum. Comestio autem Christi post resurrectionem vera fuit et veritate significationis, quia ad hoc fiebat ut ostenderet se habere naturam humanam, quam in veritate habebat, et veritate speciei, quia habebat instrumenta propria ad comestionem. Sed tamen effectus consequentes comestionem non erant ibi: quia cibus non fuit conversus in comedentem, cum haberet corpus glorificatum et incorruptibile; sed resolutus fuit virtute divina in praeiacentem materiam. Huiusmodi autem effectus nihil faciunt ad veritatem speciei, ut dictum est. Consequenter cum dicit *hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis*, epilogat apparitiones. Et secundum Augustinum, si hoc quod dicitur *iam tertio*, referatur ad vices, non est verum: quia ut dictum est, primo die apparuit quinque vicibus; postea quidem octavo die quando Thomas erat cum eis, supra XX, 19; secundo iuxta mare, ut hic; tertio in monte Galilaeae, ut habetur Matth. c. ult.; 16 s.; quarto recumbentibus, Mc. ult., v. 14; quinto ipso die ascensionis, quando videntibus illis elevatus est: Act. I, 9. Quamquam pluribus aliis vicibus apparuit eis per dies quadraginta licet non sit scriptum. Est ergo *hoc iam tertio*, referendum ad dies quibus apparuit: quia prima die apparuit ipso die resurrectionis; secunda die in octava ipsius resurrectionis, supra XX: *et post dies octo*; et tertia die apparuit hic. Vel dicendum, quod etiam referendo ad vices salvatur veritas dicti; quia non legitur quod multis discipulis simul congregatis apparuit, nisi primo de sero, cum fores essent clausae etc.; et secundo post octo dies, quando erant discipuli congregati; et tertio hic: unde signanter dicit *manifestatus est Iesus discipulis suis*.

### Lectio 3

[87560] Super Io., cap. 21 l. 3 Supra posuit Evangelista quid dominus discipulis communiter exhibuit; hic ostendit quid specialiter duobus praedilectis, et primo ponit quid exhibuit Petro; secundo quid exhibuit Ioanni, ibi *conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Iesus*. Circa primum duo facit. Primo iniungit sibi pastorale officium; secundo praenuntiat sibi passionis martyrium, ibi *amen, amen dico tibi* et cetera. Pastorale autem officium iniungit, examinatione praemissa: et ideo qui ad hoc officium assumuntur, primo examinantur. I Tim. V, 22: *manus nemini cito imposueris*. Sed ter examinat eum et ideo secundum hoc, pars ista dividitur in tres partes secundum tres examinationes. Partes patent. In prima autem primo ponitur quaestio domini; secundo responsio Petri, ibi *dixit ei: etiam, domine, tu scis quia amo te*; tertio iniunctio officii, ibi *dixit ei: pasce oves meas*. Circa primum tria consideranda occurrunt. Primo ordo examinationis; secundo modus allocutionis; tertio de quo est examinatio. Ordo quidem, quia *cum prandissent*: in quo signatur spirituale convivium in quo etiam

simul cum corpore anima per spiritualia dona reficitur. Apoc. III, 20: *intrabo ad eum, et coenabo cum illo*. Et ideo conveniens est ut qui ad hoc assumitur officium, primo sit isto felici convivio refectus, alias enim ipsi famelici quomodo alios reficere possent? Ier. XXXI, 14: *inebriabo animas sacerdotum pinguedine*: illa, inquam, de qua in Ps. LXII, 6: dicitur: *sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea*. Modus autem allocutionis ponitur cum dicit *dixit Simoni Petro*: ubi tria ponuntur quae necessaria sunt praelato. Obedientia, cum dicit *Simoni*, qui interpretatur obediens, quae est praelatis necessaria: nam qui nescit superioribus obedire, inferioribus nescit imperare. Prov. XXI, 28: *vir obediens loquetur victorias* et cetera. Item scientia cum dicit *Petro*, qui interpretatur agnoscens: quod necessarium est praelato, quia ponitur ut speculator; qui autem caecus est, malus speculator est. Is. LVI, v. 10: *speculatores eius omnes caeci*; Oseae c. IV, 6: *quia tu scientiam repulisti, repellam te ego, ne sacerdotio fungaris mihi*. Item gratia, cum dicit *Ioannis*, idest filius Ioannis: et haec est necessaria praelatis, quia sine ea nihil habent. I Cor. XV, 10: *gratia Dei sum id quod sum*; Gal. II, 9: *cum cognovissent gratiam Dei, quae data est mihi, Petrus, Iacobus et Ioannes, qui videbantur columnae esse, dexteram dederunt mihi, et Barnabae societatis*. Examinatio autem est de dilectione: *diligis me*, inquit, *plus his?* Et hoc quidem satis convenienter. Petrus prius in peccatum ceciderat, ut patet supra, nec idoneus erat ut praeferretur, nisi prius eius culpa aboleretur: quod non fit nisi per caritatem. I Petr. IV, 8: *caritas operit multitudinem peccatorum*; Prov. X, 12: *universa delicta operit caritas*. Et ideo oportuit ut per examinationem manifestaretur eius caritas, non sibi qui scrutatur renes et corda, sed aliis: et ideo non quasi ignorans dicit *diligis me plus his?* Sed quia, ut dicitur I Io. IV, 18, *perfecta caritas foras mittit timorem*. Inde est quod Petro, qui cum dominus moreretur, timuit et negavit, resurgens dominus amorem inseruit, et fugavit timorem. Ideo qui tunc negavit timens mori, resurgente domino nil timuit. Quid enim timeret, cum iam mortem mortuam reperiret? Congruit etiam haec examinatio officio. Multi enim pastorale officium assumptes, utuntur eo sicut seipsos amantes. II Tim. III, 1: *instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes*. Et qui non amat dominum, non est idoneus praelatus; sed magis ille qui non quaerit *quae sua sunt*, sed *quae Iesu Christi*, et hoc amore eius. II Cor. V, 14: *caritas Christi urget nos*. Congruit etiam officio quantum ad utilitatem proximorum: ex abundantia enim caritatis est quod aliqui diligentes interdum quietem propriae contemplationis intermittant, ut procurent proximorum utilitatem. Cum enim apostolus diceret, Rom. VIII, 39: *certus sum enim, quod neque mors poterit nos separare a caritate Dei*, subdit: *optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis*. Et ideo necessaria est examinatio de dilectione ad praelatum. Addit autem *plus his*, quia, ut etiam ex philosopho habetur in politica sua, naturali ordine ille qui praesidet et gubernat, debet excellentior esse: unde dicit, quod sicut anima se habet ad corpus quod regit, et ratio ad inferiores, similiter etiam homo ad animalia bruta. Sic se debet habere praelatus ad subditos. Unde secundum Gregorium, talis debet esse vita pastoris quod in comparatione eius subditi sint sicut sunt animalia ad comparationem sui pastoris. Et ideo dicit *plus his*, quia quanto plus diligit, tanto maior est. I Reg. X, 24: *certe videtis quem elegit dominus, quoniam non sit similis ei in omni populo*. Sed numquid necessarium est in electione semper eligere simpliciter meliorem etsi iura determinent quod sufficit bonum eligere? Ad quod dicendum, quod duplici distinctione opus est. Nam aliquid sufficit secundum iudicium humanum quod tamen non sufficit secundum iudicium divinum. Secundum iudicium humanum sufficit illud de quo homo non potest accusari, nec eius electio improbat. Constat autem difficile esse fieri electiones, si possent reprobari ex hoc quod alius melior est quam ille qui electus est. Unde sufficit secundum iudicium humanum, ut habetur in decretali, quod electio sit recta, et eligatur idoneus. Secundum vero iudicium divinum et conscientiam, necessarium est eligere meliorem. Sed tamen aliquis dicitur melior simpliciter, et sic ille dicitur melior qui est sanctior, sanctitas enim facit bonum, sed non est melior quantum ad Ecclesiam. Et quo ad hoc aliquis est melior, in quantum est litteratior, competentior et discretior, et magis concorditer eligitur. Sed si, ceteris paribus, quae sunt ad utilitatem Ecclesiae et melioritatem quantum ad hoc, aliquis minus bonum simpliciter praeeligat alicui, peccat, quia de necessitate aliquid eum movet ad hoc. Aut ergo hoc pertinet ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiae, aut ad aliquid privatum. Si quidem utilitas Ecclesiae et honor Dei movet eum, hoc bonum intelligitur in conditione electi, et facit meliorem quantum ad hoc. Si vero aliquid privatum, puta affectio carnalis, spes beneficii et commodi temporalis, est fraudulenta electio, et acceptio personarum. Hic ponitur responsio Petri: ex qua evidens signum correctionis de sua negatione apparet, et quod praedestinati semper corriguntur in melius, si quando labantur. Nam antequam negaret, Petrus superbivit contra ceteros apostolos, dicens: *etsi omnes scandalizati fuerint, ego numquam in te scandalizabor*. Item contra dominum: quia domino dicente: *ter me negabis*, ille subdit: *si oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Sed modo de propriis viribus victus, non

audet confiteri suum amorem, nisi sub testimonio et protestatione domini, humilians se Christo, et dicens *domine, tu scis quia amo te*. Iob XVI, 20: *ecce in caelo est testis meus, et conscius meus in excelsis*. Item humilians se apostolis, non dicit plus his sed simpliciter *amo te*. In quo instruimur quia non debemus nos aliis praeponere, sed alios nobis; Phil. II, 3: *sed in humilitate superiores sibi invicem arbitantes*. Notandum etiam secundum Augustinum, quod domino quaerente *diligis me*, non respondit Petrus diligo sed *amo te*; quasi idem sit amor et dilectio. Quod est verum secundum rem; sed differunt secundum nomen. Amor enim est motus appetitus, et si quidem reguletur appetitus ratione, sic est amor voluntatis, qui proprie est dilectio, quia sequitur electionem: et inde est quod bruta proprie non dicuntur diligere; si vero motus non reguletur ratione, dicitur amor. Hic iam examinato Petro, iniungit ei officium, dicens *pasce agnos meos*, idest fideles meos, a me agno agnos vocatos; supra I, 29: *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; ut sic non possit dicit Christianus qui dicit se non esse sub cura istius pastoris, scilicet Petri. Ez. XXXVII, 24: *pastor unus erat omnium vestrum*; Oseae I, 11: *ponent sibi caput unum*. Congruè autem hoc officium, omnibus intermissis, Petro commisit, qui secundum Chrysostomum, eximius apostolorum erat, et os discipulorum, et vertex collegii. Hic ponitur secunda examinatio. Ut autem non repetantur pluries eadem verba, nota, quod ter dicit *pasce oves meas*; quia ter debet pascere. Scilicet doctrinae verbo; Ier. III, 15: *dabo vobis pastores secundum cor meum, qui pascent vos scientia et doctrina*. Item vitae exemplo; I Tim. IV, 12: *exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate*; Ez. c. XXXIV, 14: *in montibus Israel, idest in sublimitate magnorum virorum, erunt pascua vestra*. Item temporali subsidio; ibid. 2: *vae pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus?* Sed attende quod tertia vice dicit ei *pasce oves meas*. Cuius ratio est, quia in Ecclesia sunt tria genera hominum, scilicet incipientium, proficientium et perfectorum. Et primi quidem duo sunt agni, quasi adhuc imperfecti; alii autem sicut perfecti dicuntur oves. Ps. CXIII, 4: *montes, scilicet perfecti, exultaverunt ut arietes, et colles, idest alii, sicut agni ovium*. Et inde est quod omnes praelati debent custodire subditos ut oves Christi, et non proprias. Sed heu, quia, ut dicit Augustinus in sermone paschali, extiterunt quidam servi infideles, qui dimiserunt gregem Christi, et furtis suis peculia gregem sibi fecerunt, et audis eos dicere: oves meae sunt illae. Quid quaeris oves meas? Non te inveniam ad oves meas. Sed si nos dicamus meas, et illi dicunt suas: perdidit Christus oves suas. Notandum etiam, quod sicut ter iniungit, ita ter examinat. Primo quidem quia ter eum negaverat; et ideo exigitur trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori, et plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quam vita praesens, ut dicit Augustinus. Secundo, quia Petrus tenebatur Christum ex triplici causa diligere. Primo ex peccato dimisso: Lc. VII, 42: *cui plus dimittitur, plus diligit*. Secundo ex honore promisso, quia magnum, scilicet *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, Matth. XVI, 18. Tertio ex officio commisso, ut hic, cum commisit sibi curam Ecclesiae; vel cum dicit *pasce*, propter hoc quod dominus praecepit, Deut. c. VI, 5: *diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ut scilicet totam intentionem tuam ad Deum dirigas, *ex tota anima*, scilicet ut tua voluntas tota in Deum per amorem quiescat, *et ex tota fortitudine tua*, ut tota executio operum tuorum Deo serviat. Notandum etiam, quod Petrus tertio interrogatus, contristatus est. Quia cum ante passionem prompte assereret Christum diligere, reprehensus fuit a domino, ut dictum est. Videns ergo quod toties de dilectione interrogatur, timet ne reprehendatur a domino, et contristatur. Et ideo dicit *tu omnia nosti: tu scis quia amo te*, quasi dicat: ego diligo te, quantum mihi videtur; sed tu omnia nosti, et forte scis an aliquid aliud debeat contingere. Et ideo Petro sic humiliato fit finalis commissio Ecclesiae. Et secundum quemdam doctorem Graecum, dicitur, quod ideo ter interrogantur baptizandi in Baptismo.

#### Lectio 4

[87561] Super Io., cap. 21 l. 4 Supra commisit dominus Petro pastorale officium; hic praenuntiat sibi passionis martyrium; et satis convenienter: nam ad bonum pastorem pertinet ut pro ovibus suis animam ponat, supra X, 11. Petro autem non fuit datum ut pro Christo iuvenis animam poneret, sed ut senex pro ovibus: et hoc ei praenuntiat. In hac autem praenuntiatione dominus primo commemorat conditionem vitae praeteritae; secundo praenuntiat perfectionem vitae futurae, ibi *cum autem senueris, extends manus tuas*; tertio Evangelista exponit verba domini, ibi *hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum*. Conditio autem Petri praeterita fuit cum defectu, quia in sua iuventute nimis praesumptuosus fuit, et propriae voluntatis: est hoc enim proprium iuvenum, ut dicit philosophus in sua rhetorica. Unde Eccle. XI, 9, quasi obiurgando dicitur: *laetare,*

*iuuenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis, et ambula in viis cordis tui.* Et ideo dominus hoc significans dicit *cum esses iunior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas.* Et dicit *cingebas te*, idest ab aliquibus illicitis et superfluis cohibebas te, quasi tuo arbitrio non passus quod ab aliquo cohibereris; et etiam inde est quod in processu bonorum operum semper vis esse pro me in periculis. Non tamen datum est tibi quod iuuenis pro me patiaris, sed *cum senueris*, implebo tuum desiderium, ut quae non es passus iuuenis, patiaris senex: quia *extendes manus tuas, et alius te cinget.* Mirabilis praenuntiatio. Totum tempus et passionem exponit. Nam post tempus quo ista sunt dicta usque ad tempus mortis Petri fluxerunt fere triginta septem anni: unde patet quod satis senex erat. Dicit autem, secundum Chrysostomum *cum autem senueris*, quia aliter in humanis, aliter in divinis: in humanis enim negotiis iuuenes sunt utiles, senes vero inutiles; sed in divinis virtus non tollitur propter senectutem, immo aliquando magis roboratur. Ps. XCI, 11: *senectus mea in misericordia uberi*; Deut. XXXIII, 25: *sicut dies iuuentutis tuae, ita et senectus tua.* Sed hoc intelligendum est in his qui in iuuentute sua in bono exercitantur, ut Tullius dicit. Sed qui in iuuentute sua dant se inertiae, non multum vel nihil valent senes. Intelligitur etiam per hoc, ut dicit Origenes super illud Matth. XXV, 19: *post multum vero temporis reversus*, quod raro inveniuntur utiles rectores et doctores Ecclesiae parvo tempore vivere, et inducit exemplum de Paulo, qui ut legitur Act. VII, 9, erat adolescens, et postea scribit ad Philemonem v. 9, *cum sis talis ut Paulus senex.* Et huiusmodi ratio est, quia cum pauci inveniuntur ad hoc idonei, quando aliqui inveniuntur tales, conservantur a domino ut diutius vivant. Item exponit passionis modum, quia *extendes manus tuas*: nam Petrus crucifixus fuit sed non cum clavis sed cum funibus, ut diutius viveret. Et hoc Christus vocat cincturam. Sunt autem tria in passione sanctorum consideranda. Primo motus naturalis affectionis: nam inter animam et corpus est adeo naturalis amor quod numquam vellet anima a corpore separari, nec e converso. II Cor. V, v. 4: *nolumus expoliari, sed supervestiri*; Matth. XXVI, 38: *tristis est anima mea usque ad mortem.* Et ideo dicit *quo tu non vis*, scilicet naturae instinctu, qui sic est naturalis ut nec ipsa senectus potuerit eum auferre Petro. Sed desiderium gratiae hoc minuit: unde ad Phil. I, 23: *cupio dissolvi, et esse cum Christo*; II Cor. V, 8: *audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Deum.* Secundo diversitas intentionis persecutorum ab intentione sanctorum: *et ducet quo tu non vis.* Tertio quod debemus prompti esse ad patiendum, non tamen occidere nos: unde dicit *extendes manus tuas.* Et hoc patet de Petro: quia cum populus vellet suscitare seditionem contra Neronem, et eruere Petrum, ipse repressit. I Petr. II, 21: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.* Sed notandum, quod hoc quod dicit *ducet*, debet praecedere hoc quod dicit *alius cinget te*; quasi dicat *cinget*, quia *ducet te quo tu non vis.* Sed ne credatur hoc quasi vane dictum, scriptum est post mortem Petri. Nam Petrus occisus fuit tempore Neronis, sed Ioannes hoc Evangelium scripsit postquam revocatus est ab exilio, ad quod relegatus fuerat tempore Domitiani, inter quem et Neronem fuerunt plures alii imperatores. Et ideo exponit hoc quasi adhuc futurum, dicens *hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum*: mors enim sanctorum via est ad gloriam Christi. Phil. I, 20: *magnificabitur Christus in corpore meo*; I Petr. IV, 15: *nemo vestrum patiatur quasi fur aut homicida (...). Si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine.* Ex hoc enim ostenditur magnitudo domini, quo pro eius veritate et fide sancti exponunt se morti.

## Lectio 5

[87562] Super Io., cap. 21 l. 5 Postquam proposuit Evangelista quid dominus exhibuit Petro, hic narrat quid exhibuit Ioanni, scilicet sibi ipsi, et primo ponitur commendatio discipuli; secundo commendatio sui Evangelii, ibi *sunt autem et alia multa quae fecit Iesus.* Circa primum primo ponitur commendationis occasio; secundo subditur ipsius discipuli commendatio, ibi *conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Iesus.* Occasio autem commendationis Ioannis fuit invitatio Christi invitantis Petrum ad sequendum: quia *cum haec dixisset*, scilicet de officio et martyrio, *dixit*, Iesus Petro, *sequere me*, secundum Augustinum, quantum ad martyrium, patiundo scilicet pro me: quia non sufficit qualitercumque pati, sed solum sequendo Christum, idest propter ipsum. Lc. VI, 22: *beati eritis cum vos oderint homines propter filium hominis*; I Petr. c. II, 21: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.* Sed cum alii multi qui ibi aderant passi fuerint propter Christum, et praecipue Iacobus, qui prius occisus fuit, Actor. c. XII, 2: *occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio*, quare specialiter Petro dicitur *sequere me*? Ideo scilicet, secundum Augustinum, quia non solum mortem passus est pro Christo, sed etiam in specie mortis, scilicet crucis, secutus est Christum. Matth. XVI, 24:

*si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me.* Vel, secundum Chrysostomum, dicitur *sequere me*, in praelationis officio; quasi dicat: sicut habeo a Deo patre curam Ecclesiae, Ps. II, 8: *postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam*, ita ut loco mei sis super totam Ecclesiam. Sed quare post Christum Iacobus habuit primatum in Ierusalem post ascensionem Christi? Ad quod dicendum, quod habuit quidem specialem loci illius. Petrus autem universale dominium totius Ecclesiae fidelium. Hic ponitur commendatio Ioannis, et primo quantum ad praeterita; secundo quantum ad futura, ibi *hunc ergo cum vidisset* et cetera. Commendatur Ioannes quantum ad praeterita ex triplici privilegio. Primo specialis dilectionis Christi; unde dicit *conversus Petrus*, qui iam sequi etiam specialiter corporaliter inceperat Iesum, *vidit illum discipulum quem diligebat Iesus*: in quo datur intelligi quod Petrus iam pastor effectus, ad curam aliorum intendebat. Lc. XXII, 32: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Diligebat autem Ioannem Iesus non exclusis aliis, quia supra XV, 9 dixit: *sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos*. Sed eum speciali dilectione prae ceteris dilexit: et hoc propter tria. Primo propter intellectus eius perspicacitatem; magistri enim specialiter diligunt intelligentes discipulos. Prov. XIV, 35: *acceptus est regi minister intelligens*. Secundo propter munditiae puritatem, quia virgo fuit. Prov. XXII, 2: *qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum habebit amicum regem*. Tertio propter teneram aetatem: pueris enim et deficientibus magis compatimur, et signa familiaritatis ostendimus, sic et Christus Ioanni iuveni converso. Oseae XI, 1: *puer Israel, et dilexi eum*. In quo datur intelligi quod Deus specialiter diligit illos qui a iuventute serviunt ei. Mich. VII, 1: *praecoquas ficus desideravit anima mea*. Sed contra. Prov. VIII, 17: *ego diligentes me diligo*. Sed Petrus diligebat plus Christum; supra: *diligis me plus his?* Ergo Christus plus debuit Petrum diligere quam Ioannem. Responsio. Posset dici, quod Ioannes quia plus dilectus, fuit felicior, sed Petrus quia plus diligens, fuit melior. Sed hoc esset contra iustitiam. Et ideo hoc refertur ad mysterium: nam per hos duos duplex vita significatur, scilicet activa et contemplativa, et utriusque finis et obiectum est Christus. Sed vita activa, quae signatur per Petrum, plus diligit Deum quam vita contemplativa, quae significatur per Ioannem: quia magis sentit praesentis vitae angustias, et aestuantius ab eis liberari desiderat et ad Deum ire. Contemplativam vero vitam Deus plus diligit, quia eam magis conservat; non enim simul finitur cum vita corporis, sicut vita activa. Ps. LXXXVI, 2: *diligit dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*. Sed aliqui secundum litteram hoc solvere volentes distinguunt in Christo duplicem dilectionem, secundum duplicem voluntatem, divinam scilicet et humanam, et dicunt quod Christus dilexit plus Petrum dilectione divina, Ioannem vero plus dilectione humana. Sed contra hoc est quod voluntas humana in Christo totaliter conformis erat voluntati divinae: unde quem plus diligebat voluntate divina, plus etiam dilexit voluntate humana. Dicendum ergo, quod illum plus diligebat cui magis bonum volebat. Petrum autem plus diligebat ad hoc ut faceret eum magis suum dilectorem; Ioannem autem diligebat ad aliud, scilicet ad perspicacitatem intellectus. Eccli. c. XV, 5: *implevit eum dominus spiritu sapientiae et intellectus*. Et secundum hoc Petrus est melior, quia caritas supereminet scientiae, I Cor. XIII, 8; Ioannes vero melior secundum perspicacitatem intellectus. Sed merita ipsorum ponderare solius Dei est. Prov. c. XVI, 1: *spirituum ponderator est dominus*. Et ideo alii dicunt, et melius, quod Petrus plus dilexit Christum in membris, et sic etiam fuit plus a Christo dilectus, et ideo ei Ecclesiam commendavit, Ioannes vero plus Christum in seipso, et sic ab eo plus fuit dilectus, unde ei matrem commendavit. Vel dicendum, quod Petrus dilexit Christum quantum ad promptitudinem et fervorem, Ioannes vero plus fuit dilectus quantum ad familiaritatis indicia, quae ei Christus magis demonstrabat propter eius iuventutem et puritatem. Et ideo consequenter cum subiungit *qui et recubuit in coena super pectus eius*, commendatur ex secundo privilegio, scilicet specialis familiaritatis ad Christum; et hoc est supra expositum. Tertio commendatur ex privilegio specialis fiduciae quam habebat de Christo, ita ut confidentius prae omnibus aliis eum interrogaret; unde dicit *et dixit ei: domine, quis est qui tradet te?* Quod similiter expositum est. Causam autem quare Ioannes commemorat huiusmodi privilegia sua, dixit Chrysostomus esse ad commendationem Petri. Posset enim credi quod Petrus propter hoc quod Christum negaverat, non fuisset admissus ad pristinam familiaritatem, et ideo ut hoc excludat, ostendit quod ad maiorem admissus est. Qui in coena non audebat interrogare, sed Ioanni interrogationem commisit, post passionem fratrum praepositura committitur, et non solum pro se interrogat, sed pro Ioanne. In quo datur intelligi, quod lapsi in peccatum quandoque in maiorem gratiam resurgunt. Bar. IV, 28: *sicut enim fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum*. Et ideo statim Evangelista primo subdit interrogationem, dicens *hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: hic autem quid?* Ubi ponitur commendatio Ioannis quantum ad futura, et primo ponitur interrogatio Petri; secundo responsio Christi, ibi *dixit ei Iesus: sic*

*eum volo manere donec veniam*; tertio ponitur intellectus huius responsionis, ibi *exiit ergo sermo inter fratres* et cetera. Sciendum est autem circa primum, quod domino dicente Petro *sequere me*, Petrus gressu corporali coepit eum sequi, et Ioannes etiam secum: quem videns Petrus sequentem, interrogat pro eo Christum, dicens *hic autem quid?* Quasi dicat: ecce ego sequor te in passione, sed hic numquid morietur? De quo etiam Ioannes interrogasset, sed non audebat. Secundum autem Chrysostomum Petrus non intendebat quaerere de passione, sed de praelatione. Petrus enim super omnes alios condiscipulos diligebat Ioannem, et semper leguntur esse simul et in Evangelio et Act. c. III, 1, et ideo volebat eum habere socium in officio praedicationis per orbem: unde dicit *hic autem quid*, supple: faciet? Veniat mecum. Consequenter ponitur responsio Christi, cum dicit *dicit ei Iesus: sic eum volo manere donec veniam*. Sed sciendum, quod in Graeco non habetur *sic*, sed *si eum volo manere* et cetera. Sed non multum refert: qualitercumque enim dicatur, occurrit a principio sensus ille horum verborum, qui ipsis apostolis visus est, scilicet quod non moritur. Dicit enim *sic eum volo manere donec veniam*, quasi dicat: non morietur usque ad adventum meum. Sed hoc excluditur per hoc quod subditur *et non dixit Iesus, quia non moritur: sed, sic eum volo manere donec veniam: quid ad te?* Sed quidam hunc sensum sustinere volentes, dicunt quod Ioannes hoc subdit, non ut excluderet praedictum intellectum, sed ut ostenderet quod dominus hunc intellectum per haec verba non expressit, sed per illa tantum *sic eum volo manere*. Et propter hoc dicunt, quod Ioannes nondum est mortuus. Sed diversimode opinatum est de eius sepultura. Verum est enim, secundum omnes, quod sepulcrum intravit, et adhuc illud apparet. Quidam autem dicunt, quod sepulcrum vivens intravit, et divina virtute exiit translatus ad locum Enoch et Eliae, ubi reservatur usque ad finem mundi. Et secundum hoc exponitur sic: *sic eum*, vivum, *volo manere*, usque ad finem mundi; et tunc pro me patietur martyrium ab Antichristo cum illis duobus. Nam inconueniens est quod non moriatur: quidquid enim oritur, moritur. Hebr. c. IX, 27: *statutum est omnibus hominibus semel mori*. Alii vero dicunt, quod sepulcrum suum, quod est apud Ephesum, vivens intravit, et in eo adhuc vivit dormiens donec veniat Christus; habentes in argumentum huiusmodi, quod illic terra sursum quasi ebulliens scaturit quod eius anhelitu fieri dicunt. Sed hoc excludit Augustinus, dicens, quod minus est si dormiens vivit, quam si viveret beatus. Cur ergo Christus discipulo quem prae ceteris diligebat, pro magno munere longum donasset somnum, et privasset eum tanto bono, pro quo apostolus cupiebat dissolvi et cum Christo esse? Phil. I, 23. Et ideo non est hoc credendum; sed quod mortuus fuit, et resurrexit etiam in corpore. Et huiusmodi signum est, quia corpus eius non invenitur, et sic beatus manet cum Christo, secundum quod invitavit eum. Apoc. c. ult., 20: *dicit qui testimonium perhibet istorum: etiam venio cito*. Est ergo exponendum mystice, secundum Augustinum, ut intelligatur per hoc quod dicit *manere*, idest permanere, sive expectare, secundum illud Lc. XXIV, 49: *manete in civitate donec induamini virtute ex alto*. Et sic dominus de Ioanne, idest de vita contemplativa dicit *sic eum volo manere*, idest expectare, *donec veniam*, vel in fine mundi, vel in morte cuiuslibet contemplativi: quia contemplativa hic inchoata non perficitur; sed inchoata manet, et expectat donec Christus veniat, perficienda cum venerit. Apoc. c. VI, 11: *dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum donec compleatur numerus conservorum eorum*; Lc. X, 43: *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea*; Prov. III, 16: *longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiae et gloria*. Sed activa vita perfecta, et informata eius passionis exemplo, interim sequitur Christum, patiendo pro eo. Sed, secundum Chrysostomum, legitur sic: *sic eum volo manere*, idest remanere in Iudaea, et in hac terra ad praedicandum, et te volo me sequi habendo sollicitudinem totius orbis, et patiendo pro me, et hoc *donec veniam*, ad delendum Iudaeos, *quid ad te?* Quasi dicat: meum est ordinare. Nam, sicut habetur in historiis, Ioannes non recessit de Iudaea usque ad tempus quo Vespasianus veniens in Iudaeam cepit Ierusalem, et tunc inde discedens venit ad Asiam. Vel, secundum Hieronymum, *tu me sequere*, idest per passionem, et *sic* scilicet Ioannem, *volo manere*, absque passione martyrii et mortis, *donec veniam*, ad vocandum eum ad me; supra XIV, 3: *iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum*. *Quid ad te?* Scilicet de hoc privilegio. Unde in legenda beati Ioannis dicitur, quod cum nonaginta esset annorum, apparuit ei dominus Iesus Christus, et invitavit eum ad convivium suum. Consequenter cum dicit *exiit ergo sermo iste inter fratres quia discipulus ille non moritur*, ponitur quomodo discipuli praedicta verba domini intellexerunt, scilicet quod non moreretur. Et hoc est quod dicit *exiit sermo*, idest vulgatum est, *inter fratres*, idest inter discipulos, Ps. CXXXII, 1: *ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum, quod discipulus ille, scilicet Ioannes, non moritur*. Sed hunc intellectum corrigit, dicens *et non dixit Iesus, non moritur*; Matth. XV, 16: *adhuc et vos sine intellectu estis?* Alia omnia exposita sunt.

## Lectio 6

[87563] Super Io., cap. 21 l. 6 Hic ponitur ultima pars Evangelii, quae est quasi epilogus, et primo ponitur commendatio Evangelii; secundo superexcessus rei quae in Evangelio narratur, ibi *sunt autem et alia multa quae fecit Iesus*. Evangelium autem commendatur dupliciter. Primo quidem ex auctore; secundo vero ex veritate, ibi *et scimus quia verum est testimonium eius*. Circa auctorem tria ponit. Primo eius auctoritatis privilegium, quia *hic est discipulus ille*, supple replicando: praedilectus, familiaris, fideliter interrogans, et cui datum est ut sic maneat *donec veniam*, quae omnia ad auctoritatis privilegium spectant. Dicitur Ioannes specialiter praedilectus propter specialitatem caritatis. Supra XIII, 35: *in hoc cognoscent omnes quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*. De dilectione autem fraterna nullus apostolorum tantum loquitur quantum ipse in epistolis suis. Legitur etiam de eo, quod iam senex effectus portabatur ad Ecclesiam a discipulis suis ut instrueret fideles, quibus dicebat hoc tantum: *filioli, diligatis invicem*. Et in hoc est perfectio disciplinae Christianae. Secundo propter eius officium, quod est perhibere testimonium, unde dicit *et testimonium perhibet de his*. Hoc est proprium apostolorum officium; Actor. I, 8: *eritis mihi testes*; Is. XLIV, 8: *vos testes mei, dicit dominus*. Tertio subdit eius studium, cum dicit *et scripsit haec*: qui enim ex officio apostolatus praesentibus testificatus est de gestis Christi, ipsemet ex studio, praedicta gesta ad utilitatem futurorum et absentium scripsit. Is. VIII, 1: *sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis: velociter spolia detrahe, cito praedare*; Eccli. XXXVIII, 25: *sapientiam scribes in tempore vacuitatis; et qui minoratur actu, sapientiam percipiet; qua sapientia replebitur*. Datum est enim ipsi Ioanni ut viveret usque ad tempus quo Ecclesia in pace erat; et tunc haec omnia scripsit. Sed ideo addit hoc, ne videatur hoc Evangelium, propter hoc quod scriptum fuerat post mortem omnium apostolorum, et alia Evangelia approbata fuerant ab eis, et specialiter illud Matthaei, minoris esse auctoritatis quam alia tria Evangelia. Hic ponitur veritas Evangelii. Et loquitur in persona totius Ecclesiae a qua receptum est hoc Evangelium. Prov. VIII, 7: *veritatem meditabitur guttur meum*. Notandum autem, quod cum multi scriberent de Catholica veritate, haec est differentia, quia illi, qui scripserunt canonicam Scripturam, sicut Evangelistae et apostoli, et alii huiusmodi, ita constanter eam asserunt quod nihil dubitandum relinquunt. Et ideo dicit *et scimus quia verum est testimonium eius*; Gal. I, 9: *si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit*. Cuius ratio est, quia sola canonica Scriptura est regula fidei. Alii autem sic edisserunt de veritate, quod nolunt sibi credi nisi in his quae vera dicunt. Hic ponitur insufficientia Scripturae suae quantum ad rem quam scribit, ut quasi removeat quod haec scripsit quasi volens praestare gratiam dilectori suo: quia non solum ista fecit, sed etiam *multa alia quae non sunt scripta in libro hoc*. Hoc autem quod sequitur *quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum posse capere eos qui scribendi sunt libros*, potest dupliciter exponi. Uno modo, ut *capere* referatur ad capacitatem intellectus; quasi dicat: tot possent dici de Christo quod nec mundus caperet eos libros qui de his scriberentur. Supra XVI, 12: *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, idest capere. Alio modo, ut sit locutio hyperbolica: et significat excessum operum Christi. Sed quid est hoc quod dicit? Praemisit enim: *et scimus quia verum est testimonium eius*, et statim subdit hyperbolicam locutionem. Sed, secundum Augustinum, sacra Scriptura utitur quibusdam figuratis locutionibus, sicut: *vidi dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*, et tamen non sunt falsae: ita quando in sacra Scriptura est aliqua locutio hyperbolica. Non enim est intentio dicentis ut credatur quod dicit, sed quod intendit significare, scilicet excessum operum Christi. Hoc tamen non fit quando aliquid quod erat obscurum vel dubium exponitur, sed quando id quod est apertum augetur vel attenuatur; puta cum quis volens copiam alicuius rei commendare, dicit: hoc sufficit centum personis vel mille. Volens autem vituperare dicit: hoc vix sufficeret tribus. Nec tamen falsum dicit: quia sic verba rem quae indicatur excedunt, ut ostendatur quod non intendit mentiri, sed ostendere esse parum vel multum. Vel potest referri ad virtutem Christi, qui signa faciebat: ut fiat vis in hoc quod dicit *per singula*. Scribere enim per singula, signa et dicta Iesu Christi, est dictionum singulorum et factorum enucleare virtutem. Verba autem et facta Christi sunt etiam Dei. Si quis autem vellet eorum rationem per singula scribere vel narrare, nullo modo posset; immo etiam nec totus mundus hoc potest. Infinita enim verba hominum non possunt attingere unum Dei verbum. A principio enim Ecclesiae semper scripta sunt de Christo, nec tamen sufficienter; immo si duraret mundus per centum millia annorum, possent libri fieri de Christo, nec ad perfectionem per singula, facta et dicta sua enuclearentur. Eccli. ult., 12: *faciendi plures libros nullus est finis*; Ps. XXXIX, 5: *annuntiavi, et locutus sum: multiplicati sunt super numerum*.



© 2006 *Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem*  
*Iura omnia asservantur*  
OCLC nr. [49644264](#)